

















Monasterium. Fontis. Avellanæ.



ANNALES CAMALDULENSES ORDINIS SANCTI BENEDICTI

Quibus plura interseruntur tum ceteras Italico-monasticas res, tum historiam Ecclesiasticam remque Diplomaticam illustrantia.

D. JOHANNE-BENEDICTO MITTARELLI
& D. ANSELMO COSTADONI

Presbyteris & monachis e Congregatione Camaldulensi Auctoribus.

TOMUS SECUNDUS

Complectens res gestas ab anno Christi M. XXVII. ad annum M. LXXIX.

Ad fidem MONUMENTORUM & VETERUM CHARTARUM, quæ APPENDICEM constituunt.

Ab Eremo Montis Regii ad Varsaviam pro Missis celebratis comparatus.



VENETIIS, MDCCLVI.
Ære Monasterii Sancti MICHAELIS DE MURIANO.

Prostant apud JO. BAPTISTAM PASQUALI.

SUPERIORUM VENIA ET PRIVILEGIO.

EMMANUELI
COMITI. DE. RICHECOURT. PRÆSIDI
JOHANNI ANTONIO
ABBATI. TORNAQUINCIO
CAJETANO
EQUITI. ANTINORIO
A. FRANCISCO. I.
AUGUSTISSIMO. CÆSARE
AD. REGIMEN. MAGNI. ETRURIÆ. DUCATUS
PROVIDISSIME. DELECTIS
PIETATE. CONSILIO. ÆQUITATE. SAPIENTIA
PRÆSTANTISSIMIS
LITERARUM. CULTUI. ARTIUM. INCREMENTO. REIPUB. BONO
ETRURIÆ. SPLENDORI. RESTITUENDO. NATIS
BONORUM. OMNIUM. PATRONIS

Johannes-Benedictus Mittarelli & Anselmus Costadoni
Presbyteri & Monachi Camaldulenses.



QUUM exiguæ Camaldulensis familiæ Annales fidei primùm & tutelæ commendati fuerint patrii Principis nostri, quem super ceteros colere optimi Civis est, tum proxime convolant ad Vos Nobilissimi TRIUMVIRI, qui dum Immortalis

FRAN-

FRANCISCI I. CÆSARIS Augustissimi nomine & auctoritate clavum imperii tenetis in Magno Etruriæ Ducatu, illi Italiæ provinciæ præsidetis, quæ Scientiarum, Artium, sed Religionis potissimum mater cum sit, nomen & quasi incunabula dedit, ex Camaldulo celeberrimo monte, eidem quoque Camaldulensi familiæ, ac splendidissimis sanctissimisque viris, qui in ea floruerunt. Illud pariter stimulos addidit, ut Vobis alterum hocce Annalium nostrorum volumen inscriptum mallemus; noveramus scilicet summos Vos esse viros, Literarum bonarumque Artium quammaxime studiosos, ac providos cultores & custodes, patronos insuper laboris qualiscumque nostri validissimos. Quare si felices arbitrantur se Etruriæ populi, quibus, CÆSARIS præstante Clementia, datum est Sapientissimis parere Moderatoribus, felices quoque censebuntur Annales nostri, quod tales nacti fuerint, tantosque Mecœnates.

RES ipsa loquatur. Quantum, Deus Bone, operæ impendis, EMMANUEL Nobilissime & Amplissime PRÆSES, quantum pervigil es, ut felicitati Etruriæ consulas universæ? Te providente Universitatum scholæ strenuissimis doctoribus, quibus juventus optime instituatur, abundant; Te dirigente Artes omnes antiquum splendorem recuperasse gaudent; Te prospiciente commercium propagatum, nova præsertim Bononiensi inventa strataque via, qua non commodius tantum, sed jucundissimum iter ex arduo horrentique complanatum est; Te curante pauperum morbis consultum, nosocomiis auctis, ornatis, ditatis. Quid dicemus de egregio ausu, quo saluberrima Pisana Balnea jamdiu in sordibus & oblivione jacentia, aquis revocatis, non solius Etruriæ populorum, sed universi Orbis utilitati donasti, atque ædificiis, omnibusque languentium usibus opportunis adeo locupletasti, ornasti, perfecisti, ut advenis eo confluentibus admirationi sint & voluptati? Quid de ceteris egregii animi Tui dotibus? Sapientia, morum Suavitate, effusoque erga omnes corde Tuo illo, quo cunctos, vel vulgares, Humanitate excipis, Benevolentia foves, Misericordia sublevas, ut finiti-

ma-

marum quoque gentium amorem ad Te pertraxeris & venerationem ; unde merito jure ὁ μακαρίτης Antonius-ludovicus Muratorius Te in exemplar eorum, qui ad regimen nati sunt, proponere non dubitavit.

Sed & divino prorsus consilio factum censemus, ut Tibi in hac gerenda provincia Joannes-Antonius Abbas Tornaquincius, & Cajetanus Eques Antinorius consociarentur, viri equidem juris legumque Prudentia, Fide, Consilio, Industria in agendis, atque ita omnibus numeris absoluti, ut in arduis administrandæ Reipublicæ negotiis nil ultra, quod viris Optimatibus constituendis conveniat, desiderandum supersit.

Ac ne singulari illi modestiæ Tuæ displiceamus, Johannes-Antoni Abbas Tornaquinci, silentio modo prementes vetustissimæ familiæ Tuæ, virorumque illustrium prælongam seriem, firmissimus animus Tuus in legum sanctitate exequenda & vindicanda, Vigilantia illa, qua bonum publicum humanis privatisque commodis anteponens semper omnibus præsto es, munera ipsa difficillima & gravissima vel ab ineunte ætate Tibi credita, summaque fide & incredibili felicitate expleta, Te ad grandia natum dilucide satis ostendunt.

Antinoria quoque familia Tua, Eques Cajetane Præclarissime, nostrorum præconiorum luce non indiget; sat enim illustria sunt majorum Tuorum facinora, seu Florentinæ Reipublicæ, seu Medicei imperii tempora percurrantur; a laudibus autem Tuis, ne modestiæ incomparabili, qua præfulges, fastidium ingeramus, ducimus temperandum; auditum namque longe lateque est, quantus splendoris, morum Jucunditate, Amore in bonos, consiliorum Sapientia, quibus plurimum polles, omnium denique virtutum ornamentis, Nobilitati Tuæ cumulus accesserit. Ad hæc prætereunda non sunt sine laude, tum egregium studium, quo Scientias ac liberales Artes semper es prosequutus, tum indoles illa Tua, qua Sapientes Doctosque viros excipere soles, ut domum Tuam signis, imaginibus, diptycis & veteribus inscriptionibus, lectissima quoque bibliotheca, & numismatum atque sigillo-

rum

rum completa serie ornatissimam privatas ædes, an publicam Scientiarum Academiam nuncupemus, ambigendum relinquas.

Hæc autem, quæ mirifice in Vobis splendent virtutum decora, Amlpissimi, Sapientissimique Triumviri, brevi stilo innuere voluimus, ut si cui forte animosiores visi fuerimus in Secundo hoc Annalium nostrorum Volumine nomini Vestro consecrando, sciat ille præfidentius nos hoc egisse, quod inter suspiciendas excelsi animi Vestri dotes, Comitatem atque Benignitatem præpollere compertum haberemus. Imploramus itaque Auctoritatem, Fidem, Patrocinium Vestrum, & dum Annales hos non dedignamini, cunctam quoque congregationem Camaldulensem, Monasticam æque ac Eremiticam, respicite, fovete, augete magis magisque. Nos interim totis nisibus Deum Opt. Max. orabimus & obtestabimur, ut Vos Cæsari, Etruriæ, etiam nobis diu incolumes servet.



PRÆ-

IN TOMUM SECUNDUM
ANNALIUM
CAMALDULENSIUM

PRÆFATIO.



LTER, Deo vires dante votisque nostris propitio, Annalium nostrorum tomus prodit, quem a morte sanctissimi parentis nostri Romualdi exordium sumentem, ac quinquaginta & quatuor annos complectentem ad annum 1080. perducimus. Juxta institutum, quod nobis ipsis in primo proposuimus, etiam in hoc secundo volumine Camaldulensium monasteriorum origines, Romanorum pontificum & imperatorum privilegia, episcoporum largitiones & confirmationes, piorumque virorum donationes, quæ rem nostram illustrant, in medium proferimus; Sanctorum quoque acta ex veteribus coævisque monumentis ipsi operi inserimus.

Et sterilis, quidem fatemur, est his primis temporibus historia Camaldulensis eremi, ejus nempe loci, quem Romualdus postremis vitæ suæ annis in Arretino agro anno M. XII. fundaverat; scilicet Camaldulenses eremitæ & monachi otio sanctæ contemplationis indulgentes, vitæque a consciis remotissimæ ex instituto vacantes scribere detrectarunt gesta confratrum suorum, quorum actiones vicissim ignorabant & ignorabantur, malentes bene agere, quæ scribi possent, quam scribere, quæ bene erant acta. Rodulphus hujus nominis I. & quartus ordine Camaldulensis ejusdem eremi prior, qui aliqua scriptis primus omnium posteritati mandavit, nominatis eremitis, & eorum præside Petro Dagnino, constitutis a Romualdo in eremo Camalduli, hæc dumtaxat de ipsis, eorumque posteris usque ad annum 1085. memoriæ tradidit. *Largitor omnium bonorum Dominus tantam humilitatem, patientiam, & fortitudinem atque constantiam illis quinque fratribus & conversis* (hi postremi erant in subjecto hospitio Fontis-boni) *concessit, ut per multa terrarum spatia eorum crebresceret fama. Comperta igitur a pluribus eorum opinione, non solum de vicinis, sed etiam de lon-*

ginquis partibus cœperunt ad illos proficisci multi viri, & eorum mellifluis fruebantur colloquiis. Quidam autem ex eis non solum de infimis, verum etiam de nobilibus viris Spiritu-sancto afflati, spretis corde secularibus curis, monachale indumentum a prædicto priore acceperunt, & de suis hæreditatibus præfatam eremum ditaverunt, atque arctam vitam ducere ceperunt. Alii autem penna divinæ contemplationis ad amorem cœlestis patriæ volantes, mentisque oculos in divino lumine figentes, & de ineffabili dulcedine aliquo modo gustantes, singuli in singulis cellulis seque recludentes, sic usque ad obitum permanserunt cum antiquo hoste pugnantes, divina protegente gratia. Alii per binas quadragesimas silendo, districtioremque vitam ducendo, ceterique per centum continuos dies vel per unum annum cum diversis cogitationibus reluctando in cellulis permanent; fulgentes cum ceteris fratribus Dei caritate, & obedientia, atque sanctis virtutibus, & jugiter venerabilis ROMUALDI *vitam atque doctrinam commemorantes, necnon mores prædictæ eremi, atque usus fervent amore retinentes.* Ceterorum scriptorum hujus ætatis de Camaldulensibus eremitis differentium nullum alium novimus, præter Petrum [a] Damianum, & ipsum parcissime, qui Martinum Camaldulensem eremitam semel & bis *virum diversis virtutibus adornatum, & præcipue jugibus lacrymarum fluentis irriguum; magnæ insuper opinionis, ac celebris famæ virum* laudat: & præter Immonem Arretinum episcopum, qui anno 1037. hæc de Camaldulensibus eremitis prædicat: [b] *Sunt viri Deo pleni, igne Divinæ contemplationis succensi, spiritu ferventes, Domino servientes, superni regis cohæredes effecti, qui terrena patrimonia intra sacrarium cœlestis aulæ transtulerunt, atque singuli in singulis cellulis constituti, dum sese toto nisu ad superna erigunt, mentis oculos in conditoris desiderio figunt.* Quapropter multo gaudio repletus ex sanctorum anachoretarum visu, dignas Deo gratias egit, pro eo quod *tales in suo episcopatu Christi repererit servos, quorum se, & cunctum clerum & populum* commendavit *orationibus*, eos deprecatus, ut *tanto magis apud omnipotentis misericordiam intercessores existerent, quanto magis per Divinam contemplationem Christo appropinquarent.* Albizonis alterius pii Camaldulensis eremitæ consiliis uti familiare fuit eidem Immoni episcopo. *Dilectissimos fratres, quos sibi sanctissimæ memoriæ pater Romualdus procurandos, gubernandosque commendavit*, vocaverat [c] anno 033. Immonis antecessor episcopus Theodaldus. *Venerabiles anachoretarum patres* [d] appellarunt rectores ipsis eremi ceteri episcopi Arretini, Constantinus in primis anno 1064. *Et in Dei servitio jugiter manere ferventes* eos laudat Henricus III. imperator [e] in privilegio anni 1047.

a *Epist.* XX. *lib.* VI. *Opusc.* XXXIV. *cap.* I.

b *T.* II. *col.* 62. *Annal. Camald. App.*

c *Ibid. col.* 51.

d *Ibid. col.* 194.

e *Ibid. col.* 120.

Sed si sterilis est eremi Camaldulensis historia, supplet defectum hunc aliorum monasteriorum, & præcipue Font-avellanensis cœnobii historia, quæ bonam partem facit hujus secundi voluminis. Perfunctorie alibi admonuimus, quanta legum & consuetudinum confœderatione affines essent inter se Camaldulensium & Avellanensium familiæ. Quanta Petri Damiani propagatoris, &, ut diximus, institutoris Avellanensis eremi, cum discipulis Romualdi arcta necessitudo; quem immo audisse in re monastica Romualdum scribit Secundus Lancellotus. Vitam, quam sanctissimi Romualdi contexuit Damianus, *ab egregiis ipsius discipulis* hausit, & *germana fratrum* (San-vincentiani nimirum monasterii) *caritate devinctus* in publicum prodire jussit. Idem Petrus post Pomposianum cœnobium, in quo biennio commoratus est sub Guidone abbate & eremita clarissimo, aliud biennium degit in monasterio sancti Vincentii ad Petram-pertusam, ad quod adventaverat sæpe etiam, cum tirocinium ponebat in Avellanen-

lanensi cœnobio. Fuerat ipsum cœnobium reformatione & legibus Romualdi excultum. Immo post susceptam Avellanensem præfecturam frequentius ibidem habitare in deliciis habuit Damianus. Eo in monasterio constitutus Adamum Foro-sempronienfem episcopum ad monasticum votum sæpius pellexit, Arduinum quoque famosæ prudentiæ genere clarum, & divitiis opulentum, decennio promittentem, & declinantem a monastico habitu suscipiendo expectavit. Prædictum sancti Vincentii cœnobium enixius præ ceteris Bonifacio duci & marchioni patri comitissæ Mathildæ commendavit; horarias preces beatæ virginis Mariæ in ipsum invexit; pro eo imperatorum patrocinia sæpius postulavit, & referens exempla, Sanvicentiana *domestica* exempla appellare gestivit. Pariter jam prior Avellanensis factus cellam inhabitavit territorii Perusini in Monte-pregio, quam incoluerat Romualdus, teste Johanne Laudense ejus discipulo & vitæ scriptore; & suimet ipsius testimonio præfuit alteri Perusino monasterio sancti Salvatoris, quod olim erexerat Romualdus. Missa facimus alia cœnobia a Romualdo & a Petro Damiano vicissim inhabitata & exculta, quæ legi commode possunt penes Jacobillium & Grandium. In eremis vel monasteriis, quæ de novo condebat Damianus, eam sibi regulam figebat, quam proposuerat æque sibi sanctus Romualdus; tironibus suis, ut stimulos adderet, in medium proferebat Damianus consuetudines & exempla Romualdi. Hinc nil mirum, si ratione hujus affinitatis canones Avellanenses pro norma vitæ forent etiam Camaldulensibus, & si leges Romualdi exciperentur ab Avellanensibus. Regulam demum, antequam ad ecclesiasticas dignitates raperetur Damianus, scripsit pro suis eremitis Avellanensibus, sed hæc similiter in eremo Camaldulensi vim legis obtinebat, manibusque terebatur Camaldulensium. Id testatur suprarelatus Rodulphus; descriptis enim pluribus consuetudinibus ejus eremi, concludit: [a] *Sunt alia multa fratribus necessaria, quæ omnia prudenti lectori eremitica regula satis demonstrat*. Quod vero nomine regulæ eremiticæ regulam a Damiano scriptam intellexerit, hoc potissimum argumento fit exploratum. Præcavet Rodulphus, ne per hoc, quod regula eremitica dicit *de die sabbati manducare ad mensam*, is usus adoptetur in eremo Camaldulensi, quia *numquam*, ait, *mos hic fuit; sed reliqua omnia, quæ hujus eremi usibus convenientia & similia* (supple reperiuntur in eremitica regula) *debemus jugiter observare*. Porro in regula eremitica Damiani hæc manducatio ad mensam die sabbati permittitur in eo opusculo [b], quod est *de suæ congregationis institutis* cap. XV. ubi hæc habentur: *Non grave videatur fratri etiam sabbato refectionem ad nonam horam usque differre, ut semel quidem ipso die reficiatur, sed tamen vinum atque pulmentum percipere ex hujus nostræ institutionis indulgentia non vetetur, & hoc quidem æstate. Nam ab idibus septembris usque ad paschale gaudium quatuor per hebdomadam diebus noverit jejunandum, sed etsi aliquando tanta debilitas acciderit, hiberno etiam tempore die sabbati, aut leguminibus infusis, aut herbarum radicibus, sive etiam pomis solitum licebit aliquantisper temperare jejunium. Ita tamen, ut si unum quodlibet horum sumat, aliud, nisi veræ necessitatis causa dictaverit, non adjiciat. Postremo tamen propter pusillanimes, si hic necessitas omnino poposcerit, quæ fieri permissa est in æstate, eadem sabbatorum discretio servetur in hieme*. Ea vero de causa Rodulphus, receptis aliis canonibus regulæ eremiticæ Damiani, discretionem sabbati adoptandam e re Camaldulensis solitudinis esse non duxit, quia ipse protoparens *Romualdus legens* [c], testimonio ejusdem Damiani, *quod sanctus Silvester urbis Romæ episcopus sabbatorum diem jejunandum esse, ut revera sancti pascha-*

a *Constit. anni* 1085.

b *Opusc.* XV.

c *Vit. S. Rom.* c. IX.

tis vigilias, instituerit, mox remissionem sabbati in quintam feriam commutavit, & sic infirmorum imbecillitati consulens longum jejunium discretione habita facilius reddidit; hanc nimirum vivendi regulam cunctis sectatoribus singularis vitæ præfigens, ut tunc se unusquisque eremiticæ vitæ jejunium tenere cognoscat, si per hebdomadam triduanas & biduanas jejunando, quinta feria & dominicis diebus olera vel quodcumque liquamen cum gratiarum actione percipiat. Quo Romualdi & Camaldulensium non interrupto exemplo permotus aliquando Damianus, paullo post tum Avellanensibus, tum Gamugnensibus eremitis suis etiam sabbati jejunium præscripsit, confecto opusculo LIV. *de jejunio sabbati*. Ceterum, præter hunc usum, in quo nonnihil per aliquod tempus disconvenere Camaldulenses & Avellanenses, [a] *reliqua omnia, & qualiter docet nos in cellula & deforis permanere, nec non intus resistere, & virtutes aquirere, & discretionem in omnibus semper retinere*, quæ omnia sunt totidem capita regulæ Damiani, non puro consilio, sed debito, *debemus*, inquit, Rodulphus, *observare, numquam tamen sancti Romualdi & ceterorum nostrorum antecessorum pium usum derelinquere*.

[a] Const. anni 1085.

Sed interiorem spiritum, tum etiam consuetudines utriusque loci pressius examinemus, præeunte Grandio, qui viam nobis stravit in sua dissertatione IV. Camaldulensi, ubi ita assumptum nostrum illustrat, ut rem plane conficiat. Consueverat Romualdus prope monasteria eremos, & prope has cœnobia instituere; hinc [b] præceperat abbati sancti Adalberti in insula Perei, *ut in eremum secedens per totam hebdomadam in cella consisteret, diebus vero Dominicis fratres ad monasterium veniens visitaret*. Easdem eremos prope monasteria vidimus ab ipso excitatas in Aquitanicis partibus, in Parentinis finibus, in Camerinensi provincia, in Thuscia, in Umbria; prope nimirum Cuxanense cœnobium, prope illud sancti Michaelis de Lemmo, Valle-castrense, Amiatinum, sancti Vincentii de Petra-pertusa, aliaque monasteria. Etiam Damianus in locis, quæ fundabat, eremos prope monasteria, & monasteria prope eremos condebat. Hinc Gamugnenses eremitæ ad Aceretanum cœnobium, & Aceretani cœnobitæ ad Gamugnensem eremum facile transibant. Dominicum Loricatum Damiani discipulum nunc inclusum legimus, nunc apertum monachum, & prope ecclesiam Avellanensem commorantem, nunc cœnobitam monasterii sancti Æmiliani de Conjunctulis, nunc vero eremitam Suavicinienseṁ; & ut de omnibus Avellanensibus loquamur, *claustrum* [c], inquit ipse Damianus, *quoque juxta ecclesiam construi hac intentione censuimus, ut si quem adhuc inolita monasterialis consuetudo delectat, habeat, ubi in præcipuis festivitatibus sollemniter ex more procedat, cui & processioni crucem argenteam satis idoneam procuravimus*. Itidem *fratres apud ecelesiam commorantes* memorat opusculo XV. [d] Hinc eremitæ, cœnobitæ & inclusi, tum monachi, tum solitarii apud Avellanenses. Martinus cognomento Storax [e] *per tria lustra non prodierat ex cella*; Lupus [f] *pro æterna libertate carceri se incluserat*; Leo [g] *amore supernæ libertatis inclusus* vocatur, Stephanus [h] *amore claritatis supernæ cellulæ carceralibus angustiis* se incluserat; & permulti alii, quos Damianus laudat. Prohibuerat insuper eremitis apertis Damianus, [i] *ne in cellulis unquam loquerentur alicui, nisi forte aut omnino morarentur inclusi, aut etiam forent juxta monasterium constituti*. Hæc apud Avellanenses. Rodulphus prior Camaldulensis in suis constitutionibus nominat [k] *fratres, qui prope ecclesiam permanent*; infirmi si aliquando apud ipsos Camaldulenses forent, deportabantur ad Fontem-bonum, ut convalescerent [l], *nisi tamen essent reclusi fratres, qui sive sani, sive infirmi in cellulis*

[b] Vit. S. Rom. cap. XXX.

[c] Opusc. XIV.

[d] Cap. VII.

[e] Opusc. LI. cap. V.

[f] Ibid. cap. VI.

[g] Opusc. XI.

[h] Opusc. XV.

[i] Opusc. XV. cap. XVIII.

[k] Constit. anni 1085.

[l] Ibidem.

cellulis suis vel usque ad obitum, vel ad reclusionis terminos jugiter persistunt. Eo autem consilio instituta fuerant primitus a Romualdo monasteria cum adjunctis eremis, ut eremitica simul & cœnobialis vita per obedientiæ jugum copularetur, quod maxime inculcant tum Petrus Damianus, tum Rodulphus: *Illud plane summopere cavendum est* [a], ait Damianus, *ne sub colore quis eremiticæ vitæ jugum detrectet obedientiæ, immo tanto se arctiori obedientiæ lege constringat, quanto hanc institutionem superexcedere cœnobitarum regulam non ignorat*. Tum diffluit, peculiarius de obedientiæ ratione differens. *Hæc virtus* [b], ait similiter Rodulphus, *solitariis valde necessaria est, ut quo duriorem ducunt vitam, eo pleniorem observent obedientiam. Quidam namque sub obtentu sanctioris vitæ jugum recusant obedientiæ; putant enim se lege obediendi solutos, eo quod arctiori eremiticæ vitæ studio se norunt adstrictos. Sed ibi certe major debet esse obediendi observantia, ubi ferventior & austerior est vivendi cultura*.

a Opusc. XV. cap. 18.

b Cap. xl.

Verum sicut characterem eumdem, eumdemque spiritum perspicimus in utraque Avellanensi & Camaldulensi regula, sic & ritus & minutiora earumdem prosequamur. Et quidem a psalmodia initium ducentes, *duo* [c], inquit Rodulphus, *psalteria cum adjectionibus suis per utramque quadragesimam quisque frater per singulos dies persolvat, in aliis vero temporibus unum pro vivis debet celebrare psalterium, pro defunctis autem totum aut dimidium, vel ad minus tertiam partem*. Petrus autem Damianus [d] *de psalmodia*, ait, *consuetudo est, ut cum duo fratres simul commorantur in cella, duo persolvant in die psalteria, unum pro vivis, alterum pro defunctis; & illud quidem, quod est vivorum, cum illis dicitur additamentis, quæ beatus Romualdus apposuit; quod vero pro defunctis, cum novem lectionibus dicitur, tribus nimirum per quinquagenos psalmos. Qui autem solus moratur, psalterium quidem vivorum totum per singulos dies adimplet, defunctorum autem sive medium sive totum, juxta quod virium possibilitas administrat*. Romualdi additamenta nominata a Damiano, sive adjectiones nominatæ a Rodulpho quænam essent, explicat idem Damianus opusculo XV. [e] dicens: *Illud quidem psalterium, quod est vivorum, cum illis dicitur additamentis, quæ beatus Romualdus apponit, quæ etiam nos non gravemur inserere, ne nos conqueratur forte novitius, quæ sibi magnopere noscenda sunt, præteriisse. Decursis plane quinque psalmis, protinus subinfertur*: Gloria tibi Trinitas, æqualis una Deitas, & ante omne seculum, & nunc & in perpetuum. Orate pro nobis omnes Sancti Dei. Ut digni efficiamur promissionibus Domini Dei nostri Jesu Christi. Pater noster. *His expletis mox subditur*: Adjutorium nostrum in nomine Domini, Qui fecit cœlum & terram. *Et evolutis aliis quinque psalmis tunc dicitur*: Te Deum Patrem ingenitum, Te Filium unigenitum, Te Spiritum-sanctum paracletum, sanctam & individuam Trinitatem toto corde & ore confitemur, laudamus atque benedicimus, Tibi gloria in secula, amen. Domine Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. Confundantur & revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. Adjutor meus & liberator meus esto. Domine ne tardaveris. Gloria Patri, & Filio & Spiritui-sancto. *Quo finito rursus dicitur*. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Hæc igitur per quinquenos psalmos alternatim semper adduntur, donec psalterium cum tribus Dominicalibus, necnon & totius hebdomadæ canticis expleatur. His etiam non neglectis, quæ in fine psalterii videntur adjecta, videlicet*: Te Deum laudamus; Nunc dimittis servum tuum; duobus symbolis; Gloria in excelsis Deo; Pater noster, cum fide catholica; postremo litaniæ cum orationibus; *hæc omnia consueto fine concludunt*.

c Cap. xxxv.

d Opusc. XIV.

e Cap. xi.

Hæc

Hæc quoad psalmodiam uniformem in Avellanensi & in Camaldulensi eremis.

Præter psalmodiam publicam, etiam privata peragebatur ab ascetis utriusque loci, & dum mens & vox intenta erat divinis laudibus, corpus in palmatis, disciplinis, metanæis aliisque piis exercitiis insuper occupabatur. Externum hujusmodi fervorem ex Rodulpho & ex Damiano addiscimus. *Nam quis*, inquit ille in constitutionibus anni 1085. *digne narrare valet ea, quæ hujus eremi fratres per omne tempus solent agere, bonorum scilicet operum? id est ictus scoparum, discurrentes lacrymas, innumerabiles metanæas, cordium suspiria, continuam psalmodiam, orationum instantiam, sacras vigilias, & cum diabolo, quæ faciunt, certamina, extra alias virtutes, quæ soli Deo cognitæ sunt?* Et iste [a]. *In ceteris*, inquit, *spiritualis exercitii studiis, quæ sit continui fervoris instantia, quæ sollicitudo, quam vigil & operosa frequentia, timeo dicere ..... hoc tamen mihi liceat, quia tanta est diligentia in flexionibus genuum, in disciplinis scoparum, & ceteris hujusmodi &c.* Disciplinæ sibi inferendæ mos, vel etiam suscipiendæ in capitulo, æqualis erat in utraque eremo; & *omni dominico die* Camaldulenses, [b] Rodulpho teste, *in capitulo convenientes præmissa exhortatione fraterna se invicem accusare debent caritative; postremo communi confessione præmissa, verberum ictus super nuda membra suscipientes, non tam causa cruciandi corpora, cum sibi graviora in cellulis supplicia infligant, quam studio divinæ passionis, & humilitatis exempla sectandi ad confusionem illius, qui est rex superbiæ*. Immo ipse prior Camaldulensis eremi *in capitulo cum fratribus sæpe convenire, & præmissis metanæis suos confiteri debebat excessus, ut ipse a vitiis fiat emendatus, & aliis emendationis formam ostendat*. Juxta quod & Damianus priores Avellanenses successores suos monebat [c] *aut numquam*, dicens, *aut raro capitulum cum fratribus celebretur, quo missa metanæa te non accuses*. Supervacaneum autem est hic commorare, quousque incentoribus Petro Damiano & Dominico Loricato palmatarum, disciplinarum & flagellorum usus invaluisset in eremo Avellanensi. Id fusissime legitur in historia hujus voluminis. Ea tamen pœnalia exercitia neque Camaldulensibus, neque Avellanensibus imperabantur, sed permittebantur cujusvis arbitrio aut viribus. *In metanæis vero* [d], docet Rodulphus, *& palmatis vel scoparum ictibus aliisque similibus obsequiis, vel operibus seu artificiis quisque debet exerceri, prout facultas tulerit, vel utilitas suaserit, seu divina inspiraverit gratia; in talibus enim voluntaria suadetur oblatio, non coactio imponitur, unusquisque in hac parte suas metiatur vires, computet sumptus, moderetur affectus*. Et Damianus concinit [e]: *Super metanæis, disciplinis atque palmatis, sive etiam brachiis extendendis in orationibus, ceterisque sancti fervoris exercitiis nulla fratrem lege constringimus, quin potius suæ committenda provisionis arbitrio judicamus. Sunt enim, quibus horum aliqua non conveniunt, atque ideo tutum videtur atque liberius, ut in talibus magis optio proponatur, quam definitiva regulæ sententia præscribatur.*

Quæ personarum discretio & virium non in solo disciplinarum exercitio servabatur, sed in aliis etiam abstinentiæ ceterarumque virtutum actionibus, discreta superioris dispensatione omnia temperante. *Si unus* [f], cavet Damianus, *aut fortasse plures indigent, quod ii, qui incolumes sunt, necesse non habent, clam videlicet & occulte sic infirmis pia exhibeatur humanitas, ut valentes sine invidiæ stimulo in sui rigoris permaneant disciplina; neque enim necesse est, quod uni casus irrogat, illico regulare omnibus fiat*. Et cavet etiam [g] Rodulphus dicens: *Debilibus autem & teneriori-*

ribus

a *Opusc. XIV.*

b *Cap.* XIX.

c *Opusc. XV.*

d *Cap.* XXXV.

e *Opusc. XV. n.* 18.

f *Opusc. XV. n.* 16.

g *Cap.* XXX.

ribus si qua dispensatio in alimentis aut vestibus necessaria sit, sapienter & caute fieri debet, ut ita indigentibus exhibeatur pia discretio, ne inde fortioribus noxia generetur dissolutio; nam specialis vel singularis concessio non debet trahi ad consequentiam ceterorum, ne de unius vel paucorum indulgentia nascatur plurimorum enormitas. Notetur in utroque canone dispensationem hanc fieri consuevisse caute & occulte.

Silentii censura eadem præcipitur a Rodulpho, quæ a Damiano. *Exeuntes* [a], inquit ille, *de cellis & ad ipsas redeuntes silendi censura debent cohiberi. In oratorio, in refectorio regula silentii omni tempore intemerata servetur.* Et iste [b]: *In capitulo, in oratorio, in refectorio regularem consuetudinem non postponant, ut cum hospitibus non loquantur; atque ideo a cellulis usque ad ecclesiam sive venientes, sive redeuntes a censura silentii non recedant.* Ut vero perfectum silentium adhibeat eremita, vult Rodulphus, [c] *ut vitium vagationis & instabilitatis taliter fugiat, ut non solum exterius cum Dina filia Jacob non facile discurrat, sed etiam in ipsa cella stabilis fixusque permaneat; posset enim intra eamdem cellam tamquam cujusdam impulsu Vertumni, vagationisque spiritu tota die circuire*. Et Damianus [d]: *Illud non mediocriter displicet, quod etiam ipsis sanctissimis eremitis quidam videntur admixti, quos idem pestiferæ vagationis morbus exagitat, & si dicere liceat, quasi Vertumnus, quoddam scilicet dæmoniorum genus, vexat. Vertumni siquidem apud antiquos dicebantur dæmones, quorum instinctu homines in vertigine positi reddebantur instabiles. Tantopere quippe vagatio est vitanda*, subdit opusculo XV. [e] *ut nec per ipsam cellulam spatiari inaniter liceat*. Ut vero eremitas suos ad cellulæ custodiam alliciat Damianus, hæc animadvertit: [f] *Huc accedit, quod iis, qui vitam suam sub hac inconstantia mutationis alternant, eo fit vita remotionis austerior, quod inolita vagandi consuetudine retrahuntur, itaut eremitica districtio gravissimæ difficultati cella ipsa illis videatur horrori. Consuetudo enim facit monacho cellulam dulcem, vagatio videri facit horribilem. Vagantibus cellula carcer est, permanentibus suave cubiculum*. Quæ sunt consona iis, quæ tradit Rodulphus [g]: *Studeat solitarius in cella jugem & continuam sedulitatem habere, ut per gratiam Dei & assiduitatem manendi possit ei habitatio cellæ dulcescere. Nam sicut inquieto & instabili monacho instar carceris pœna ergastuli afflictionis materiam præstat, ita quieto & perseveranti suavitatis refrigerium, silentium beatitudinis tamquam portionem exhibet paradisi*.

Nudipedium commune erat apud Avellanenses & Camaldulenses. *Illud etiam non minima pars pœnitentiæ est*, de suis loquitur Damianus [h], *quod omni tempore sive æstate, sive hieme, non calceis, non ocreis utuntur in cellulis, sed nudis semper cruribus & pedibus consuetudo est permanere, exceptis his, qui gravi molestia infirmitatis urgentur*. Nudis pedibus super pavimento sedentes cibum sumebant Camaldulenses testimonio Rodulphi. [i] *Et nudis pedibus semper permaneant, discalceatos semper omnino pedes habeant*, jubet, etiam ad tempora sua, Paullus Justinianus [k]; exemplo nimirum Perensium & Sitriensium, quos tempore Romualdi nominat Damianus [l], *inclusos, discalceatos, omnes nudis pedibus incedentes atque incultos*.

De somni ratione scimus, quod Romualdus [m] *in tantum exosum habebat ejusmodi somnum, ut si quis ei confiteretur post duodecim psalmorum vigilias & maxime circa diluculum obdormiisse, nequaquam ea die cum ejus licentia posset sacra Missarum sollemnia celebrare*. Adoptavit morem Damianus scribens: [n] *Notandum, quia ante nocturnæ synaxis officium, si vel pro-*

fun-

a Cap. XXXI.
b Opusc. XV. capp. II. 18.
c Cap. XXXII.
d Opusc. XII. cap. 24.
e Cap. 8.
f Opusc. XII. cap. 25.
g Cap. XXXVI.
h Opusc. XVI cap. II.
i Cap. XX.
k Reg. erem. cap. 54.
l Vit. S. Rom. cap. 26. & 64.
m Vit. S. Rom. cap. IX.
n Opusc. XV. cap. 16.

fundior adhuc nox, vel quolibet modo graves esse videntur vigiliæ, repetere accubitum licet; post nocturnum omnino non licet. Et alibi dicit [a]:

a Opusc. XL. cap. 8.

Non canonem solvit, qui psallens nocte redormit.
Ne tamen hoc passim ponat caput ante synaxim.

Erga defunctos consimili pietate certabant cum Camaldulensibus Avellanenses. *Pro migratione cujuscumque fratris in eremo vel in Fonte-bono defuncti triginta psalteria vel Missas debet unusquisque persolvere*, ait Rodulphus [b]; *pro iis vero, qui per alia loca congregationis obierint, tria psalteria vel Missæ ab unoquoque dicenda sunt; in metanæis vero, palmatis vel scoparum ictibus aliisque similibus obsequiis quisque debet, prout facultas tulerit, exerceri.* Damianus autem [c]: *Cum frater quispiam ex nostris obierit, qui videlicet nobiscum degunt, pro eo unusquisque septem dies jejunat, septem disciplinas cum millenis scoparum ictibus accipit, septingentas metanæas facit, triginta insuper psalteria ex more decantat, & unusquisque sacerdos septem Missas illi pro sua persona persolvit, salvo eo quod continuis quoque triginta diebus pro eo Missarum sollemnia in conventu communiter celebrantur.*

b Cap. XXXV.

c Opusc. XV. cap. 12.

Verum ad jejunia & ad abstinentias transeamus, in quibus quam maxima inter utramque familiam analogia est animadvertenda. *Abstinentia* [d], ait Rodulphus, *in hoc loco tunc dicitur, cum nihil præter panem, aut si cui placet, salis adjectionem edentibus ministratur.* Jejunium similiter definit Damianus [e] *Jejunare autem illos dicimus, qui panem cum sale & aqua percipiunt. Ubi præter hæc aliud quid additur, perfectum jejunium non vocatur.* Quando unica refectione servata, pulmentum admittitur, Rodulphus vocat *simplex jejunium*, *unicam* autem *refectionem* Damianus. Quinque dierum per hebdomadam jejunium observabant Avellanenses; triduanam & biduanam abstinentiam Camaldulenses; jejunabant nimirum feria secunda, tertia & quarta, & postea sexta feria & sabbato. *Epiphaniorum vigilias* [f], inquit, Damianus, *ob magnitudinem sollemnitatis, in qua videlicet tot in unum sacramenta concurrunt, dignum est jejunare. Unde & illud graviter ferimus, quia plerique fratres, dum jejunare in beatorum apostolorum Philippi & Jacobi vigiliis perhorrescunt, sollemnitatem Pentecostes in excusationem suæ dissolutionis opponunt, dicentes non debere quemquam sub jejuniorum tunc censura constringi, cum tempus dictet paschalibus potius gaudiis epulari.* Et Rodulphus brevius [g]: *Vigiliæ Sanctorum, quæ in ecclesia statutæ sunt, & epiphaniorum quoque, atque sanctorum Philippi & Jacobi, licet in usu secularium non habeantur, in hac eremo abstinentiæ deputandæ sunt.* In vigiliis natalis Domini & resurrectionis ejus in utroque loco vinum & panis largiori mensura ministrabantur. *Sabbatum sacri baptismi* [h], inquit Rodulphus, *abstinentiæ deputari debet, sed pro labore officii sequentis Paschæ biscoctus panis cum sobria perceptione vini potest fratribus indulgeri.* Et capite XIV. *In vigilia Dominicæ nativitatis idem observandum est, quod in sabbato sancto diximus observari.* Damianus vero [i]. *In sabbato sancto, necnon & vigilia nativitatis Domini, ut labor ecclesiastici relevetur officii, & totum panem, qui voluerint, comedunt.*

d Cap. XI.

e Opusc. XIV.

f Opusc. LV. cap. II. V.

g Cap. XVII.

h Cap. XI.

i Opusc. XIV. & XV. cap. 6.

Pro panis mensura in diebus jejunii, *quia unusquisque frater lances habet in cella, illis semper librat, quod sibimet cœnaturus apponat* [k] juxta Damianum; juxta vero Rodulphum in constitutionibus anni 1085. *unusquisque frater lances in cella habet, cum quibus pensat tres panes, quos accipit omni die Dominico & quinta feria.*

k Opusc. XIV. cap. 8.

Temperabat a vino utraque familia primis temporibus ad exemplum Si-

Sitriensium a Romualdo institutorum, apud quos [a] *vinum ibi nemo noverat, nec si etiam gravissimam ægritudinem pateretur*. Sed temporis processu Rodulphus [b] *vinum quidem habere vitis alienum*, ait, *esse cognoscitur, sed quia defectio & nostri temporis ac naturæ debilitas id omnino non patitur, raro quidem ac sobrie hujusmodi potum percipere solent, ut qui nequeunt cum Johanne abstemiam frugalitatem servare, vel cum Timotheo sobria parcitate utantur*. Et Damianus [c]: *A vino autem, ut nostis, aliquanto tempore continuimus, itaut neque laici, neque extrinsecus venientes, vel etiam in pascha Domini aliquid hic præter aquam biberent, neque vinum hic nisi pro sacrificio haberetur. Sed quoniam & hic manentes cœperunt ægrotantes deficere, & quidam ad eremum transire cupientes hujus rigoris observantiam penitus abhorrere, fraternæ, sive ut verius dicam, communi imbecillitati dispensatorie condescendentes indulsimus, ut vinum hic servato sobrietatis moderamine biberetur, ut quod cum Johanne non possimus ex toto relinquere, saltem cum Timotheo Paulli discipulo studeamus infirmo stomacho sobrie & humiliter ministrare, & qui prorsus abstemii esse non possumus, esse saltem sobrii studeamus*.

a *Vit. S. Rom. cap.* 64.
b *Cap.* XXIII.
c *Opusc. XV. cap.* 6.

Neque monachi tantum & eremitæ, *sed* [d] *ipsi monachorum famuli, ipsi quoque custodes pecorum*, teste Damiano, *jejunabant* apud Sitrienses, vivente Romualdo. Apud Avellanenses [e] *famuli quoque, qui huic loco deserviunt*, ait idem Damianus, *ab assignato sibi ordine non recedunt, qui nimirum per totius annalis spatii cursum tribus per hebdomadam diebus tenent ex more jejunium; in duabus autem quadragesimis quatuor dies jejunio dedicant*.

d *Vit. S. Rom. cap.* lxiv.
e *Opusc. XV. cap.* VII.

Relaxatio jejunii apud Rodulphum [f] fiebat *in festivitatibus, quæ a pascha ad idus septembris occurrunt, in quibus & abstinentia remitti & jejunium solet absolvi. Post idus septembris usque quadragesimam, quæ infra hoc spatium accidunt festivitates, abstinentiam quidem relaxant, jejunium vero minime solvunt*. Et apud Damianum [g]: *In festivitatibus duodecim lectionum, quæcumque veniunt ab idibus septembris usque ad resurrectionem Domini, semel tantum reficient fratres, exceptis videlicet his sollemnitatibus omnium Sanctorum, sancti Martini* &c. Quando vero festum aliquod occurrebat in diebus jejunio dedicatis transferebatur ab utraque familia. *Notandum*, ait Damianus [h], *quia non omnes, quæ in monasterio, etiam in eremo celebrantur festivitates, & hæ, quæ illic fiunt, plerumque transmutantur, ut aut in tertia, aut in quinta feria celebrentur, exceptis nimirum præcipuis festivitatibus, quæ ob reverentiam dignitatis mutari non possunt*. Et Rodulphus in constitutionibus anni 1085. *Si vero*, inquit, *ut assolet, festivitas, de qua duodecim lectiones agere oportet, in his feriis* (jejunio destinatis) *venerit, more solito sic facere est consuetudo, si fuerit in secunda feria, perducere eam in tertiam feriam, si venerit in quarta feria, perducere in quintam, & si fuerit in sexta feria, deducere in sabbato, & pulmento uti & vino. Hoc autem factum est propter jejunium celebrandum in secunda, & quarta & sexta feria. Has autem festivitates, idest sancti Salvatoris, quatuor ejusdem genitricis* &c. *numquam mutare* &c.

f *Cap.* XIII.
g *Opusc. XV. cap.* 6.
h *Ibidem*.

Sed de pluribus quadragesimis, diebusque jejunio, & abstinentiæ consecratis, & de reliquis ritibus & consuetudinibus utriusque loci ab eodem interiore spiritu dictatis, atque ex uno fonte, Romualdo, profluentibus, in quibus seculo XI. apprime inter se conveniebant Camaldulenses & Avellanenses, consulatur suprarelatus Grandius, qui fusiore calamo omnia ad invicem confert, Rodulphi & Damiani verbis in medium productis, & inter se comparatis. Nam ex his, quæ nos longius forte, quam par erat,

hactenus illustravimus, & mutuo contulimus, satis exploratum, & unicuique constare arbitramur, quanto jure Avellanitarum historia pertineat ad Camaldulenses, qui postremi etiam in eorum jura & in ipsorum monasteria, malo fato a primæva institutione degenerantibus Avellanensibus, introierunt a duobus seculis.

Habes itaque lector humanissime in hoc secundo volumine Petri Damiani cardinalis & episcopi Ostiensis acta & vitam ex ipsius epistolis & opusculis potissimum elaboratam, & per annos distributam; habes etiam aliorum piorum Avellanensium exempla jugis pœnitentiæ, mirabilium carnis macerationum, exercitiorum pœnalium, quæ fidem prope excedunt. Vivebant sub Damiano insignes sanctitate viri, hostes infensissimi in corpus suum, & virtutibus clarissimi, Rodulphus episcopus Eugubinus, Fortis, plures Petri, plures Leones, Agius, Luitprandus, Lupus, Michael Polensis, Adam, Ariprandus, Albizo, Mainardus, Martinus, Baruncius, Juventius, Johannes Laudensis; & vivebat solitudinis & pœnitentiæ haud facile imitandum miraculum Dominicus Loricatus; in Ocrensi solitudine Albericus sanctissimus eremita; in Vicetina autem regione alter nobilissimus solitarius, Romualdi pedissequa, Theobaldus; in Anconitana alter, olim Absarensis episcopus, Gaudentius; in Vallumbrosana novus ascetarum coryphæus Johannes-gualbertus; quorum omnium gesta copiosissime inferuntur his Annalibus, præter ritus moresque cœnobiticos vel eremiticos ejus temporis, qui illustrantur, & præter historiam ceterorum monasteriorum, quorum paucas aut fere nullas notitias ex ceteris scriptoribus & ex libris editis colligas. Cum autem Damianus turbulentissimis temporibus vixerit, quibus Simonia, furor & incontinentia grassabantur, habes quoque ejus ævi historiam & narrationem tetri schismatis Cadaloici contra Alexandrum II. & Wibertini adversus Gregorium VII. aliaque, quæ ceterarum ecclesiarum Italiæ historiæ lumen addunt.

Reliquum est, ut gratum animum nostrum proferamus erga eos, qui multa comitate nobis paginas ex tabulariis & chartariis cathedralium ecclesiarum, monasteriorum & urbium exscribendas permiserunt, & præter laudatos in primo volumine, memorabimus hic loci duos præ ceteris in nos liberales, domnum Ignatium Burlamacchium ordinis sancti Benedicti, congregationis Montis-oliveti, piissimum abbatem cœnobii sanctorum Bartholomæi & Pontiani urbis Lucensis, qui post eximiam animi humanitatem, qua nos recepit, apertos nobis voluit tabularii monasterii sui forulos omnes, ex quo multa transcripsimus ad Sextense monasterium pertinentia & ad alia cœnobia Lucensia & Volaterrana; alterum autem summa laude dignissimum marchionem Bonifacium ex nobilissima Mutinensi de Rangonibus familia, qui chartas quotquot ad rem nostram facientes, & Ravennatia ac Bononiensia monasteria illustrantes, non solum exscribendas nobis concessit, sed regio plane munere in nostrum jus transtulit, quorum aliquas in primo & in hoc secundo tomo edidimus, alias edemus in sequentibus.

De veteri Sacramentario addito & publici juris facto post Appendicem, videatur monitum nostrum ipsi præfixum, sicut etiam prolusio nostra in excerpta Avellanensia, quæ adjecimus tum pro Sacramentarii illustratione, tum pro edocendis liturgicis ritibus ejusdem monasterii.

BRE-



BREVIARIUM
TOMI SECUNDI
ANNALIUM CAMALDULENSIUM.

LIBER UNDECIMUS.

Ab anno Christi 1027. ad annum 1033.

LIBER DUODECIMUS.

Ab anno Christi 1034. ad annum 1041.

LIBER DECIMUS-TERTIUS.

Ab anno Christi 1042. ad annum 1051.

LIBER QUARTUS-DECIMUS.

Ab anno Christi 1052. ad annum 1056.

LIBER QUINTUS-DECIMUS.

Ab anno Christi 1057. ad annum 1058.

LIBER SEXTUS-DECIMUS.

Ab anno Christi 1059. ad annum 1060.

LIBER DECIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno Christi 1661. ad annum 1063.

X. Et

LIBER DECIMUS-OCTAVUS.

Ab anno Christi 1064. ad annum 1067.

LIBER DECIMUS-NONUS.

Ab anno Christi 1068. ad annum 1073.

LIBER VIGESIMUS.

Ab anno Christi 1074. ad annum 1079.



NOI

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approbazione del *P. F. Paolo Tommaso Manuelli* Inquisitor Generale del sant' Officio di Venezia nel Libro intitolato *Annales Camaldulenses Ordinis S. Benedicti* non v' esser cos' alcuna contro la santa Fede Cattolica; e parimente per Attestato del Segretario Nostro niente contro Principi e buoni costumi, concedemo Licenza a *Gio: Battista Pasquali Stampator di Venezia*, che possi esser Stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Data li 7. Agosto 1753.

(Gio: Emo Proc. Ref.
(
(Alvise Mocenigo 4. Kav. Proc. Ref.

Registrato in Libro a carte 20. al num. 136.

Gio: Girolamo Zuccato Segr.

Adi 13. Agosto 1753.
Registrato nel Magistrato Eccellentiss. degl' Esecutori contro la Bestemmia.

Alvise Legrenzi Segr.

AN-



Ectypon urnae, in qua divi Romualdi abbatis ossa conduntur.

ANNALES CAMALDULENSES ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

LIBER UNDECIMUS.

Ab anno CHRISTI M. XXVII. *ad annum* M. XXXIII.

ANN. CHR. 1027. ROMUALDI 120.

I. Obitus Romualdi.



TTRITUS irremissis laboribus, & prodigiosa abstinentia consumptus, pondere insuper centum & viginti annorum gravatus, hoc anno millesimo vigesimo-septimo obit mundo, coelo in æternum victurus, beatissimus ROMUALDUS, a cujus sanctissima morte secundum Annalium nostrorum volumen, Deo optimo maximo votis nostris obsecundante, auspicamur, sicut primum ab ipsius nativitate exorsi sumus, & ad ejus dierum terminum deduximus. Sed ipsis Damiani verbis Romualdi ad Deum transitum referamus. [a] *Quadam igitur die cœpit paullatim corporis virtute destitui, & ingruente molestia gravius fatigari. Sole itaque jam ad occasum vergente, præcepit duobus fratribus, qui astabant, ut foras exirent, cellulæ post se januam clauderent, celebraturi vero sibi matutinos hymnos ad eum diluculo remearent. Cumque illi de ejus fine solliciti veluti inviti exirent, non statim ad quiescendum properant, sed ne magistrum obire contingeret anxii, pretiosi thesauri talentum prope cellulam latentes observant. Aliquandiu igitur commorantes, cum deinceps curiosis auribus attentius auscultarent, & neque motum corporis, neque sonum vocis audirent, jam quod evenerat veraciter opinantes, impulsa janua, velociter irruunt, lumen accendunt, & beata anima in cœlum rapta, supinum jacere sanctum cadaver inveniunt. Jacebat itaque velut neglecta tunc cœlestis margarita in summi postmodum regis ærarium honorifice reponenda. Nimirum, qui sic obiit, ut prædixit, illuc transivit, quo speravit ..... Nunc igitur inter vivos cœlestis Hierusalem lapides ineffabiliter rutilat, cum ignitis beatorum spirituum turmis exultat, candidissima stola immortalitatis induitur, & ab ipso rege* regum,

a *Vit. S. Rom. cap.* lxix.

Ann. Chr. 1027. Romualdi 120.

regum, vibrante in perpetuum diademate coronatur. Sic vitam finivit beatissimus vir parens noster Romualdus, de quo ait Franciscus Petrarcha, *nescio an de alio, quam de Paullo primò eremita legerim: solitariam vitam solitario fine conclusit. Ultimam enim & diei illius, & vitæ horam sentiens adesse, fratres, qui aderant, egredi jussit, & mane proximo reverti, pia illos fraude decipiens; ut qui solitarie Christo servierat, solitarius ad Christum, & ad mercedem sui servitii reposcendam iret, sese & beatum spiritum languidumque corpusculum recollegit, atque ita incomitatus hominibus, comitatus Angelis hinc abiit ad æternam vitam*. Similem tamen mortem sortitos fuisse Johannem Ravennatem archiepiscopum, inde eremitam prope monasterium sancti Michaelis de Clusis vidimus in his nostris Annalibus ad annum 1000. & ad annum 1004. Venerium Tiburtinum eremitam, Romualdi discipulum. De choris angelorum in obsequium sancti viri paratorum verba facit etiam Hieronymus Pragensis, qui merito asserit intimo sensu Romualdum novisse præsentiam sui Salvatoris non ad mortem eum vocantis, sed ad triumphum gloriæ. [a] *Viditque in spiritu angelorum cuneos quasi scintillas in arundineto discurrentes in sui venire obsequium. Mox vir sanctus intelligens Salvatoris quoque adesse præsentiam non quasi funeris, sed jam quasi præstolatæ gloriæ suscepit triumphum in manus Domini suum commendans spiritum*. Damianus Romualdum defunctum *margaritam* appellavit, eodem modo quo nautæ, qui eum ex urbe Parentina Caprulas transtulerant anno 1004. [b] *beatos se fore tam pretiosæ margaritæ pondere* professi fuerant.

a Cap. XIII.

b Vit. S. Rom. cap. XXXIII.

Ad calcem vero postremi capitis vitæ sancti Romualdi ab eodem Damiano conscriptæ hæc leguntur: [c] *Obiit autem vir beatissimus Romualdus decimo-tertio kalendarum juliarum, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & gloriatur per infinita secula seculorum. Amen*. Non dubitamus hæc verba non esse germanum Damiani fœtum. Simili enim conclusione idem sanctus scriptor utitur in vita sancti Dominici Loricati: *Obiit autem beatus Dominicus pridie idus octobris, regnante domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in secula seculorum. Amen*. Vitam pariter sancti Odilonis his verbis claudit: [d] *Vir itaque Domini, quia recte vixit, feliciter obit ..... Legentium igitur tædio consulentes his contenti sumus, quæ succincta brevitate perstrinximus ad honorem & glor am Redemptoris nostri Jesu Christi, qui cum Deo Patre, & Spiritu-sancto vivit & glorictur in secula seculorum. Amen*. Ut proinde eadem scribendi forma & phrasis, eadem quinimmo verba a Damiano usurpata non sinant putare aliena manu additam esse conclusionem etiam illam, quæ legitur ad calcem vitæ sancti Romualdi. Ipsa igitur die decima-nona junii in Camaldulensibus congregationibus, & nonnullis etiam in locis Romualdi festivitas agitur, verum ab universali ecclesia septima februarii die, quæ translationis est corporis sancti Romualdi, celebratur, præsertim quia altero sanctorum Gervasii & Protasii officio dies XIX. junii est impedita.

c Cap. LXXII.

d Ad calcem.

II. Quot annis vixerit?

Porro nunc ad eam pervenimus magni pro nobis momenti quæstionem, quot nimirum annis vixerit in hoc miserabili seculo sanctissimus noster parens Romualdus. Antequam tot moverentur circa ejus ætatem difficultates, vigebat, atque ea omnium animis insederat opinio, Romualdum natum anno 907. anno 1027. obiisse, & centum-viginti propterea vitæ annos exequasse. Favebat huic sententiæ apertissimum Damiani testimonium, quo dicitur: [e] *Vixit vir beatissimus centum-viginti annis, ex quibus viginti expendit in seculo, tres duxit in monasterio, nonaginta-septem in eremitico tran-*

e Vit. S. Rom. cap. LXVIIII.

transegit proposito; atque proinde cum ex vetustissimis Camalduli monumentis, perpetuaque majorum nostrorum traditione constaret eumdem anno 1027. postremum diem obiisse, quod & lectiones tum Romani, tum monastici breviarii die VII. februarii confirmabant & confirmant, manifestissimum erat utrumque, & Romualdum scilicet ante centum & viginti annos natum ortum suum habuisse anno 907. & post seculum integrum ac viginti insuper annos mundo valedixisse anno 1027. Favebat etiam Clementis papa VIII. constitutio *data apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris die* IX. *julii anni* 1595. *pontificatus sui anno IV.* qua Romualdi venerationem ad publicum divinorum officiorum cultum universo clero sub duplici ritu extendit; legitur enim in ea *Romualdum a Deo exaltari meruisse longitudine dierum in terris*; neque tantillum attenta tunc fuit difficultas, quam Baronius quidem moverat in suis Annalibus circa necessitatem minuendi sancti viri ætatem.

ANN. CHR. 1027. ROMUALDI 120.

III. Demonstratur longævitas ejus vitæ.

VERUM proposita deinde quæstione & quidem non levi, quo pacto tandem componenda esset Romualdi conversio cum annis sedis Honesti archiepiscopi Ravennatis, cujus *patrocinio suffulti* monachi Classenses, ut ait Damianus, ipsum ad habitum monasticum suscepere, mirum quanta dicta, cogitatave fuerint pro ea concilianda. Magno plausu inter cetera exceptum fuit Bollandi systema, qui [a] totam refudit erroris causam in amanuensis incuriam, & legendum diversimode Damiani textum proposuit dicens: „ Quid ergo de beati Petri Damiani calculo dicemus? vitiatos „ facillimo errore numeros, nam cum scripsisset, vixisse virum beatissi„ mum LXX. annis, XX. expendisse in seculo, III. in monasterio duxis„ se, XLVII. in eremitico transegisse proposito, scriba quipiam pro L. li„ tera minus fortassis accurate expressa, C. legit, scripsitque CXX. pro „ LXX. & XCVII. pro XLVII. & consequenter, quod numero 77. erat *ul„ tra quam quinquagenario* forte simili compendio formatum L. vel legit „ C. vel consulto, ut cum sequentibus congrueret, ita restituit. Et vero „ quis ita loquetur, ut ultra quam centenario vergere jam in senectutem, „ ut numero octuagesimo habetur, sive in senium declinare ætatem di„ cat. “ Hæc Bollandus; cujus sententia Pagio placuit, & Natali Alexandro, & Hieronymo Fabrio, qui in sacris Ravennæ monumentis prædicat laudabile & expeditum esse Bollandianum inventum, quod ipse excipit, amplectitur & deosculatur. Sed, ut observat Grandius noster, [b] quem pedetentim malumus in hac quæstione fere exscribere, in densissima rerum caligine ambulantibus obvia quæque abripere solitum est. Verum quam infirmo nitatur pede Bollandi conjectura, productione ipsius autographi Damiani ad oculum ostenditur. Extabat hic insignis codex olim Faventiæ, de quo hæc habet doctissimus ac eruditissimus noster abbas generalis Ambrosius in suo Hodœporico anno 1433. [c] *Monasterium quoque insigne sanctæ Mariæ* (Faventiæ nimirum, quod modo incolunt monachi Cistercienses), *visitare perreximus, sepulchrumque Petri Damiani in antiqua & ornata, atque ab illo (ut ferebatur) constructa basilica venerati sumus. Codicem illic vetustum, ipsius (ut ferebatur) manu scriptum, in quo omnia opuscula ejus haberentur, in conspectum dedere. Eum nos ad nostrum hospitium tulimus, diligentius inspecturi*. Fortunius quoque [d] idem autographum adhuc ætate sua ibidem servatum testatur; ait enim: „ Misit nobis verba ipsa originalia Romulus monachus Cisterciensis ibi quæ„ stor, transcripta ex originalibus beati Petri Damiani, quæ ad cœnobium „ sanctæ Mariæ de Angelo Faventiæ, ubi quiescit, asservantur. “ Ex eo monasterio, Clementis VIII. jussu, codex hic ad Cæsarem Baronium al-

a *Act. SS.* VII. *Febr. pag.* 103.

b *Dissert. II. cap.* XI.

c *Pag.* 49.

d *Histor. Cam. P. II. Lib. I. cap.* 7.

Ann. Chr. 1027. Romualdi 120.

latus fuit, tum in Vaticana locatus est bibliotheca, ubi hodiedum visitur sub numero 3797. ejus seculi antiquitatem adhuc spirans, non paucas apicibus interceptas lituras ostentans, quæ ipsius auctoris, non exscriptoris, manum referunt; & hymni cujusdam cantilenam rudi notarum interpretatione circa unius lineæ ductum prisco ritu designatam exhibens, quæ vetustatem illius ævi apertissime comprobat. In calce ejusdem voluminis subjuncta est quidem inscriptio: *Monasterii sanctæ Mariæ de Angelis Faventiæ anno* 1113. additurque divi Bernardi sermo in natali Domini, sed epigraphe ista diverso & minus antiquo charactere est expressa, ac designat annum non scriptionis, sed recensionis hujus & ceterorum bibliothecæ librorum, vel adeptæ possessionis tempus, cum longe antea ipsius auctor Damianus codicem exarasset, qui ante annos quadraginta obierat. Sermo pariter sancti Bernardi longiori nota & recentioribus characteribus est scriptus, atque assutus codici ab aliquo Cisterciensi monacho, tempore posteriori, quo cœnobium illud Cisterciensibus fuit commissum; anno enim 1113. Bernardus vix monasticum habitum in Galliis induerat.

In hoc porro codice nullæ visuntur numericæ notæ, nulla characterum compendia, sed per extensum & diserte legitur: *Vixit autem vir beatissimus centum-viginti annis, ex quibus viginti expendit in seculo, tres duxit in monasterio, nonaginta-septem in eremitico transegit proposito*. Codicem & nos ipsi oculis nostris vidimus; similesque extensas verborum notas præfert alius codex vitæ sancti Romualdi a Petro Damiano conscriptæ, & ad monasterium Berardingorum olim pertinens, nunc ad manus nostras doctissimi & nobilissimi viri Jo. Alberti dono delatus. Conjectura itaque Bollandi de literis commutatis in alias literas oscitantia amanuensium evanescit; id quod constanter observavit Damianus & in aliis opusculis, & in ceteris suis epistolis, quotiens numerus quispiam notandus occurrebat, dictionibus perfectis utens, non arithmeticas notas adhibens. Ita quoque scribuntur integra dictione verba illa [a], *& ultra quam centenario*, neque usurpatur nota C. sive L. ut prætendit Bollandus.

Sed etiamsi nullus amplius superesset codex autographus operum Damiani, ex ipso dumtaxat sensu Romualdi ultra quam centenaria ætas desumeretur; nam in eodem capite de calumnia impuritatis impacta viro sanctissimo appellat Romualdum Damianus expresse *decrepitum senem*, quæ decrepita senectus septuagenario, vel sexagenario, aut quinquagenario, ut vult Bollandus, homini nequit profecto aptari. Deinde quomodo huic ætati conveniunt verba illa. *Cui etiamsi voluntas adesset, natura tamen & frigidus sanguis, & ariditas attenuati corporis hoc penitus denegaret?* Excurrit ad hæc verba Grandius, & notat homines non sexagenarios tantum, sed & septuagenarios, non solum maritos, sed & patres factos; ac narrat senis cujusdam historiam Pisis apprime tempore suo cogniti, qui octuagesimo-quinto suæ ætatis anno, defuncta conjuge, aliam quamprimum sibi sociandam requirebat, utpote qui sibi imperare continentiam non posset, quin natura ipsa Veneri litandum vectigal post tertium diem vel ab invito extorqueret. Quod autem Bollandus usurpari a Damiano [b] asserit hanc locutionem *in senectutem vergere*, sive in senium declinare, quæ phrasis, inquit ipse, *ultra quam centenario* non convenit; respondet Grandius Damianum non fuisse usum his verbis *vergente in senium ætate*, sed *senectute vergente*, vel si aliorum codicum lectio præferenda sit, *urgente*, id est aggravante, *senectute*. Ait enim Damianus: *Vivebat autem vergente jam senectute nimis districte, videlicet cum jam & ipsi perfecti viri solent remissius vivere, & aliquid sibi de sui propositi rigore relaxare*.

[a] Vit. S. Rom. cap. xlix.

[b] Vit. S. Rom. cap. lii.

Anne

Anne præterea sexagenaria ætas excitat homines ad remissius vivendum, & ad relaxandum rigorem? Id scilicet diceretur contra Damiani mentem, qui diligentissime monachos admonuit, tanto necesse esse fieri cautiores, quanto conspiciunt ipsum præliandi terminum jam appropinquare, unde subdit: [a] *Igitur ad fortiter agendum fervens animus incalescat, & senilis ætas ad debellandam vitiorum barbariem robur juvenile concipiat*. Sexagenarius pariter & minus quam sexagenarius, si Bollandi systema admittamus, erat Romualdus, cum longe ante Sitriensem calumniam construebat cellas eremi Aquæ-bellæ, & tamen jam ab hoc ævo [b] describitur ab eodem Damiano velut senex, & ad labores subeundos impotens: *Romualdus autem, quia jam præ senectute laborare non poterat*. Septuagenarius demum erat, cum obiit, juxta Bollandum, & tamen in sua postrema ægritudine taliter a Damiano Romualdus describitur, ut sine affectatissimæ exaggerationis nota nequeant ei tribui, quæ de ipso enuntiat. [c] *Cœpit corpus ejus magis magisque molestiis ingravescere, & deorsum jam velut non tam languore, quam decrepiti longævitate senii declinare*.

a *Opusc.* XIII. *cap.* XXIII.

b *Vit. S. Rom. cap.* XLVI.

c *Ibid. cap.* LXIX.

Firmum itaque ratumque sit, Damianum vere & sensisse, & scripsisse, quod vulgata ipsius exemplaria præferunt, quod vetustissimi codices omnes mss. habent, vitam scilicet beati Romualdi ad centum & viginti annos protractam fuisse, nec amanuensis vitio tribui posse calculi hujus consignationem, ex sola unius literulæ mutatione a Bollando indicata. Alias in sententia Bollandi illigantis ejus mortem anno 1027. conversio Romualdi consignanda esset anno 977. ejus fuga in Gallias cum Petro Urseolo, quæ ipso fatente accidit anno quarto conversionis Romualdi, esset referenda ad annum 981. & removenda ab anno 978. quem omnes Veneti auctores diserte & concorditer Urseoli fugæ assignant, & consequenter postponendæ essent omnes Romualdi actiones, quæ ante annum millesimum ipsi ab historicis omnibus tribuuntur.

IV. Damianus non potuit decipi, neque voluit decipere quoad annos vitæ ejusdem.

EVIDENTISSIMUM vero si est Damianum LXX. dumtaxat annos Romualdo tribuere non potuisse, compertissimum erit absque ulla tergiversatione centum & viginti illi attribuisse. Alias ad firmandam Bollandi sententiam superesset, ut vel oscitaniæ, vel fraudis suspicio in Damianum caderet, si reapse Romualdus ætatem illam CXX. annorum non attigit, itaut vel ipse falli potuerit, vel totam tentaverit fallere posteritatem hoc insigni commento; quorum primum, qua veri specie? secundum, qua frontis præfidentia, quis asserat? Romualdum de facie agnoscere potuit Damianus, qui tribus dumtaxat ab ejus morte lustris vitam ipsius descripsit; revera agnovisse tradit domnus Secundus Lancellotus in historia Olivetana, ubi de monasterio Ariminensi loquens ait, Petrum Damianum in re monastica audiisse Romualdum. Sciebat sanctus doctor obductam ab impactu fenestræ in venerandam ejus frontem cicatricem; tremendam habuisse vultus majestatem peccatoribus & potentibus seculi non ignorabat; hilarem vero semper & serenam erga discipulos; quomodo autem confudisset hominem septuagenarium tantum cum eo, qui centum annis vicennium superaddebat? Deinde, quæ scripsit Damianus, didicit ab egregiis ejus discipulis superstitibus tam in eremo Sitriæ, quam in cœnobio sancti Vincentii & in aliis; putandum-ne est discipulos turpiter hallucinatos, aut data opera in hoc omnes convenisse, ut Damiano imponerent; vel existimandum est fortasse Damianum contra discipulorum attestationem omnibus fucum facere voluisse, & de industria, scientemque ad centum & viginti annos extendisse vitam Romualdi, quem compertum haberet septuaginta tantum annis vixisse? At hoc repugnat maximæ illi sollicitudini, quam sibi

Ann. Chr. 1027. Romualdi 120.

sibi proposuerat sanctus doctor, fugiendi umbram quamcumque mendacii. *Absit a me mendacium scribere*, [a] ait in vita beati Dominici Loricati; *nam qui veritatem pro viribus veraciter colo, commentum fallaciæ non admitto*. Similiter prolusit in vita sancti Mauri episcopi [b] Cæsenatis, immo & in prologo ipsius vitæ sancti Romualdi, ubi ait, *qui Deo se deferre existimant, si in extollendis Sanctorum virtutibus mendacium fingunt, hi nimirum ignorantes Deum nostro non egere mendacio, relicta Veritate, quæ ipse est, falsitatis ei putant se placere posse commento*. Narrationem illam de aviculis & de corvo inter aquas nigras aliquando apparentibus, quam ab Humberto archiepiscopo cardinali hausit, & ob quam a ceteris scriptoribus nimiæ credulitatis arguitur, ita Damianus concludit: [c] *Sed quoniam personæ istæ, Desiderius videlicet*, qui negabat, *& Humbertus*, qui retulerat, *tantæ auctoritatis sunt, ut neutri eorum fides debeat denegari, ego quoque, quod scripsi, procaciter non affirmo, sed utrum verum sit, necne, legentium inquisitioni relinquendum esse decerno*. Videantur etiam epistola x. Libri I. & xiv. ac xv. Libri II. necnon xxix. Libri VI. ex quibus liquido conficitur alienum fuisse sincerissimum doctorem nostrum a mendacio, atque proinde centum & viginti annos legitime & veraciter sancto viro Romualdo tribuisse. Quæ hactenus diximus, per compendium sunt responsiones ipsæ Grandii nostri ad Bollandum.

[a] *Cap. v.*
[b] *In Prologo*.
[c] *Opusc. xix. cap. iii.*

V. Grandius statuit Romualdi transitum ad annum 1037.

Aggrediendus est nunc alio telo a nobis Grandius ipse, qui Romualdum vixisse centum & viginti annos mordicus pro veritate defendens, putat tamen mortem ipsius posse ad annum 1037. reduci, & consequenter nativitatem ad annum 917. conversionem vero ad 937. statui. Novum tamen sistema hocce ea ratione a Grandio procusum fuit, quia unicum admittens Honestum archiepiscopum Ravennatem, ipsum nonnisi ante annum 937. agnoscit locum habere posse vel ut archiepiscopum, vel ut coadjutorem Petri, in serie archiepiscoporum Ravennatum. Quare cum nos sub anno 927. ad oculum demonstraverimus duplicem extitisse in sede Ravennate Honestum, inutilis redditur omnis ceteroquin laudabilis Grandii nostri conatus. Id tamen persuadere adnixus est Dissertatione II. capite iv. (licet in eodem capite aliquantisper subdubitet) ex historia sancti Johannis Gualberti, qui Camaldulum venit, ut ipse arbitratur, ad sanctum Romualdum, & venire non potuisse contendit ante annum 1036. Verum de ea historia nos suo loco. Secundò capite v. ejusdem Dissertationis ex beati Casimiri Poloniæ regis historia sanctum Romualdum post annum 1027. superstitem iterum ostendit. Casimirum enim existimat Busclavi fuisse filium, eumque, qui a Damiano narratur generosum equum dedisse Romualdo, quemque ante annum 1036. equum donare non potuisse arbitratur. De hac quæstione similiter ad annum 1041. agemus. Tertiò capite vi. ex ædificatione Camaldulensis eremi Romualdum post annum 1027. vivum ostendi posse autumat. Ait enim eremum Camaldulensem vulgo quidem anno 1012. excitatam putari, sed absque fundamento; nam eam tantummodo anno 1027. constructam fuisse tradit beatus Rodulfus noster in constitutionibus anni 1085. dicens: *Notificamus vobis, fratres carissimi*, quod *prædicta Camaldulensis eremus a sancto patre Romualdo eremita, Sancto suggerente Spiritu, precatu reverendissimi Theodaldi Arretini episcopi ædificata est cum quadam basilica, quam prædictus episcopus in honorem sancti Salvatoris consecravit, millesimo vigesimo-septimo anno ab ejusdem incarnatione*. Ex quibus verbis infert Grandius liquidum esse eremum Camaldulensem anno tantum 1027. fuisse extructam. Quod confirmari posse asserit testimonio ipsius episcopi Theodaldi, & eorum omnium, qui ante

Fortu-

Fortunium de hac ædificatione scripsere; Gherardi nimirum generalis anno 1278. Hieronymi Pragensis anno 1423. beati Paulli Justiniani anno 1520. qui omnes Theodaldum habent ut Camaldulensis eremi ædificatorem. Quare juxta Grandium oportuit Romualdum hoc ipso anno 1027. adhuc apud Camaldulum constitisse, & circa ejus constructionem laborasse, nam a basilica exordium sumpsit, post illam cellulas cum oratorio extulit, eremitis ceteris Petrum Dagninum in præceptorem elegit, regulam jejunandi, atque silendi & in cellis permanendi tradidit. Quæ omnia fatentur auctores suprascripti, & ipse Fortunius non dissentit, vim præsertim facientibus Theodaldi verbis his: [a] *Constructa inibi basilica sancti Salvatoris, quinque cellulas cum suis tabernaculis ibidem distinxit, & singulis cellulis singulos deputavit fratres eremitas, quibus etiam Petrum venerabilem eremitam tamquam fidelem ministrum & preceptorem dedit*. Si igitur anno 1027. circa ædificationem Camalduli sollicitus erat Romualdus, quandoquidem Camaldulo discedens in Sitriam deinde profectus est ex Damiano dicente: [b] *Postmodum vero Romualdus cum Apenninum desereret, montem Sitriæ habitaturus ascendit*, ubi per septennium vixit, & post multa alia loca, quæ præsentia sua decoravit, tandem ad monasterium Vallis de Castro se recepit, ubi post sex circiter menses solitariam vitam solitario fine conclusit, utique colligere licebit, sequitur Grandius, ferme decennio post annum 1027. superstitem fuisse sanctum patrem, adeoque ad annum 1037. obitum ipsius esse differendum.

ANN. CHR. 1027. ROMUALDI 120.

[a] Ex charta anni 1027.

[b] Vit. S. Rom. cap. XLIX.

Confirmat sententiam suam, ex quo in archivo Camaldulensi, licet vetustiores asserventur scripturæ ad monasterium Pratallæ spectantes, nulla tamen in donationibus, emptionibus, venditionibus, locationibus, aliisque contractibus, privilegiis episcopalibus, cæsareis & pontificiis memoria occurrit pro eremo Camaldulensi dicto anno 1027. anterior, uti nec nomen Helemperti episcopi, a quo ædificandæ eremi Romualdum licentiam impetrasse fingit Fortunius, idemque ex ejus fide asserendi occasionem Burallio & Ughellio præbuit, uspiam notatum invenitur (diceret nobis nec Willelmi nomen occurrit) sed solius Theodaldi, qui testimonium ineluctabile ædificationis eremi Camaldulensis a se factæ reliquit per suam paginam ann. 1027. & per aliam anni 1033. ab omnibus suprarecensitis scriptoribus, aliisque passim unanimi sensu confirmatum.

VI. Nequit admitti novum ipsius sistema.

VERUM Grandio reponimus, distinguendam esse donationem loci factam a Maldulo, & donationem factam a Theodaldo, ut fusissime jam diximus ad annum 1012. immo ex charta Theodaldi ad hunc annum spectante, de qua inferius, liquido contra Grandium evincitur eo anno Romualdum jam pridem ad superos abiisse; de Romualdo enim ita loquitur Theodaldus, ut ipsum jam mortuum arbitretur. *Nos*, inquit, *ob amorem pie memorie spiritualis patris nostri Romualdi clarissimi eremite*; & paullopost, *ut cum denominato sancto viro*, Romualdo scilicet, *partem in vita eterna habeamus, donamus, largimur* &c. Nisi enim in cœlum jam evolasse Romualdum credidisset Theodaldus, quomodo illum *piæ memoriæ* appellasset? nisi in patriam jam receptum, atque in tuto positum existimasset, quomodo *partem habere cum illo in eterna vita* desideraret? Agnovit vim argumenti fere insuperabilis & ipse Grandius, tentavit tamen difficultatem hanc eludere, observando [c] clausulas *piæ memoriæ* fortasse non mortuum, sed celebratissimum ac memorandæ pietatis virum designare, ut memoria pro fama, celebritate & nomine usurpetur, eodem modo, quo homines adhuc viventes egregiis virtutibus claros, immortali memoria dignos, vel immortalis & gloriosæ memoriæ viros nominare consuescimus.

[c] Dissert. in Opusc. Philolog. T. XLIV.

Quibus

Ann. Chr. 1027. Romualdi 120.

Quibus quidem argumentis, & etiam suprarelatis rationibus a Grandio collectis, ut cogitata sua omnigena eruditione convalidaret, singillatim responderi posset, si non fateretur & ipse hactenus a se adducta non pro evidentibus habenda, sed velut verisimilia a se indicari, ætatem sancti Romualdi probabili dumtaxat ratione ultra annum 1027. esse productam, & objectiones, quæ contra suum systema fiunt, a se tantum accommode solutas; aliis demum conciliationibus locum relinquendum ad longævitatem sancti patris tuendam, inter quas, cum illam adducat de Honesto duplici inter Ravennates archiepiscopos fortasse distinguendo, & hac distinctione totam difficultatem evanescere affirmet, & denique variandam autumet, pro variis conciliationibus, vitæ Romualdi chronologicam seriem, quis non videat systema ipsius de protrahenda Romualdi morte ad annum 1037. ab eo unica illa ratione elaboratum, quia ipsi nondum patebat via facilis inducendæ allegatæ conciliationis, distinguendo duos Honestos Ravennates archiepiscopos; quæ via cum modo fuerit aperta, & chartarum ope inconcusse admittenda sit, ut ad annum 927. demonstravimus, recidant opus est etiam argumenta omnia a Grandio laudabili profecto conatu adducta. Antequam tamen eum dimittamus, justissimam ei laudem illam convenire, æquissimum est, fateamur, ut pro veritate dumtaxat desudaverit, & argumenta omnia semper ad verum expresserit, & quodammodo divinaverit, quod futuris temporibus e tenebris erat educendum, duplicem nimirum archiepiscopum Ravennatem Honesti nomine decoratum fortasse extitisse.

VII. Præsens annus habendus pro emortuali Romualdi.

Inconcussa igitur stet sententia sanctissimum parentem nostrum Romualdum post centum & viginti annos exactos partim in seculo, partim in cœnobitica atque eremitica vita, hoc anno cœlum conscendisse. Multoque minus morantur nos Alphonsus Ciacconius, qui Romualdum excessisse e vivis anno 1013. existimat, & Didacus Franchius, cui Ciacconii opinio placuisse videtur, cum dicat, in historiis Camaldulensibus post annum 1013. mentionem non fieri de Romualdo; quod quam falso asseratur, ex iis, quæ de Romualdo attulimus post eum annum, clare constat. Et quoad Ciacconium, manifestissimi sunt ipsius plures errores, quos paucis lineis comprehendit, dum ait: Romualdus nobilis Ravennas &c. annum agens XVII. mundanis illecebris relictis in monasterio Classensi prope Ravennam anno 1006. ordinem sancti Benedicti amplexus est &c. obiit vero anno 1013. VIII. kalendas julii. Si Romualdus ad Deum conversus anno 1006. decem & septem tunc agebat vitæ annos, obiens anno 1013. vigesimo-quarto ætatis anno defunctus est. Errat ergo multipliciter Ciacconius, neque in eo confutando nobis est immorandum.

Ceterum neminem moveat Romualdum centum-viginti annorum ætatem attigisse. Ne exempla de longævis ex omni seculo petamus, & Johannis præsertim Reomaensis abbatis, qui anno 539. e vivis excessit, cum annos fere centum & viginti attigisset, sensibus nihilominus, atque animo integer, ut [a] ait Mabillonius; duo obiere illustres abbates hoc eodem undecimo seculo centenario majores; Ramvoldus [b] scilicet abbas sancti Emmerami apud Ratisponam anno 1001. & Alferius abbas Cavensis anno 1050. Alferii libentius meminimus, qui & ipse centum & viginti annos natus decessit, & ita vegetus, ut nulla senserit ejus ætatis incommoda. *Obiit autem*, ait [c] abbas Venusinus anonymus ejus vitæ scriptor subæqualis, *vir vitæ venerabilis senex & plenus dierum, cum fere centum-viginti esset annorum. Quod sane omnibus mirabile est, ita sanus & fortis usque ad extremam horam mortis extitit, ut nec præ tam decrepita ætate caligaret,* *nec*

a *Annal. T. I. pag. 86.*

b *Sec. VI. P. I. p. 3.*

c *Ibid. p. 643.*

nec aliqua debilitate deficeret. Nam usque ad extremum vitæ suæ tempus clarissime & legit, & scripsit, missas celebravit, & omne pastoralis sui ordinis ministerium valenter exhibuit, sicque, ut videre est, tam vivendo, quam moriendo humanæ naturæ molestias vicit; senescens utique, vigoris sui defectum nesciens, moriens mortis ægritudinem non incurrens. Quæ data opera exscripsimus, ne quis aliquando objiciat, Damianum improbabilia nobis venditare, dum Romualdi gesta describit provectiori præsertim ætate patrata, & dum enarrat post annum centesimum ejus vitæ iter in Pannoniam suscepisse, in Italiam rediisse, inde Parentium, tum Urbem-veterem, inde Umbriam, Thusciam, denuo Umbriam & Thusciam, Æmiliam, aliasque provincias peragrasse, & usque ad extremum spiritum in reformandis cœnobiis & in construendis eremis perdurasse. Desinet etiam quis mirari Sergium Romualdi patrem monasticam induisse cucullam octuagenario fere filio, cogitasseque propemodum centenarium redire ad seculum. Non est deneganda Damiano hæc & similia asserenti fides; alias maxima injuria sanctissimo doctori irrogaretur, si ceterorum scripta nulla mota lite indubitanter exciperentur, rejicerentur vero, quæ ipse, cautus ceteroquin, & in suis assertis circumspectus, ac veritatem prodere reformidans, literis mandavit.

ANN. CHR. 1027. ROMUALDI 120.

VIII. Theodaldi ep. Arretini donatio facta eremo Camaldulensi.

EXCESSERANT duo vix menses ab obitu sancti Romualdi, cum Theodaldus Arretinus episcopus sanctitate vitæ tam Romualdi, quam discipulorum ejus, quos ille in eremo Camaldulensi reliquerat, motus, amplissimam sequentis donationis paginam in eorum favorem relaxavit, quam integram hic, qualis Fortunii tempore legebatur, [a] cum modo plurimum evanuerint characteres, exhibemus, collatam tamen saltem in iis, quæ legi queunt, cum autographo, quod in archivo Fontis-boni servatur.

[a] *Histor. Cam. P. I. lib. I. pag.* 100.

In nomine sancte & individue Trinitatis. Theodaldus sancti Donati vicarius. Si servis Dei, eisque maxime, qui divine contemplationi insistunt, de bonis ecclesie vite necessaria conferimus, sanctorum Patrum statuta procul dubio servamus. Dignum quippe est, ut his, qui intra sanctam ecclesiam mentes suas in celestibus defixas habent, rectores ecclesiarum temporalia commoda subministrent. Quapropter omnium fidelium Christianorum hoc dilectio noverit, quod nos ob amorem pie memorie spiritalis patris nostri domni Romualdi clarissimi eremite, communi consilio & consensu fratrum clericorum nostrorum, donamus & concedimus pro remedio anime nostre, omniumque successorum nostrorum episcoporum domno Petro venerabili eremite ad usum & sumptum confratrum eremiticam vitam sub eo ducentium, suisque successoribus eremitis quamdam ecclesiam in mediis alpibus jure episcopii sancti Donati, quam nos rogatu prefati domni Romualdi eremite consecravimus sub honore & nomine Domini nostri Jesu Christi sancti Salvatoris, consistentem in territorio Arretino ad radices alpium dividentium Thusciam & Romaniam, in loco qui dicitur Campo Malduli per sua loca designata. Primo igitur latere percurrit rivus, qui vocatur Niger, cui e contra obviat quidam alius rivus, qui dicitur de Tellito, ambo pariter emergentes in rivum cujusdam fluminis. De secundo latere est via descendens a summis jugis alpium. De tertio latere sunt feri montes apud intonsa juga Alpium. De quarto latere sunt sicheta prorumpentia in prefatum rivum Nigrum. Intra prefixos igitur terminos enitet ille locus, qui dicitur Campo Malduli; campus speciosus & amabilis: septem purissimi fontes & amena vireta. Hunc igitur locum domnus Romualdus pius eremitarum pater delegit, & providit aptissimum contemplative vite Deo servientium. Constructaque inibi basilica sancti Salvatoris quinque cellulas cum suis tabernaculis ibidem distinxit, atque ab invi-

Ann. Chr. 1027. Romualdi 120.

cem separavit. Sed & singulis cellulis singulos deputavit fratres eremitas, qui secularibus curis, & sollicitudine remoti, soli Divine contemplationi insistant. Quibus etiam Petrum venerabilem eremitam, tamquam fidelem ministrum & preceptorem dedit. Cui nos quoque cum nostris posteris successoribus, ut cum denominato sancto viro Romualdo scilicet partem in eterna vita habeamus; donamus, largimur pretaxatum locum secundum prefixos terminos ad usum & sumptum fratrum eremitarum pro tempore ibidem Deo famulantium, atque per paginam hujus nostri privilegii eum investimus de his omnibus, que infra designatos terminos nos hodie ad manum nostram donnicatam habemus & detinemus. Preterea addimus prelibate ecclesie sancti Salvatoris ad usum & sumptum confratrum eremitarum medietatem ecclesie sancti Miniatis in villa, quæ dicitur Alina, una cum medietate unius mansi & donnicati, sicut regitur per Vivalem & Bonizonem presbyteros cum decimatione ejusdem ville de Alina, sicut Petrus abbas de Campo Leonis in commutatione a nobis habuit, & nos hodie recipimus, & ad manum nostram tenemus. Donamus etiam eidem ecclesie sancti Salvatoris mansum unum in Monte, sicut quondam rectum fuit per Ursum Manfredi, & modo regitur per quosdam suos nepotes. Sed & ad usum & sumptum confratrum eremitarum pro tempore ibidem solitariam vitam agentium concedimus illi venerabili loco sancti Salvatoris integras decimationes totius ville, que dicitur Larniano. Constituentes inviolabiliter ac precipientes, ut de omnibus, que incole illius ville laboraverint, passim per quascumque alias villas & loca soli illi venerabili loco sancti Salvatoris nominaliter (alias *annualiter) integras decimationes Deo reddant, sicut predictus Petrus abbas in concambio a nobis habuit, & nos ad manum nostram habemus & tenemus. His igitur illi almo loco sancti Salvatoris in alimoniis confratrum eremitarum ita concessis statuentes, & cum universo clero nostro penitus corroborantes, precipimus, ut ipsi fratres eremite, qui ibidem pro tempore Deo servierint, nullo umquam in tempore sese suosque actus ad aliam preter eremiticam & solitariam atque contemplativam vitam transferant, nec umquam liceat eis ipsum sanctum locum ad cenobitarum monasterium retorquere. Quia ergo, quod nos pro salute & remedio anime nostre, nostrorumque successorum episcoporum Deo contulimus per eterna seculorum spatia, ratum, firmum, atque inconvulsum debet permanere a Deo patre omnipotente, & Domino nostro Jesu Christo, Sanctoque Spiritu interdicimus, & modis omnibus inhibemus, ut nullus noster successor episcopus Arretine ecclesie predictum fratrem Petrum eremitam, suosque posteros successores eremitas de his, que sancto Salvatori concessimus ad usum & sumptum fratrum eremitarum, aut ipsi a nobis, sive ab aliis hominibus acquisierint, devestire, molestare, inquietare aut ullam diminorationem inferre presumat. Quod cui fecerit, nisi emendaverit, in die tremendi judicii sese tamquam sacrilegum, & reum a Domino judicandum pertimescat. Ut hec igitur nostra donatio a nostris posteris successoribus episcopis per eterna seculorum spatia conservetur, & conservata jugiter permaneat, hujus privilegii paginam manu propria confirmari & muniri sigillo sancte nostre ecclesie corroborari jussimus.*

Ego Teodaldus episcopus hoc privilegium a nobis factum confirmavi ..... ss.
† *Ego Petrus presbitero canonicorum prepositus ss.*
Viventius archidiaconus ss.
Donatus clericus & custos ss.
Ego Sigizo diaconus & magister schole ss.
Ego Bonizo presbiter ss.
Laudavit, favit, primus scripsitque Gerardus.

Idem

Idem quoque Gerardus cancellarius recognovit. Loco ✠ sigilli.

Datum anno Dominice incarnationis M. XXVII. *anno vero pontificatus domni Teodaldi episcopi V. mense augusto indictione* X.

Actum in claustro canonicorum. Feliciter.

Ex Theodaldi verbis corroboratur, quod alibi diximus, distinguendam esse ipsius donationem ab illa Malduli, cum apertissime in charta Theodaldi nominentur ut jam constructa basilica sancti Salvatoris, distinctæ cellulæ cum suis tabernaculis, deputati cellis fratres eremitæ, & præfectus ipsis Petrus venerabilis eremita. Donat autem Theodaldus eumdem locum, confirmando nimirum donationem Malduli, vel donando non solum usum fundi, sed etiam fundum ipsum, qui erat juris episcopii sancti Donati. Insuper donat in sumptum fratrum eremitarum medietatem ecclesiæ sancti Miniatis in villa Alina, & decimationes ejusdem villæ, sicuti etiam alterius villæ denominatæ Larniano. Abbatia de *Campo-leonis*, cujus rector Petrus, cujusque auctorem se ignorare fatetur [a] Mabillonius, licet alibi [b] ipsius fundationem referat, eadem est ac abbatia sancti Januarii, nunc *Capolona* appellata, quam una cum Juditta conjuge in agro Arretino construxerat Hugo marchio & dux, & pro qua ipse Hugo literas confirmationis apud Puccinellium [c] ab Ottone III. imperatore obtinuerat anno 997. idibus decembris, dum Otto Tridenti moraretur. Petro abbati Campi-leonis hoc eodem anno 1027. sicut etiam anno antecedenti, Conradus imperator omnia illius abbatiæ bona confirmat in chartis, quæ afferuntur ab eodem Puccinellio [d] in historia abbatiæ Florentinæ. *Viventius* archidiaconus, qui subscribit privilegio Camaldulensi Theodaldi, appellatur *Vincentius* in charta anni 1029. [e] apud Lamium, sed Viventius nominatur in ipsa ejusdem anni charta apud Muratorium [f].

a *Annal. T. IV. p.* 340.

b *Ibid. pagg.* 115. 121. & 318.

c *Chron. abb. Floren. pag.* 232.

d *Ibidem pagg.* 233. & 234.

e *Delic. Eruditorum anni* 1737. *p.* 175.

f *Antiq. medii ævi T. VI. col.* 397.

IX. Miracula ad tumulum S. Bononii.

PLURA ad tumulum sancti Bononii Lucediensis olim abbatis ejus intercessione Deus operabatur miracula, quæ prosequitur auctor ipsius vitæ anonymus Lucediensis. [g] *Alio vero anno in die natalis ipsius, dum ex multis partibus orbis plurimi ad ejus sacri corporis tumulum confluerent Dominum adoraturi, & confidentes ejus interventu ab instantibus & futuris malis posse liberari ipsius suffragia rogaturi; quædam femina a dæmonio vexata, multis ecclesiis pretiosissimorum Sanctorum petitis, nemini illorum ejus depulsione concessa, illuc deducta est: cujus ecclesiam mox ut fuit ingressus dæmon, se graviter torqueri, & ardere orationibus Bononii vociferans, incessanter clamabat. Per triduum autem ibi stetit, & sancti Confessoris supplicatu multis coram præsentibus ab ea illud vomente cum sanguine pietas divina dæmonium ejecit, a quo plasma Dei jam diu possessum coacte fugiente magnus factus est strepitus. Coronam enim argenteam super altare ejus dependentem percussit, & auditis & visis ictibus, ipso non viso ictore, miro modo in unum collegit, & tamen non eam omnino dissolvit.*

g *Num.* XV.

[h] *Alia quoque femina dum jacens in partu sitiret, aquam petiit, eamque oblita facere signum sanctæ Crucis bibit, sicque spiritus Fumareth, (quo nomine ipse interrogatus se vocari perhibuit) eam invasit malignus: quam post partus purificationem ad quamdam ecclesiam, in ejus honore dedicatam, perductam, a presbyteris ceterisque fidelibus prius facta oratione, & omnium Sanctorum invocatione per virtutem Domini nostri Jesu-Christi conjuratus, coactus & confusus dæmon, sancti Confessoris interventu deseruit, & ut fumus, a quo videtur vocabulum sumsisse, evanuit, nec ad eam redire ultra præsumpsit.*

h *Num.* XVI.

[i] *In eadem quoque ecclesia aliud constat esse miraculum, multa admiratione venerandum. Erat quidam villicus cujusdam marchionis, vir multæ crudeli-*

i *Num.* XVII.

Ann. Chr. 1027. Romualdi 120.

delitatis, qui ut aliquid sibi quolibet ingenio raperet, ad eas partes, ubi ecclesia beati Bononii sita est, se ire disposuerat. Quem illuc venturum homines, qui ibi habitabant, cognoscentes, quæque sua mobilia fugientes ad suprascriptam ecclesiam detulerunt. Circum quam dum multi sues adessent, & ut illorum mos est, rimando per ecclesiæ cœmeterium discurrerent, ipsius muros tetigerunt. Unde quodam contagio ita in renibus sunt percussi, ut inde funditus omnem vim amitterent, & ea die, excepta una sue, cuncti interierunt. Quam videlicet suem, dum rusticus, cujus erat, mirabiliter contractam & moribundam videret, votum vovit Domino, & sancto confessori Bononio, quod si inde convalesceret, unum e prioribus, quos fœtus gigneret, in ipsius ecclesiæ servitium stipendio offerret. Facto autem voto, mox ipsius sus sana efficitur. Quibus villico dictis non fuit credulus illis. Nec mora confestim equum ascendit, & quod cognoverat, anhelitu, ut certius sciret, venit cognoscere. His denique visis, quodam timore & amore divino compunctus, ecclesiam est ingressus; vovitque Domino & sancto Bononio in illius ecclesiæ finibus commorantibus se umquam nil mali facturum, & a pravitate sua deinde cessaturum. Qua ex re evidenter ostenditur, quantæ gratiæ & celsitudinis beatus sit Bononius apud omnipotentem Dominum, qui ejus vitam a quibusque custodivit immundis, cujus sacra loca immundas sues non passus est tetigisse impune, unde quorumdam hominum feritas minueretur, & sub ipsius obtentu viventibus securitas, & protectio major tribueretur.

a Num. XVIII.

[a] Tantorum fama miraculorum longe lateque diffusa, quidam adolescens, Adam nomine, confidens se sanctissimi confessoris meritis ab infirmitate sua liberari, advehitur. Quippe etiam ab ipsis cunabulis ita erat contractus, ut cohærentibus calcaneis natibus, non plantis passus faciendo, sed scamellis manibus subpositis rependo incederet. Tribus denique diebus continuatim & noctibus ad memorati & memorandi almifici Confessoris altaris crepidinem jacens, ipsius suffragia postulans, quod optaverat, a Domino sui famuli intercessione accipere meruit. Cui hora suæ curationis, redeunte sospitatis vigore, tantus æstuationis calor affuit, ut etiam interulam, qua erat indutus, exueret, & nudus maneret: hiems tamen erat. Sanitate vero concessa, recessit ab eo caloris nimietas; sicque sospitati redditus, in eadem penes nos usque hodie manet, sui sanatoris ecclesiæ serviens, & a Deo & ipsi gratias referens.

b Num. XIX.

[b] Per idem tempus, alius quoque æger, nemine Heli, ætate grandævus, miserabili atque diutina sorte diræ pestis damnatus advenit. Qui utrorumque pedum officio carens, genua per terram trahendo, & manibus scamella habendo, incedere solitus erat. Hic accedens ad sacri corporis opiferi Confessoris sepulcrum, ejus postulavit auxilium: cujus adjutus gratia, sanitate est donatus pristina, qui in eadem adhuc degens, Deo & ipsi sancto Bononio pro sua erectione laudes refert, & quidquid servitii potest, ipsius ecclesiæ servientibus devote exhibet.

c Num. XX.

[c] Quadam die comitissa quædam, nomine Waza, Willelmi marchionis uxor, multis stipata militibus venerat oratum ad ecclesiam, ubi beati viri corpus jacet humatum; quæ dum super altare ejus Missas celebrari faceret, & præsens ibi cum suis & aliis pluribus adesset, quidam mendicus ferens filium in scapulis, cujus pes & manus sinistri lateris paralytico morbo aruerant, eam adiit, & ab ea alimoniam sibi & nato petiit. Illa pietatis viscere immota, non solum ei non tribuit, verum etiam increpanter & exacerbanter propter suam improbitatem, ut a se discederet, præcepit. Non mihi est, inquiens, tantarum copia opum, quæ mihi, & omnibus a me petenti-

tentibus sufficere possit. Præstantius etenim esset, te ipsius sancti Confessoris rogato suffragio, ut tuo sanitatem reddat filio, Domini misericordiam implorare, qui dando postulata, non minus thesaurizat, Psalmigraphi præconio impleto dicentis: Tibi enim, Domine, derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor. Homo autem ille, quod audivit, facere non distulit. Filium siquidem de scapulis deponens, prope sacri corporis tumulum prostravit, ac genibus flexis, ac precibus fusis, demum ad petendum eleemosynas, hac & illac per ecclesiam festinando discurrit. Interea dum pater abesset, opitulantibus meritis almi Confessoris, præfato puero summi Dei bonitas non tarda fuit: & cui eleemosyna denegabatur, ut claudo ad portam templi sedenti argento & auro carius, membrorum scilicet sanitas, donatur. Hoc namque viso miraculo, magnus factus est plausus exsultationis ad laudem & gloriam omnem creatoris, ejusque Confessoris. Mox autem hujus facti fama per cunctorum aures volitante, illuc ab omnibus concurritur, inter quos & pueri pater regreditur, quid vero & qualiter actum sit exquiritur. Tunc præfata comitissa, quomodo res se habuit, cunctis exquirentibus innotescere non piguit. Taliter vero omnipotens Deus, qui cuncta mira dispensatione agit, hoc miraculum mundo propalari voluit, ut servus suus hinc veneratior & celebrior haberetur: & quia, testante Scriptura, signa infidelibus dantur, ut ab infidelitate declinantes discant sperantes in Domino non deficere omni bono, cui laus est & gloria per cuncta seculorum secula.

Ann. Chr. 1027. Romualdi 120.

X. Erectio altaris super ejus sacrum corpus.

Cum autem in dies Bononii fama magis magisque vulgaretur occasione portentorum, quæ a Deo ejus interventu fiebant, Ardericus episcopus Vercellensis, qui anno præterito Leoni defuncto antistiti successerat, altare ex apostolica auctoritate super ejus sacrum corpus erexit, ut narrat idem monachus Lucediensis Bononii vitæ scriptor.[a] *Post cujus transitum*, inquit, *transactis aliquot diebus* (in codice Vercellensi desunt verba illa *transactis aliquot diebus*) *Ardericus Vercellensis ecclesiæ venerabilis episcopus, divino Spiritu illustratus, ut debitam devotionem erga tantum Christi confessorem impenderet, supra sacratissimum ejus corpus altare erigendum, & dedicandum devotissime adjudicavit. Clero igitur & populo totius ordinis & ætatis, ac utriusque sexus in unum conveniente ex hac causa verbum fecit, ut conhibentia, ac faventis resultatione plebis firmaretur exordium tantæ religionis. Sapientia itaque sacrosancti pastoris, & plausu totius gregis competenter sancitum est, ut idem pius pontifex, ut rata fieret ejus sententia & populi obedientia, ex hoc adquireret apostolicam auctoritatem, quæ supereminet seculi potestatem; ut & religio esset devotior, & beatissimi Bononii commemoratio celebrior, idem memorandus pontifex Romam abiit a domno Johanne summo pontifice, & universali papa apostolicam auctoritatem adquisivit, & inde regressus, summa gratia & totius plebis lætitia altare erexit & consecravit, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in secula seculorum. Amen.*

a *Ap. Mabill. Sec. VI. P. I. p. 240.*

Arderici profectio Romam revera contigit hoc anno, nam cum inter Heribertum archiepiscopum Mediolanensem, & Heribertum archiepiscopum Ravennatem contentio orta fuisset, cuinam ipsorum competeret ad dexteram stare pontificis Romani in coronatione Conradi imperatoris hoc eodem anno Romæ peracta, & cum Heribertus Mediolanensis ad tumultus evitandos prudenter se sacræ cæremoniæ subtraxisset, judicio Johannis pontificis, Ardericus Vercellensis, qui ibi aderat, Mediolanensis archiepiscopi vices supplevit, & dexteram obtinuit, sublato de loco nobiliori Heriberto Ravennate, qui dexteram sibi arrogaverat, ut narrat Arnulphus[b] Mediolanensis archiepiscopi sui fautor.

b *Histor. Mediol. lib. II. cap. 3.*

Cete-

ANN. CHR. 1027. ROMUALDI 120.

Ceterum ex narrationibus Lucediensis monachi confirmatur, quod ad annum *976.* conjecimus, auctorem nimirum hunc aliquot annis post Bononii obitum vitam ipsius sancti Confessoris scripsisse; scripsit enim postquam non tantum altare super ejus venerandum corpus ex pontificia concessione erectum fuit, sed postquam ædificatæ fuerant etiam ecclesiæ in ipsius honorem, ut habetur num. XVI. Quare Ratberti ejus consodalis scriptio, quæ posterior est illa Lucediensis, ad aliquem annum post 1030. est differenda. De Waza comitissa uxore Willelmi marchionis altum silentium in chartis Guichenonii, ut etiam de Willelmo marchione per hæc tempora. Comitem Guilielmum in Liguriæ partibus habitantem in medium profert ex historia sibi relata ab Alexandro papa II. [a] Damianus, cujus uxor, si hæc fuit Waza, pessime audit ob incontinentiæ effrænis vitium apud sanctum doctorem, sed probabilius diversus a Guilielmo comite fuit Willelmus marchio.

a *Opusc. LII. cap. 28.*

XI. Fundatio monasterii sancti Matthæi extra urbem Pisanam.

FUNDATUR hoc anno monasterium sancti Matthæi apostoli extra civitatem Pisarum, verisimiliter sub directione & sub institutis Boni abbatis sancti Michaelis ejusdem urbis, pro sacris virginibus alendis; situs enim parthenonis recens extructi designatur *in finibus, ubi dicitur Suartha prope fluvio Arno, non longe a suprascripta civitate, ubi nunc domnus Bonus reverentissimus abbas preesse videtur.* Chartam fundationis hujus asceterii factæ a Teutha muliere Idilberti ad Appendicem remittimus, desumptam ex collectione veterum monumentorum editorum a patriciis Pisanis viris de Domo-Petri, vulgo *Casapieri*, qui circa finem elapsi seculi XVII. gravem concertationem habuere cum sanctimonialibus supradicti monasterii, ut facultatem interveniendi electioni novæ abbatissæ, qua gavisi fuerant antiquis temporibus eorum majores, amissam recuperarent. Deest in charta nomen imperatoris, quia Thusciæ dux & marchio Rainerius, una cum ea Italiæ regione, renuebat Conradum pro Italiæ rege agnoscere, ut testatur Wippo [b] in vita ejusdem Conradi, licet hoc eodem anno, civitate Luca & marchione in deditionem acceptis, totam Thusciam brevi manu imperator sibi subjugaverit. Diximus verisimiliter fundatum monasterium sancti Matthæi sub institutis Boni abbatis sancti Michaelis prope Pisas, itaut Bonus esset multorum eodem tempore cœnobiorum quodammodo rector, ad instar Olibæ, qui hoc ævo, & ante ipsum Guarini, qui in Catalaunia Rivipullensem & Cuxanensem, & plures alias abbatias & monasteria moderabantur; atque ad instar Romualdi, cui varia cœnobia reformanda, dirigenda & gubernanda tradebantur. Reperimus etiam in schedis Grandianis ex archivo Pisani archiepiscopatus num. *99.* ad *annum* 1034. *Conradi imperatoris VII.* 14. *kalendas januarii indictione* II. Taibertum dedisse suam bonorum portionem monasterio sanctæ Mariæ & sancti Quirici & sancti Turpis, hoc est Torpetis, *sito loco Moxxi*, unde *donno Bono abbas electus esse videtur.* Edidit Muratorius [c] in antiquitatibus medii ævi ex eodem archivo chartam oblationis rerum suarum factam a Cunitio presbytero eidem monasterio anno 1043. ut monasterii hujus memoriam (ait ipse) ab oblivione vindicaret; nos superiorem chartam edimus in nostra Appendice ante novennium confectam, hoc est anno 1034., ut majorem ejusdem monasterii antiquitatem palam faciamus. Distinguendum videtur monasterium sanctæ Mariæ *situm loco Moxi* ab altero monasterio sancti Salvatoris *in Moxi*, cujus abbati Benedicto bullam a Paschale II. Romano pontifice concessam anno 1106. XIII. kl. octobris profert [d] idem Muratorius.

b *Pistor. T. III. p. 472.*

c *T. III. col. 1079.*

d *Ibidem col. 1105.*

XII. Chartæ Camaldulenses & Burgenses.

ANNO 1027. [e] qui *primus Curradi imperatoris* nominatur, *mense septem-*

e *Arch. Cam. §. Donatio. A. 1. 38.*

ptembris *Boso olim Bonize* judicavit pro anima sua monasterio Pratalię & *Sighifrido* abbati tertiam partem terræ *in territorio sancti Eleutherii sito in plano casali Ornina vocabulo Arcognano juxta viam publicam & terram Teuzonis quondam Golferide, & Arnolfi & Ugonis fratrum quondam Vvinizi, & terram monasterii sancti Salvatoris* &c. Duo monasteria in diœcesi Arretina sub titulo sancti Salvatoris tunc florebant, præter eremum Camaldulensem in honorem sanctissimi Salvatoris dedicatam, nimirum Fons-bonus sive Berardingorum cœnobium, & abbatia Silva-mundensis. Eodem anno [a] *indictione decima mense septembri primo Curradi imperatoris*, *Leo & Boso fratres filii olim Bonize* (Boso est idem qui supra) donaverunt nomine judicii monasterio eidem Pratalienſi duas terræ portiones constitutas in *territorio sancti Eleutherii in plano casali Ornina vocabulo Munte juxta viam publicam ab omni parte, quæ perticis* XXXVI. *constant una cum ecclesia ibidem edificata & ordinata in honorem sancti Laurentii cum omnibus eorumdem pertinentiis*, manu Azonis notarii. Berno [b] presbyter filius olim Bonizæ, præter tertiam partem omnium domorum, terrarum & vinearum, quæ ad suum jus pertinebant *in casali Ornina in vocabulo Munte casam ibidem in similitudinem ecclesie edificatam* Sighifredo abbati Pratalię dilargitus fuit. Ceteras chartas consulto omittimus.

ANN. CHR. 1027. ROMUALDI 120.

a *Ibid. A.* I. 39.

b *Ibid. A.* I. 40.

In codice Mediceo, qui continet jura abbatiæ Burgensis, de quo ad annum 1022. verba fecimus, sub hoc anno, licet ex aliis chronicis notis annus 1029. indicetur, refertur [c] præceptum Conradi pro abbatia memorata sancti Sepulcri datum: *Anno nativitatis* M. XXVII. *pontificatus autem Johannis vigesimi anno* VI. *suique imperii anno* III. quo confirmat Conradus imperator monasterio *sancti Sepulcri de burgo sancti Sepulcri edificato in loco, qui dicitur Noceati, & dedicato in honorem sancti Sepulcri Domini nostri Salvatoris, ubi prestabantur multa beneficia, & fiebant miracula crebra, interventu dilecte conjugis suæ Gisle, & in honorem sancti Sepulcri* omnia ipsius bona; *statuentes preterea*, subdit editor eorumdem jurium, qui præceptum refert, *confirmamus eidem monasterio & Roderico venerabili abbati, sed & illius loci constructori, suisque successoribus in perpetuum omnia predia & beneficia quecumque in terris vel aquis ei collata sunt, vel a sancta sede Romana, seu ab aliqua ecclesia, vel quocumque christiano fideli legalis scriptionis munimine, aut personali investitione. Prohibemus etiam, ut nullus successorum monasterium imposterum liceat in tempore aliquo jam dictas res largiri alicui mortalium laico vel clerico &c. Actum Verone incarnationis Dominice* M. XXVII. Hæc ad fidem supradicti collectoris jurium ex eodem codice, qui & alterum præceptum ejusdem Conradi pro eadem abbatia datum *anno* VIIII. ejus *imperii* memorat.

c *Pag.* 3.

ROMUALDI sanctitas vitæ ejus tempore longe lateque diffusa obscurata non fuit ipsius decessu. *Post sacratissimum autem viri venerabilis obitum*, ait Damianus [d], *quanta miraculorum signa per eum Deus ostenderit, quis quæret transacta legere, cum frequenter valeat & nova videre? Quia igitur ea, quæ apud sepulcrum ejus fiunt, miracula tanta sunt, ut melius putemus cuncta silentio præterire, quam pauca narrare, duo solummodo, quæ per eumdem beatissimum Confessorem alibi facta sunt, sufficiat nobis exponere. Denique frater quidam, qui sancti viri discipulus fuerat, parvam basilicam pro anima sua monasterio dederat, ad quam videlicet basilicam extremitatem manicæ præcisam ex beati viri cilicio misit, & sub altari honorifice recondi præcepit. Quam tamen gerulus sub altari, sicut jussus fuerat, collocare neglexit, sed missam in rima parietis incaute dereliquit. Factum est*

ANN. CHR. 1028.

XIII. Prodigia ad sepulcrum sancti Romualdi.

d *Vit. S. Rom. cap.* LXX.

Ann. Chr. 1028.

est postea, ut dæmoniacus quidam ad prædictam duceretur ecclesiam. Cumque astans in medio, huc illucque rotans caput, cuncta undique circumspiceret, tandem torvos oculos in ipsum parietem terribiliter cœpit infigere, & intentus illuc, ubi sancti cilicii jacebat particula, crebris non cessabat vocibus exclamare: ille me ejicit, ille me ejicit; & ita clamans, protinus ab eo expulsus est. Hinc ergo jure perpenditur, quid per semetipsum apud Divinam clementiam impetrare non possit, ante cujus brevissimam vestimenti particulam dæmon stare non potuit, & qui talia absens exhibet, quid per corporis præsentiam non exercet? Ex hac Damiani narratione colligimus ipsius seculo Sanctorum vestimenta honorifice fuisse habita & recondita, ac sub altari poni consuevisse; habemus quoque Deum ipsis virtutem dedisse, ut intercessione Sanctorum, ad quorum usum inservierant, operarentur miracula.

Alterum in eadem ecclesia patratum prodigium subdit Damianus his verbis: [a] *Alio quoque tempore castaldius quidam pauperculæ mulieri vaccam violenter abstulit, & eam vociferantem, multisque precibus obsecrantem, audire contempsit. Illa protinus accurrens, duos gallinarum pullos ad ecclesiam, quam supra memoravimus, detulit, & eos secum ante altare projiciens, hujusmodi verbis clamare flebiliter cœpit: Hem, sancte Romualde, exaudi miseram, ne despicias desolatam, & redde mihi gubernatricem meam injuste sublatam. Mira res! Vix adhuc villicus cum ipsa rapina a domo mulieris abierat, & continuo emissione sagittæ percussus, vaccam in eodem loco dimisit, deinde domum perveniens, protinus expiravit.* In Vaticano tamen codice alter sensus est, cum ibi legatur: *cum ipsa rapina emissione sagittæ a domo mulieris abierat, & continuo percussus, vaccam dimisit &c.* Gastaldii a Langobardis villarum seu prædiorum, vel locorum custodes & administratores appellabantur, quomodo hic intelligi debet, nam aliquando & ipsis castris, urbibus & alicui etiam provinciæ præfecti hoc nomine indicabantur. Videsis Cangii Glossarium & [b] Dissertationes X. & XXI. Muratorii. Monasterium, cui a Romualdi discipulo donata fuit parva basilica, videtur fuisse Valle-castrense; ubinam vero foret ipsa parva basilica, divinare nolumus, quæ tamen parum remota forte erat ab eodem cœnobio.

[a] *Vit. S. Rom. cap.* LXXI.

[b] *Antiquit. T. I. col.* 523. *T. II. col.* 194.

XIV. Reædificatio abbatiæ S. Bartholomæi Fesularum.

ASSIGNANDA est huic anno reædificatio abbatiæ sancti Bartholomæi urbis Fesularum, quæ reparata fuit a Jacobo Bavaro Fesulano episcopo, hortatu præcipue Athonis, sive Azonis Vallis-castrensis aut abbatis, aut certe monachi, discipuli sancti Romualdi. Historiam hanc verbis ipsis referimus Fortunii [c], observationes tantum nostras superaddendo. „ Imperante Henrico, Jacobus Bajovarius, seu Bavarus, episcopatum ecclesiæ Fesularum tenebat. Is videns, qualiter basilica episcopalis metropolis longe ab urbe consisteret, adeout propter difficultatem itineris raro a clericis frequentaretur accessu, cum illuc descendendum esset per devexi montis ardui latera, licet hanc sanctus Romulus sanctissimi Petri apostoli discipulus construxisset, ipsique sancto Petro magistro sacravisset, optimum factu duxit indemnitati divini cultus providere, novamque basilicam in media fori civitatis area excitavit, antiquissima diruta, & asportatis atque translatis illuc sacris corporibus, quæ magis nota erant. Ex quo tempore, cum multæ revelationes fierent variis religiosis personis, injuriam scilicet irrogari sacratissimo loco propter amotam exinde divini cultus memoriam, ibique monasterium saltem debere institui, & episcopus nullis adhortationibus ad id faciendum adduci posse videretur, accidit, ut ipse Azo, seu Atho (hoc loco animadver-

[c] *Hist. Cam. P. II. lib. I. cap.* 22.

madvertit idem Fortunius hæc eadem haberi verba in diplomate vetustissimo, quod Franciscus a Diaceto reverendissimus tunc Fesulanus episcopus sibi ostendit. Fuit autem Franciscus electus Fesularum episcopus anno 1570. & usque ad 1595. per vigintiquinque annos dictam ecclesiam administravit, ideoque vivere perrexit post Fortunii historiam, cujus prima pars edita fuit anno 1575. secunda vero anno 1579.).
„ Accidit, subjungit Fortunius, ut ipse Azo seu Atho, sancti patris Ro-
„ mualdi magnæ & sanctæ memoriæ Castrensis abbatis discipulus, ex
„ sua consuetudine pro lucrandis Deo animabus Etruriæ provinciam lu-
„ strans, visitatum ipsum Jacobum episcopum venerit; propinquansque
„ ad radices montis, incumbentibus atris noctis tenebris, ad residuos ibi
„ parietes cum equo pernoctare sit coactus in parvo tugurio, rustico-
„ rum more ibi consistente. Qui cum ibi maneret, ecce inter vigilias &
„ adultam quietem, itaut nec omnino vigilaret, nec plane dormiret,
„ conspicatur eminus *septem* clericos albis indutos a superioribus parti-
„ bus *montis descendere*, præcedente vexillo sanctæ Crucis, thuribuloque
„ cum *thure* mirum odorem exhalante, & aspergillo aquæ sanctæ, po-
„ stremus quorum episcopali ornatu indutus erat. His autem ad locum
„ propius factis, clausæ portæ sponte patuere, tantaque superfusa est
„ lux, ut meridies advenisse videretur, dehinc diversi sexus & ætatis
„ multitudo subsequuta, in qua multi episcopi atque clerici numerabantur,
„ incipientesque matutinam psalmodiam cum duodecim lectionibus, toti-
„ demque responsoriis ordine monastico, tanta thymiamatum fragrantia
„ exuberabat, ut portitoris facies nullatenus videretur. Porro Divino ex-
„ pleto opere, omnis multitudo recessit subito. Sed revertentes primi
„ septem per viam, unde venerant, transitum fecerunt per locum, ubi
„ manebat Atho, qui omnia attentissimus viderat, audieratque, quorum
„ ultimus innixus baculo pastorali, quid hic, inquit, facis frater? Qui
„ pavidus respondit. Tetræ noctis nimia obscuritate hic manere coactus
„ sum. Et ille, bene, subdit, feceras. Venisti enim nutu Dei, ut istum
„ tantum laborem auferas a nobis. Vade ergo ad episcopum, sicut dis-
„ posueras, nostroque nomine illi *dicito*, ut instauret ecclesiam hanc a se
„ temeraria levitate destructam, statuatque hic religiosos viros, qui Di-
„ vinum officium, sicut nos facere vidisti & audisti, compleant; & sic
„ sublevabit nos tanto labore nostro. A die namque, qua locus iste sacer
„ temeratus est, nulla nox fuit, in qua non subierimus onus tanti la-
„ boris. Crede item mihi frater, taceo alios, de nostro hoc collegio
„ duo & septuaginta martyrio coronati sunt ante Dominum. Tunc di-
„ cit Atho. Quod signum pontifici dabo, ut credat mihi? Respondit he-
„ ros. Dic ei, ut virga tangat in collo unum ex clericis statura par-
„ vulum; teque moriturum proxime in vigilia assumptionis beatissimæ
„ Mariæ semper virginis; ut si verbis tui viventis credere noluerit, sal-
„ tem mortuo credat: & his dictis abiit. Mane igitur Atho ad episco-
„ pum profectus, rei seriem omnem illi insinuavit, qui quidem cœlesti
„ consilio probato, reædificare basilicam festinus aggressus est, probante
„ maxime, & hortante Johanne XX. papa, qui sedere cœpit anno 1022.
„ cum interea successit annus quartus imperii Conradi Cæsaris, qui Hen-
„ rico successerat anno 1025. quem contigit venire Romam, ut coro-
nam de manibus pontificis acciperet. " Fallitur tamen historiographus noster, cum uterque, tam Romanus pontifex Benedictus VIII. quam imperator Henricus obierint anno 1024. quibus eodem anno successere Johannes XX. & Conradus, ille in pontificia, hic in regali sede. „ Ob

Ann. Chr. 1028.

„ cujus adventum, prosequitur Fortunius, Jacobus episcopus distulit per „ anni spatium monasterii institutionem, nam imperatori occurrens, apud „ illum toto illo tempore morari coactus est. Cui cum præsente ponti„ fice, & Ghissa augusta visionem Athonis narrasset, tam pontifex, quam „ ipse & augusta illi negotium commendaverunt, eumque dimittentes, „ ad monasterium ipsius Athonis pergere suaserunt, ut quid illi accidis„ set, cognosceret. Quo cum pervenisset, eum jam mortuum comperiens, „ ut prædixerat, illico pontificem & imperatorem certiores per suas lite„ ras fecit, quomodo visio fuisset impleta; ex totoque credulus, eduxit „ de eremo sancti Blasioli Leonem eremitam, qui ibi sancti Romualdi „ magistri locum occupaverat; huncque secum Fesulas deductum, & con„ gregationem monachorum ad reparatam ecclesiam instituit, & Leonem „ ipsum novo erecto cœnobio præfecit abbatem. Consecravit autem sol„ lemni ritu novum templum, tituloque mutato, majus altare, quod san„ cto Petro principi apostolorum dicatum fuerat per sanctum Romulum, „ nomini sancti Bartholomæi apostoli sacrum fecit, & ara, quæ ad ho„ norem sancti Romuli viguerat, ex nomine sancti Stephani vocavit. Pro„ vidit autem monachis, ut congrue vivere possent, ditans honestissime „ cœnobium prædiis ac censu ad quartum cal. martii indictione XI. & „ privilegiis illustrans. Ei mortuo successit Athinulphus, qui animadver„ tens, qualiter Jacobus mensam, ac censum episcopalem nimium immi„ minuisset, summa ope tentavit prædia a monachis auferre. Illi vero „ jus suum defendere studentes, ad Leonem IX. papam recursum habue„ re; qui quidem cum per id tempus Fesulas advenisset, positis in con„ spectu Jacobi paginis, donationibus atque privilegiis; exploratumque „ habens Johanne prædecessore, & Conrado imperatore sic imperantibus, „ eam omnem institutionem fuisse factam, eamdem ipse quoque compro„ bavit, jura, bona, exemptiones atque privilegia omnia innovando. Da„ tum Fesulis idibus julii anno Domini 1050. pontificatus sui anno se„ cundo. “

In qua Fortunii narratione hæc observanda ducimus. Cum initio hujus historiæ dicitur, imperante Henrico Jacobum Bavarum episcopatum ecclesiæ Fesularum tenuisse, non ita est explicandum, perinde ac sub Henrico imperatore etiam visio Athonis, vel ædificatio abbatiæ sancti Bartholomæi contigerit, cum apertissime ex sequentibus sub Conrado utraque evenisse referatur, sed potius intelligendum est, Jacobum Bavarum fuisse creatum episcopum Fesulanum sub Henrico imperatore, ut ipse Jacobus confitetur in suo diplomate, quo confirmat bona monasterii & ecclesiæ sancti Gaudentii in alpibus, dato die II. augusti anni 1028. incipiente. *Dum fragilitas humani generis* &c. quod reperitur apud Ughellium, [a] ubi ait Jacobus, *pro anima bone memorie Henrici imperatoris, qui mihi hunc tribuit episcopatum*. Pariter verba illa *Atho sancti Romualdi magnæ & sanctæ memoriæ Castrensis abbatis discipulus*, dupliciter [b] a Grandio nostro dilucidantur; primo modo in confirmationem illius sententiæ, qua existimat viris sanctis etiam viventibus consuevisse titulum sanctæ memoriæ tribui; secundo vero modo existimat paginam a Fortunio relatam non ipso tempore visionis, aut constructionis monasterii fuisse scriptam, sed longe post exaratam fuisse ab aliquo ejusdem cœnobii sancti Bartholomæi monacho, ne res memorabilis tractu temporis in oblivionem deveniret; quod comprobatur magis ex subsequente narratione contentionum Athinulphi episcopi Fesulani successoris Jacobi cum monachis, Leonis IX. privilegio, & auctoritate anno 1050. sopitarum, quas in eadem pagina referri indicat idem For-

a T. III. col. 227.

b Dissert. II. cap. VII.

Ann. Chr 1028.

Fortunius. Unde planus erit verborum illorum *magnæ & sanctæ memoriæ* sensus, si referantur, non ad tempus visionis, sed ad tempus, quo pagina scribebatur. Quam secundam declarationem, utpote plausibiliorem, merito amplectimur, cum liquido appareat narrationem hanc Fortunii non ex ipso instrumento episcopi Jacobi excerptam fuisse, sed ab historia posteriori tempore consarcinata, licet eodem seculo, quæque plura tempora respicit. Sic itaque res tota per suos annos distribuenda erit. Jacobus electus fuit Fesularum episcopus ab Henrico imperatore, sed quo anno non constat; similiter non liquet, quo anno sui episcopatus diruerit ecclesiam majorem suæ diœcesis, & alio in loco, ubi & nunc visitur, alteram ædificaverit; interim post ecclesiæ diruptionem aliquantulum temporis sine ullo obsequio basilica vetus perstitit, donec consilium accipiens a probis viris, & admonitus de cœlo, in locum neglectæ basilicæ monasterium construxit Jacobus. Athonis visio, qua episcopus excitatus fuit ad monasterium condendum, successit anno 1026. post quam visionem in pervigilio festi assumptionis beatæ Mariæ ejusdem anni vel sequentis obiit Atho, sed per annum distulit Fesulanus episcopus monasterii institutionem, quia hoc eodem tempore ivit in occursum Conradi, qui chronologorum omnium consensu anno 1026. in Italiam venit, & sequenti anno 1027. Romæ coronam a pontifice accepit die sancto Paschatis, quod festum contigit VII. kalendas aprilis [a]. Narravit Jacobus ipsi Conrado & Giselæ augustæ, simulque Romano pontifici Johanni XX. visionem Athonis, & tam summus pontifex, quam imperator & imperatrix stimulos ei addiderunt ad monasterium prædictum ædificandum. Anno ergo 1027. desinente, vel novo anno inchoante, post quam etiam compertam habuit Jacobus Athonis mortem, atque veritas divinæ voluntatis ei clare innotuit, monasterium condidit, & Leonem discipulum Romualdi abstractum ab eremo sancti Blasioli, in cujus regimen sancto magistro, qui ibidem obierat anno 1027. successerat, eodem anno, vel ineunte anno 1028. abbatiæ præfecit. Hæc omnia clarius confirmantur ex diplomate ipsius Jacobi sub initium hujus anni 1028. die 26. februarii exarato, quod [b] ab Ughellio productum, in Appendice iterum damus ad clariorem hujus facti illustrationem. Grandius autem *noster* visionem Athonis refert ad annum 1025. & Didacus Franchius ad annum 1024. verum si uno anno monasterii ædificationem distulit Jacobus episcopus, & tantum post Pascha anni 1027. novam constructionem fuit exorsus, necesse non est biennio, & minus triennio retrotrahere Athonis visionem, sed sufficit eam ante annum vel eodem anno 1027. habitam statuere.

a *Wippo ap. Pist.T.III. pag.* 472.

b *T. III. col.* 224.

XV. Historia posterior ejusdem abbatiæ.

Ceterum monasterium sancti Bartholomæi de Fesulis, de quo præter Ughellium parce admodum agunt scriptores, cujusque pauca supersunt vetera monumenta, pluribus seculis fuit monachorum Deo servientium domicilium. Ex vetusta a Fortunio allata narratione Atinulphus episcopus Fesulanus cœnobium vexavit, sed Leonis papæ IX. auctoritate anno 1050. fuit coercitus. Transmundus anno 1070. & Rodulfus anno 1153. itidem episcopi Fesulani apud Ughellium abbatiam hanc pluribus bonis ditavere. In [c] archivo parthenonis sanctæ Apolloniæ de Florentia nominatur ad annum 1160. Martinus monachus sancti Bartholomæi in sequenti recordatione. *In Christi nomine amen. Breve recordationis & finitionis & refutationis pro futuris temporibus ad memoriam habendam vel retinendam, quod factum est juxta ecclesiam & monasterium sancti Bartholomei de Fesule in presentia Rolandini filii Ivunii de Calenzano & Cippi filii Bocchi* &c. *In eorum presentia Martinus monachus pro amore Dei finivit & refutavit* &c.

c *Num.* 177.

Ann. Chr. 1028.

in ecclesia & monasterio sancti Pauli de Razzuolo, ubi domnus Guido preesse ac servire videtur, duas petias terre in loco Monte Latico, cui de uno latere est finis terra hospitalis de sancto Petro majori, de alio &c. *Factum anno Dominice incarnationis centesimo sexagesimo post mille, nonas aprilis indictione octava* &c. *Ego Sinibaldus judex & notarius*. Ex [a] tabulario monachorum Cistercienſium de Florentia alteram chartam eruit Ferdinandus del Migliore in suis [b] mss. collectaneis apud Cl. V. Biscionium, qua dignoscitur anno 1167. abbatem sancti Bartholomæi fuisse Maurum. *Anno Domini* M.C.LXVII. IIII. *idus decembris. Constat me ego domnus Maurus presbyter & abbas custos & rector ecclesie & monasterii sancti Romuli & Bartholomei sito Fesulas una cum etiam consensu monachorum fratrum meorum dare ad laborandum, fruendum seu meliorandum providi tibi domnus Lanfranchus abbati custodi & rectori ecclesie & monasterii sancte Marie sito Buonsollatio vice utilitatis jamdicte ecclesie livellario nomine in perpetuum, videlicet integram medietatem de unam petiam terre posite in loco, qui dicitur Pizole* &c. *Actum in monasterio sancti Romuli sito in Fesulas vicaria Florentina*. Post Maurum in eadem charta subscribit ejus forte successor *Ugo abbas monasterii sancti Bartholomei sito Fesulis*. Ammiratus loquens de Mainetto episcopo Fesulano, scribit anno 1250. sub ipso quemdam monachum hujus monasterii sancti Bartholomæi electum fuisse in abbatem sanctæ Mariæ Florentiæ. Ughellius ait [c] eumdem Mainettum anno 1257. secunda aprilis consecrasse in ea basilica altare sancti Alexandri; vigesima autem secunda octobris alterum dedicasse in honorem sancti Donati in eadem abbatia; eumdemque episcopum electionem domni Cambii in abbatem confirmasse. Extant apud prædictum Ughellium bullæ Paschalis II. anni 1103. Innocentii II. anni 1134. Cœlestini II. anni 1143. & Anastasii IV. anni 1153. monasterium sancti Bartholomæi situm Fesulis confirmantium episcopis Fesulanis, extatque insuper amplissimum [d] privilegium ejusdem Innocentii papæ II. anni 1141. quo, præter plures ecclesias, nominatur etiam *monasterium sancti Salvatoris de Alena, quod sub ejusdem sancti Bartholomei monasterio esse cognoscitur*: ubi etiam memoratur donatio bonæ memoriæ Jacobi episcopi Fesulani. Ex archivo sancti Spiritus Florentiæ Bonifacius papa IX. anno 1395. eligit Nicolaum in abbatem ejusdem monasterii, & ex illo patrum Servorum sanctæ Mariæ, vulgo Annunciatæ, ejusdem urbis habemus ad annum 1314. Tancredum fuisse abbatem monasterii sancti Bartholomæi de Fesulis. Hodie abbatiam hanc canonici Lateranenses incolunt, ibi introducti a Cosmo Medice ejusdem loci munificentissimo restauratore seculo quinto-decimo.

a *H. n.* 135.

b T. XC. *pag.* 134.

c T. III. *col.* 252.

d *Ibid. col.* 237. & *seq.*

Ann. Chr. 1029.

XVI. Conradi imp. diploma pro monast. S. Severi Classis.

Conradus imperator anno tertio sui imperii indictione XII. Cremonæ cum esset, satis honorifico præcepto cœnobium sancti Severi in Classe, & Bonizonem ejus abbatem, qui Leto successerat, decoravit. Enumerantur in ipso præcepto monasteria, ecclesiæ, & bona omnia subjecta sancti Severi cœnobio, ex quibus colligitur, quantum tunc temporis inter cetera monasteria efflorescerct. Diploma suo jure exigit, ut a nobis illustretur, præsertim cum frustra aliunde quærerentur nobilia antiquitatis monumenta, quæ in ipso præcepto, collato tamen cum ceteris ejusdem monasterii privilegiis, continentur. Confirmat ergo primo Conradus Bonizoni sive *Bonizo abbati sancti Severi archiepiscopi Ravenne, & fideli suo suisque successoribus in perpetuum omnes res & possessiones monasterii sancti Johannis in Armenia, & sancti Stephani Attitu, que sunt site in civitate Classis*. Monasterii sancti Johannis ad Titum meminit Agnellus capite IIII.

vitæ

vitæ sancti Damiani archiepiscopi Ravennatis. *Sed & de Johanne*, [a] inquit ibidem Agnellus, *abbate monasterii sancti Johannis trans Cæsaream siti in dudum Classis, quod vocatur ad Titum, non prætermittamus. Fuit iste temporibus hujus Damiani antistitis presbyter, nomine Johannes, abbas monasterii sancti Johannis, qui vocatur ad Titum, quod rustici nescientes vocant eum ad Pinum* &c. Damianus, juxta Bacchinium, ordinatus fuit archiepiscopus Ravennas die XXIIII. decembris anni 691. obiit die XII. martii anni 708. sub finem ergo septimi seculi extabat trans Cæsaream ad Classem Ravennæ monasterium *sancti Johannis ad Titum, & hoc erat fundatum in loco, qui dicitur Armenie, quod nunc demolitum esse videtur*, ut ait Alexander papa II. in bulla anni 1062. pro eodem monasterio sancti Severi. Hinc ex Agnello illustratur charta nostra, & ex eadem charta illustratur Agnellus, cum ex hac innotescat monasterium illud, præter sancti Johannis, nomen etiam obtinuisse sancti Stephani, locumque, in quo erat constructum, appellatum fuisse Armeniæ; qua tamen de causa Armeniæ nomen loco illi adhæserit, ignoramus, cum nullus, quem viderimus, de monasterio sancti Johannis Armeniæ vel in Armenia mentionem faciat. Si autem monasterium sancti Johannis in Armenia, & simul sancti Stephani ad Titum situm in civitate Classis, idem sit cum monasterio sanctorum Johannis & Stephani sito pariter in Classe, cui præerat tempore Gregorii magni Claudius abbas, quodque antiquum Pinetense monasterium fuisse autumat Mabillonius, longe altius repetenda est ejus origo, qualesque fuerint ejusdem vices & status seculo undecimo ex hac charta intelligimus. Videantur Annales nostri [b] ad annum 925. Incogitanter idem Mabillonius [c] ad annum 595. & ad annum 598. appellat monasterium Claudii abbatis monasterium sanctorum Johannis & Paulli, cum foret sanctorum Johannis & Stephani titulo decoratum.

Confirmat secundo loco Conradus eidem monasterio sancti Severi *omnes possessiones sanctorum Gaudentii, Sergii, Theodori & sancte Agnetis, & sanctorum Cosme & Damiani, que monasteria sunt sita in civitate Classis, cum omnibus rebus & possessionibus eorum, atque pertinentiis tam in civitate Classis, quam extra*. Nominat ecclesiam *beati Sergii, quæ sita est in civitate Classis juxta viridarium*, [d] Agnellus in vita sancti Agnelli Ravennatis præsulis, quam etiam reconciliatam scribit ab eodem archiepiscopo, adiversa forte ab alia *sancti Sergii foris portam novam Ravennæ*, cujus abbas erat Petrus anno 1034. juxta chartas archivi archiepiscopalis. *Monasterium sancti Theodori, quod vocatur Græcum*, cui præsidebat, juxta ejusdem tabularii membranas, in abbatem Andreas clericus anno 1007. alia pariter *sancti Theodori ecclesia, non longe a domo Droedonis*, vel demum *monasterium beati Theodori diaconi a Theodoro patricio ædificatum sub Theodoro archiepiscopo* [e] *non longe a loco, qui vocatur Calchi, juxta ecclesiam beati Martini confessoris, quæ vocatur Cœlum-aureum, quam Theodoricus ædificavit rex*, quæ sunt ab Agnello memorata in suo pontificali Ravennate, alia erant, ut videtur, a nostro monasterio sancti Theodori, quod non in Ravennæ civitate, sed fundatum erat in urbe Classis. Inter regiones Ravennæ numerantur etiam *regio sancti Theodori majoris*, in qua recensetur ecclesia sancti Ruffili, & *regio sancti Theodori a Vultu*. Memorat idem Agnellus ecclesiam [f] *beatæ Agnetis a Gemello subdiacono sanctæ Ravennæ ecclesiæ, & rectore Siciliæ* constructam sub Exsuperantio archiepiscopo, qui ad annum 432. vixit. Pariter sanctæ Agnetis basilica Ravennæ nominatur in charta archiepiscopatus, quæ pertinet ad annum 954. Hæ quoque potius in urbe Ravenna, quam in Classe extabant. Nullum demum

ANN. CHR. 1029.

a P. II. pag. 335.

b T. I. pag. 10.

c T. I. pagg. 236. 250. & 277.

d P. II. pag. 122.

e Ibid. p. 304.

f P. I. p. 254.

Ann. Chr. 1029.

mum neque in Agnello, neque apud Rubeum & Fabrium vestigium legimus monasteriorum sanctorum Cosmæ & Damiani, & sancti Gaudentii; in charta dumtaxat anni 1221. existente in eodem tabulario reperimus indicatam ecclesiam sanctorum Cosmæ & Damiani de Ravenna. Sed monasteria subjecta alteri sancti Severi nominantur omnia in privilegio Conradi *sita in civitate Classis*.

Corroborat suo præcepto Conradus cœnobio sancti Severi tertio loco *monasterium sancti Pullionis*. De eo hæc habet Agnellus in vita Liberii III. [a] qui fuit archiepiscopus sub finem quarti seculi: *Sepultus est*, Liberius, *in monasterio sancti Pullionis*, *quod suis temporibus ædificatum est non longe a porta*, *quæ vocatur nova*, *cujus sepulcrum nobis cognitum est*. Attulimus anno 1013. placitum, in quo pro Vitale electo abbate sancti Severi judicatum fuit, habitum *in curte sancti Pullionis martyris*.

Confirmatur quarto loco a Conrado inter jura cœnobii sancti Severi *monasterium sancte Marie Senodochio sita in civitate Ravenne*. In archivo sancti Benedicti Ferrariæ memoratur ad annum 988. *Gerardus clericus & abbas sancte Marie in Xenodochio*; annis 1001. ac 1004. abbas hujus loci appellabatur *Gajardus*: *Gerardus* denuo annis 1005. & 1007. quamquam ad annum 1006. *Federicus notarius ecclesie Ravennatis & abbas sancte Marie in Xenodochio*, & anno 998. *Ariardus clericus & abbas* reperiantur in membranis ejusdem tabularii. Ante ipsos nominatur in quadam concessione emphyteutica, de consensu Honesti archiepiscopi Ravennatis, ad annum 972. *Sergius abbas monasterii & Xenodochii sancte Marie*; & anno 939. [b] *domni Stephani pape primo Hugonis regis XIIII. & Lotharii ejus filii regis X.* IIII. *octobris indictione* XIII. renovatio in emphyteusim terrarum, quas tenuerat Leo de Ferraria, positarum *in fundo Salepta vocabulo Curte-lana*, *ad Curculum percurrentem Saleptam*, fit cuidam Petriano *a Paullo episcopo Liviensi & abbate sancte Marie in Xenodochio Ravenne*. Obiter observamus Paullum Liviensem episcopum agnitum non fuisse ab Ughellio inter episcopos Foro-livienses. Monasterium hoc anno 1040. a Gebehardo archiepiscopo Ravennate concessum fuit cum aliis, ut videbimus, reformandum Guidoni abbati Pomposiano; hoc tamen anno spectabat ad abbatiam sancti Severi.

Quinto recenset Conradus inter loca subjecta eidem cœnobio *monasterium sancti Thome apostoli positum foris porta sancti Laurentii* cum omnibus rebus & possessionibus suis. In tabulario archiepiscopali Ravennæ, cum fit mentio hujus monasterii sancti Thomæ, additur *prope Andronam*, *que pergit ad turrim Florentinam*. Ad annum [c] 950. reperitur abbas sancti Thomæ *Paulus diaconus quondam Pauli ducis*; rursus annis [d] 997. & [e] 1022. idem vel alius *Paulus diaconus & abbas*. Porta sancti Laurentii constituitur *juxta Vandalariam* ab [f] Agnello, prope quam aliud extabat sancti Donati monasterium. Quæ firma habet Conradus privilegio suo *in civitate Ferrarie & in suburbiis suis*, *aut in comitatu ipsius in loco*, *qui dicitur Canaro cum ipso fundo integro*, *& ecclesiam sancte Sophie in eodem fundo fundata cum omnibus rebus & possessionibus suis*, *& cum colonis & habitatoribus suis*, *& totum fundum Rustizane cum ceteris fundis ad ipsam ecclesiam pertinentibus*, videntur spectasse ad idem monasterium sancti Thomæ jam tunc unitum nostro sancti Severi.

Confirmat sexto Conradus *insulam domnicatam a Badaleno*, hoc est Padareno, *usque ad Candianum una cum pascuis & piscationibus ac venationibus suis*, *& dimidiam portam sancti Laurentii cum ripis fluminum usque ad palatium Theodorici regis*. Donaverat hanc insulam monasterio sancti

Severi

a Ibid. pag. 200.

b Arch. S. Bened. de Ferr. Capf. S. 1. 30.

c F. n. 1969.

d F. 2395.

e F. 2332.

f Par. II. p. 443.

Severi Otto I. imperator, de cujus diplomate egimus ad annum 967. Signatur locus Theodorici palatii ab Agnello, quando loquens de Johanne abbate sancti Johannis ad Titum, eodem, de quo supra egimus, asserit ipsum [a] *lustrata Cæsarea egressum esse*, & *a Vandalaria porta, quæ est vicina portæ Cæsareæ, relicto Laurenti palatio Theodoricanum ingressum esse, ubi se exarcho præsentavit*. In charta tabularii Ravennatis anni 1014. *porta Artenectorum* dicitur *prope palacium Theodorici regis*.

Ann. Chr. 1029.

a Par. II. p. 340.

Sancit insuper Conradus, ut *monasterium sancti Laurentii*, quod *a Castagnola* dicitur, *cum castro suo*, & cum ecclesiis *sancte Marie*, & *sancti Blasii*, & *sancti Johannis*, altera ecclesia *sancti Johannis* in comitatu Senogalliensi, & *cum cellula sancti Benedicti de Castagnola*, aliaque *cella sancti Andree apostoli* sint sub potestate monasterii sancti Severi. Cœnobium sancti Laurentii illud ipsum est, quod super flumen Æsinum constructum Conradus Dodiberto abbati ante triennium communierat altero suo præcepto, quod ad annum 1026. retulimus, & in quo nominantur, inter ceteras ejusdem monasterii, duæ mox recensitæ cellæ sancti Benedicti & sancti Andreæ Apostoli. Hoc clarius constabit, si conferatur privilegium Conradi cum bulla Alexandri papæ II. anni 1062. & cum altera charta confirmationis bonorum, quam fecit Divizoni abbati sancti Severi anno 1128. Gualterius archiepiscopus Ravennas. *Monasterium sancte Marie in fundo Tugano* in comitatu Anconæ cum altera ecclesia *sancte Marie*, & ecclesia *sancti Angeli in Casaleclo cum tota insula de Casaleclo*, & cum ecclesiis *sancti Angeli in fundo Turricella*, & *sancte Marie in fundo Mimano* ac ceteris omnibus fundis, quæ omnia in hoc præcepto imperiali Conradi insuper leguntur, credimus spectasse olim ad monasterium sancti Laurentii, sicut spectabant ad illud sanctorum Johannis & Stephani ad Titum *ecclesia sancti Stephani in Limizano* in comitatu Æsino, & *castrum de la Fara cum ecclesia sancti Johannis de Casano* vel Alsano, quæ nominantur in eodem Conradi privilegio. Altera ex causis, ob quas sanctus Gregorius magnus post Claudii Classensis abbatis mortem Constantium in ejus locum a monachis electum repudiavit, ea fuit, quia noverat ipse, quod Constantius *ad monasterium, quod in Piceni provincia situm est, solus pergere sine aliquo fratrum suorum præsumpsit*, ex qua subdit, *actione intelligimus, quia, qui sine teste ambulat, recte non vivat*. Si cœnobium sancti Johannis in Armenia & sancti Stephani ad Titum idem est cum monasterio sanctorum Johannis & Stephani, cujus erat abbas electus Constantius, in cognitionem venimus monasterium in Piceno subjectum alteri sanctorum Johannis & Stephani fuisse in comitatu Æsino, ubi erat etiam ecclesia sancti Stephani in Limizano. Credibilius quoque redditur Classense sanctorum Johannis & Stephani cœnobium idem esse cum cœnobio sancti Johannis in Armenia & sancti Stephani ad Titum, quia de utroque dicitur, quod habuerit alterum monasterium in Piceno sibi subjectum.

Concedit demum Conradus Bonizoni abbati *tertiam partem castri de Lozano* cum ecclesia *sanctis Johannis in fundo Cornutula*. Liberat monasterium sancti Severi ab anni *datione*, *functione*, *albergaria*, *pedagaria* & *ripatico*. Aldiones eximit a placitis, aliasque immunitates & privilegia sacro illi loco largitur. Subscribunt *Petrus Turinensis episcopus*, & *Rainaldus Cremonensis episcopus, ac Johannes ducis Ravenne*. Uterque episcopus Ughellio incognitus. Immo & a V. Cl. Francisco-antonio Zacharia S. J. presbytero in sua serie Cremonensium episcoporum omittitur Rainaldus. Anne Cremonensem sedem administravit Rainaldus tempore illo, quo vel

exul

Ann. Chr. 1029.

[a] Pag. 94.

exul erat Landulphus, vel quo *voce tantum episcopus* Cremonæ degebat, ut se subscribit in suis tabulis testamentariis XIII. die maii anni 1023. confectis, quæ leguntur apud [a] eumdem Zachariam? Anno tamen sequenti 1030. jam restitutus Landulphus suæ ecclesiæ privilegiorum omnium confirmationem ab eodem Conrado imperatore obtinuit. Nostrum Conradi privilegium pro monasterio sancti Severi signavit *Henricus apocrisarius & judex in curia imperatoris*. Cancellarium qui sigillum principis servat, & diplomata regia signat, apocrisarium explicat Ducangius. Visitur in diplomate locus sigilli cerei deperditi; sed jam integrum præceptum, quod illustravimus, a nobis transcriptum ex tabulario Classensi in Appendice damus.

XVII. Charta S. Victoris de Clusis. Aliqua de Ugone duce Spoletano & marchione Camerinense.

Protulimus ad annum 1025. paginam confectam *temporibus domno Ugo dus & marchio anno ejus quartum & die mense julius per indictione settima* (melius octava) juxta quam epocham octavus huic anno 1029. ejusdem Ugonis ducatus illigari deberet annus; & tamen in tribus chartis autographis, quas exscripsimus ex tabulario sanctæ Catharinæ de Fabriano, *sextus* Ugonis signatur cum præsenti anno 1029. In prima hæ chronicæ notæ habentur: *Anni domini mille viesimo nono & regnante domno Conrado magno imperatore providencia imperat ore augusto anno ejus secundo & temporibus domno Ugo dus & marchio anno ejus sexto die mense julii indictione undecima*. In secunda: *Anni mille viginti novem & regnantes domnus Conradus imperator augusto & anni & imperii ejus in Italia anni ejus quarto & temporibus domnus Ugo dux & marchio anni in ducatus ejus sexto, & dies mensis november per indictione duodecima*. In tertia: *Anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi, quod sunt anni mille viginti novem regnante domno Conradus magno imperatore anno .... & temporibus domno Ugo dux & marchio anno ejus sexto die mense ..... indictione duodecima*. Immo in quarta charta, lacera quidem, sed autographa tabularii sancti Blasii de Fabriano, annus sextus Ugonis conjungitur cum anno 1028. & cum primo imperii Conradi: *Anni domini nostri Jesu Christi ..... te domno Corradum magno imperat...... ordinante provid..... augustu anno ejus primum & tempori ..... dux & marchio anno ejus sexto & die mense .... ne undecima*. Vel ergo dicendum notarios turpiter erraſse in consignandis annis ducatus Ugonis, vel distinxisse annos ducatus Ugonis ab annis marchionatus, vel demum occultam aliquam delitescere causam, cur diversis distinctisque annis illigetur semper annus sextus Ugonis. Circa annos imperii Conradi variabant notarii juxta varias epochas, a quibus eos ipsi auspicabantur. Ceterum prima ex his chartis continet donationem factam ab Ansone & Salvia monasterio *sancti Benedicti & sancti Victoris* in loco, *qui dicitur Victurianum*, & Actoni abbati. Altera similiter traditionem rerum in loco, qui dicitur *Colle de Cerquilie* a Martino & Maria monasterio *de beato sancto Victore, & alie patrocinia sancta, que ibi recognita sunt in ipso monasterio, qui dicitur Victoriano*. Tertia demum Rodolfi Bononti & Acciæ ejus jugalis concessionem domno Attoni abbati monasterii beati sancti Victoris portionis *de ecclesia beata sancta Maria, qui edificata est inter saxa cum muris & cellis, et libris et altaris et turabulis et luminaris, et cum omnia, quantum ad ipsa ecclesia pertinet*. Videbimus progressu temporis ecclesiam sanctæ Mariæ inter Saxa, asceterium monialium subjectum abbatiæ sancti Victoris evasisse. Interim in Appendice chartas nominatas exhibemus.

XVIII. De monasterio S. Zenonis in urbe Pisarum.

Progressu temporis plura dicemus in his Annalibus de monasterio sancti Zenonis extructo in urbe Pisana. Cum ejus origo obscura sit, primæ-

que

que clariores notitiæ ejusdem monasterii habeantur in breviculo recordationis ad annum 1048. pertinente Boni abbatis sancti Michaelis in burgo Pisarum, ubi ait, Dominicum priorem suum, quem ipse enutriverat, tunc esse abbatem monasterii sancti Zenonis, & deinceps in bulla Gregorii papæ VII. concessa Leoni abbati monasterii sancti Zenonis in urbe Pisarum anno 1081. operæ pretium judicamus chartam in Appendice producere ad hunc annum 1029. spectantem, in qua nominatur *ecclesia & monasterium sancti Zenonis, ubi dicitur civitate vetera, prope loco, qui dicitur a le grotte*, una cum altera charta, in qua memoratur aliud monasterium sancti Savini, diœcesis pariter Pisanæ, quæ cœnobia seculo sequenti eremi Camaldulensis disciplinam susceperunt. Hujus postremi originem attulimus ad annum 969. ipsius mentio occurrit etiam in charta anni 910. permutationis inter Theodoricum episcopum Pisanum, & Stephanum presbyterum ex archivo Pisano apud Muratorium.[a]

ANN. CHR. 1029.

Tres chartæ hujus anni ad monasterium Prataliense pertinentes nil referunt, quod observationem nostram mereatur, præter donationes domorum, terrarum & vinearum in variis casalibus. In quadam etiam locatione[b] facta a Sigifrido abbate præcipitur conductoribus, *ut veniant ad justitiam faciendam in curtem Ventrina*.

a T. III. Antiq. med. ævi col. 1042.

b Arch. Cam. §. Locatio n. 11.

XIX. Lambertus abb. S. Apollinaris.

QUO anno Theotmaro abbati sancti Apollinaris in Classe, de quo mentionem fecimus ad annum 1016. successerit in regimine ejusdem monasterii Lambertus, non liquet. Prima Lamberti abbatis Classensis occurrit mentio in charta hujus anni apud Rubeum:[c] *Anno quarto*, melius sexto, *Johannis pape, imperante Chuonrado anno tertio die* XI. *aprilis indictione* XII. *in superiori domus archiepiscopatus Ravennatis, dum resideret in judicio & in generali placito Gebehardus archiepiscopus Ravenne, adstantibus maxima pars nobilium virorum omnium, quorum nomina sunt hec, idest Paullus episcopus Corneliensis, Lambertus abbas monasterii sancti Apollinaris in Classe, et canonici et diaconi et presbiteri et cantores et subdiaconi Ravennatis ecclesie et multi judices. Guido comes filius quondam Tetrigrimi, et alio Guido comes gener ejus, et Adelbertus comes de Maynardo, Petrus de Traversaria, Ugo et Theobaldus gener Ugoni filius quondam Petri de Christuduli, et Adelbertus de Berardo, Baldus de Pusterula, et Michael filius quondam Petri de Agusta, Petrus de Azo, et Gerardus Spacia-inferno, et alii multi, tractatum est in hac lite constituenda in presentia archiepiscopi inter Gebehardum archiepiscopum, et Petrum de Traversaria et Raimbertum filium Rodulfi de Sergio. Ubi cum Andreas judex precepisset* &c. Reperitur etiam ad annum 1031. *anno domni Johannis pape* VIII. *Conradi imperatoris* V. 29. *maji indictione* XIV. subscriptus *Lambertus abbas sancti Apollinaris in Classe* post episcopos una cum Bonizone abbate sancti Severi in altera charta tabularii sancti Benedicti de Ferraria,[d] qua idem Gebehardus archiepiscopus Ravennas plura loca donat Guidoni abbati Pomposiano. Eidem Lamberto Classensi abbati passionem sanctæ Reparatæ virginis & martyris inscripsit anonymus urbaniore & productiore stilo a se auctam, quam ex veteri quodam codice nostro in Appendice producimus. Auctor autem sic præfatur: *Rogas me, venerabilis pater Lamberte, per equivocum tibi priorem Classensis monasterii, cui te praesse divina dispositio voluit, ut libellum de passione beatae virginis Reparatae compositum studiose discutiam, et eum quasi pro commonitorio ante oculos tenens ad honorem venerandae sollempnitatis ejus et urbanius scribere, et productiori stilo augere contendam. Ego quidem sanctitatis tuae praeceptis libenter obedio* &c. Nescimus ulterius, an Classensis monachus sub Lamberti abbatis disciplina esset

c Lib. V. pag. 278.

d A. x. IV. 4.

Ann. Chr. 1029.

esset alter *monachus* ille *Ravennas*, *Bernardus nomine*, *medicinæ artis egregius*, *qui causa medicinæ circumibat multa loca*, & circa hæc tempora una cum Benedicto Clusensis apud Taurinates monasterii priore in urbes Lemovicensem & Engolismensem, & ad locum Buxeria venerat, ubi cum fabulis etiam ipse simul cum Benedicto accenseret, quæ dicebantur de Martiale discipulo Domini & Galliarum apostolo, male exceptus est ab Ademaro monacho Cabanensi, qui & Benedictum, & Bernardum tamquam hæreticos traduxit, omnique conviciorum genere affecit, ut fusissime apud Mabillonium legitur in epistola, quam anno 1028. de apostolatu sancti Martialis scripsit idem Ademarus? Inter cetera Ademarum interrogavit monachus Bernardus: *Quod caput dicam abbati meo Ravennati, quia Martialis est apostolus?* & respondit Ademarus, quia *discipulus Domini fuit, sicut Petrus, et ab ipso Domino in carne potestatem ligandi et solvendi accepit* &c. Sed de Lamberto aliqua dicemus insequentibus annis.

Ann. Chr. 1030.

XX. Petrus Damianus doctrina & divitiis floret: carnis macerationibus se tradit.

PETRUS Damianus interea ex discipulo magister jam effectus inclarebat, sed honoribus atque divitiis plurimum abundans seculi, & carnis illecebris multum se allici patiebatur. Utramque rem sic describit Johannes ejus discipulus. [a] *Cumque discendi finem ex omni liberali scientia peritus fecisset, mox alios erudire, clientium turba ad doctrinæ ipsius famam undique confluente, studiosissime cœpit. Inter ista nimirum, dum favore populari efferretur, dum divitiarum copia cumularetur, jam pene potuit horum lenocinio seculari pompæ subtrahere, aut illecebris venereis illectus implicari.* Quibus tamen armis juvenis bene ceteroquin moratus passionibus suis adversari satageret, sic prosequitur idem auctor. [b] *Sed quoniam ex electorum numero nequit ullus prorsus minui, respectu illico divino præventus, ita secum agere cœpit, et cur delecter præsentibus, ut caro suggerit, ætas exposcit? sed numquid his perituris debeo inhærere, et non magis istis renuntians, potiora providere? At si forte postmodum hoc me facturum promitto, quia non multo carius, multoque Deo acceptius modo agere satago, dum ætas viget, dum prospera mulcent? Jam vero post hæc paullatim inchoata mundanis studiis removeri, ac divinis obsequiis accingi; et licet exterioris cultus specie adhuc videatur hærere caducis, toto tamen mentis affectu bonis aspirat æternis. Sub mollibus itaque vestibus cilicium induit, jejuniis, vigiliis et orationibus solerter insistit. Et quia calente juventa stimulis acriter urgebatur carnalibus, mediis noctibus e strato consurgens, aquis se fluvialibus immergebat; in quibus tamdiu nudo manebat corpore, donec algentia membra rigerent, noxio recedente calore. Exinde vero regrediens quæque venerabilia loca psallendo circuiens, totum ante synaxim complebat psalterium. Eleemosynis quoque pauperum assiduis insistens, ac frequentibus eos conviviis pascens, suis lætabatur manibus eis tamquam Christo, ministrare devotus.* Sic nimirum præludebat Damianus austerissimæ corporis sui castigationi, quam post susceptum monasticum habitum ad ultimum vitæ suæ terminum numquam dimisit. Quomodo autem per victoriam vitii gulæ a gravissimo vitæ suæ periculo ereptus fuerit, exponit sequenti narratione idem Laudensis. [c] *Inter hæc sane non prætereundum puto, quod ædificationi multorum profuturum non ambigo. Quadam die privatus prandebat, nec quisquam secum præter solum cæcum quemdam præbendarium discumbebat, qui quotidianus conviva ex more sibi assidere solitus erat. Accidit autem, ut tunc non amplius, quam unus triticeæ similaginis panis adesset. Hic itaque illi solus apponitur; quid vero dari possit mensæ sodali, qui non diversis a se cibis ali consueverat, non habetur. Appositus est ergo illi cibarius*

[a] Cap. II.

[b] *Ibidem.*

[c] *Cap.* III.

rius panis, suppar videlicet et secundæ conspersionis; quod hic nempe non æquis aspexit oculis, et graviter tulit; paullatim vero ei pavor incidit, et intra semetipsum cogitare cœpit: Christus, inquit, ad mensam meam inferior mihi est? Ego ne comedam velut herilem panem et deliciosum; et ille puerorum meorum pane vescetur? Hæc, et his similia cum in pectore suo multa versaret, incidit cogitatio, ut panem illius suo, suumque illius pane mutaret. Quid igitur ageret? Quo se verteret? tolleret illius panem? sed pudor obstabat; suum comederet? sed conscientia remordebat. Quid plura? Tandem evincit caro, et mens enerviter obluctata succumbit. Incipiunt igitur uterque comedere; hic scilicet quasi dominus, et princeps mensæ nitidum; ille vero clientium, vel mancipiorum more cibarium. Sed dum comederet, sensim pavor accidit, et horror nimius omnium viscerum suorum interna concussit; verebatur enim divini super se motus evigilare sententiam; suspicabatur certe repentinam justæ severitatis imminere vindictam, quod et factum est. Os enim piscis gutturi ejus pestilenter inhæsit, quod ullis omnino conatibus trahi in interiora non potuit. Glutiebat ex industria cibum, non descendebat; screabat, tantumdem erat; conabatur emittere, sed affixa pernicies nihilominus immobilis permanebat. Erubescebat tamen dicere, quod intrinsecus patiebatur; clandestinus eum tenebat hamus, et velut incautum piscem, per gulam trahebat ad mortem: undique illi augmentabantur angustiæ, et non tam mors, quam mortis turpitudo terrebat. Malebat quippe, ut se tela transfigerent, quam fœdus prurientis gulæ interitus deturparet. Anhelus anxiabatur spiritus, et mœroris tenebræ ei circa oculos volvebantur. Quid pluribus moror? Tandem Christo detulit, eique se imparem, et si non pane tamen potestate, liquido cognovit. Buccellam suam pauperi festinus apposuit, ejusque ante se vicaria permutatione locavit. Et, o placabilem Deum super malitia nostra! Statim ad primum accepti panis gustum, pestis illa pertransivit, et interceptum fragmentum decidens in interiora purgatur. Deliciosus itaque panis ei factus est plaga; grossus vero et durus medicina. Escam mutavit, et laqueum, qui eum feraliter astringebat, absolvit. Deposuit superbiam, cœlestemque persensit de humilitate medicinam, et supernæ miserationis medelam, quam nimirum, ut se tam mirabiliter obtinuisse persensit, in sui liberatoris præconium hujuscemodi mox sermone prorupit: Benedictus omnipotens Deus, qui periclitantibus subvenit, & in gaudium de mœrore convertit, arrogantiam calcat, superbientem humiliat, atque misericordiam largitur, quatenus & ipse nos ad misericordiam invitat: [a] *Estote, inquit, misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est; suæque tribulationis periculum, quod eatenus erubescendo celaverat, jam cunctis præ gaudio narrat. Quod vis siquidem doloris non valuit, lætitiæ magnitudo extorsit. Et quidem ipsemet tam hoc, quam aliud, quod de ejus abjectione recenter nati, superius retuli, suis opusculis exarando inseruit.* Periere forsan, vel delitescunt in aliqua bibliotheca ea opuscula, in quibus sanctus doctor de iis meminit, cum in editis nullibi harum narrationum reperiatur vestigium.

Putat Grandius hunc eumdem primum esse annum monachatus prædicti Petri Damiani, quo vigesimum-tertium vel quartum ætatis numerabat; idque nobis persuadere vellet auctoritate ejusdem Johannis Laudensis, qui *in ipso juventutis flore* Damianum seculum reliquisse scribit; verum aliquibus argumentis ducimur ad differendam post aliquot annos ipsius conversionem. Narrat idem sanctus doctor in opusculo [b] *de fide Deo obstricta non fallenda* ad Landulphum, ante annum, quo opusculum illud scribebat, igne conflagrasse pene totam urbem Parmensem, & in eo

Ann. Chr. 1039.

a Luc. 6. 36.

b Opusc. XLII. cap. VII.

Ann. Chr. 1030.

incendio miserabiliter consumptos fuisse clericum quemdam, Zeuzolinum nomine, una cum pellice sua, postquam per quinque fere annorum lustra in ea luxuriosa voluptate simul convixissent, quorum fœdum commercium jam ortum habuerat eo tempore, quo ipse Petrus Parmæ commorabatur, quia, ut idem ait, *corpore contiguus aderam, mente longinquus esse non poteram, & dum hæc cernerem, titillantis luxuriæ molestias pertuli, & etiam postquam ad eremum veni, ejusdem lenocinii memoria me sæpius colaphizare non destitit.* Porro prædictum opusculum ante annum 1059. a sancto cardinale non fuit conscriptum, cum in eo agatur de violentia sibi & Landulpho clerico illata in seditione Mediolanensi, quæ pertinet ad eum annum, dum legatum ageret Romanæ ecclesiæ, & ad summum sub finem ejusdem anni fuit exaratum. Incendium pariter urbis Parmæ circa eadem tempora in historiis ejusdem urbis assignatur. Viginti-quinque ergo annis vel viginti-sex ante conscriptionem hujus opusculi Parmæ adhuc commorabatur Petrus, antequam eremum peteret, & ex contiguitate domus, in qua habitabat, oculi & mens ejus scandalum patiebantur a fœda conversatione supradicti clerici & mulieris; anno itaque 1033. nondum ad Deum conversus erat: quare ante annum 1034. nequit Damiani monachatus auspicari, quo vigesimum-octavum ætatis annum gerens, adhuc poterat in ipso juventutis flore ad Deum conversus appellari a Johanne Laudense. Ad eum itaque annum de Petri secessu in solitudinem rectius verba faciemus. Ex quibus etiam observationibus nostris argumentum alterum desumi potest contra Henschenium, qui conjicit, ut alibi observavimus, sanctum doctorem natum fuisse anno 988. juxta quam opinionem quadraginta-sex annos natus seculum reliquisset, cui ætati profecto non competeret Laudensis expressio de mundo a Petro calcato *in ipso juventutis flore.*

XXI. Theobaldi, Salanicensis inde eremitæ, ortus.

Melius ad hunc circiter annum statui potest nativitas Theobaldi ex nobilissima familia Provini in Campaniæ comitatu orti, futuri deinde sanctissimi & celeberrimi eremitæ. Cum enim ex una parte validis certisque argumentis demonstretur ipsius obitum contigisse anno 1066. post duodecim scilicet peregrinationis & solitudinis annos; ex altera vero plures ipsius vitæ scriptores affirment Theobaldum juvenem, sive adolescentiæ metam attingentem, paternam domum deseruisse, conficitur triginta sex præter propter vixisse annos, adeoque ad præsentem annum congrue ejus ortum posse assignari, sic nimirum ut circa finem quinti lustri clam effugerit e patrio solo anno 1054. & duodecimo conversionis suæ anno in pace requieverit anno 1066. Certe Bailletto assentiri nequimus, qui Theobaldum natum putat anno 1017. in ea enim hypothesi trigesimo-septimo ætatis anno accidisset ejus fuga ex patria; cui profecto ætati adolescentiæ titulus non bene conveniret; quare melius Jodocus Clithoveus, & novissime noster abbas D. Bonifacius Collina, in sancti Theobaldi vita Bononiensibus typis anno 1752. edita, ortum ipsius ad annum circiter 1030. signant, quibus & nos libenter subscribimus. Multis jampridem annis spiritu prophetico sanctissimus archiepiscopus Viennensis Theobaldus, aviæ Theobaldi nostri avunculus, ipsius nativitatem prædixerat, ut narrat Petrus Vangaticiensis abbas, Theobaldi eremitæ vitæ scriptor, & coævus, qui prophetiam sancti archiepiscopi his verbis describit: [a] *Cujus*, nempe Theobaldi, *nativitatem a sancto Theobaldo Viennensi episcopo veracium proculdubio familiarium ejus relatione, & firmius matris ejusdem beati assertione prænuntiatam comperimus. Is etenim præsul avunculus aviæ sancti Theobaldi extitit, & ab eodem æquivoci nominis vocabulum sortitus est.*

[a] *Mabill. Secul. VI. P. II. Act. SS. O. S. B. p. 166.*

est. Qui cum aliquando colloquium haberet cum matre dominæ Willæ hujus beati viri genitricis inter cetera ait: O generosa parens gaude & lætare, quia ex te prodiet mater, quæ paritura est magni meriti filium, qui omnibus nostræ affinitatis hominibus præeminebit, & ante Deum & homines magnus vocabitur & erit. Idipsum de eodem Theobaldo matri prægnanti prænuntiavit inops quædam mulier, teste laudato Petro. *Huic præsagio testimonium perhibuit & quædam bonæ voluntatis paupercula, quæ jam gravidam matrem beati viri conveniens, verbis sic solatur amicis. Gaude, domina, inquiens, quæ in utero gestas filium, qui apud Deum præcipuum obtinebit locum, & suorum erit gloria parentum. O decus & dulcedo nectarea! beatus Theobaldus a sancto præsule prædicitur, a paupercula illi evangelicæ viduæ æquiparanda prænunciatur, ut veraciter credatur illius esse membrum, qui a prophetis est prænunciatus, ab angelo annunciatus, ab exercitu cœlestis militiæ collaudatus, a stella declaratus, a Magis adoratus, brachiisque senis Simeonis bajulatus, & ab Anna vidua in templo agnitus.* Hæc Petrus Vangaticiensis, qui & locum ejus originis, tempusque, quo Theobaldus floruit, designat in hunc modum. [a] *Libet nunc paullo altius ad locum, unde ortus est redire, & nomina regum vel principum, quorum temporibus floruit, ponere; ut & chronicæ scientiam posteris relinquamus, & ad laudem beati viri, ex quanta genealogia prodierit, & ex quali ambitione seculi ad voluntariam paupertatem conversus fuerit, clarius enucleare satagamus. Pruvinum castrum in diœcesi Senonensi situm, populosa satis frequentia refertum, sub ditione fuit olim potentis & famosi Odonis comitis Campaniæ, & patris Theobaldi, sibi in comitatu successoris, qui linea natalium hujus sancti viri erant propinqui. Felix ergo puer felici auspicio progenitus, renascitur Deo ex aqua & sancto Spiritu, magni præsulis Viennensis Theobaldi, scilicet præsagi sui, ejus quoque æquivoci Theobaldi comitis, utpote cognati sui, nomen sortitus, a quo etiam de sacro fonte levatur. Viguit autem temporibus Henrici augusti, & ejus æquivoci Henrici regis Francorum, & filii ejus Philippi.* Pater Theobaldi fuit *Arnulphus*, mater *Willa*, & hujus genitrix neptis fuerat suprarelati Viennensis præsulis Theobaldi. Opinatur Mabillonius Theobaldum antistitem fuisse Odonis comitis Campaniæ, ejus qui fuit Majoris-monasterii apud Turones reparator, & Bertæ ipsius uxoris filium, qui in Galliis sub seculi præcedentis finem floruerunt. Quod vero habet Reinerus: *Parentes* nostri Theobaldi *ab Odone, famosissimo Campanorum olim comite duxere genus, illo, qui ob insolentiam circa Barum castrum a militiis oppressus Lotharingorum, atque exemptus est*; id referendum est ad alterum Odonem filium primi Odonis, qui revera in oppugnatione ejusdem castri obiit anno 1037. Ceterum hæc Theobaldi sanguinis propinquitas cum comitibus Campaniæ explicari debet ratione matris Willæ, quæ soror forsitan erat Theobaldi comitis Campaniæ, filii Odonis, qui cognatus Theobaldi nostri appellatur a Petro abbate.

[a] Ibidem pag. 167.

Illud interim monemus, quod quæ de Theobaldo attulimus & afferemus in sequentibus annis, ex actis transcripsimus extantibus apud Mabillonium, quæ integra sunt, & auctiora illis, quæ in medium protulit Henschenius. Hic postremus insuper acta bina exhibet tamquam a duobus auctoribus conscripta, sed melius dixerimus ea inserviisse pro usu lectionum matutinalium variantium quoad ordinem juxta varias regiones; cum eadem acta in unum coalescentia singularem habeant scriptorem unicæ vitæ apud Mabillonium, id quod pariter ex stylo utrobique eodem clare deducitur, quem etiam Petrum fuisse Vangaticiæ abbatem ad annum 1066. fusius aperiemus.

Præter

ANN. CHR. 1030.

Præter Petrum abbatem exscripsit sancti Theobaldi vitam Reinerus monachus sancti Laurentii Leodiensis sub titulo: *Flos eremi*. Floruit hic auctor circa annum 1182. eo enim anno opellam confecit de casu fulminis super ecclesiam monasterii sui. Vitam hanc primus protulit in lucem domnus Cœlestinus Lombardus bibliothecarius itidem Leodiensis apud Bernardum Pezium [a] ex ms. codice ejusdem monasterii anno 1723. & anno sequenti Prologum tantum ex eodem codice edidit Edmundus [b] Martene. Reinerus tamen Petrum compendio transcripsit, & quem ob scabrum stylum lima purgandum sibi proposuit, scabriorem ipse reddidit, additis nihilo secius de suo penu extraneis aliquot historiis rerum, quæ tempore suo contigerant. Hunc ignorarunt Mabillonius & Henschenius, qui Reinerum inter ceteros Theobaldi vitæ scriptores laudare non prætermisissent. Quadringentos & iis amplius post annos encomium potius sancti Theobaldi exaravit, & Parisiis recitavit [c] Jodocus Clithoveus Neo-portuensis doctor theologus & canonicus Carnotensis; difluit enim plurimum in ejus generis nobilissimi laudem; & præter primordia ipsius vitæ, parce admodum agit de ipsius virtutibus, mirabilibus & gestis, post quam eremiticum amplexus est institutum. Franciscus Harreus, Laurentius Surius, sive melius Jacobus Mosander, Zacharias Lipelloous, Augustinus Fortunius, Silvanus Ractius, Severus Sanesius, Marcus-antonius comes Thienæus Petri Vangaticiensis vestigia premunt. Meminerunt Theobaldi Sigebertus in chronico ad annum 1066. Guibertus de Novigento, Vincentius Bellovacensis in Speculo exemplorum [d], & in Speculo historiali [e], Petrus de Natalibus, Primus Gabillonensis episcopus in topographia sanctorum Christi martyrum confecta anno 1450. qui hæc habet: „ Vincentia civitas Italiæ. Hic sanctus Theobaldus e Francorum comitibus oriundus in castro Proviniaco „ natus, miles tempore Henrici II. cum matre eremum habitat, & mi- „ grat confessor. " Demum Wernerius Rolewinck in fasciculo temporum, Platina, Philippus Bergomas, Ferrarius, Buccellinus, Dorganius, Saussajus, Petrus-franciscus Ghiffletius, Ludovicus Du-mesnil, Bailletius, Calmetius & Carolus Jamotte, qui Theobaldi vitam & miracula uberiori calamo contexuit, præter plurima martyrologia, in quibus Theobaldi nomen adnotatur, ut copiosissime dicemus ad eumdem annum 1066.

a Anecdot. T. IV. P. III. col. 95.

b Veter. Script. T. I. col. 966.

c Homil. Par. II.

d Lib. XXXII. cap. 91.

e Lib. V. c. 27.

XXII. Chartæ Pratalienses & Pisanæ.

THEODALDUS episcopus Arretinus, qui mense septembri hujus anni monasterio Prataliæ manu Azonis notarii obtulerat & judicaverat pro anima sua & antecessorum suorum episcoporum tertiam portionem rei illius, quæ erat in territorio Biblenæ casali *Castello* vocabulo *Casella*, *in suo domnicato de jure seu mensa episcopii*, rursus hoc eodem anno mense decembri eidem monasterio & Sigizoni abbati decimationes bonorum omnium ad ipsum cœnobium pertinentium, eorumque, quæ in futurum poterit acquirere, solvendas ceteroquin & hucusque solutas episcopio Arretino, largitur, ea conditione, ut Missas canant & sacrificia offerant pro se suisque prædecessoribus. Subscribunt, post Theodaldum, Gerardus primicerius, & Petrus presbyter ac præpositus, simul etiam Johannes judex domni imperatoris. Privilegium ad Appendicem amandamus. In altera vero charta, qua Morandus donat terras eidem monasterio, nominatur *terra sancte Trinitatis*, de qua, & de monasterio sanctæ Trinitatis aliqua diximus ad annum 1010.

Eodem anno, licet documentum stylo Pisano annum præferat 1031. Johannes filius bonæ memoriæ Ildeberti Bono abbati sancti Michaelis prope Pisas donat portionem terræ juxta locum, qui nominatur *ad la rivolta*, *foras civitate Pisa*, *ubi dicitur civitate vetera*. Monumentum satis

utile

Ann. Chr. 1030.

tile est ad agnoscenda initia hujus loci, qui in hospitale, subjectum eidem monasterio sancti Michaelis, postea excrevit. Monemus heic pariter urbem Pisanam veterem ante annum millesimum fuisse in eo situ, ubi modo jacet urbs nova, qui tamen situs post annum millesimum erat extra urbem, & burgum ipsius constituebat, cum Rivolta intra urbem nunc comprehendatur. Chartam ex tabulario ejusdem monasterii producimus in eadem Appendice.

XXIII. Erectio monast. SS. Justi & Clementis prope Volaterras.

Insignioris vero monasterii nostri erectio ad hunc annum debet referri. Monasterium istud fuit ad ecclesiam sanctorum Justi & Clementis Christi confessorum positam prope urbem Volaterrarum, institutum a Gunfredo ejus sedis episcopo cum consensu presbyterorum, diaconorum & inferioris ordinis clericorum, cui præfecit in primum abbatem Raimbertum. Ut insuper monasterium sufficienti dote provideret, duas curtes, quarum una appellabatur *Majanum cum capella ibi in honorem sancti Quirici edificata*, altera *Fascianum* largitus est pius episcopus, & plures præterea mansos *in Salsuli*, *in Ducia*, *in Prato-martio*, *in loco qui vocatur Castello-albuini*, *in Collina*, *in Collegani*, & alios etiam, quos Gunfredus comparaverat *ab Ugone comite Teudici comite filius viginti libras argenti*. Subscribunt post episcopum propria manu presbyteri & diaconi, & charactere aliquantulum recentiori *Herimannus Dei gratia episcopus*, & *Rogerius episcopus*, in sede Volaterrana post aliquod tempus Gunfredi successores. *Actum anno Dominice incarnationis millesimo trigesimo episcopatus illius anno decimo octavo*. Chartam exscripsit nobis ex autographo existente in archivo ejusdem monasterii Cl. V. Laurentius-aulus Cecina JC. & patricius Volaterranus, nosque eam contulimus cum aliis veteribus apographis tabularii nostri sancti Romualdi de Urbe, & in Appendice damus.

De supradicta sanctorum Justi & Clementis ecclesia hæc habet [a] Fortunius: „ Sanctissimorum Christi confessorum Justi & Clementis templum „ prope urbem Volaterranam ad primum lapidem in declivi eorum col„ le, circa finem imperii Justiniani magni cæsaris, sumptibus Alchis, qui „ principatum urbis Volaterrarum tunc obtinebat, conditum fuit, propter „ innumera miracula, quæ Deus optimus maximus ad eorum sepulcra „ faciebat, quemadmodum in descriptione vitæ ipsorum alias explicatum „ est a nobis. Fuit autem ædificium ab initio bimembre, adeout singu„ lare sacellum cum ara tam sancto Justo, quam sancto Clementi in se„ parata crypta sit erectum; sacravitque aras Maurus Senensis episcopus, „ qui successerat, ut credimus, sancto Justo. Ibi autem confluente popu„ li multitudine, excitatus est pagus sancti Justi, & propter loci angu„ stiam pagus similiter Montis Bradonis. Insecuta deinde desolatione ur„ bis Volaterrarum, quæ ab exercitu barbaro Ungarorum facta est, quos „ accivit in auxilium Americus seu Albericus regulus Etruriæ contra Be„ rengarium primum, qui ipsum expellere volebat, sacratissimum quoque „ templum imminutum est; sed reædificata postmodum urbe ab Ottone „ primo imperatore, a quo Othonia, & corrupto vocabulo Antonia, vo„ citata est, episcopi quoque ex augusta stirpe præeminere cœperunt. „ Cumque anno salutis M.XXX. esset episcopus Gunfredus, is nedum tem„ plum venerabile instaurare aggressus est, quo antiqua religio innovare„ tur, ad locum cum clero & populo profectus; sed, ut divinus cultus „ exaugeretur, cœnobium cum templo supra in monte Nibio cum mo„ nachorum collegio instituit, locum pastorali baculo designans, censum„ que ac prædia monachis adjudicans, quotquot ad basilicam pertinuissent „ retroactis temporibus. “ Quod de Mauro Senensi habet Fortunius, con-

„ firmat

[a] Par. II. cap. 5. Lib. II. pag. 56.

Ann. Chr. 1030.

firmat Ughellius, qui de Mauro scribens habet, „ floruisse anno 565. ipsumque fuisse, qui templa sancti Petri ac sancti Clementis Volaterris „ consecravit, unde quorumdam ortus est error illum asserentium Volaterranum fuisse episcopum, de quo Volaterranus Geographiæ lib. V. “ Sed Lucentius ex Azzolino Maurum Senensem episcopum eumdem putat, qui *Maurus episcopus sancte Senatis ecclesie* subscribit concilio Lateranensi contra Monothelitas habito anno 649.

Ceterum Gunfredum fuisse templi sanctorum confessorum reparatorem, & monasterii primum conditorem, omni exceptione major testis est ejus successor Guido, qui de ipso hæc habet in charta anni 1034. *Quamvis enim precipuorum veneratione confessorum locus fuisset eximius, usque tamen ad nostri predecessoris felicis memorie Gunfredi tempora incultus jacuit, & inordinatus permansit; prelibatus igitur antistes monasterium ibi fieri decrevit, adhibitisque in eodem loco fratribus, & venerabili abbate constituto, qui usque ad nostra tempora Domino juvante perdurat, vite necessaria in quantum valuit, studiose ministrare curavit.* Illud tamen minime intelligimus, quomodo in suprarelata Gunfredi charta, & quidem autographa, ipse anno 1030. decimum-octavum numeraret in ea sede episcopatus sui annum, cum in episcopis Volaterranis Ughellius Benedictum Gunfredi antecessorem statuat ad annum 1015. quo ab Henrico imperatore honorificum privilegium obtinuit pro sua ecclesia, ab eodem [a] Ughellio editum, & recusum a [b] Muratorio, ac demum correctius insertum in sua ms. historia ecclesiastica Volaterrarum, quam concinnat de patria sua optime meritus supralaudatus Cecina. Vel ergo dicendum Benedictum episcopum institisse apud Henricum pro confirmatione privilegiorum ecclesiæ suæ annis præcedentibus, sed rescriptum factum non fuisse nisi anno 1015. interimque ipsum obiisse, & successorem recepisse Gunfredum, qui in diplomate non nominetur, eo quia promotor ejus rei fuerit antecessor episcopus Benedictus; vel probabilius dicendum scriptorem chartæ Gunfredi errasse, ut aliquando contingit, in consignando anno illius regiminis. Gunfredi vel Gonfredi Volaterrani episcopi mentio fit in charta, qua ipse una cum Benedicto Portuensis ecclesiæ episcopo, ac sanctæ sedis apocrisario, & cum Petro Castri-felicitatis episcopo judicavit anno 1029. in controversia jurisdictionis Arretini episcopi in quasdam ecclesias territorii Senensis inter Theodaldum Arretinum, & Leonem Senensem episcopos, quam in appendice ad suam epistolam de Pandectis ex archivo sanctimonialium nostrarum sancti Benedicti Arretii vulgavit Grandius [c] noster, & ex eo [d] Muratorius. Et hic pariter, licet extra rem propositam, adnotamus Ughellium [e] agnovisse Leonem Senensem episcopum ad annum dumtaxat 1031. quo putat sedem illam obtinuisse. Paucis annis donationi & erectioni monasterii supervixit episcopus Gunfredus, nam ad annum 1034. Guidonem reperimus Volaterranam ecclesiam administrantem. Verum de Guidone, ejusque benefactis in suprarelatum monasterium sanctorum Justi & Clementis ad eumdem annum 1034. redibit sermo.

a T. I. col. 1432.
b *Antiq. medii ævi T. V. col.* 238.
c *Pag.* 123.
d *Antiq. medii ævi T. V. col.* 397.
e T. III. col. 535.

XXIV. Gaudentius ecclesiam Absarensem regit.

Florebat per hæc tempora patriæ suæ Absarensis episcopus Gaudentius, ad eam dignitatem postulatus, postquam per plures annos monasticam simul & eremiticam vitam in suis regionibus propagaverat, ut ubertim ad annum 1003. diximus. *Tempore, quo ad pontificatum omnipotens Deus ipsum sublimare voluit, die noctuque*, ait vitæ ipsius scriptor suppar, *in Dei laudibus frequentare disposuit, jejuniis & elemosynis deditus erat, & in templo Dei assidue hostias offerre solebat: & nobile principium ad finem perduxit.* Sed quid ei acciderit in episcopatu, alibi aperiemus. Diximus

ximus per hæc tempora, nam Martinus Gaudentii prædeceſſor in ſede Abſarenſi a Dandulo & [a] a Lucio nominatur ad annum 1018. quo anno fidelitatem & obedientiam juravit Creſimiro Croatorum principi; atque proinde poſt eum dumtaxat annum Martino potuit ſuccedere in epiſcopali cathedra Gaudentius.

Ann. Chr. 1030.

a Regn. Dalm. p. 79.

Pertinet ad hunc circiter annum dedicatio eccleſiæ & monaſterii ſancti Petri ad Vincula in territorio Ravennate, peracta a Gerardo Sagredo epiſcopo Moriſſeno juſſu Stephani piiſſimi regis Hungariæ, de qua locuti ſumus ad annum 1023. Diploma Stephani in favorem ejuſdem monaſterii a Rubeo relatum in Appendice tomi primi horum Annalium fuit recuſum.

Ann. Chr. 1031.

XXV. Obitus Willelmi abb. Divionenſis.

OBIIT hoc anno indictione XIV. kalendis januarii Willelmus abbas ſancti Benigni Divionenſis, ob *ſocietatem gratam, jocundamque conjunctionem* cum Romualdo parente noſtro alibi laudatus, *poſt quam per annos quadraginta duos*, ait chronographus San-benignianus, *vineæ Dominicæ ſedulus cultor eam excolendo jugiter propagare amplificareque curavit, cum jam ſenio, infirmitatibuſque multis prægravatus optaret diſſolvi, & cum Chriſto eſſe, bonam conſummationam laborum ſuorum adimplere cupiens, per omnia monaſteria, quæ ſub ejus fuerant magiſterio, incipiens ab Italia, circuiendo & fratres exhortando, ut ea, quæ ab ipſo didicerant, mente retinerent, & opere adimplere ſatagerent*. Et paullo poſt: *Hæc docendo, ceteris monaſteriis peragratis, pervenit ad cœnobium nomine Fiſcamnum, ubi plus ſolito infirmitate prægravatus, ſentiens ſibi imminere ultimum vocationis ſuæ diem, convocatis fratribus per octo dies exhortans eos, atque abſolutione & oratione Deo commendans, octavo die natalis Domini, ſumpto Chriſti corporis & ſanguinis ſacramento, reddidit Deo ſpiritum. Cujus corpus a medicis, qui ibi aderant, conditum aromatibus, honorifice traditum eſt ſepulturæ in ipſo monaſterio ante altare ſancti Taurini confeſſoris*. Paullo ante obitum ſuum Fiſcamnenſi cœnobio præfecerat Johannem diſcipulum ſuum in abbatem. In duplici chronico apud Labbeum [b] legitur Fiſcamnenſis monaſterii regimen ſuſcepiſſe Willelmum anno 1001. Auctor vero chronici San-benigniani aſſerit, quod *poſtquam poſt annos fere triginta Willelmus abbas Fiſcamnenſe rexit cœnobium cum jam ſenectute ſimul & ægritudine gravaretur, & elegiſſet ſibi Fructuarienſem locum ad inhabitandum, deſiderans in patrio ſolo quieſcere, conſiderans princeps regni Rotbertus, qui poſt patrem & fratrem defunctos primatum tenebat Normannorum, petiit per legatos eumdem patrem, ut abbatem ſibi ſubſtitueret, quia loci ſtatus aliter ſine detrimento manere non poſſet, ad cujus petitionem quemdam valde ſibi dilectum monachum ejuſdem loci priorem, nomine Johannem, conſtituit abbatem, licet eum alibi magis optaſſet præficere*. Ergo anno antecedente, vel paullo antequam mortem oppeteret Willelmus, Johannes conſtitutus fuit abbas Fiſcamnenſis. Tum deſcribit idem auctor, quis eſſet hic Johannes. *Hic Italia partibus Ravennæ ortus*, inquit, *& literis eruditus ac medicinali arte per ipſius patris juſſionem edoctus, religioſæ converſationis ejus, doctrinæ quoque ac omnium virtutum ipſius præ cunctis aliis extitit imitator ſtudioſus. Qui ab exilitate corporis Johannelinus diminutivo nomine eſt dictus, ſed humilitatis, ſapientiæ, diſcretionis ac ceterarum virtutum tanta in eo refulſit gratia, ut in hoc mirum eſſet intuentibus in tam parvo corpore gratiæ Dei tanta dona exuberarent*. Johannes itaque Ravennas, abbas factus Fiſcamnenſis, idem ipſe eſt, qui eremitarum patrum aut Willelmi, aut Martini, ſed probabilius fuerat in patrio ſolo Romualdi olim in eremo diſcipulus, unuſque ex iis cultoribus eremi, qui *relicta quiete ſolitudinis*

b *Biblioth. novæ T. I. chron. Rothom. & Fiſcamn.*

Ann. Chr. 1031.

nis gavisus est sub Willelmi Divionensis abbatis *magisterio associari cœnobitis, monasticæ religionis ferventissimus, & in cœnobiali conversatione ceteris imitandus, & in contemplativa vita lectioni & orationi assidue studens, homo Dei sanctam ob conversationem vocatus a domno patre* Willelmo, ut nos docet idem San-benignianus chronographus.

Quod autem subdit idem auctor de Johannelino, scilicet *Fructuariensi cœnobio abbas est institutus*, difficile persuadebit, neque sibi constat. Si enim postremis his annis, ejus testimonio, ex priore assumptus fuit a Willelmo Johannes ad abbatialem dignitatem in Fiscamnensi cœnobio, non potuit ante hæc tempora abbas esse Fructuariensis. Verum quidem est, Conradum imperatorem ab abbate Willelmo rogatum, dum roborat sua auctoritate libertatem Fructuariensis monasterii, asserere, ipsum Willelmum *in presentia Henrici imperatoris consecrari* fecisse *primum ejusdem cenobii abbatem nomine Johannem, & tam ipsum, quam totum locum sue imperiali tutele* commisisse; sed distinguendus est Johannes Fiscamnensis a Johanne Fructuariense: ille Ravennas fuit, iste vero Guidonis comitis sancti Martini filius, Arduinique regis nepos dicitur a Francisco-augustino ab Ecclesia in catalogo Fructuariensium abbatum historiæ chronologicæ Pedemontanæ capite XXVII. & a Mabillonio in Annalibus [a] ad annum 1031. Ipse tamen Mabillonius [b] ad annum 1026. utrumque confuderat, ex Fructuariensi ad Fiscamnense cœnobium translatum scribens Johannem, Guidonis comitis filium, a modica statura Johannelinum appellatum. Rursus ad annum 1031. Johannem ex priore factum fuisse anno M. XXVIII. abbatem Fiscamnensem ad annos unum & quinquaginta asserit, distinguens proinde jure merito Fiscamnensem a Fructuariense. Circa annum tamen electionis Johannis in abbatem Fiscamnensem videtur potius retinenda opinio chronographi San-benigniani affirmantis hanc electionem contigisse post triginta circiter annos administrationis ejusdem monasterii factæ a Willelmo, atque propterea paullo ante Willelmi obitum. Sed de Johanne Fiscamnensi abbate alibi, parce quidem, loquemur.

a T. IV. p. 366.
b Ibid. p. 318.

XXVI. Theodaldus ep. Arretinus donat ecclesiam S. Clementis monasterio Prataliæ.

Theodaldus episcopus Arretinus *regnante domno Conrado felicissimo rege, anno vero imperii ejus quinto, mense aprili, indictione decimaquarta*, comuni consilio & consensu clericorum suorum concedit monasterio Pratalienſi, cui præerat Sigizo abbas, *integram ecclesiam sancti Clementis, que est non longe a civitate Arretina, cum tribus partibus de terra* ad eamdem ecclesiam pertinentibus, quæ ecclesia erat *juris episcopii sui, ubi sanctum corpus beati Donati quiescit*, ad hoc ut præfatus Sigizo dictam ecclesiam a fundamentis reædificare satageret, quod ideo fieri voluit, *quia ii qui curare debuerant, ut Dei obsequium exerceretur inibi, in tota exinde erant dediti desidia, ut vix festivis & dominicis diebus studerent Deo debitum peragere ibi officium. Quapropter exinde ob hoc* studuit *istud expellere flagitium, & jam dicto monasterio* concessit eam ecclesiam, ut sua & *antecessorum ac successorum suorum anime Dei valeant sentire misericordiam oratione eorum, qui ibidem Deo deserviunt*. Subscripsere ipse, Gerardus primicerius, Petrus presbyter & præpositus, & Viventius archidiaconus. Integra charta tamquam testis loci, ubi tunc quiescebat corpus sancti Donati, ex tabulario Fontis-boni, & quidem autographa, dabitur in Appendice. Lambertus quondam Petroni pro anima sua abbatiæ prædictæ terram cum vinea, & casa & portionem *ecclesie sancte Marie in territorio Soccone* dono dat, manu Azonis notarii, mense martio ejusdem anni. Ceteras donationes consulto prætermittimus.

Johannes coangelicus abbas sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe convenit

venit cum Johanne monacho, qui vocatur *Debitale*, ut suscipiat in locationem medietatem de Filo salinario per libellum tertii generis. Subscribit *Siginulphus frater domini abbatis*, tamquam testis. Locatio autem facta legitur *anno* &c. *pontificatus domni Johannis* &c. *nonidecimi pape* &c. *octavo, imperante domno Conrado magno imperatore anno quinto indictione quartadecima mense majo die vigesimotertio*. Etiam hujusmodi pagina prostat in Appendice.

ANN. CHR. 1031.

ANN. CHR. 1032.

XXVII. Erectio altaris super tumulum S. Romualdi.

QUINQUENNIO, postquam obierat sanctus Romualdus, altare super venerandum ejus corpus elevatum fuit, quod tradit Damianus hæc dicens: [a] *Post quinquennium vero a sancti viri obitu, data monachis ab Apostolica sede licentia, ut supra venerabile corpus ejus altare construerent*. In monumentis Valle-castrensibus, quæ supersunt in archivo sancti Blasii de Fabriano, Apostolicæ hujusmodi literæ non reperiuntur; id tamen contigisse debuit sub Johanne XIX. qui ab anno 1024. usque ad annum 1033. Romanam sedem tenuit. Quid vero in hac sancti viri e tumulo elevatione acciderit, pergit narrare sanctus doctor: *Azo quidam frater silvam petiit*. Hic Azo ab alio ejusdem nominis Azone, sive Athone, discipulo pariter sancti Romualdi, distinguendus est, cujus visionem habitam anno 1026. pro ædificatione abbatiæ Fesulanæ, & obitum eo anno subsequutum retulimus ad annum 1028. Eratque iste alter Azo prior Valle-castrensis monasterii hoc anno, ut ex dicendis patebit. [b] *Azo quidam frater silvam petiit, quatenus modicam capsam faceret, quæ sancti confessoris ossa & pulverem tantummodo capere potuisset. Nocte igitur insecuta dormienti cuidam fratri venerabilis quidam senex apparuit, quem protinus interrogans ait, ubi est hujus monasterii prior? Quod cum ille se scire negaret, illico senex addidit; pro fabricanda, inquit, capsa ire in silvam studuit, sed beati viri corpus in tam exiguum vasculum non intrabit. Postera igitur die prior composita capsa revertitur, & mox a fratre, qui visionem viderat, quæ illum causa ad silvam invitasset, inquiritur. Quod cum ille velut labore defessus dicere noluisset, illico frater & sui causam itineris retulit, & quod ipse viderat, exponendo per ordinem non celavit. Defosso igitur tumulo, ita propemodum totum sancti viri corpus sanum illibatumque reperiunt, velut tunc fuerat, cum sepulturæ illud primitus tradiderunt, excepto quod tenuis quædam mucoris lanugo in quibusdam ejus membris excrevisse videbatur. Rejecta igitur modica capsa, quæ facta fuerat, illico vas aptum ad mensuram beati corporis præparant, & in eo sanctarum reliquiarum patrocinia recondentes, desuper altare sollemniter consecrant*. Hanc facilitatem reperiundæ urnæ aptæ ad mensuram corporis sancti viri magni facit [c] Mabillonius, & præ gaudio exclamat: „ Quam beata simplicitas! ejusmodi capsa mihi „ pro auro, immo præ auro est. “

a *Vit. S. Rom. cap.* lxxii.

b *Ibidem*.

c *Annal. Tom. IV. p.* 388.

XXVIII. De Romualdo Camerinensi, Amico Ramibonensi, Guidone Pomposiano & Firmano Firmensi, quos Damianus memorat.

COMMUNITER putatur ad Romualdum nostrum referenda esse & alia verba Damiani, quæ leguntur in opusculo VI., nempe in libro ab ipso appellato *Gratissimus*, scripto anno 1052. ad Henricum Ravennatem archiepiscopum, quæque sunt hujusmodi: [d] *Nostra quippe ætate beati viri, videlicet Rondaldus Camerinensis, Amicus Ramibonensis, Guido Pomposianus, Firmanus Firmensis & quamplures alii sanctæ conversationis studio floruerunt, super quorum videlicet veneranda cadavera ex sacerdotalis auctoritate concilii sacra altaria sunt erecta, ubi nimirum divina mysteria miraculis exigentibus offeruntur*. Hos sanctos viros sic illustrat Mabillonius [e]: „ Primus ex illis „ inquit, est sanctus Romaldus, vulgo Romualdus, in editis Constantini „ Cajetani mendose Rondaldus, apud Baronium Ronaldus, dictus hoc lo- „ co

d *Opusc. VI. cap.* xxix.

e *Annal. T. IV. p.* 530.

Ann. Chr. 1032.

„ co Camerinensis a Camerina civitate, in cujus diœcesi mortuus est & „ sepultus sanctus Romualdus, nimirum in monasterio Vallis de Castro, „ quod ab ipso conditum erat. “

Verum quid si diceremus designari hoc in loco a Damiano Romualdum Camerinensem episcopum, qui obiit ante annum 1029. quo reperitur ipsius successor Azo subscribens synodo Romanæ ejusdem anni, de quo Romualdo mentionem faciunt [a] Ughellius & Jacobillius, neque referenda esse verba Damiani ad Romualdum nostrum abbatem Valle-castrensem? Cur enim Damianus civis Ravennas scribens ad Henricum Ravennatem itidem archiepiscopum Romualdum nostrum non appellasset *Ravennatem*, a Ravenna, in qua urbe habuit ortum, commorationem plurium annorum, atque regimen abbatiarum Classensis & sancti Adalberti? Præterquamquod, cum in eo libro loquatur Petrus de sanctis viris, quos constabat ab episcopis simoniacis ad sacerdotium provectos fuisse, id forte non contigit Romualdo Ravennati, qui probabiliter aut in partibus Venetiarum, aut Ravennæ ordinatus fuit sacerdos medietate seculi X. antequam semen pestiferum Simoniæ in Italia tam altas radices figeret. Ceterum Romualdos binos Camerinenses episcopos distinguit Nicolaus Coletus [b] continuator & emendator Ughellii; primum episcopum jam ab anno 993. quo subscriptus reperitur canonizationi sancti Udalrici episcopi Augustani; secundum vero, cujus meminit Baronius ad annum 1052. Ughellius insuper ait, Petrum Damianum scripsisse epistolam ad Romualdum episcopum Camerinensem; quod tamen incertum ducimus, cum in serie epistolarum editarum Damiani nulla reperiatur, quæ data sit Romualdo Camerinensi episcopo. Facile Ughellius, loco mentionis factæ de Romualdo a Damiano, arbitratus est hunc illi epistolam scripsisse. Si quis autem velit supralaudatum testimonium Damiani intelligere de Romualdo Camaldulensium institutore, ipsum ita explicare poterit, ideo scilicet appellatum fuisse Romualdum abbatem *Camerinensem*, quia in Camerini diœcesi abbatiam condidit & rexit Valle-castrensem, in qua etiam sepulcro fuit donatus, altari decoratus & miraculis illustratus; eodem nimirum modo, quo Guidonem ab abbatiæ Pomposianæ regimine *Pomposianum* appellat, licet origine sua esset Ravennas, & sicut ceteri, quos Damianus nominat, sunt omnes monachi, ita & sub Romualdi nomine non episcopum, sed monachum & abbatem designari. Quibus admissis, licentia apostolica erigendi altare super venerandum Romualdi corpus roborata fuisset auctoritate etiam sacerdotalis concilii, ut colligitur ex supralaudato Damiani testimonio.

Amicus Ramibonensis aut Rambonensis, quem secundo loco ponit Damianus, floruit in monasterio Arabonæ in Piceno, ut ait Ferrarius. Si tamen idem sit ac Amicus, cujus vitam scripsit Bernardus monachus Casinensis, humatus fuit in monasterio sancti Petri de Avellana. Hic postremus divinitus rescivit Hugonis abbatis Farfensis animæ e corpore egressum, & post obitum suum apparuit cuidam presbytero *vestibus albis indutus*. Si vero Ramibonensis Amicus distinguendus sit ab Avellanensi, ignotus est annus Amici Ramibonensis obitus. Ad annum 1007. alium in medium protulimus *Amicum* abbatem sancti Victoris de Clusis in diœcesi Camerinensi. Quartum nominat [c] *Amicum nomine, reverendi admodum habitus, & commorantibus sub patrocinio beati Firmani notissimum*, quique ab ulcere pessimo meruit ipsius sancti Firmani meritis liberari, Theodoricus monachus Floriacensis in vita ejusdem Firmani. Guido Pomposianus tertio loco nominatus a Damiano notissimus est, & decessit anno 1046. Firmanus vero Firmensis abbas, cujus gesta exaravit anno 1002. supralauda-

tus

[a] T. I. col. 551.

[b] T. X. col. 251.

[c] Cap. XVII.

tus Theodoricus, ad superos evolavit anno 992. quadragesimo ætatis suæ anno, presbyteratus vigesimo, monachatus sexto. Anno 986. monasticam vestem induens paullo post abbas constitutus fuit monasterii sancti Savini, quod in Firmana diœcesi fundaverat religiosa quædam matrona. Laudatur in Firmano abstinentia potissimum, qua non solum *plures monachorum, sed etiam plerosque anachoretas studuit* præcedere, ut scribit suprarelatus Theodoricus. Anne haud multa distantia Firmanæ ab Eugubina & Calliensi urbibus, in quarum territoriis per ea tempora degebat Romualdus, familiaritatem induxit inter utrumque, & inter monachos Firmanos ac eremitas Avellanenses, quorum eremitarum abstinentiam præcedere studuerit Firmanus? Ad hunc Firmanum abbatem Firmensem sigillum pertinuisse illud, quod Kirkerius collegio Romano donavit, conjicit Mannius [a]. Minime confundendus est sanctus Firmanus abbas cum Firmo abbate & successore ipsius Firmani in eadem abbatia sancti Sabini, cui anno M.XVI. Hubertus episcopus Firmanus [b] ecclesiam sancti Michaelis ad Mare concessit.

ANN. CHR. 1032.

a *Sigill.* T. I. *p.* 28.

b *Apud Mabill. Annal.* T. IV. *p.* 530.

XXIX. Chartæ S. Victoris de Clusis.

SUMME vitiata, licet autographa, extat charta in tabulario monasterii sanctæ Catharinæ de Fabriano: *Anni Domini mille* XXXII. *& rennante manno Conradu imperatore anni renni .... imperii ejus in Italia tertio*, *& dies mense octuber indictione* XIII. quo anno sextum mense octobri Conradus numerabat imperii annum, & indictio erat quinta-decima. Sed valde imperitis notariis hæc vitia donanda. Teuza, consentiente viro suo Raimbaldo, donat per eam paginam, quam in Appendice edimus, plura bona *ecclesia beatu sanctus Laurentius*, *qui edificatus est fra ducatu Spoletino territorio Castellano*. Ecclesiam sancti Laurentii nominavimus etiam ad annum 1017.

Altera Teuza [c] olim Lamprandi filii Petroni, monita a parentibus suis & propinquis, pro anima sua judicavit monasterio Pratalliæ, quidquid possidebat, & ad se pertinebat *ex Morgonato seu Morganica*, *que donatio fit ante nuptias*, in casis, vineis, terris & rebus positis in territorio Partinæ casali *Monte* vocabulo *Miloalbo*, manu Azonis notarii.

c *Arch. Cam.* §. *Donatio. A.* 1. 16.

ANN. CHR. 1033.

XXX. Theodaldus ep. beneficus in eremum Camald.

THEODALDUS Arretinus episcopus anno sui præsulatus decimo donavit *eremitis fratribus eremi*, *qui dicitur Campus Malduli*, *quos sanctissime memorie pater Romualdus procurandos*, *gubernandosque* providentiæ suæ commendaverat, decimas rerum negotiatorum & mercatorum totius Arretini episcopatus. En alterum contra Grandium nostrum validum testimonium obiisse jam ante hunc annum Romualdum, quem sanctissimæ memoriæ titulo decorat in hac pagina Theodaldus. Ad calcem hujus chartæ legitur in eo exemplari, quod a domno Eduardo Baroncinio transmissum fuit ad supralaudatum Grandium: *Guido fratrum minimus domni Petri quondam eremi prioris & venerabilis anachorete vicarius hanc*, *ut instituit*, *dictavit*, *petiit & impetravit*; *orate ei requiem sempiternam*. Dicendum ergo foret priorem Petrum Dagninum, quem tamen in annis sequentibus officium suum prosecutum fuisse, & etiam post hunc annum prioris titulo donatum videbimus in pluribus chartis, ad imitationem magistri sui Romualdi deposuisse ad tempus eremi administrationem, ut penitius otio sanctæ contemplationis vacaret, & ut actitatum a pluribus monasteriorum præfectis & abbatibus novimus hisce temporibus; quare Guido Camaldulensem se priorem non nominaverit, sed tantum vicarium, seu vices agentem Petri adhuc viventis. Mabillonius tamen legit [d]: *Guido fratrum minimus domni Petri ejusdem eremi prioris & venerabilis anachorite jussione* &c. Chartam autographam non vidimus, ut de ipsa judicium

d *Annal.* T. IV. *p.* 389.

ANN. CHR. 1033.

dicium feramus; teste Baroncinio impressum est adhuc in ea sigillum in cera alba cum subscriptione canonicorum Arretinorum propria ipsorum manu. Meretur profecto pagina, ut integra in Appendice legatur, cum præter Camaldulenses res parænetica sit oratio Theodaldi ad mercatores Arretinos.

XXXI. De nomine Theophilacti, quod gerebant uterque Benedictus VIII. & IX. Rom. pont.

ALTERAM animadversione dignam membranam producimus in eadem Appendice ex autographo tabularii sanctæ Catharinæ de Fabriano signatam: *Anno Deo propiciu pontificatu domno Tufelatu & universali papa sede in sede beatu Petrus apostolu anno ejus primu & sunt anni Domini mille treinta & tres, & regnante domno Conradu magnu imperatore providencia imperator augustu anno ejus sexto & die mense marcii per indictione prima*. Non mense itaque junio, ut existimavit Muratorius [a], sed ante mensem martium hujus anni Benedictus IX. successit in cathedra sancti Petri Johanni XIX. Eruitur secundo loco, quod etiam Benedictus IX. Theophilacti nomen gerebat, & non tantum ejus patruus Benedictus VIII. ut opinatus est idem Muratorius [b], licet in collectione scriptorum rerum Italicarum utrumque pontificem hoc nomine agnoscat donatum. Benedicti VIII. affert ipse duo placita in chronico Farfensi [c] relato inter earumdem rerum Italicarum scriptores cum hujusmodi cryptographicis literis: T. h. f. p. f. k. l. b. c. t. x. f. quas interpretatur detegens legem steganographicam, qua hæ literæ dispositæ sunt, Grandius [d] in epistola de Pandectis, ubi etiam ordinem literarum earumdem corrigit in Mabillonio [e], qui edidit: Thes. p. f. l. b. c. t. x. c. Sed charta nostra non per notas, verum expressis literis Tufelatu, sive Theophilacti nomen tribuit Benedicto IX. quo nomine vocabatur, antequam cathedram Romanam conscendens alterum Benedicti nomen assumeret. Porro membrana continet refutationem quarumdam terrarum & domus positarum in castello Pretoso in loco, qui dicitur Larcianum, factam a Giselberto abbate monasterii sancti Urbani, *quod edificatum est justa aqua, que dicitur Senantem*, Actoni abbati sancti Victoris de Clusis. In qua tamen refutatione minime comprehendi vult Giselbertus ecclesiam *beatu sanctus Archangelus, quam vos non cedo*, quæque proinde membrum erat sui monasterii sancti Urbani. Subscribunt post Giselbertum abbatem Venerius & Dominicus presbyteri & monachi ejusdem cœnobii. De monasterio sancti Urbani ad Æsinantem primas notitias dedimus sub anno 1007.

a *Annal. T. VI. pag. 99.*

b *Ibidem.*

c *T. II. P. I. p. 517. 526.*

d *Edit. II. p. 57.*

e *Annal. T. IV. pag. 705.*

XXXII. De abbatia S. Vigilii urbis Senarum.

HOC anno in abbatiam sancti Vigilii Senarum ejectis monialibus introducti fuere monachi, appellati subinde Camaldulenses, quibus nimirum præsenti seculo ad finem vergente reformanda fuit tradita; verba sunt Huberti Benvoglientii apud [f] Muratorium. Observat idem Benvoglientius Titium in historia Senensi asseruisse familiam Ugurgeriam ædificasse circa annum 1218. ecclesiam sancti Vigilii, sed id intelligendum docet de loci restauratione, cum antiquior sit ejusdem abbatiæ origo; in quodam enim chartulario ejusdem abbatiæ, subdit, reperiri donationem ipsius loci factam anno XVII. imperii Ludovici filii Lotharii ab eadem Ugurgeria familia, quæ ecclesiam sancti Vigilii concedit cuidam sacrarum virginum monasterio, quod eodem anno ab ipsa conditum fuerat prope Castellum-novum. Monialibus vel obeuntibus, vel alibi dispersis, cessit hoc anno in jus monachorum eadem abbatia. Hæc habet Benvoglientius in suis adnotationibus ad chronicon Andreæ Dei apud eumdem Muratorium. Verum Cl. V. eques Johannes Peccius patricius Senensis, consultus per epistolam nos admonuit erraſse in hac adnotatione Benvoglientium, & laudatum Ludovici documentum nullam mentionem facere abbatiæ sancti Vigilii, sed parthe-


f *Script. rer. Ital. T. XV. col. 22.*

thenonis sanctissimi Salvatoris Berardingæ, primum pro sacris virginibus fundati, quibus loco motis, non hoc anno, ut scripsit Benvoglientius, sed anno 1003. ut rectius ipse existimat, successere monachi. Si vera est Peccii animadversio, ut etiam nos in ipsius sententiam descendimus, chartæ hujusmodi fundationis monasterii & introductionis subinde monachorum relatæ jam a nobis fuere sub anno 1003. & pertinent ad monasterium Fontisbonæ sive Berardingæ, non vero ad monasterium sancti Vigilii. In eo tamen Benvoglientio assentimur abbatiam sive ecclesiam sancti Vigilii antiquitate majori gaudere, quam ei tribuat Titius, cum seculo XII. existeret unita eremo Camaldulensi. Eam modo obtinent patres Societatis Jesu, atque de ipsa alibi redibit sermo.

ANN. CHR. 1033.



ANNAL.



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER DUODECIMUS.

Ab anno CHRISTI M. XXXIV. *ad annum* M. XLI.

ANN. CHR. 1034.

I. Petrus Damianus seculum linquit; fit monachus Avellanensis.



PARMENSI lyceo vale dicens hoc anno Petrus Damianus, illud diu noctuque mente semper versabat, quommodo seculi periculis se posset subtrahere; frequenter præterea illius animum subibat monasticæ vitæ votum, quo æstuabat: verum cum longe lateque percrebuisset fama ipsius doctrinæ communisque laudis, quam sibi comparaverat, abditum potius recessum quærebat, ubi nec nominis ejus, nec sapientiæ rumor eatenus pervenisset. Credimus ipsum interea Ravennæ vel Faventiæ domicilium sibi ad tempus statuisse. Quomodo autem Dei misericordia illum a mundi consortio extraxerit, narrat ejus discipulus Johannes [a]: *Verum*, ait, *ut ad suum ordinem noster jam sermo recurrat, hic Christi tyro flammam sui pectoris ad altiora votis attollens assiduis, quod mente conceperat, implere vehementer optabat; scilicet huic seculo funditus renuntiare, habitumque militiæ spiritualis assumere. Attamen in patriis finibus prorsus hoc agere recusabat, ne vel affinium, vel necessariorum affectus quodlibet sibi ad perfectionem tendenti noxium pararet obstaculum. Hoc autem eo meditante, atque assiduis orationibus exorante, quatenus sibi a Domino aditus panderetur salutis, ecce duo fratres ab eremo sanctæ Crucis Fontis-Avellanæ, cujus fama jam sibi plane innotuerat, illuc directi adveniunt, quos cum divino nutu obvios habuisset, ac peroptatam conversationem habere cum eis cœpisset, sui pectoris revelavit arcanum. Illi vero gratanter audientes, quod panditur, piis eum monitis in idipsum roborando succendunt. Sciscitatur ergo, an sanctus illorum abbas, cujus fama laudabilis ad ipsius jam notitiam venerat, illum susciperet, si ad ipsius contubernium accedere voluisset; illis quidem annuentibus, atque ipsum hoc persuadentibus, sponte se divina opitulante gratia quantocyus ad eos venturum, ut possit suum implere desiderium: quibus argenteum scyphum obtulit, rogans, quod eum suscipientes, domno abbati deferrent. Illi vero vasis amplitudinem cernentes, pondus incusant, viæ longioris impedimentum prætendunt, dicentes, non se posse tanta sarcina gravari,* viam-

a Cap. IIII.

viamque prolixi itineris impedire. Cumque in suscipiendo eum precibus instaret, ajunt illi: Si ergo nos tantopere cogis, nec tuo vacuos munere prorsus abire permittis, præbe hujusmodi quidpiam aliud, quod nos absque viæ dispendio levius pro tua devotione perferre valeamus. Quod ille audiens, vehementer admirari, stupere, secumque dicere cœpit: Qui sunt isti, qui dum pauperes egenique videntur, adeo, quæ sunt mundi hujus, despiciunt, ut in optimo vase ferendo assumere vel minimum laborem contemnant? Nonne vere liberos, vereque dixerim eos beatos, qui tanta fortitudine ambitionis jugum suis e cervicibus excussisse, tantaque mentis excellentia vanam mundi pompam calcasse cernuntur? Unde super hoc plurimum ædificatus, vehementius ad secularis pompæ contemptum succenditur. Ad suam proinde eremum revertentibus fratribus, Petrus cœpit plurium in se periculum facere exercitiorum solitariæ vitæ, quæ didicerat ex monachorum supradictorum colloquio; tum alacer se itineri exponit, & eremum Avellanensem petit: [a] *Ab hinc igitur,* prosequitur Laudensis, *de sua valde pollicitatione sollicitus, prius cupit experiri, utrum cellulæ, quem audierat, laborem perferre sufficeret. Quamdam itaque cellam ingreditur, in qua nimirum quadraginta diebus ad illius eremiticæ sanctionis instar, non segniter exercetur. Qua scilicet experientia admodum roboratus, nil jam cœpit eremiticam illam austeritatem pertimescere, immo toto eam affectu inhianter appetere. Tempore itaque optato suscepto, quo videlicet id apte peragere præter scientiam suorum omnium posset, assumens ex suis bonis, quæ voluit, clam iter arripuit; cum ad eremum pervenisset, desiderium suæ mentis senioribus illis aperiens, in illorum consortium se recipi devote poposcit.* Tum subdit, quomodo statim ab ipsa sua inter fratres receptione monastica cuculla cum maxima ipsius Damiani admiratione indutus fuerit: [b] *Cui mox, quod salubriter postulat, gratanter permittitur, atque uni ex fratribus, pro noviciorum more, instruendus contraditur. Qui cum eum ad cellulam deduxisset, mox ut jussus fuerat, lineis exutum, cilicioque indutum ad abbatem reduxit; quem abbas cuculla superindui absque mora præcepit. Ipse vero super hoc admirans, dicebat intra se: Quid mihi accidit? nonne debebam prius disciplinæ hujus experimentum capere, ac postmodum ad suscipiendum istum ultronee poscens accedere? numquid valeo tam subito præventus obtemperare? cumque hoc secum ageret, extemplo in semetipsum reversus increpare se cœpit vehementer, & dicere: numquid, si res posceret, ut plecti capite pro Christo deberes, ita effugeres, obstinatusve resisteres? Quod factum est, nonne paulo ante constanter tibi omnia perpeti promittebas? Cur tam cito enerviter succumbere non formidas? At si forte illud judicans noxium, istud admittas libentius, ut quo durius toleras, eo placidius in retributione suscipias.* [c] *His itaque propriis invectionibus reflexus, senioris præcepto illico acquievit, placidusque gratanter obtemperavit.* Insuper idem Damianus narrat [d] civem quemdam Ravennatem legis peritia strenuum, & grammaticorum regulis competenter instructum secum ea occasione convenisse, *ut si ego, simul & ipse relinqueret seculum. Quid plura? Tandem ego ad conversionem veniens, ut sponsio redderetur, exegi, sed obtinere non potui. Ille quippe me gaudendo præmisit, suaque vestigia subsistens, artificiose repressit. Non diebus vero multis postmodum, dum hunc adversus levirum suum furentis animi livor accenderet, gladio repente percussa manus ejus obriguit; sicque stupefacta mansit, ac rigida deinceps, ut bajulo suo magis esset oneri, quam virtuti. Jam itaque inutilis factus, mundum, dum abuteretur, abjecit; & non jam manceps, sed cum Beniamin totus dexter, in sancta usque ad obitum conversatione permansit.*

ANN. CHR. 1034.

a *Ibidem.*

b *Ibidem.*

c *Cap.* V.

d *Opusc.* XLII. *cap.* II.

Ann. Chr. 1034.

II. Sub quo abbate Avellanense? an Guidone Arretino? plura de Guidone.

Nomen abbatis Avellanensis, *cujus fama laudabilis ad* Damiani *notitiam venerat*, quique cuculla monastica ipsum induit, reticet Johannes Laudensis, reticet etiam in suis opusculis ipse Damianus, sed traditione, & etiam testimonio Fortunii & Jacobillii is putatur fuisse Guido Arretinus, celeber ille musices magister, qui sanctissime regeret per hæc tempora monasterium Avellanense. Quibus tamen argumentis possit hoc demonstrari, aqua hæret nobis, cum ea, quæ pertinent ad vitam vicesque Guidonis Arretini monachi, densis omnino tenebris sint respersa. Operæ itaque pretium facturos nos arbitramur, si certa ab incertis distinguentes, ea prius de Guidone proferamus, quæ tamquam indubia colliguntur ex duabus ipsius epistolis, quarum unam scripsit Michaeli Pomposiano monacho, alteram vero Theodaldo episcopo Arretino, atque est nuncupatoria sui Micrologi. Monachum fuisse Guidonem Arretinum clarissime manifestant illa verba, quibus alter Guido, nempe Pomposianus abbas, ut antiphonarium ejus vidit, extemplo probavit, suadens illi *monacho esse præferenda monasteria*; demonstrant etiam alia ipsiusmet Guidonis Arretini verba: *Volo me monachum monachis præstare*. Arretium pariter fuisse ipsius natale solum testatur Sigebertus in chronico dicens: [a] *Claruit hoc tempore*, ad annum nimirum 1028. *in Italia Guido Arretinus multi inter musicos nominis*. Hoc ipsum affirmat post Sigebertum Trithemius, immo quotquot de Guidone egerunt. Familiaritas insuper, quæ ipsum inter & Theodaldum episcopum Arretinum cessit, cui etiam librum suum dicatum esse voluit, a quo pariter Arretium evocatus fuerat, ut pueros *exercitium musicæ artis* doceret; necessitudo demum Guidonis cum domno Petro Arretinæ ecclesiæ canonicorum præposito, quocum Romam adiit Johanni papæ XIX. sui mirabilis inventi rationem expositurus, confirmant patriam Guidonis fuisse Arretinam urbem. Obiter adnotamus Petrum presbyterum, & Arretinæ ecclesiæ præpositum, Guidonis familiarissimum, illum eumdem esse, quem subscriptum legimus in pluribus privilegiis Theodaldi pro monasterio Prataliensi, quæ attulimus ad annos 1030. 1031. & 1033. *Vir* Petrus erat, ut ipsum celebrat idem Guido, *pro nostri temporis qualitate scientissimus*. An ulterius fuerit Guido primis suis annis Pomposianus monachus, videntur suadere quidem honorifica verba illa, quibus loquitur de Guidone Pomposiano abbate, appellato ab ipso suo *domno*, *viro Dei*, & *hominibus merito virtutis & sapientiæ carissimo*, *quem ut patrem animæ videre* exoptabat; nexus etiam amicitiæ inter Guidonem Arretinum & Michaelem monachum itidem Pomposianum, ad quem epistolam misit; sanctus quoque amor, quem Guido gerebat erga *domnum Martinum priorem sacræ congregationis*, quem suum maximum adjutorem nominat, atque plurimum salvere jubet; dulcis demum memoria fratris Petri Pomposiani *suo lacte*, ut ait, *nutriti non sine labore maximo*. Accedit & scriptor vitæ sancti Guidonis Pomposiani abbatis, qui inter abbates, quos beatus vir sibi suffecerat, ultimo loco enumerat, *qui admirabilis ejusdem etiam nominis eligitur Guido*; is an noster fuerit, dubitari potest. Hæc tamen, ut ingenue fateamur, tanti non sunt, ut evincant Guidonem in Pomposiano monasterio monasticum schema induisse, cum potuerit Pomposianos diligere, ipsisque multum deferre, quin conmonachus ejusdem cœnobii fuerit. Martinus autem prior sacræ congregationis, quem appellat, potuerit quidem esse celeber ille eremitarum pater, & olim Pomposianus abbas, sub quo Guido Pomposianus similiter abbas Deo ejusque monasterio se devovit; sed verisimilius erat alter Martinus ejusdem cœnobii prior sub Guidone abbate. An vero, post inventam musicalem artem mirabilem, in Pomposiano mona-

[a] Pistor. T. I. pag. 831.

monasterio Guido Arretinus, ut monachus, vitam traxerit, vel apud Pomposiam retentus fuerit, ut credidit Mabillonius, non demonstratur ex suasoriis illis verbis Guidonis Pomposiani, quæ usurpat Arretinus in epistola ad Michaelem: *Monacho esse præferenda monasteria, episcopatibus Pomposiam, quod modo est per divinam gratiam & reverentissimi Guidonis industriam in Italia primum*; quæ verba commode ita poterunt explicari, ut quandoquidem Guido monachus in episcopatibus vitam suam eatenus traxerat, pueros clericos instructurus in nova disciplina; id quod præstiterat Romæ, præstiterat etiam Arretii, imposterum derelictis episcopatibus, se converteret totum potius ad monasteria, & utpote monachus monachos doceret musicen, non vero ut monasticam vitam arriperet in Pomposiano cœnobio, & leges Pomposianas observaturus ad idem monasterium convolaret. Prosequitur enim Guido Arretinus in eadem epistola ad Michaelem: *Tanti itaque patris*, Guidonis abbatis, *orationibus flexus & præceptis obediens, prius auxiliante Domino volo hoc opere tantum & tale monasterium illustrare, meque monachum monachis præstare, cum præsertim simoniaca hæresi modo prope cunctis damnatis episcopis timeam in aliquo communicari. Sed quia ad præsens venire non possum, interim tibi de inveniendo ignoto cautu optimum dirigo argumentum*. Quinimmo ex his deduci posse videtur, Guidonem Arretinum in suo juventutis flore Pomposiani monasterii disciplinæ se non subjecisse; non enim suasus, sed jure ad suum monasterium postulatus & revocatus fuisset a Guidone Pomposiano suo abbate.

Antequam progrediamur, ad rem nostram erit animadvertere, quibus annis præterpropter illigari queant tum epistola Guidonis Arretini ad Michaelem Pomposianum, tum nuncupatoria Micrologi Theodaldo Arretino episcopo; illa scripta fuit, postquam Romam una *cum Gregorio Mediolanense abbate*; Pezius ex codice San-emmeramensi legit *Grimoaldo reverentissimo abbate*, melius forte cum Gothefredo abbate tunc Ambrosiani monasterii, & simul *cum Petro Arretinæ ecclesiæ canonicorum præposito* perrexerat, invitatus *tribus nunciis a summæ sedis apostolicæ Johanne, qui modo Romanam gubernat ecclesiam*. Johannis nomen legitur in codice Willingensi optimæ notæ, ex quo epistolam hanc profert [a] Mabillonius, & in illo sancti Emmerammi apud Pezium, [b] quæ lectiones præferendæ sunt magis, quam illa Baronii, [c] qui legit id contigisse sub Johannis antecessore Benedicto papa VIII. Porro Johannes XIX. sedit ab anno 1024. usque ad annum 1033. quare circa annum 1026. existimat idem Mabillonius scriptam epistolam Guidonis ad Michaelem. Theodaldus pariter in Arretina ecclesia sedit ab anno 1023. usque ad annum 1036. & ut ait idem Guido, *mirabili schemate* ecclesiam beati episcopi Donati & martyris jam perfecerat, de qua etiam auctor *enarrationis eorum, quæ perverse gesta sunt a custodibus ecclesiarum sancti Stephani & sancti Donati*, qui scripsit circa annum 1092. apud [d] Muratorium habet: *Iste*, nempe Albertus episcopus Arretinus, *a fundamentis ecclesiam construxit, eamque ad medietatem deduxit, sed morte præventus successor quidam Theodaldus perfecit*. Quare ad eadem circiter tempora, nempe ad annum 1026. suum quoque Micrologum Theodaldo dicavit Guido. In eo pariter codice, quo usus fuit Baronius, legitur ad calcem: *Explicit Micrologus Guidonis suæ ætatis anno trigesimo quarto, Johanne vigesimo Romanam gubernante ecclesiam*. Johannes XX. idem putari debet ac Johannes XIX. utroque numero a variis auctoribus donatus, sub quo vixit episcopus Theodaldus; ergo Micrologus confectus fuit a Guidone ante annum 1033. quo Johannes Romanus pontifex excessit e vivis. Iis admissis, etiam Guidonis Arretini exilium, quod subiit mul-

[a] *Annal.* T. IV. p. 324.
[b] *Cod. Diplom.* col. 223.
[c] *Ad ann.* 1022.
[d] *Antiq. medii ævi* T. V. col. 217.

Ann. Chr. 1034.

multorum invidia, & de quo idem ipse testatur in epistola ad Michaelem dicens: *Inde est, quod me vides prolixis finibus exsulatum*, referendum est ante has epistolas, & consequenter ante annum 1026. Ex quo loco exsulaverit, non est compertum; compertum utique est Guidonem in exilium pulsum secessisse in remotum locum, ut quieti & contemplationi indulgeret: id ipse fatetur in epistola præfixa Micrologo; vocatus enim fuit a Theodaldo pro erudiendis pueris, *dum solitariæ vitæ*, ait, *saltem modicam exequi cupio quantitatem*. At quo in loco solitariam elegit mansionem? Putant auctores nostri, inter quos Fortunius, Ractius & Grandius [a] primas tenent, ipsum se abdidisse in monasterium Fontis-avellanæ, ubi vicarius & coadjutor post aliquod tempus, ad annum scilicet 1030. constitutus a Lodulpho conditore ejusdem monasterii, sed eremi sancta otia quærente, obierit demum anno 1050. die XVII. maji. In antiquo catalogo priorum Avellanensium scripto seculo XIV. successor Lodulphi legitur anno 1000. Julianus, Juliano suffectus dicitur anno 1009. Johannes, Johanni vero successisse anno 1025. Guido, quem postea exceperit Petrus Damianus. Buccellinus in menologio Benedictino sub eadem die decima-septima maji de Guidone hoc profert elogium: „ Beatus Guido Arretinus, abbas sanctæ „ Crucis Avellanæ, musicæ dogma Ut Re Mi Fa Sol La deprompsit, „ & ecclesiæ universæ insigne universum dedit. " Casimirus Oudinus in suo [b] commentario de scriptoribus ecclesiasticis, exscribens Antonium Possevinum ex ejus Apparatu sacro, „ Guido, ait, Arretinus in Italia mo- „ nachus primum, tum postea abbas sanctæ Crucis Avellanæ eodem tem- „ pore claruit, novam addiscendæ musicæ rationem invenit "; & post aliqua: „ idem nempe Possevinus tomo II. verbo *Micrologus*, ita ejusdem „ meminit: Micrologus, qui hactenus hoc nomine tamquam anonymus „ circumlatus est, fuit ipse Guido abbas sanctæ Crucis Avellanæ, qui fi- „ guratum composuit cantum. " In eo tamen falluntur Possevinus, & qui eum exscribit, Oudinus, quod monasterium sanctæ Crucis Avellanæ prope Arretium Etruriæ civitatem constituunt. Trithemius etiam fallitur, qui librum contra Berengarium a Guidone Arretino scriptum fuisse dicit, eumque Crucis sancti Leutfredi seu Audoeni monachum facit, ut observat etiam [c] Mabillonius. Fallitur nimirum, cum Guido Arretinus ante Berengarii tempora floruerit, & insuper Italus fuerit, neque umquam monachum induerit in Galliis, ubi erat cœnobium Crucis sancti Leutfredi. In errore tamen aliquod veritatis indicium enitet. Cum enim sanctæ Crucis monachum vel abbatem fuisse Guidonem Arretinum legisset in veteribus scriptoribus Trithemius, tribuit notiori sibi monasterio, quod conveniebat monasterio sanctæ Crucis Avellanæ sibi minus noto. Trithemium exscribunt Eisingrenius, Dupinius, & fere quotquot extra Italiam positi de Guidone Arretino verba faciunt. Quid porro dicendum? Ipse Guido præter solitariam vitam, cui tunc vacare disposuerat, asserit domicilium suum fuisse in locis alpestribus, nam post enarratam approbationem, quam sui antiphonarii fecit Johannes XIX. subdit in eadem epistola ad Michaelem. *Quid plura? Infirmitate cogente Romæ morari non poteram vel modicum, æstivo fervore in locis maritimis, & nobis alpestribus minante excidium*; tamquam si diceret, homini, qui in præruptis & excelsis montibus, ubi frigiditas aeris esse solet, degere consueverat, valde nocebat fervor æstivus urbis Romanæ a mari parum dissitæ. Quæ verba monasterio sanctæ Crucis Avellanæ in montano & alpestri situ posito optime quadrant. Domnizo [d] pariter in libro I. de vita Mathildis laudans Theodaldum episcopum, & Guidonem ob Micrologum illi dicatum hæc versibus de ipsis cecinit:

Musica

a Dissert. IV.

b Tom. II. col. 600.

c Annal. Tom. V. p. 326.

d Cap. v.

Musica seu cantus istum laudare Tedaldum
Non cessant: semper renovantur eo faciente.
Micrologum librum sibi dictat Guido, peritus
Musicus, & monachus, necnon eremita beandus.

Ann. Chr. 1034.

Optime autem intelligitur, cur *eremita beandus* dicatur Guido Arretinus a Domnizone, eo quod nimirum, præter monasticam, elegerat perfectiorem vitam eremiticam, quæ tunc temporis rigida disciplina observabatur in monasterio Avellanensi. In ejusdem cœnobii refectorio visebatur tempore Jacobillii, & visitur etiam hodie ipsius imago cum hac epigraphe: *Beatus Guido Arretinus inventor Musicæ*. Adderemus hic loci cogitatum nostrum. Cum dicat Guido in sua nuncupatoria, præter solitariæ vitæ, cujus saltem modicam exequi cupiebat quantitatem, plura loca mutasse, & *cum me*, inquit, *& naturalis conditio & locorum mutatio communis utilitatis diligentem faceret, cœpi jure cogitare aliam musicam pueris tradere*, cum scilicet hæc dicat, in animum induceremus nostrum, ipsum ad tempus expertum fuisse vitam eremiticam etiam in Camaldulensi eremo, quæ recens fuerat in patrio suo solo Arretino fundata, & ex qua intelligeremus, quomodo facili negotio potuerit a Theodaldo episcopo evocari ad pueros erudiendos. Reperimus, quod in Camaldulensi eremo anno 1033. *Guido frater minimus Petri venerabilis eremite jussione dictavit, petiit & impetravit* ab eodem episcopo donationem ad favorem ejusdem eremi, de qua jam egimus anno superiori. Sed hæ meræ nostræ conjecturæ. In *chronico Hermanni Corneri, ubi citantur loca ex Helmoldo vel Arnoldo, quæ tamen apud eosdem, quales extant vel plane non, vel aliter leguntur*, edito in Tomo II. [a] scriptorum Brunsvicensia illustrantium, cura Godefridi Wilielmi Leibnitzii, habemus Hermannum Bremensem archiepiscopum *cuidam Mackoni tamquam vicedomino ecclesiam suam* commisisse, *qui parvipendens omnia, quæ in archiepiscopatu invenit, quemdam Guidonem musicum Bremam adduxit, cujus industria melodiam & claustralem disciplinam emendavit*. Tempora concordant, nam Hermannus *virgam pastoralem accepit a Conrado rege Romanorum, & pallium a Benedicto papa promeruit anno Domini* M. XXXII. *& sedit tribus annis*; sed nemo unquam dixerit Guidonem Arretinum Bremam usque permeasse. Plures Guidones musici recensentur floruisse seculo præterito & præsenti in amplis collectionibus rerum Germanicarum.

a Pag. 745.

Atque hæc de Guidone Arretino occasione ejus abbatis, a quo monastica cuculla indutus fuit Petrus Damianus; epistolas supramemoratas, quarum fragmenta attulimus, integras producimus denuo ex Baronio, Mabillonio & Pezio in Appendice. Sed vel Guido fuerit, vel alius abbas ille, qui Damianum excepit in suo Avellanensi cœnobio, *Sanctum* appellant Johannes Laudensis, imo ipse Petrus Damianus. Cur autem ab utroque præfectus cœnobii Avellanensis titulo decoratus fuerit *abbatis*, dum constat præpositos ejus familiæ vocatos fuisse ante hoc tempus & subinde priores, crediderimus aliquos abbatis, aliquos prioris obtinuisse honorem; temporis vero processu, & præsertim a præsulatu Petri Damiani vocatos semper fuisse priores usque ad Ubaldum, qui primus obtinuit abbatialem dignitatem & titulum circa annum 1325. Certe in opusculo [b] *de variis miraculosis narrationibus* Desiderio Casinensi abbati inscripto a Damiano mentio fit de Johanne olim priore Avellanensi. Is aut erat prior & tamquam abbas, aut eodem modo erat prior, quo Martinus vocatur *prior congregationis* sub Guidone abbate Pomposiano.

b Opusc. XXXIV. cap. VI.

Quan-

Ann. Chr. 1034.

Quandoquidem autem Johannis prioris mentionem ingessimus, neque divinare valemus, quo tempore officium illud gesserit, quia in maximis tenebris delitescit historia Avellanensis monasterii usque ad Petrum Damianum, suum, ut ita dixerimus, secundum conditorem & parentem, historiam, quam de eodem narrat idem Damianus, hic subjungimus: *In hac eremo Fontis Avellani, ubi nunc habito, prior quidam fuerat, nomine Johannes, qui lentis quibusdam infirmitatibus macilentus videbatur semper & gracilis. Hac itaque sui corporis imbecilla tenuitate confisus, sæpe jacens in lecto completorium decurrebat. Accidit autem, ut dæmoniacus quidam non procul abesset, qui multa hominum secreta, & obscenos actus impudens propalaret. Cumque præfatus Johannes dæmonem exire præciperet, & quibusdam exorcismi quæstionibus flagellaret; tunc, ait, ille es, qui sub cotto* (intelligitur stragulum, quo cooperitur lectus) *quotidie Completorium insusurras, & modo me quasi sanctus ejicere, & juris mei vasculum de meo vis dominio liberare? Hoc audito frater erubuit, quia rei veritatem etiam per mendacii recognovit auctorem.* Ceterum etiam priores eremi Camaldulensis aliquando vocati fuere abbates, ut videbimus ad annum 1036.

IV. Usus induendi veste monastica novitios ipsis diebus receptionis.

Quod autem sine prævio experimento cuculla monastica indutus fuerit Petrus Damianus, id demonstrat tunc temporis scrupulosiores non fuisse abbates in observanda [a] ea parte regulæ sancti patris Benedicti, qui per annum probationem in vestibus secularibus exigit a Novitio. Cetera vero ipsius regulæ præcepta adamussim adimpleta fuere in Damiani receptione; nam & ipse *desiderium suæ mentis senioribus illis aperiens in illorum consortium se recipi devote poposcit; & uni ex fratribus pro novitiorum more instruendus contraditur; & ad cellulam*, intellige novitiorum, *ductus fuit*: quæ tria sanctus pater præscribit in sua regula. Facile quapropter ea dispensatione abbas Avellanensis usus fuit, quia Damianus sponte, antequam ad monasterium accederet, periculum jam fecerat virium suarum, & *ad eremiticæ sanctionis instar non segniter quadraginta diebus* se exercuerat. Ad hæc eadem tempora etiam Johannes-Gualbertus, qui ad monasterium sancti Miniatis confugerat, ut Deo se devoveret, timente abbate iram ejus patris, neque eum veste monastica induere audente, *cernens unius fratris cucullam tunc seorsim positam, tollens eam, ecclesiam festinanter ingreditur, comam primo sibi totondit, ac deinde cucullam altari reverenter superposuit, eamque lætanter induit*, ut ait in ejus vita Atto, neque per annum secularia indumenta gestavit. Quid simile egerat Guido Pomposianus moræ impatiens, remque dilatam in crastinum graviter ferens. Ipsi nostro parenti Romualdo monachi Classenses, suffulti patrocinio Honesti archiepiscopi, *sanctæ conversationis habitum tradunt*, anni periodum non expectantes. Petrus Urseolus in itinere constitutus, antequam ad Cuxanense cœnobium perveniret, tonsus & indutus fuit lebete; Adalbertus Pragensis episcopus triduo sacræ hebdomadæ tirocinium absolvit, & prope infinita exempla adducere possemus secularium cucullatorum ipsa petitionis die vel proximis diebus.

a Cap. lviii.

V. Guido ep. Volaterranus benefactor monast. SS. Justi & Clementis.

Gunfredo Volaterrano episcopo successit hoc verisimiliter anno Guido. Emendandus est Ughellius, qui in serie Volaterranorum episcoporum post Benedictum, quem statuit usque ad annum 1015. Widonem ejus nominis II. floruisse asserit usque ad annum 1026. [b] Widoni autem successisse Gaufridum, quem ait vixisse anno 1034. xvii. kalendas junii indictione ii. quo ipso tempore quædam bona commutat cum quodam Gerardo; Gaufrido vero suffectum fuisse Eumancium, Eumancio autem Widonem ejusdem nominis III. Sed quidquid sit de Widone secundo ante

b Ital. sac. T. I. col. 1434.

te Gaufridum, vel Gunfredum, Guido, qui vixit post Gunfredum, in confirmatione bonorum monasterii sanctorum Justi & Clementis hujus anni iis verbis utitur in suo privilegio, quibus clare indicat, Gunfredum fuisse sui ipsius immediatum prædecessorem. Ait enim: *Quamvis precipuorum veneratione confessorum* (Justi nempe & Clementis) *locus fuisset eximius, usque tamen ad nostri predecessoris felicis memorie Gunfredi tempora incultus jacuit, & inordinatus permansit. Prelibatus igitur antistes monasterium ibi fieri decrevit, adhibitisque in eodem loco fratribus, & venerabili abbate constituto, qui usque ad nostra tempora Domino juvante perdurat, vite necessaria, in quantum valuit, studiose ministrare curavit, qui quousque vixit, prediis aliisque muneribus novi monasterii paupertatem fovit. Et quoniam queque fuerant necessaria, mortis meta interveniente, explere non valuit, mihi, qui successionis cathedram in prefata ecclesia tenere videor, ad sacri loci reparationem atque augmentum, credo relictum fuisse a Domino; non enim diffido me participem fore tante remunerationis, si adjutorium impendere satago tam sacre venerandeque ordinationi.* Chartam produxit [a] Fortunius noster, & ex ipso integram in Appendice damus. Ad calcem habetur: *Actum anno* M. XXXIIII. & Fortunius more suo forte omisit ceteras chronicas notas, quæ in autographo legebantur. In concilio Romano anni 1037. in quo Andreas episcopus Perusinus renunciat omni juri, quod prætendebat in monasterium sancti Petri ejusdem urbis apud Ughellium & Labbeum [b], inter ceteros subscriptus reperitur: *Gotifredus Volterrensis episcopus*. Facile nomen episcopi illius scriptum fuit per literam initialem G. & cum proxime ad ea tempora viveret Gunfredus, qui & Gaufridus, & potuit etiam dici Gotifredus, creditus fuit ipse anno 1037. episcopus Volaterranus, licet litera G. designare æque posset Guidonem, Gunfredi successorem. Certe Guidonis Volaterrani episcopi charta in favorem monasterii SS. Clementis & Justi data est inter annos 1033. & 1039. cum in ipsa se bonorum cœnobii confirmationem facere dicat *pro anima Benedicti summi pontificis & universalis pape*, qui creatus fuerat Romanus pontifex anno 1033. atque *pro salute anime Conradi serenissimi imperatoris auguste memorie senioris mei*, qui obiit anno 1039. *necnon pro salute Henrici gloriosissimi regis filii ejus* &c. Nihil proinde est, cur in dubium revocetur Fortunii fides, & charta pro legitima est habenda.

Ann. Chr. 1034.

a *Histor. Camald. Par. II. pag.* 56.

b T. XI. *col.* 1283.

VI. Maurilius monachus Fiscamnensis fit eremita.

Maurilius natus Remis vel Moguntiæ; utrumque enim asserit variis in locis suæ historiæ Ordericus Vitalis, [c] *nobilitate generis conspicuus*, Fiscamnum & quidem sub Willielmo abbate Divionense, ut hoc postremum existimavit [d] etiam Mabillonius, se olim receperat, in quo monasterio *sancte multo tempore vixit, ceterisque exemplum sanctitatis exhibuit*. Sed perfectioris vitæ desiderio flagrans, abbatis sui consensu impetrato, post mortem Willielmi, Gallia relicta Italiam petiit una cum Gerberto socio suo, cui postmodum collata fuit abbatia sancti Wandregisili, & in Italia constituti ambo *anachoretici rigoris commilitio* se addixerunt. Id nullibi melius præstari potuisse a Maurilio conjicimus, quam in florentissima tunc eremo Camaldulensi, vel in aliis a Romualdo in Thuscia constructis anachoretarum habitaculis. Hujusce enim solitudinis amplexandæ auctor inprimis ipsi fuisse videtur Johannelinus abbas Fiscamnensis & Willielmi successor, qui Ravennæ natus, & olim eremita in patrio solo sub solitariæ vitæ magistris prius, deinde sub Willielmi Divionensis disciplina enutritus fuerat; mutuo ergo colloquio potuit Johannelinus Maurilio exponere ritus, & perfectionem eremiticæ conversationis cum obedientia conjunctæ, quam Romualdus instituerat, ipsumque severioris jam vitæ studio accen-

c *Lib. IV. p.* 507. & *lib. V. p.* 567. *ap. Duchesn. Hist. Norman.*

d *Sec. V. P. II. p.* 232.

Ann. Chr. 1034.

accensum ad eam capessendam magis magisque inflammare. Alio argumento suadetur Maurilium singulari, & ab hominum consortio remotæ vitæ incubuisse in Thuscia; nam [a] *defuncto abbate Florentinensis ecclesiæ, quæ in honore beatæ Mariæ semper virginis constructa est, elegit eum marchio Bonifacius vir nobilis & potentissimus, & ita licet invitus, bonorum tamen virorum admonitionibus superatus, abbas ejusdem loci ordinatus est, ubi multo tempore subditos pro posse suo sancte & regulariter rexit*; ita monachus anonymus cœnobii sancti Audoeni apud Mabillonium. Cum ergo assumptus fuerit Maurilius ad abbatiam Florentinam regendam, verisimiliter putandum est ipsum non multum ab ea urbe distantem eremum inhabitasse, quod accommode intelligi potest de Camaldulensi solitudine. Si id factum fuit sub Bonifacio marchione, ergo ante annum 1052. qui extremus fuit vitæ Bonifacii, vocatus fuit ad regimen abbatiæ Florentinæ Maurilius, multoque magis ante id temporis eremiticæ vitæ ipsius professio & exercitium sunt statuenda. Alia vero ex parte anno 1034. eamdem abbatiam Florentinam administrabat Petrus; ipso enim anno Petro Conradus confirmat diplomate apud Puccinellium [b] hospitale quoddam ad usum pauperum; ergo post eum annum Maurilii regimen est auspicandum. Sed, ait [c] Mabillonius, si Petrus Florentini cœnobii abbas idem est cum Petro illo, cui Petrus episcopus Florentinus ecclesiam sancti Proculi anno 1064. contulit, vix ullus relinquitur locus Maurilio. Verum ex eodem Pucinellio [d] intelligimus Petrum abbatem anno 1064., qui etiam nominatur abbas anno 1061. in judicato Beatricis ducissæ pro quibusdam terris, appellandum esse Petrum secundum, & inter primum & secundum alios locandos esse abbates, potissimum *Benedictum* quemdam *fratrem Bonifacii*; quapropter locus potest esse intra id temporis spatium etiam Maurilio. Sed jam audiamus elogium, quod Guillelmus Pictaviensis auctor æqualis, in libro de gestis [e] Guillielmi ducis, texit Maurilio, ejusque socio Gerberto: *Ambo hi in ætate florentissima Divinitatem, & quam Divinitas largitur beatitudinem speculati, alio multoque perspicaciori mentis acumine, quam Plato, nuda professione impedimenta rerum temporalium evasere, despicantes mundanæ philosophiæ vehementi applicatione a se amata gymnasia, patrii soli dulcem arrisum opibus ac generositate claram parentelam, spem sublimium provectuum. Sic animo victore expediti nunc sub jugo cœnobiorum, nunc in eremi lucta æmulis Macchabæorum decertabant sudoribus, pro interminabili & liberalitate & quiete omnem extremitatem, nullam prælationem in exilio mundi prætereuntis ambientes*. Pariter monachus anonymus monasterii sancti Audoeni in gestis archiepiscoporum Rotomagensium apud [f] Mabillonium, hæc de Maurilio habet. *Maurilius succensus amore cœlestis patriæ cuncta, quæ mundi sunt fastidiens, monasticam vitam appetiit, sicque Fiscamnense cœnobium adiens monachus ibi effectus est, in quo sancte multo tempore vixit, ceterisque exemplum sanctitatis exhibuit. Denique igne divini amoris exæstuans, acriorem vitam eligens, licentia ab abbate, qui ecclesiæ præerat, accepta, Italiam petiit, eremique cultor solitariam vitam ducens, opere manuum vixit*.

Verum Maurilius post eremiticam vitam, & post aliquod tempus, quo monasterio Florentino præfuit, b disciplinæ rigorem male habitus a monachis Florentinis urbem illam paullo post deseruit, & *tempore Johannis abbatis compatriotæ sui* (ita [g] Ordericus, qui Johannem compatriotam Maurilii appellat, eo quod Maurilius in Italia aliquandiu versatus fuerit) *Fiscamnum venit, ibique stabilem ad cultum summæ & individuæ Trinitatis habitationem sibi elegit. Fiscamnum rediit*, ait monachus sancti Audoe-

a *Mabill. Analect.* T. II. p. 439.

b *Pag.* 248.

c *Annal.* T. IV. p. 821.

d *Pag.* 249.

e *Apud Duchesn. hist. Norm.* pag. 195.

f *Analector.* T. II. pag. 439.

g *Lib.* V. p. 567.

Audoeni, *in quo sancte, usquequo in episcopatu inthronizatus est, vixit*, usque nimirum ad annum 1055. quo deposito Malgerio archiepiscopo Rotomagensi in synodo Lexoviensi, ejusdem *synodi decreto ecclesiastica electione assumpto, metropolitanam sedem*, hoc est Rotomagensem, *Maurilio Fiscamnensi monacho multis virtutibus excellenti* traditam fuisse scribit Guillielmus Gemeticensis libro VII. [a] historiæ Normannorum. Similia habent Guillielmus Pictaviensis, [b] Ordericus, auctor chronici Rotomagensis apud [c] Labbeum, & alter auctor chronici Cadomensis apud Du-chesnium [d] in historia Normannorum. Obiit vir sanctissimus meritis plenus & annis anno 1067. in sua Rotomagensi ecclesia.

ANN. CHR. 1034.

a *Capit.* XXIV. *pag.* 281. *apud Du-Chesn.*

b *Lib. VII. p.* 657.

c *Novæ Biblioth. T. I.*

d *Pag.* 1017.

VII. Placitum Ravennas, cui interfuit Lambertus abb. S. Apollinaris.

RURSUS hoc anno placito, quod tenuit Gebehardus archiepiscopus Ravennas, reperitur interfuisse Lambertus abbas sancti Apollinaris in historia Ravennate Rubei. [e]

e *Lib.V.p.*280.

In nomine Domini. Temporibus domni Benedicti summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri apostoli Domini sede tertio (melius legendum *secundo* credit Muratorius in annalibus) *sitque imperante domno Chonrado piissimo perpetuo augusto imperatore, in Italia vero anno octavo* XXV. *mensis junii indictione* II. *in loco, qui dicitur Stornatunus, in tentorio domni Gebehardi sacratissimi Ravennatis prædestinante Deo archiepiscopi. Dum adessent quidem optimi atque honestissimi, necnon bone opinionis & laudabilis fame viri, quorum nomina hec sunt, id est domnus Lambertus per Domini misericordiam monasterii sancti Apollinaris, quod vocatur ad Classe, abbas, & Vuido Dei gratia monachus & dudum monasterii sancte Marie, quod vocatur ad Pomposiam, abbas, & Bonifacius comes, & Hugo comes quondam Hubaldi comitis filius, atque Petrus inclytus dux, & Johannes dux nobilis, & Theodaldus Deo annuente illustrissimus vicedominus, & me presente Rodulfo Ravennate Christi misericordia tabellione & aliis, in nostra predictorum presentia refutavit Ugo nobilis comes Bononiensis per virgam, quam manibus detinebat, domno Gebehardo reverentissimo prefato archiepiscopo, sueque Ravennati ecclesie & suis successoribus in perpetuum comitatum integrum Faventinum cum omnibus angariis, atque portaticis seu ripaticis sive fodris, necnon publicis functionibus atque teloneis omnibus ad prefatum comitatum Faventinum pertinentibus vel subjacentibus. Et tunc jam dictus domnus Gebehardus predicte ecclesie archipresul, hec ita accipiens, & illico investivit prenotatum Ugonem comitem Bononiensem de medietate jam nominati comitatus Faventini cum omnibus ad ipsam medietatem pertinentibus in beneficio. Hoc factum est sub die menseque & indictione* II. *suprascriptis*. De Lamberto abbate sancti Apollinaris ad annum 1037. rursus occasio loquendi se exhibebit.

VIII. Chartæ spectantes ad abbatiam Montis-Christi.

AD annum 1021. conjecturas nostras protulimus, cur Rollandum comitem & dominum Corsicæ vel eumdem putaverimus cum Raynaldo marchione Corsicæ, de quo ad eum annum verba fecimus, vel si alius fuit, ipsum quoque circa hæc tempora vixisse existimaverimus. Chartam eo loci memoravimus ipsius Rollandi summe vitiatam in notis chronicis, spectantem ad abbatiam sancti Mamiliani Montis-christi, utpote quæ refert annum *Dominice incarnationis septenum centesimum decimum nonum indictionem secundam*. Indictio secunda conjungitur cum annis 1019. & 1034. Ad illum proinde vel ad hunc annum restituenda est charta, cum, ut alibi monuimus, instrumenta omnia præferentia sextum, septimum & octavum seculum, & pertinentia ad eam abbatiam, assignanda videantur seculis decimo & undecimo. Quid charta contineat, opportunitate data, ad annum

Ann. Chr. 1034.

1021. diximus. Hic loci ipsius mentionem rursus facimus, quia sub anno præsenti 1034. eam edimus in Appendice, desumptam ab exemplaribus, quæ asservantur in monasterio sancti Michaelis de Burgo Pisarum.

IX. Aliæ Victorianæ, & Prataliensses.

Actoni abbati sancti Victoris de Clusis successerat vel anno præterito, vel præsenti Ursus, cui Johannes & Petrus filii quondam Asterii donationem de re proprietatis eorum faciunt: *Anni mille treinta & quartum & regnante domno Corradu magnu imperatore providentia imperator augustus anno ejus septimum, & die mense julii per indiccione secunda*. Charta ex archivo sanctæ Catharinæ de Fabriano a nobis deprompta datur in Appendice.

a §. *Promissio* 3. *A.* I. 29.

b §. *Renuntiatio* 2. *A.* I. 32.

Prataliense monasterium & Sizonem ejus abbatem (is est Sigizo seu Sigifridus) se non molestaturum pro terra in loco *Argognano* promittit [a] Petrus quondam Johannis *anno septimo Conradi imperatoris indictione secunda mense julio*; & mense februario [b] Corbizus, Teudicius & Gutizus fratres olim Berardi refutaverant eidem monasterio portionem terræ, quæ est in vocabulo *Rupinata*, quæque Berardo eorum patri & Reinerio fratribus adjudicata antea fuerat a Bonizo presbytero. Hæc in summariis Baroncinii.

Ann. Chr. 1035.

X. Exercitia & austeritates Petri Damiani in ipsis primordiis vitæ monasticæ.

c Cap. v.

Quam serio mundo ejusque deliciis omnibus valedixisset Damianus, declaravit ipse statim ab initio suæ conversionis; nam *assumpto habitu*, ait Laudensis, [c] *tanto protinus fervore succenditur, ut corporea cura contempta, sola, quæ sunt spiritus, appeteret, carnem spiritui totis viribus servire compelleret, delicata vel sumptuosa cuncta respuens, aspera quæque & contemptibilia requireret. Porro, quod dico, hoc intueri vales exemplo. Dum hic esset aliquando cum suo profecturus magistro, molliorem scapularem induere, atque pulchriorem, quam affectaret, equum ascendere jussus est. Rogare itaque magistrum summissis cœpit precibus, ne sibi hoc dignaretur præcipere, quod ipse nimirum, velut indecens, abhorreret. Magister vero ejus precibus acquiescere nolebat, ne vilipendere videretur discipulum, quem diligebat tamquam unicum, si sic eum juxta suum desiderium, secum permitteret incultum procedere. Discipulus autem longe aliter sentiens, totumque aliorsum convertens, nimium erubescebat secularibus jam apparere nitidulus, ne ipse, qui olim seculo renuntiasse videbatur, secularem pompam adhuc carnaliter quærere putaretur. Quod tamen opprobrium multo magis ille subire, quam inobedientiæ notam maluit, quam videlicet incurrere vehementius expavit. Videbatur enim sibi, prout ipse referebat, ut quicumque illum sic comptum equitare cernerent, digito demonstrarent, & velut carnalem subsannarent, sibique non monachi, sed sponsi nomen aptarent. Unde tantus rubor ejus suffuderat faciem, ut vix caput erigere, vix in quempiam posset acies oculorum dirigere. Illis autem regredientibus, cum ad cœnobium sancti Vincentii, cui vicina rupis Petra-pertusa vocabulum indidit, perventum fuisset, jam Domini servus ulterius ferre nequit ignominiosum nitidulæ vestis ornatum. Occasione itaque ibidem paullisper remorandi reperta, magister cœpto itinere tendit ad eremum, ille vero alium sibi scapularem humiliorem stamine & colore acquisitum induit; sicque velut immani sarcina, qua depressus hactenus fuerat, leviatus, quantocyus post magistrum, ad proprium est monasterium reversus. Nequaquam enim eos æque poterat, si squallidis utebantur vestibus, venustis ipse indutus revisere, dum moribus ornari potius gestirent, quam vestibus*. Eruitur ex hac Laudensis narratione communicatio monachorum & eremitarum Avellanensium cum monachis

chis San-vicentianis, qui a sancto Romualdo, ut annis superioribus vidimus, ad leges Benedictinas & eremiticas exacti fuerant; consuetudo similiter deducitur vestium albarum vigens in cœnobio sancti Vincentii, ut in Avellanensi; si enim atras San-vicentiani monachi detulissent tunicas vel cucullas, Damianus tam facile non reperisset vestes, quibus nitidiorem suum ornatum commutaret; & jure objurgatus fuisset, si spreto colore suarum vestium albarum, licet nitidiorum, alias diversi coloris vel ad tempus induisset.

Prosequitur Johannes, & dum de Damiani monasticis exercitiis differit, vitam simul ceterorum Avellanensium monachorum & eremitarum tunc temporis ante oculos nostros ponit. *Ut autem*, [a] inquit, *ad superiora redeamus, bonæ indolis Christi miles tantis illico jejuniorum, vigiliarum, ceterarumque afflictionum laboribus se cœpit atterere, ut ii, qui diuturnis jam studiis exercitati fuerant, illius mores, & vitam intuentes, sua cogerentur acta contemnere. Nam dum inolitum vitiorum funditus certaret exulare, cuncta moralium ipsius loci exercitiorum genera totis gestiebat viribus indefesso operis labore complere. Porro loci institutio hujusmodi fore dignoscitur; quod bini divisis cellulis commorantes, die noctuque a spiritali luctamine, velut in acie consistentes, brachia non remittebant. Inexpugnabilibus namque psalmodiæ, orationis, lectionis, abstinentiæ obedientiæque armis accincti, adversus aereas potestates infœderabiliter dimicabant. Abstinentiæ vero modus hic erat, ut quatuor in hebdomada diebus pane & aqua contenti, tertia & quinta feria pauxillum leguminis sumerent, quod videlicet singulis in suis cellulis decoquebant. Jejuniorum quippe diebus nequaquam pro suo libito cuiquam de pane sumere licebat, sed id, quod præfixa mensura præbebat. Porro de vini usu quid memorem, cum nisi pro sacrificio, seu forsitan pro ægro, vinum ibidem tunc prorsus deesse feratur? Nudipedalia passim per eremum cunctis temporibus exercebant; in cellis vero nec caligas induebant. Ceteris autem spiritualibus exercitiis, disciplinis videlicet, metaneis, palmatis, prolixis ulnarum extensionibus sedulo, prout cuique fervor, virtusque inerant, incumbebant. Porro vigiliarum hunc morem servabant, ut signo temporis personante, totum post synaxim psalterium ante lucem complerent. Petrus vero hoc commune signum longe vigilando præveniens, quidquid tamen noctis post synaxim restabat, continuatis excubiis transigere satagebat; ne communem scilicet videretur canonem solvere, qui ad injussa quoque se conabatur extendere. Noverat enim sacratius fore, quod publica lege taxatur, quam quod institutione privata dependitur; & quod gratuita munera, quantumlibet grandia, minime valeant a mandato legis offerentem absolvere, quo minus quæ lege præfixa sunt, studeat diligenter implere, cui nimirum licet quælibet pro devotione adjicere, non tamen instituta majorum propriis amovere. Voluntaria quippe augere merito possunt, excusare omnino, quæ legis sunt, nequeunt. Denique dum hujuscemodi pernoctaret excubiis, tantam læsi cerebri passionem contraxit, quo vix vel modico somno jam refici posset, atque postquam, adhibito medicamine de concepta passione, divina opitulatione, convaluit, sic jam discrete agere didicit, quatenus & remissionis torporem vitare, & præcipitationis cursum prudenti moderatione cohibere satageret. Qui nimirum dum cellulæ stationem rigida censura servaret, & post assuetum psalmodiæ, precum atque orationum persolutum, sedula meditatione lectioni vacaret, tanta divinarum scripturarum scientia claruit, quanta secularium antea non claruerat.* Sed de macerationibus, voluntariis cruciatibus, ceterisque pœnitentiæ & austeritatis exercitiis Petri Damiani, & monachorum ac eremitarum Avellanensium uberrima se præbebit in annis sequentibus differen-

[a] *Ibidem.*

Ann. Chr. 1035.

differendi materies. De se etiam, altissimaque sua contemplatione, primis suæ conversionis annis, sequentia ingenue fatetur ipse Damianus in opusculo [a] *de abdicatione episcopatus* ad Nicolaum II. P. M. *Memini sæpe me ita divini amoris igne succensum, ut optarem protinus claustra carnis effringere, & quasi de cœno solutus & carceralibus tenebris ad æternitatis lumen medullitus anhelare. Erat enim mihi tunc cor carneum, sive, ut mihi videtur, cereum, quod nimirum desiderii cœlestis afflatum flamma liquesceret, & uberibus lacrymis flebilia frequenter ora rigaret. Horrebam audire, quanto magis ore proferre, quicquid non provocabat ad Christum, omnesque nugas, sive nænias verborum secularium velut rictus canum, sive morsus serpentium deputabam. Sæpe cernebam præsentissimo mentis intuitu Christum clavis affixum, in cruce pendentem, avidusque suscipiebam stillantem supposito ore cruorem. Porro si nitar apicibus tradere, quicquid mihi contemplari dabatur vel de sacratissima nostri Redemptoris humanitate, vel de illa cœlestis gloriæ inenarrabili specie, ante dies elabitur, quam rei series digeratur.*

a Cap. v.

XI. De B. Manno Perusino, quem Romualdi discipulum faciunt.

Beatum Mannum seu Marinum Romualdi discipulum, monachum olim Valle-castrensem, & ad Perusinam urbem ab eo missum pro construendo sancti Severi cœnobio, circa hunc annum ad superos evolasse, & in eadem sancti Severi ecclesia tumulatum asserit in suis mss. schedis Grandius. Unde hauserit ipse Mannum circa hæc tempora obiisse, ignoramus. Perusinum patria illum facit Cæsar Crispoltus in suo [b] Perusio Augusto; cœnobii vero sancti Severi fundatorem [c] Jacobillius. Nudum nomen Manni inter Beatos, quorum annus & natalis dies ignorantur, profert [d] Minius. Arnoldus etiam Wion [e] in ligno Vitæ inter Sanctos & Beatos ordinis Camaldulensis, quorum dies mortis est in obscuro, affert beatum Mannum, quem ait claruisse Perusii in ecclesia sancti Severi. In catalogo Sanctorum Camaldulensium edito anno 1579. Florentiæ a Philippo & Jacobo Junctis, incentoribus Silvano Ractio & Augustino monachis sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia legitur: *Beatus Mannus sancti Severi Perusii*. Ita etiam in alio, qui lucem aspexit anno 1580. Venetiis apud Johannem Variscum. Suspicamur tamen Mannum aliquot seculis post undecimum floruisse, & ad seculum decimum-tertium esse referendum. Auget suspicionem nostram charta quædam autographa tabularii sancti Blasii de Fabriano, qua Petrus abbas monasterii sancti Salvatoris & sancti Romualdi Vallis-castri tradit ecclesiam sancti Martini de Fracta Perusinæ diœcesis domno Salvo idoneo clerico, & Salvus præstat obedientiam Petro abbati anno M. CC. XXXIIII. die XIII. exeunte januario indictione VII. *Actum in ecclesia sancti Matthei de burgo porte sancte Susanne Perusine coram donno Manno capellano dicte ecclesie*. Chartam damus in Appendice. Mannus ergo, quem Perusinum, & monasterii sancti Severi fundatorem, vel monachum faciunt Perusini, atque inter Beatos collocant, potuerit ex eodem sancti Severi cœnobio destinari ad regendam capellani officio ecclesiam sancti Matthæi, quæ ipsa quoque subjiciebatur monasterio Valle-castrensi. In re satis obscura sufficiunt conjecturæ.

b *Pag.* 97.
c *T. II. p.* 33.
d *Pag.* 24.
e *Pag.* 45.

XII. Chartæ Pratalienses, Sanvictorianæ &c.

Monasterio Prataliæ Amitia filia quondam Leonis per chartulam judicati terram, quæ venditione Inghizi presbyteri sibi obvenerat in territorio Partinæ casali *Contra*, donat *anno Dominice incarnationis M. tricesimo quinto, anno autem domni Cunradi Romanorum imperator augusto nono, mense augusto indictione tertia*. Hujus donationis paginam proferimus in Appendice; de aliis donationibus hujus anni summaria tantum habemus domni Eduardi Baroncinii, quæ sunt hujusmodi. Mense martio [f] Farizus

f *Arch. Cam. §. Donatio. A.* 1. 36.

rizus olim Grimaldi pro anima sua judicavit eidem Prataliensi monasterio portionem suæ ecclesiæ, *que est edificata vel ordinata in honorem & in vocabulo sancte Felicitatis in casali Rode*, *cum terra in casali Sexta*, *vocabulo Prato*, manu Azonis notarii. Mense vero aprili [a] Lambertus olim Alberti & Ermingarda uxor ipsius obtulerunt eidem cœnobio alteram *ecclesiam sancte Felicitatis de casali Fregina*, manu ejusdem. Mense demum januario [b] Corbizo quondam Sigizonis fidem suam obligat Sigizoni abbati Pratali æ de sexdecim sistariis terræ agrestis, *que sunt beneficium ejus*, *& possidet ex parte sancti Donati in plebatu Partine*, *& est sita in Majano in loco Rivogello*, & adstringit se prædicto episcopio sancti Donati servire, & obedire pro iisdem sistariis terræ, quæ abbati Sigizoni assignat, eum investiendo cum promissione defensionis, pro qua obligatione & sponsione recipit *meritum & launechild solidorum centum* ab ipso abbate. *Actum in comitatu Arretino* Widone notario. Ceteræ chartæ, præter nuda nomina terrarum & donatorum, nil continent, quod observationem nostram mereatur.

ANN. CHR. 1035.

a *Ibid. A.* 1.39.

b *Ibid.* §. *Promissio. A.* 1.43.

In monasterio sancti Victoris de Clusis Guiburga, *que Sicca vocata*, filia quondam Adelberti, donat Urso abbati ejusdem monasterii, qui *custos* appellatur, bona posita *infra ducatu Spoletino in strata Ritrorsu castellum Pretosum*. Charta habetur in Appendice.

In tabulis archivi archiepiscopalis Ravennæ legitur sub hoc anno Rainerius abbas sancti Severi in Classe. Is facile successerat Bonizoni, de quo verba fecimus ad annum 1029. quique etiam subscripserat anno 1031. donationi Gebehardi archiepiscopi Ravennatis factæ monasterio Pomposiano, & Guidoni ejus abbati. Rainerius autem locum fecit alteri Bonizoni in abbatia sancti Severi ante annum 1040. ut ad eum annum videbimus.

ANN. CHR. 1036.

XIII. Johannes-gualbertus Camaldulensis eremi incola.

JOHANNES-GUALBERTUS post præclarum, quod dederat caritatis exemplum in proximum, parcens ob Crucis venerationem inimico fratris sui homicidæ, monasterium sancti Miniatis prope Florentiam ingressus fuerat, ut Deo deinceps totus, & totius vitæ suæ tempore deserviret. Post mortem abbatis, a quo ad monasticam vitam susceptus fuerat, fratrum unanimi voluntate in abbatem electus, *subesse potius quam præesse desiderans officium humiliter studuit declinare*, & loco ipsius *Ubertus* monachus *nefaria cupiditate captus* regimen *abbatiæ per pecuniam ab episcopo Florentinæ civitatis accepit. Quod cum vir Domini comperisset*, *cum alio sibi favente clam exinde discessit*, & episcopum & abbatem in foro proclamavit simoniacos, consilio accepto a Teuzone monacho abbatiæ Florentinæ, qui etiam ei, ut cum socio suo *in Romaniæ partes* iret, & *aptum monasterium* inquireret, *ubi posset libere Christo servire*, auctor fuit. Ita factum describit Atto natione Hispanus, patria Pacensis, qui primum fuit Vallis-umbrosæ monachus, tum abbas generalis quartus, demum Pistoriensis in Thuscia episcopus, quique scripsit vitam sancti Johannis-Gualberti, & decessit anno 1153. Cujus narrationis nullum vestigium reperitur in documento Ittæ abbatissæ sancti Hilari, quæ benemerita de Johanne-Gualberto & de ejus sociis, locum, ubi postea excitata fuit congregatio Vallis-umbrosana, eis libenter concessit; hæc enim expresse affirmat, quod *meliorande vite gratia ii cenobium*, *quod multa populositate frequentabatur*, *relinquentes*, *in loco solitario vitam sanctam actitare voluerunt*, ut proinde amore solitudinis, & studio vitandæ frequentiæ populi, qui ad sancti Miniatis monasterium multus confluebat, ductum Johannem ad deseren-

Ann. Chr. 1036.

ferendum cœnobium sancti Miniatis tantum innuat, nullo facto verbo episcopi & abbatis simoniacorum.

Discessus Johannis e monasterio sancti Miniatis ad hunc circiter annum post Mabillonium, & Grandium nostrum est referendus. Nam „ imperator „ Conradus accedens anno 1038. Florentiam una cum uxore sua Gisla au- „ gusta, & filio Henrico rege, ejusque conjuge Cuneilde, & intelligens Jo- „ hannem cum sociis nullam habere in Valle-umbrosa ecclesiam, id sibi ho- „ noris cœlitus reservatum existimans, ut sanctis illis fratribus subveniret, „ (verba sunt Mabillonii) Rodulphum Paderbonensem episcopum, vacante „ post mortem Jacobi episcopi Fesulana ecclesia, Vallumbrosam consecrandi „ oratorii causa misit „. Inverisimile autem est plurium annorum curriculo Johannem ejusque comites caruisse ecclesia pro sacrarum rerum necessitate, si admittenda esset illorum sententia, qui ad annum circiter 1013. Gualberti fugam a San-miniatensi cœnobio, & secessum in Vallem-umbrosam statuunt.

a Annal. T. IV. p. 429.

Antequam tamen in eum locum se conferret Johannes, Camaldulum venit, exploraturus sanctæ eremitarum illorum vitæ tenorem. Sed Attonis supralaudati historiam prosequamur. *Abeuntibus illis*, subdit, *per aliquantos dies ad loca diversa peragrantes, nec sibi admodum apta reperientes, ad Camaldulum venerunt, ubi per multos dies degentes abstinentiam, & conversationem illic habitantium perspexerunt*. Id factum sub Romualdo putabant olim auctores nostri, inter quos Fortunius, ex quo ceteri omnes sumpsere, & præsertim Grandius, qui ea quoque de causa retrahendum post decennium Romualdi obitum conjecit. Fortunius etiam scripsit Johannem una cum Theuzone eremita sub Romualdo Deo se devovisse, & utrumque eremitici observantiam rigoris sub ejus disciplina aliquandiu coluisse. Narratio adventus Gualberti Camaldulum ad magnum eremi incolam Romualdum irrepsit etiam in lectiones Breviariorum Romani & monastici. At si factorum series exacte perpendatur, clare constabit id non potuisse sub Romualdo contingere, qui forte præter annum 1012. quo eremum Camaldulensem fundavit, eam amplius nedum inhabitavit, sed neque invisit. Dicendum præterea foret, ut mox innuebamus, undecim saltem annos sine ecclesia Vallumbrosæ degisse cum sociis Gualbertum; totidem enim excurrunt ab obitu Romualdi ad annum, quo ecclesia consecrata fuit ab episcopo Rodulpho. Adventus ergo Gualberti Camaldulum contigit sub priore Camaldulensi Petro Dagnino, cujus nomen ignorantes scriptores vitæ Johannis, contenti fuere uti voce *prioris Camaldulensis*. Hæc porro habet episcopus Atto: *Tunc prior ejusdem loci volens virum Dei ad sacros ordines promovere, & stabilitatem loci promittere, renuit penitus, quia fervor ejus in cœnobitali tantum vita erat, & secundum beati Benedicti regulam vivere*; & beatus Andreas, Johannis discipulus, alterque vitæ scriptor *peragrantes*, ait, *itaque diversa monasteria, non admodum sibi apta inveniebant, ad Camaldulum venire decrevit, ubi per multos dies degens, abstinentiam & conversationem illorum inspexit, nec non & injuriam pertulit. Tunc prior, qui illo tempore aderat, ad sacrum ordinem eum promovere volens, & ut stabilitatem daret, renuit, quia ejus fervor nonnisi in cœnobitali vita erat, ut beati Benedicti regula indicat*; demum domnus Gregorius abbas Passinianensis tertius scriptor vitæ sancti Johannis-gualberti, qui floruit sub finem XII. seculi: *Multa*, inquit, *post hæc monasteria laboriose requirens, nullumque regulari observantiæ operam dare, prout decebat, & ille optabat, inveniens, ad Camaldulensem congregationem nimio fastigio devenit*,

venit, qui eorum conversationem in omnibus cognoscere sapienter satagens, aliquantis diebus ibi persistit. Nam quidam sanctus vir, qui prioratus officium ibi digne tenebat, & moribus ac vita coram Deo & hominibus decenter decorabat (gloriosum de Petro Dagnino testimonium) *eum diligenter recepit, ac per multos dies caritative retinens, ut ibi perseveraret, & se ad sacros ordines provehi permitteret, devote persuasit; videns autem beatus Johannes magis illos eremiticæ quam cœnobiticæ vitæ sollicitudinem dare, cum ille magis cœnobiticam quam eremiticam optaret, sicut in principio suæ conversionis promisit, & sanctus Benedictus, cujus regulam professus fuerat, describit, idem prior reverenter suadet ei, sicut ipse volebat, discedere, suamque voluntatem Christo duce perficere.* Sed explicanda prius sunt verba illa Andreæ, *& injuriam pertulit*, quæ non significant male habitum Johannem Gualbertum a fratribus Camaldulensibus, sed potius significant inter ceteras jejunii, abstinentiæ, solitudinis & legum eremiticarum probationes, probatam quoque fuisse Johannis tamquam novitii in injuriis & rebus duris tolerandis patientiam, eo scilicet modo, quo in sua regula *sanctus* pater Benedictus præcipit novitium debere probari; adeoque Johannes ejus generis vitæ, eremiticæ nimirum, candidatorum more periculum fecit, sed in ea non perseveravit, quia renuit penitus ob humilitatem promoveri ad ordines sacros. Quare verba trium laudatorum scriptorum non exprimunt ipsius repugnantiam ad subeundam vitam eremiticam, sed rectius repugnantiam ad gradus sacros ecclesiæ consequendos. Scimus Gualbertum toto vitæ suæ tempore indignum se judicasse sacrorum ordinum assumendorum, tantumque detulisse omni gradui ecclesiastico, ut neque ad ostiariatum promoveri voluerit; quare beatus Andreas: *Tantam*, ait, *circa omnes ecclesiasticos gradus reverentiam semper habuit, ut nullatenus aliquando potuerit cogi, nec etiam ostiarius fieri, sed cum ecclesiam ingredi vellet, & fores essent clausæ, eas ingredi nullo modo præsumebat, donec ostiarius, qui illas aperiret, vocaretur*. Ex quo testimonio conjicere licet Johannem Camaldulensem eremum unice deseruisse, ne vel tunc, vel tempore procedente cogeretur sacerdotium suscipere. Animadvertimus tam in Andreæ, quam in Attonis textu, constructionem esse imperfectam; aliquid propterea verborum deficere in ea historia, cum non appareat, cui verbo referatur casus rectus, *prior volens*; & postea auctores illi Johanni tribuant verba illa, *renuit &c.* quare particulæ *nonnisi* & *tantum* non sunt interpretandæ pro exclusione vitæ eremiticæ, quæ ibi non nominatur, sed pro exclusione ordinum sacrorum, quos Johannes præ humilitate & reverentia assumere *renuit penitus*. Tunc præfatus prior Camaldulensis, sequitur Andreas, *imperat discedere, suumque desiderium adimplere; fertur namque divino revelante spiritu* (alterum Petri Dagnini sanctitatis testimonium) *dixisse, vade, & tuum institutum incipe. Qui inde progrediens, ad Vallis umbrosæ locum videre perrexit*. Similia Atto: *Tunc præfatus prior imperat eum abscedere, & suum desiderium adimplere; fertur etiam spiritu revelante divino dixisse: vade, & tuum in nomine Trinitatis incipe institutum*. Eadem habentur in vita, quæ Teuzoni tribuitur, & in aliis auctoribus, qui gesta Johannis Gualberti posteris mandarunt. Putant aliqui Camaldulensem Johannis incolatum habendum esse tamquam simplicem duorum vel trium dierum ejus loci visitationem; verum si suprarelata testimonia perpendantur, luce clarius patebit, non tamquam hospitem ad Camaldulensem eremum accessisse, sed eo animo, ut revera figeret domicilium suum, ibique Deo serviret, quare *per multos dies, aliquantis diebus* ibi degit, & probationem fecit; voluntas tamen ejus impedita

ANN. CHR. 1036.

ANN. CHR. 1036.

dita fuit, tum quia eum Deus ad majora, nimirum ad institutionem novæ congregationis vocabat, tum quia ab ordinibus sacris assumendis maxime refugiebat. Neque locum Camaldulensem posthabuit, quia displiceret ei vita eremitica; cur enim in sua Vallumbrosani cœnobii fundatione locum ita condidit, ut eremi speciem præseferret? Quod testatur Franchius veteris loci formam describens his verbis [a]: „ Non amplam nimirum plateam prope rotundam, & lignorum sepe circumdatam, oratorium cum „ cœmeterio in medio plateæ, viginti cellulas disjunctas & separatas hinc „ inde, & retro oratorium dispositas, & duodecim alias cellas capaciores „ & inter se distinctas pro officinis. " Cur insignem exstruxit præterea cellarum eremum prope monasterium Vallumbrosanum? Cur & ipse, & tot insignes ejus alumni eremiticam vitam prætulere, plusquam cœnobiticam, non in ipsam tantum eremum secedentes, sed etiam solitaria sibi loca prope alia ejusdem congregationis cœnobia statuentes? Verum hæc diffusiore calamo tractat Grandius noster in responsionibus ad Soldanium, qui Soldanius & ipse ab ea sententia non est valde alienus, dummodo mitiori sensu, ut etiam nos constituimus, constituatur discipulatus Johannis Gualberti sub priore Camaldulensi, eodemque sensu dumtaxat semina Vallis-umbrosanæ congregationis in Camaldulensi congregatione præextitisse agnoscantur.

a Pag. 100.

XIV. Vallumbrosanam congregationem fundat.

PERVENIENS itaque Vallumbrosam, sive Aqua-bellam hoc circiter anno Gualbertus, invenit eremum a viginti-quatuor annis olim ruditer constructam a Romualdo, duosque inibi hujus discipulos, Paulum & Gunthelmum eremitas, quibus se conjunxit. *Ergo inde*, nempe a Camaldulo, *cum suo commilitone digressus ad Vallumbrosam pervenit, ubi duos fratres, Paulum scilicet, & Gunthelmum inveniens, longiuscule a se divisos, Deoque servientes, ac se devote ac alacriter recipientes, commanere ibidem statuit, & in sancto proposito, sicut diu concupierat, Deoque spoponderat, eodem loco admodum sibi placente, perseverare deliberavit. Qui ibi religiose ac per omnia monastice commorante, ac de bono in melius in sancta conversatione per singulos dies proficiente* &c. sicut prosequitur Gregorius Passinianensis. Post biennium constructa & consecrata fuit ecclesia ab episcopo Paderbonense Rodulpho, & anno sequenti, hoc est anno 1039. Itta nobilissima abbatissa sancti Hilari celebrem illam donationis chartam pro novis colonis ejus loci confecit, quæ legitur apud Ughellium, [b] qua & eorum sanctitatem declaravit, & inopiam relevavit. Sed hactenus de Johanne Gualberto.

b T. III. col. 231.

XV. Chartæ Camaldulenses & San-gregorianæ.

IDEM Petrus Dagninus prior Camaldulensis, de quo verba mox fecimus, insolito apud Camaldulenses eremitas titulo, in charta hujus anni ad Appendicem amandata nominatur: *Petrus abbas de ecclesia & monasterio eremitarum sancti Salvatoris de loco, qui dicitur Campo amabilis*. Qui titulus, licet potuerit a notario imperito apponi, non videmus tamen, qua ratione passus fuerit Petrus, ut sibi tribueretur, nisi dicere velimus, parvum ipsum putasse intercedere discrimen inter voces *prior*, *pater*, *abbas*. Simili titulo decoratur in alia charta anni 1038. ubi appellatur: [c] *Petronus abbas de ecclesia Dei, & sancti Salvatoris de loco & a vocabulo campo amabilis*. Ipsi pariter & eremo Camaldulensi possessionem suam positam in territorio Partinæ, casali *Monte* cum casis, vineis, terris, curtibus mense aprili hujus anni 1036. offert Donellus quondam Ardimanni cum Maria conjuge sua.

c Arch. Fontis-boni §. Donatio A. 1. 45.

Benedictus opifex Soppo a Stephano religioso presbytero & monacho atque coangelico abbate monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe,

Ann. Chr. 1036.

be, qui Johanni successerat, vel cum eo monasterium regebat, cum *coangelicus* appelletur, obtinet libellum emphyteusis pro viginti-quinque annis fili Salinarum positi in *Vosdiviaria vetula*, cum pensione adducendi *quinquaginta rucla salis* &c. *ad cellam monasterii, quam habetis ad regionem sancto Apollinario. Anno quarto pontificatus domni Benedicti noni pape, indictione nona*, sed legendum indubie *quarta*. Regio, sive ut clarius habetur in alia charta Gregoriana, ecclesia sancti Apollinaris, quæ erat membrum monasterii sancti Gregorii, posita erat facile prope portam Appiam, ubi cœnobium hoc plura bona alia obtinebat, & ex Bosio [a] ac ex Martinellio [b] intelligimus, præter ecclesiam sancti Apollinaris ad Circum Agonalem, & præter aliam ad porticum veteris basilicæ sancti Petri, tertiam fuisse sancto martyri Apollinari dicatam in viciniis ejusdem portæ Appiæ, sive Capenæ. Ibi proinde facile requirenda erunt cella, & monasterium sancti Apollinaris Gregoriano cœnobio subjecta. Vox *ruclum* desideratur in Cangii glossario, & in ejus supplementi auctoribus, quæ, ut liquet, mensuram salis significat.

a *Lib. III. cap* 17.

b *Roma Sacra cap.* 12.

Ann. Chr. 1037.

XVI. Immo ep. Aretinus beneficus in eremum Camald.

IMMO, qui etiam appellabatur Emmo, Biremfridus & Hirenfridus, superiori anno suffectus fuerat Theodaldo demortuo episcopo Arretino; annus enim 1041. dicitur præsulatus ipsius annus quintus in charta [c] archivi ecclesiæ Arretinæ. Dum ergo initio sui regiminis cum *cardinalibus clericis* suis *singulas plebes & monasteria* visitaret, devenit in *locum, qui dicitur Campus Malduli in mediis alpibus Thusciam & Romaniam dividentibus, in quo loco pie recordationis antecessor noster Theodaldus episcopus ecclesiam in honore Salvatoris domini nostri Jesu Christi edificavit, & quosdam fratres inibi deputavit, qui sub domno Petro venerabili eremita superni regni coheredes effecti, terrena patrimonia intra sacrarium celestis aule transtulerunt, atque singuli in singulis cellulis constituti, dum sese toto nisu ad superna erigunt, mentis oculos in conditoris desiderio figunt*. Jam ad annum 1012. conciliavimus, qua ratione sub Theodaldo Arretino episcopo, qui episcopatum anno dumtaxat 1023. assumpsit, ecclesia sancti Salvatoris ædificata vel consecrata fuerit, & tamen fundamenta eremi Camaldulensis ad prædictum annum 1012. sint assignanda. Excurrit deinde Immo in laudes sanctorum illorum eremitarum. *Sunt igitur*, inquit, *viri Deo pleni, igne divine contemplationis succensi, spiritu ferventes, Domino servientes, quibus visis multo gaudio repleti fuimus, agentes dignas Deo gratias pro eo, quod tales in nostro episcopatu Christi reperimus servos. Quapropter nosmetipsos, & cunctum clerum & populum nostrum eorum sanctis commisimus orationibus, deprecantes, ut tanto magis apud omnipotentis misericordiam pro nobis intercessores existant, quanto magis per divinam contemplationem Christo appropinquant*. Confirmat insuper iis eremitis ea ratione, quia *externis, que negligunt*, sunt *tenues*, omnia, quæ donaverat ejus antecessor Theodaldus, & adjungit de novo aliam *medietatem ecclesie sancti Miniatis in villa, que dicitur Alina*, cum pluribus aliis *mansis in sumptum & alimoniam confratrum eremitarum*. Præcipit ulterius, *ut unusquisque homo, quicumque habitat infra plebem sancte Marie in Partina, & sancte Marie in Bujano, & sancti Hippolyti in Biblena ex nostra auctoritate tollat unum sextarium frumenti de sua decimatione, & fratribus eremitis offerat in ecclesia sancti Salvatoris ibidem in Campo Malduli, ad eorum parsimonie victum & vestitum, sicut ab antecessore nostro T. episcopo est decretum & a nobis confirmatum. Hoc autem in mense augusto per singulos annos adimpleat, quicumque de supradictis plebibus in regno Christi partem habere*

c *Num.* 122.

Ann. Chr. 1037.

desiderat. Hanc autem donationem *communi sigillo sancti Donati* muniri jussit *per manus Gerardi primicerii & cancellarii sui anno dominice incarnationis millesimo trigesimo septimo indictione* ..... quæ erat *quinta*. Sigillo imprimendam jussit effigiem sancti Donati Arretini primi episcopi, cujus se *vicarium* Immo appellat. Privilegium hoc ex archivo Fontis-boni a nobis descriptum remittimus ad Appendicem.

XVII. Placitum in favorem abbatiæ Berardingorum.

Placitum hoc ipso anno *in comitatu Senense prope burgo, qui dicitur Arbia* (locus est prope fluvii ejusdem nominis ripam, celebris cæde sancti martyris Ansani) tenuit *Hermannus Coloniensis archiepiscopus & archicancellarius sacri palatii una cum Bertolfus comes missi domni Conradi invictissimi imperatoris ad singulorum hominum justitias faciendas*, in quo Hermannus judicavit ad favorem Uberti venerabilis abbatis *ex monasterio sancti Salvatoris sito in Campo ibi, qui dicitur Fonte bona*, quod appellabatur etiam Berardingæ seu Berardingorum. Produxit in eo placito Ubertus, una cum Widone notario advocato suo, *documentum Winisi, qui fuit comes, filius bone memorie Raghinarii, qui simul cum Richilda ejus conjuge* anno 887. ut ad annum 1003. vidimus, inter cetera bona in loco, qui appellabatur *Clatina* vel *Calatina*, curtes & ecclesiam sancti Petri ibidem posita donaverat eidem monasterio, quarum tamen jus *Rainerius filius bone memorie Ghisolfi & Ildebrandus & Wido & Enricus germani filii bone memorie Isalfridi* turbare tunc audebant; & licet sæpius coram dictis missis imperialibus Ubertus abbas causam dixisset, lis tamen indecisa pendebat, quia adversarii a judicio toties se subtrahebant. Ad Uberti igitur querimoniam aures præbens Hermannus, per fustem, quem in suis tenebat manibus, ipsum in dictæ curtis & ecclesiæ possessionem immisit, *mittens bannum domni imperatoris in auro optimo libras centum*. Inter ceteros, qui huic placito affuerunt, recensentur *Johannes venerabilis sancte Senensis ecclesie episcopus, & alius Johannes Lucensis episcopus, & Wido Clusiensis episcopus, & Raineri comes filius bone memorie Widoni, qui fuit comes, & Gherardus, & Albertus, & Ubaldus, & Gesbertus, & Farolfus judicibus domini imperatoris, & Lambertus & Petrus notarii domini imperatoris, & Rainerii & Walfredi germani filii bone memorie Walfredi, qui fuit comes, & Raineri de Rosino filio bone memorie item Raineri, & Ugonem filiis bone memorie Ubaldi, & Petro filius bone memorie Vivenzi comes* &c. Uberti Berardingorum monasterii abbatis apud Benvoglientium [a], ex contractibus abbatiæ ejusdem, reperiuntur monumenta etiam sub anno 1035. Successerat ipse Widoni, cujus mentio fit [b] in eodem chartulario ad annum 1014. in quadam permutationis charta facta inter ipsum, & Ubertinum filium Rainerii. Superius placitum publici juris fecerunt [c] Ughellius, [d] Muratorius & [e] eques Peccius; nos ipsum iterum edimus in Appendice ad hujus monasterii illustrationem ab exemplo, quod idem Benvoglientius olim Grandio nostro transmisit.

a *Pag.* 1147.
b *Pag.* 155.
c *T. III. col.* 536.
d *Antiq. med. ævi. T. II. col.* 963.
e *Storia de' Vescovi di Siena p.* 111.

XVIII. Præceptum Conradi imp. pro cœnobio S. Apollinaris in Classe.

Conradus imperator, qui missos suos per regnum ad justitiam faciendam dirigebat, Ravennæ interea morabatur. In ea urbe sanctum Pascha celebravit die x. aprilis, & xvii. die ejusdem mensis insigne privilegium concessit Lamberto abbati sancti Apollinaris in Classe, ad cujus petitionem omnia ejusdem cœnobii bona, enumeratione facta, confirmavit, & sub imperiali sua protectione recepit. Multoties in nostris Annalibus de Classensi sancti Apollinaris cœnobio verba fecimus, ejusque originem & historiam per annos distribuimus; non incongruum autem erit hic loci recensere, & per compendium illustrare monasteria & ecclesias, quæ subjecta tunc temporis ipsi erant, ad fidem veterum privilegiorum, & præsertim

tim hujus privilegii Conradi. Nominat ergo Conradus primo loco: *In territorio Tudertino monasterium unum, cui vocabulum est sancta Luminata.* Si [a] Jacobillium audiamus, erectum fuit hoc cœnobium a sancto Romualdo sub titulo sanctæ Illuminatæ, quam virginem Ravennatem & martyrem facit ipse, & Fabrius in sacris memoriis antiquæ Ravennæ. Forte Romualdus suæ concivi templum erectum voluit. Docuit nos per literas Cl. V. Johannes-andreas Johannellius Tudertinus presbyter in eodem territorio duo extitisse sanctæ Illuminatæ monasteria, aliud in Papiniano sive prope terram Massæ, a Tuderto quinque milliaribus distans, aliud vero prope castrum Guardejæ, seu Alvianum ad regionem Tiberis, & utrumque vetustissimum; ferre loci traditionem primum erectum fuisse desinente seculo x. a nobili & antiquissima Tudertina familia Bentinvenga domina Massæ, Aqua-spartæ & proximorum castrorum, quod nunc commendatariis inservit; alterum autem suppressum fuisse seculo transacto, aggregatis ipsius bonis ecclesiæ parœciali sanctæ Mariæ Ulmi Ameliensis urbis.

a *SS. Umbriæ T. II. p.* 28.

b *Mem. di Rav. p.* 264.

Sequitur Conradus: *In comitatu Perusino cellas quinque, quarum una est fundata in eadem civitate Perusia, cujus vocabulum est sancti Severi, secunda est cappella sanctæ Margaritæ in massa Saliatica cum omnibus casis & casalibus, cunctisque appenditiis earum; tertium est monasterium sancti Petri, quod est fundatum in Colle; quartum est similiter in honore sancti Petri, & est situm in Valle de ponte juxta fluvium Tiberis; ex altera vero ripa Tiberis est quintum positum in honore sancti Fortunati.* Cellæ nomine veniebant parva monasteria, in quibus vel unus residebat monachus vel pauci. Perdurat adhuc in congregatione nostra monasterium Perusinum sancti Severi, quod distinguendum est ab ecclesia itidem sancti Severi, cujus medietatem [c] Rodulphus episcopus Perusinæ ecclesiæ confirmat canonicæ sancti Laurentii, ac Johanni archipresbytero & successoribus ejus anno 1128. mense seprembri indictione sexta, & [d] Johannes pariter Perusinus episcopus Bertraimo archipresbytero cum medietate turris anno 1146. mense novembri indictione nona, & similiter [e] Fridericus imperator anno 1163. indictione XII. ex urbe Laude, [f] Alexander III. quoque ex Benevento IV. nonas majas anno 1169. indictione II. ac [g] Clemens III. anno 1189. XVI. kalendas junii canonicis confirmant, ut habetur in volumine viridi canonicorum cathedralis ejusdem ecclesiæ sancti Laurentii de Perusio. Hæc enim appellabatur ecclesia sancti Severi de Platea Perusii, & conferebatur ab archipresbytero canonicorum; illa vero primum sub monasterio Classis longo tempore, postea sub alio nostro sancti Johannis-evangelistæ de Burgo sancti Sepulcri perseveravit, & demum sui juris facta fuit. Residet in conspicuo loco, eamque in venustiorem formam his postremis annis una cum adjuncto cœnobio de novo refecit domnus Aurelius Guidottius Lucensis, congregationis nostræ olim præses generalis, & perpetuus ipsius monasterii abbas. Cappella *sancte Margarite in massa Saliatica*, anne evasit inde abbatia sanctæ Margaritæ monialium ordinis sancti Benedicti, quam Gregorius XIII. papa curæ & admistrationi abbatis sancti Petri ejusdem urbis commisit anno 1576? Monasterium vero *sancti Petri in Colle*; aliud similiter constructum *in honore sancti Petri situm in Valle de ponte juxta fluvium Tiberis* ubinam forent, monumentorum defectu non liquet. Idem Johannellius nos admonuit in territorio Tudertino versus meridiem & occidentem vulgo putari extitisse jamdudum Camaldulensium monachorum monasterium appellatum sancti Petri in Valle, cujus adhuc superest ecclesia sub parœcia Collis-longi, & prope castella Moruzæ & Aqualoreti, quæ ecclesia ad hodiernam diem abbatia nominatur, & cujus bona

c *Pag.* 8.

d *Pag.* 9.

e *Pag.* 13.

f *Pag.* 15.

g *Pag.* 50.

ANN. CHR. 1037.

bona commendata sunt una cum aliis bonis ecclesiæ sancti Bartholomæi Aqualoreti. Membrum sancti Petri de Vallibus erat ecclesia sancti Johannis-baptistæ de Ilci aut Elce, adhuc existens in via Romana, quæ a Tuderto Perusium ducit, quam modo obtinent moniales sancti Francisci Tuderti; in regesto ecclesiarum Tudertinarum, quæ canonem solvunt episcopo, confecto anno 1395. legitur: *Monasterium sancti Petri in Vallibus ordinis sancti Benedicti regitur per abbatem & monachos.* [a] Apud Giattum in historia Perusina aliud monasterium pariter sancti Petri Vallis Resinæ in territorio Perusino versus Fractam & Civitellam reperitur, cujus abbatissa erat anno 1007. Armingalda filia Rodulfi comitis, monasterii hujus fundatoris. Nec plura scimus. Tempore Leonis papæ IX. monasterium extabat sanctæ Mariæ in Valle de ponte, cujus abbati Johanni exemptionem Romanus pontifex concedit ab episcopo Perusino penes [b] Muratorium, & quod hoc eodem anno 1037. Andreas episcopus Perusinus refutavit domno Benedicto papæ IX. in concilio Romano [c]. Quinta demum cella, seu monasterium positum erat *ex altera ripa Tiberis in honorem sancti Fortunati*; Jacobillius vult ipsum in sanctæ Romanæ honorem sub titulo sancti Fortunati fuisse ædificatum. De præfatis omnibus monasteriis vel cellis verba fecit idem Jacobillius; videnda etiam, quæ nos diximus ad annum 1007. neque a vero abludere existimamus Romualdum nostrum plura ex his construxisse, & inhabitasse, vel reformasse, ac operam dedisse, ut monasterio sancti Apollinaris Classis subjicerentur, atque regenda committerentur ejus cœnobii disciplinæ.

a Perug. Pontific. Lib. V. p. 175.

b Antiq. med. ævi T. VI. col. 333.

c T. XI. Conc. Lab. col. 1283.

Pertinentia ad idem cœnobium sancti Apollinaris in Classe, & sita *in comitatu Eugubino in massa Bignoli* enumerat Conradus *curtem Pretorium, & aliam, que vocatur Monte Baroncelli; tertiam vero, que vocatur Narcianula*, hac postrema constructa erat sancti Apollinaris ecclesia, quæ anno 1084. concessa monasterio sanctæ Crucis Avellanæ a Tebaldo de Narcianula, ab ipso appellatur *de jure sancti Apollinaris in Classe de Ravenna.*

Recenset Conradus ulterius *in comitatu Firmano curtem, que vocatur Campo-longo*, & duo castra, *unum, cujus vocabulum est Pausuli*, alterum, *ubi turrem edificata est, & est vocabulum Petrorii.* Curtis autem Campi-longi a flumine *Tena, a comitatu Camerino, a fluvio Potentino, & a littore maris* circumscribebatur. Hæc videntur ea prædia, quæ *ex fiscali possessione in Firmensis monarchiæ partibus recompensavit*, ut Damianus ait, Otto III. Classensi cœnobio pro aliis prædiis, quæ cesserat idem Classense monasterium monasterio sancti Adelberti recens extructo ab eodem imperatore anno 1001.

In comitatu Senogalliensi confirmat eidem Classensi monasterio Conradus *mansam Merolariam, & casale quod vocatur Mauri*, & tres fundos *Ingalati, Arile & Donatianum.*

In comitatu Fanensi monasterium Classense quatuor obtinebat cœnobia; primum cœnobium erat *sancti Viti*; hoc vidimus Johanni cantori ecclesiæ Fanestris, & uni ejus successori commendatum anno 945. a Petro archiepiscopo Ravennate; verisimile est subsequentes archiepiscopos ordinandum ipsum concessisse abbatibus sancti Apollinaris de Classe. Alia cœnobia in eodem comitatu erant *sancti Martini, sancti Apollinaris* & *sancte Marie* (forte de Arzilla). Horum monasteriorum confines assignantur *fluvius Suasanus, Aqua-albella, rivus qui vocatur Maturio & Sassobartis ac jura sancti Laurentii*, nempe monasterii sancti Laurentii in Campo; similes confines bonis Classensibus sancti Apollinaris in territorio Fanensi assignat Adrianus papa I. in privilegio anno 782. concesso Dominico abbati ejusdem

dem monasterii, ut diximus ad annum 926. In eadem Fanensi civitate possidebat cœnobium Classis ecclesias tres, *unam in honorem sancti Viti, aliam in honorem sancti Christophori, que est edificata in muro publico, tertiam in honorem sancti Apolenaris cum casis & edificiis tam in civitate, quam extra civitatem*. Ottonis III. tempore anno 1001. Hardefadus, & tempore Henrici I. anno 1009. Bonus abbates sancti Apollinaris Classis postulaverant ab iis imperatoribus, ut liceret *sibi facere in civitate, que dicitur Phano, posterulam in puplico muro, in loco illo, ubi propriam terram infra & extra habent, & juxta murum, qui vocatur Dapenna, ecclesiam edificare*. Videtur hæc fuisse ecclesia sancti Christophori, *edificata in muro publico*, quæ proinde post annum 1009. constructa fuerit.

Ann. Chr. 1037.

In comitatu Pisaurensi confirmat Conradus *villam Tressale*. De hac villa, quæ etiam anno 987. juris erat Classensis cœnobii, chartam exhibuimus ad eumdem annum. Insuper *curtem Vallicellam, castrum Florentium*, & *fundum* vocatum *Ronco Raviniano*.

In comitatu *Ariminensi massam, que vocatur Utiaaa, & castrum Gajo*; hoc appellatur modo Ribanum; *massam Branchese & Ruffiense*, & *curtem cum castro, quod vocatur Pissatellum*. In comitatu *Cesenate curtem Sucuniano*. In comitatu *Sarcinate* recenset *monasterium sancti Angeli cum curte integra, que vocatur de Plano, cum castro, & turri ibi edificata*. Monasterium sancti Angeli est Vergaretanum sancti Michaelis, fundatum a sancto Romualdo anno 986. de quo ad eum annum aliqua diximus, dicemusque in consequentibus. In comitatu *Foropompiliensi curtem cum castro Balneolo*. In comitatu *Liviensi* massam *Barisianam* & curtem *Portisiago*. In comitatu *Faventino* curtem *Quadratam, fundum Trentula, & Pituli, Susciana, Saltum majorem & minorem, Granariolum, Coriolagum* & *Presentianum*. In donatione Johannis V. archiepiscopi Ravennatis facta cœnobio Classensi anno 731. & sculpta in marmore, de qua nos ad annum 926. fundus *Trigintula* in Faventino, fundus vero *Pittuli* in Corneliensi territoriis constituuntur.

Prosequitur Conradus, & enumerat in comitatu *Corneliense monasterium, quod dicitur sancti Petri*. Ubinam hoc monasterium? In quadam charta tabularii archiepiscopalis Ravennæ nominatur ad annum 927. inter ecclesias Imolensis territorii *plebs sancti Petri intra silvas*, & in alia anni 1268. ecclesia sancti Petri in Crusula. Abbatia titulum gerens sancti Petri in Sala diœcesis Imolensis anno 1126. ab Honorio II. papa data, & ab Eugenio III. confirmata episcopo Imolensi anno 1151. legitur apud [a] Ughellium, & apud [b] Lubinum ex auctore chronici Vaticani. Massam insuper *Quintam & Solustram* in eodem territorio confirmat imperator. In supralaudato pariter privilegio Adriani I. nominantur bona constituta in *plebe, que vocatur Solustra in territorio Corneliense*. In comitatu *Ariminensi curtem, que vocatur Fontana Sabbatina*, & aliam *Salam* appellatam *cum ecclesia sancte Marie ibi edificata*, & aliam *Salam, que dicitur nova*, quarum confines *fluvius, qui dicitur Pisciatellus, Vetreta, Paverianum, limes, qui dicitur Arzer, percurrens a Paveriano usque in stradella, & rivus, qui vocatur de Fabrica definiens usque in mare, & ipsum litus maris*. Concedit etiam *quidquid regale est in Castaleto, & in Bulgaria & Branchise, & castrum unum, quod vocatur Casaliclo*. Similia habentur in privilegiis Ottonis III. & Henrici I. imperatorum.

a T. II. col. 625.

b Notitia abbat. Italiæ p. 352.

In territorio Ravennate *in Decimo* Classensi cœnobio subjecta recensentur ab imperatore Conrado ecclesiæ *sancte Marie in Batiano, sancte Marie in Pratella, & altera cum curte integra, que vocatur Aqua-longa*.

Hæc

Ann. Chr. 1037.

Hæc postrema dicata erat sancto Martino, ut exprimitur in supradictis Ottonis & Henrici præceptis, quinimmo ea existebat ipso Agnelli tempore, & ante Agnellum, cum sub anno 780. monasterii nomine gauderet; ipso enim anno invadere tentabat locum hunc Johannes ejusdem nominis VII. archiepiscopus Ravennas, ut in ipsius vita scribit [a] idem Agnellus. Aliæ vero duæ sanctæ Mariæ ecclesiæ extabant in plebe sancti Cassiani, earumque dominium numquam interturbatum possedisse imposterum monasterium sancti Apollinaris eruitur ex chartis collationum ipsarum ecclesiarum in archivo Classensi adservatis. Confirmat etiam *curtem, que vocatur Gamellaria*; de ista Johannes V. archiepiscopus Ravennas hæc scribit in supralaudata donatione: *Fundum Gammillaria casalibus undique vallatum cum suis terminibus, sicut textus donationis designat, aptum servis Domini Ravennati territorio situm*. Præterea adhærens basilicæ Classensi *monasterium sanctorum Marci, Marcelli atque Felicule cum fundis & casalibus, & omnibus sibi pertinentibus tam in civitate Ravennate, quam extra civitatem*, quod eidem cœnobio Conradus privilegio suo præsenti corroborat, memoravimus ad annos 926. & 992. Mentionem etiam facit imperator monasterii, *quod vocatur sancti Vincentii intus in civitate Ravennate* cum casis undique positis. Fabrius in monumentis sacris urbis [b] Ravennæ ignorat hujus monasterii fundationem, illud unice asserens antiquiorem ejus monasterii vel ecclesiæ memoriam contineri in charta Gualterii archiepiscopi Ravennatis anni 1138. verum ex hoc Conradi præcepto liquet extitisse etiam hoc seculo, & quidem sub jure nostri cœnobii Classensis. In charta etiam anni 907. tabularii archiepiscopalis Ravennatis nominatur *regio sancti Vincentii*. Ipsum possederunt Classenses monachi usque ad annum 1610. quo dereliquerunt ecclesiam, facta ipsius renuntiatione cardinali Petro Aldobrandino. Falluntur, ut observat idem Fabrius, qui putant (eorum numero accensendus est Rubeus [c]) in monasterio hoc Ravennate sancti Vincentii Petrum Damianum exarasse vitam sancti Romualdi, cum monasterium sancti Vincentii, quod inhabitavit Damianus, existeret apud Petram-pertusam quinque milliaribus ab Urbinate, & quinque a Foro-semproniensi urbibus distans. Recenset idem imperator *monasterium, quod vocatur sancti Eleuchadii & sancti Probi*. De hoc in Classe constructo multa diximus ad annum 965. eo enim anno ab ipso monasterio seu ecclesia asportata fuere in urbem corpora plurium sanctorum archiepiscoporum, qui tumulati erant in ea ecclesia, quam debitis obsequiis multo tempore coluerunt Classenses monachi. Largitur etiam imperator Conradus *terras & silvas circumpositas* ejusdem *monasterii in terra fines & terminos earum, ab uno latere ripa, que dicitur Ursaria, usque ad litus maris, percurrens ipsum litus cum suis finibus milliariis tribus, ab ipso autem litore sive etiam usque ad portum Classicanum, quartum autem latus aqua, que vocatur Rofredena, & villa nominata Balneolo*.

In *comitatu Forosemproniense* nominatur ut Classensi subjectum *monasterium sancte Suphie*. De hoc nil præterea scimus; In *comitatu vero Ficoclensi* recensentur *omnes res, quantascumque detinere quacumque scriptione vel deliberatione videmini*.

Insuper *infra civitatem Ravennatem monasteria duo, unum quod vocatur sancte Marie in Pace cum casis & hortis undique positis cum suis terminis, & alium quod nominatur sancte Marie in Ortale cum casis & hortis & cum puteis* &c. De hac utraque ecclesia scribit Fabrius [d], primam mentionem occurrere in Gualterii archiepiscopi donatione, sed nos eas ad tempora Conradi extitisse ostendimus præsenti diplomate. Immo illam sanctæ Mariæ

riæ

a Par. II. p. 445.

b Pag. 354.

c Lib. V. p. 275.

d Pag. 129. & 259.

riæ in Horto extitisse seculo x. jam diximus ad annum 957. quo Petrus archiepiscopus Ravennas privilegio suo ipsam monasterio Palatiolensi contulit & adjunxit. Præterea ante Petri ejusdem ævum Fredebertus fuerat illius monasterii abbas. Ecclesiam sanctæ Mariæ in Pace appellari in veteribus chartis modo sanctum Apollinarem, modo *parvum* sanctum Apollinarem asserit idem Fabrius.

Ann. Chr. 1037.

In *territorio Comaclīense* confirmat Conradus cœnobio Classensi *monasterium*, cujus vocabulum est sanctorum Quadraginta & sancti Viti. In charta tabularii archiepiscopatus Ravennatis spectante ad monasterium sanctæ Mariæ in Auregario, & confecta anno 956. quam etiam ad eum annum protulimus in his nostris Annalibus, nominatur in eodem territorio *plebs sancti Viti in insula*. Ex Peregrini pariter Prisciani Ferrariensis collectaneis [a] laudatur a Muratorio privilegium Leonis summi pontificis (sedit is anno 964.) imperante Ottone I. monasterio Aulæ-regiæ civitatis Comaclensis datum, ex quo clarissime demonstratur Comacli oram omnem insulis undique repletam tunc temporis etiam fuisse, tum affert nonnulla ejusdem bullæ excerpta, scilicet, *monasterium sanctorum Viti & Modesti in loco, qui vocatur Insula, & cum vallibus & paludibus sibi pertinentibus infra se, & secus se*. Monasterium ergo hoc olim ad Aulam-regiam pertinens videtur hoc anno pertinuisse ad monasterium Classense sancti Apollinaris, nisi forte pertinuerit etiam antea, nam plura *in territorio Comaclo & in insulis maris Adriatici* monasterio Classensi sancti Apollinaris de jure suo reliquisse Almericum marchionem testamentariis suis tabulis vidimus ad annum 948. Demum in comitatu *Faventino* recenset Conradus *fundum cum castro suo*, & in comitatu *Sarcinate massam, que vocatur Civorio cum castro* pariter *& turre sua*. De jurisdictione Classensis monasterii in castrum Civorium plura alibi dicemus. *Datum* est Conradi præceptum XV. *kalendas maji anno dominice incarnationis* M. XXXVII. *indictione* V. *anno autem domni Chonradi secundi regni* XIIII. *imperii* XI. *Actum Ravenne. Kadelohus cancellarius*, futurus inde Parmensis episcopus, tum antipapa contra Alexandrum II. *vice Erimanni archicancellarii*, quem vidimus hoc eodem anno ad justitias faciendas alibi missum, privilegium *recognovit*. Pendent adhuc ex diplomate fila sigilli deperditi; sed jam integrum in Appendice ex tabulario Classensi damus.

a *Antiq.* T. V. *col.* 428.

XIX. Charta pro S. Victore de Clusis.

Oufredus, *qui Bambo vocatur*, Urso abbati sancti Victoris de Clusis ejusque monasterio donat res *juris sui positas infra territoriu Castellu Pretosu in locum, qui dicitur Larcianu, in vocabulo Campatellum; anni Domini mille treinta & septe & regnante domino Conrado magnu imperatore anno ejus decimo, & die primo mense aprelis per indiccione quarta*. Indictio & anni Conradi indicant annum antecedentem; quare corrigendi sunt anni Domini, & reponendus annus mille triginta & sex in charta ceteroquin autographa, quam descripsimus ex tabulario sanctæ Catharinæ de Fabriano & ad Appendicem amandamus.

Inter plura monasteria, quæ in concilio Romano hujus anni, ut superius innuimus, *Benedicto* IX. *papæ consecratori suo refutavit Andreas episcopus sanctæ Perusinæ ecclesiæ*, nominatur *etiam* [b] *monasterium sancti Salvatoris*, quod credimus illud fuisse, quod appellabatur *Montis-acuti*, a Romualdo excitatum, inde a Petro Damiano inhabitatum ac rectum; principalis nunc sedes est eremitarum nostrorum Coronensium.

b T. XI. *Conc. Lab. col.* 1283.

Cor-

Ann. Chr. 1038.

XX.
Corpora quinque fratrum e Gnesna Pragam deducuntur.

CORPORA quinque fratrum hoc anno ex Gnesna Pragam a Bretislao Bohemiæ duce armorum vi transferuntur. Cosmas Pragensis decanus non multum ab ea ætate remotus, narrata translatione corporis sancti Adalberti facta per Bretislaum Bohemiæ principem, hæc subdit: [a] *Visum est duci & episcopo* (Severo Pragensi) *ut quinque fratrum reliquias sancto corpori adjunctas, quorum de vita & passione, Deo donante, relaturi sumus, qui in eadem civitate, sed in alia ecclesia, quiescebant, pariter cum summa diligentia transferant. Quid multa? Ventum erat cum omni sacra sarcina in prosperitate & lætitia Bohemiam, & in vigilia sancti Bartholomæi apostoli prope metropolim Pragam castrametati sunt circa rivulum Rokitrucam, ubi lucescente die clerus & universa plebs cum processione occurrit, cujus longam seriem latus vix explicuit campus. Talis enim processio fuit. Dux ipse & episcopus humeris subnixi dulce pondus portant martyris Christi Adalberti. Post simul abbates ferebant reliquias quinque fratrum, deinde archipresbyteri gaudent onere Gaudentii archiepiscopi, quos electi duodecim presbyteri, vix sustentantes pondus aurei crucifixi, sequuntur.* Similia tradit auctor chronici Bohemici apud Menckhenium [b]. Brevius chronographus Saxo [c] ad annum 1034. *Interim Polonia a vicinis nationibus & maxime a Bohemis multum devastata est, & reliquiæ sancti Adalberti, sanctorumque Benedicti & Johannis cum ceteris de eadem provincia translatæ sunt.* Eamdem sacrorum corporum in Bohemiam deportationem enarrant Hagecus in chronico, canonicus Pulkava, Dubravius, Pontanus, Weleslavinus, martyrologium vetustissimum Pragensis ecclesiæ apud Balbinum [d], cujus etiam dissertationem de relatione corporis sancti Adalberti Pragam inserit suæ Adalbertinæ vitæ Godefridus Henschenius.[e]

a *Apud Menckhenium T. I. col.* 2021.

b *T. III. col.* 1658.

c *Pag.* 244.

d *Rerum Bohemicar. lib. III.*

e *T. III. Aprilis p.* 202.

Quidquid sit de translatione corporis sancti Adalberti, id quod viderint Poloni super hoc facto plurimum digladiantes cum Bohemis, existimamus nomine quinque fratrum, quorum corpora in Bohemiam asportata dicuntur, non venire Romualdi discipulos Johannem & Benedictum, Matthæum, Isaac & Christinum socios martyres & eremitas, qui vixere in Casimiritana solitudine, quorumque mentionem fecimus ad annum 1008. sed putamus venire quinque fratres, non *sanguine*, *sed ordine*, ut loquitur Menckhenius, sancti Adalberti, olim ejus contubernales in monasterio Brewnoviensi, qui & ipsi post mortem sancti eorum ducis ex Bohemia in Poloniam se receperant, eremiticæ vitæ operam daturi, ut ad annum 1001. diximus. Polonorum enim eremitarum non quinque, sed sex erant corpora, adjuncto Barnaba, quem in eadem tumba cum ceteris sepeliri jussit Boleslaus. Deinde hi postremi videntur Casimiriæ potius, quam Gnesnæ tumulati; præterquamquod qua ratione Bohemi etiam in hæc corpora jus sibi usurparunt, nisi ratione Adalberti? & ut Adalbertum utpote episcopum olim suum in patrio solo sepulcrum habere voluerunt, ita & monachos, olim ejus comites, scilicet Brewnoviensis cœnobii incolas, restitui sibi debere quadam convenientia præsumpserunt; cum e contra impie, inhumaniter contra omnia jura egissent Bohemi, & eorum pius antistes Severus, si in aliena corpora sacra violentas injecissent manus. Polonorum eremitarum lipsana ex scriptorum hujus regni auctoritate Casimiriæ, Posnaniæ, diversisque aliis per regnum locis requiescunt. Hinc Bohemis dubium non movemus, an corpora sancti Adalberti & ejus sociorum possideant: possideant per nos, seseque extricent a Polonorum objectionibus; judicamus tamen corpora, quæ in Bohemia asservantur, non esse corpora sanctorum martyrum eremitarum Polonorum. Idem dicendum de corpore sancti Christini Olomucensibus in Moravia, ut dicitur, concesso; erit

corpus

corpus unius ex contubernalibus sancti Adalberti, cujus nomen ignoratur. Qui cultus autem deinceps in Polonia præstitus fuerit sanctis martyribus & eremitis Polonis, dicemus ad annum 1041.

XXI. Chartæ Camaldulenses & Pratalienses.

Tabularium Fontis-boni exhibet nobis hoc anno chartam, qua *Ugo filius Teucii* vendit Petrono abbati *de ecclesia Dei & sancti Salvatoris de loco & a vocabulo Campo amabilis* res sui juris positas *in territorio de plebe sancte Marie sito Partina in Casale Munte*. Petronus est Petrus Dagninus prior Camaldulensis, ut ad annum 1036. observavimus. Alter Ugo filius Alfridi pro mercede & remedio animæ testamento suo judicat & tradit monasterio sanctæ Mariæ de Pratalia integram suam portionem *de ecclesia sancti Michaelis archangeli, que est in casale la Silva, & alia bona in Caminza, Lonnano, & Camprina*. Chartam exscripsimus ex eodem tabulario datam: *Anno dominice incarnationis millesimo tricesimo octavo, anno autem domini Chumradi Romanorum imperator augusto undecimo, mense januario indictione septima*; videtur tamen reponenda sexta, nisi usurpetur annus Florentinus, qui incipit a mense martio, adeoque charta referenda sit ad annum 1039. communem.

XXII. Fundatio monast. S. Petri in monte Cònero.

In monte Cònero, qui non longe est ab Auximo & Ancona, & propior situi, ubi olim erat Humanatensis civitas, cœnobium conditum est hoc anno monachorum Deo sub regula sancti Benedicti servientium. *Ugo comes filius quondam Mezoni comitis, & Adelasi conjuge sua, & Amezo comes filius quondam Mauricii comitis, & Aufredo comes filius quondam Amezonis comitis*, sacerdotum, ac levitarum plurimorumque ejus provinciæ laicorum habito consilio, ecclesiam *sancti Petri apostoli, que sita est in fundo monte Conero cum suis vocabulis, territorio Humanato, Auximum constituto, in monasterio virorum Deo famulantium, & regi domino preces pro incolumitate & pace viventium, & requie defunctorum fundentium, fieri jugiter & perpetualiter* debere decreverunt cœnobium, ordinato ibi Guimezo abbate, qui *omnium monachorum primatum* teneret, concesseruntque ei, ejusque monasterio *circa prefatam ecclesiam gruttam cum ecclesia sancti Benedicti, que est posita in loco, qui dicitur Petra-abbatis, & inter terram, vineam & silvam modiorum tricentum & quindecim cum omnibus suis pertinentiis*. Donatio facta fuit *annis ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo trigesimo octavo, & in temporibus domini donni Benedicti summi pontificis & universalis pape in apostolica sanctissima beati Petri apostoli sede anno ejus octavo, & regnante domino Conrado magno imperatore augusto anni imperii ejus, & in Dei nomine, & in anno duodecimo, et die octava mensis aprilis indictione sexta. Auximi civitate*. Benedictus IX. juxta communem opinionem creatus fuit Romanus pontifex anno 1033. quapropter anno 1038. quintum vel ad summum sextum gerebat pontificatus sui annum: verum etiam apud [a] Rubeum annus 1034. die XXV. junii conjungitur cum anno tertio Benedicti papæ IX. In bullario quoque Casinensi, & in annalibus Mabillonii reperiuntur documenta, ut observat [b] Muratorius, juxta quæ Benedictus pontificatum Romanum assecutus videtur ante annum 1033. Quare, cum Benedictus IX. intercedente pecunia, teste [c] Glabro Rodulpho, a Romanis assumptus fuerit ad supremam cathedram; nepos quoque esset Benedicti VIII. & Johannis XIX. suorum immediate prædecessorum, forte ante obitum Johannis electus fuit cum spe successionis, atque proinde non una potuit esse epocha ipsius pontificatus, ut chartæ discordes concilientur. Quidquid tamen sit, & si cui lubeat medicam manum apponere nostræ ceteroquin autographæ paginæ servatæ in eodem monasterio, per nos licet. Cœnobium hocce modo obtinent

a *Lib. V. p.* 280.

b *Annal. T. V. p.* 99.

c *Lib. IV. cap.* V.

Ann. Chr. 1038.

tinent patres nostri eremitæ Coronenses, qui primum vocati ad incolendam supra nominatam cryptam sancti Benedicti, cum vexationes paterentur ab eremitis sanctæ Mariæ Gonzagæ, qui incolebant monasterium sancti Petri, ejectis auctoritate apostolica Gonzagensibus, in pacificam possessionem utriusque loci admissi fuere. Mons appellatur Cònerus a multiplicitate arborum, quas Còneros vocant, quæ fructum producunt tamquam cerasum, coloris inter rubeum & flavum, quæque primo anno flores, secundo fructus emittunt, foliis arborum virorem, ut servat laurus, toto anni tempore servantibus. E regione montis Còneri, mare tamen per septuaginta milliaria intercedente, visuntur montes Dalmatiæ & insula Auxeri vel Absari, ubi pontificales infulas obtinebat hoc tempore Gaudentius, ut ad annum 1030. diximus. Hic discipulus, quod alibi asseruimus, Romualdi in Histriensibus solitudinibus, alio etiam nomine a Damiano appellatus *Petrus episcopus Absarensis*, valedicens suæ ecclesiæ post decennium circiter ab hoc anno, in Anconitanam oram maris Adriatici se contulit, aliamque abbatiam & monasterium de novo conditum habitavit in eo sinus maris loco, qui appellatur Portus-novus, quique duobus milliaribus distat a monte Cònero, & quatuor ab Ancona. Sed de utroque monasterio, ut etiam de Gaudentio Absarensi episcopo, alia in medium proferemus sub annis sequentibus.

XXIII. Stephanus rex Hungariæ obit. De Gisla ejus conjuge, & de Gregorio archiep.

Evolavit ad Deum hoc anno piissimus Hungariæ rex Stephanus, multis nominibus de Romualdi asseclis benemeritus, cujus tempore Andreas & Benedictus Zoerardi fama ipsius tracti Poloniam relinquentes, sanctitate vitæ suæ Pannoniam illustrarunt; fundator insuper monasterii sancti Petri ad Vincula in territorio Ravennate. Post ejus mortem Gisla seu Gisala Stephani piissima conjux, sancti Henrici imperatoris soror, quæ maritum ad fidem adduxerat, Patavii in Niderburgensi Bajoariæ parthenone monasticum habitum induisse dicitur. Comes verisimiliter ejus itineris ex Hungaria in Bajoariam [a] fuit Gregorius episcopus ille sepultus in ecclesia ejusdem monasterii, qui *ex Oriente*, id est Hungaria, ubi eremiticam vitam duxisse asseritur, in urbem Patavium se recepit, quem Mabillonius [b] suspicatur esse Gregorium Romualdi discipulum, qui, teste Damiano, *archiepiscopus in gentibus factus est*.

a *Hundi Metrop. Salisburg. T. II. p.* 403.

b *Annal. T. IV. p.* 422.

Ann. Chr. 1039.

XXIV. Mors Hugonis abbatis Farfensis.

Postremus hic annus fuit Hugonis Farfensis abbatis summa familiaritatis necessitudine conjuncti cum nostro sanctissimo viro Romualdo, *cujus exempla imitatus*, inquit auctor prologi consuetudinum Cluniacensium receptarum in Farfensi monasterio, [c] *renovavit prisca sanctorum patrum, eximiique Benedicti clarissimi et luculenti patris in cœnobio beatæ Mariæ semper virginis in loco, qui dicitur Acutianus, ubi destructus erat nimis ordo et compositio monachorum*. Et inferius *Sequipeda Romualdi* ab eodem auctore appellatur. Moritur Hugo post varias alternantis fortunæ vices, ut scribit Mabillonius [d], sæpius regimine destitutus, totiesque restitutus, media nocte Dominicæ Nativitatis, quod constat ex libello a Bernardo monacho Casinensi conscripto de vita beati Amici eremitæ, qui tunc morabatur in monasterio sancti Petri de Avellana, cui divinitus revelatus fuit Hugonis obitus.

c *Ex Cod. ol. Farf. nunc Vatic. n.* 6808. *Ap. Mabill. Annal. T. IV. pag.* 207.

d *Ibid. T. IV. p.* 434.

XXV. Donatio facta monasterio Palatioli.

Honestus diaconus Ravennas *monasterium sancti Stephani de Marmorato, quod est positum ultra fluvium, quod vocatur Teguriense territorii Ravennatis*, confert unitque cum monasterio sanctæ Mariæ de Palatiolo, quæ traditio facta fuit *apprehenso cornu altaris* a Petro presbytero & monacho atque præposito præfati monasterii, qui in possessionem missus fuit

vice

vice domni Johannis abbatis supradicti cœnobii. Pagina habetur [a] apud Margarinium & quidem sub anno præsenti, ut indicant notæ chronicæ; Mabillonius [b] tamen donationem hanc refert ad annum antecedentem. Johannis autem Palatiolensis abbatis mentionem fecimus etiam sub anno 1009.

Ann. Chr. 1039.

a Bull. Casin. T. II. pag. 80.

b Annal. T. IV. p. 424.

XXVI. De monast. SS. Trinitatis de monte Herculis.

Primum hoc eodem anno monasterii sanctæ Trinitatis de Monte-herculis prope castrum sanctæ Agathæ, quod sequenti seculo Camaldulensi eremo fuit aggregatum, occurrit monumentum in charta Hugonis comitis, qui anno 997. a Johanne archiepiscopo Ravennate [c] castrum Brittonorii in emphyteusim acceperat, quod juris erat Ravennatis ecclesiæ. Hic moriens ultima sua voluntate inter cetera præcepit, ut castrum Montisfrasconis totum restitueretur eidem monasterio. Continet testamentum hoc aliqua etiam pro monasterio Galeatensi sancti Hilari, cui restitui mandat Hugo *Civitellam de Galiada*. Civitella castrum erat, quod etiamnum extat, mille passibus dissitum a Galeata, & eidem sancti Hilari cœnobio subjectum. Hugonis comitis tabulas ex archiepiscopali chartario Ravennate producimus in Appendice.

c Arch. archiep. Raven. Q. 9319.

XXVII. Historia abbatiæ Galeatensis S. Hilari.

Interim cum prima similiter vice in his nostris Annalibus occasio se præbeat loquendi de monasterio Galeatensi sancti Hilari, quod Ambrosii abbatis generalis nostri interventu, Eugenio papa IV. tradente, reformandum datum fuit Camaldulensibus seculo XV. hoc est anno 1438. die XI. martii, nonnulla more nostro in medium proferimus, quæ originem & historiam ejusdem abbatiæ illustrant. Narrat itaque Paullus monachus & scriptor vitæ sancti Hilari, hujusque discipulus, Hilarum loci conditorem ortum fuisse anno 476. & adolescentem adhuc per inhospita Apennini juga, quæ Thusciam dividunt & Æmiliam, in eremum secessisse passibus fere mille a vico Calligata, nunc Galeata, ac in spelunca delitescentem præcelsi atque editi montis, unde Vitis, Utens, vel etiam Bidens (tot enim nominibus effertur) amnis defluit, illius sanctitatis fama e lateribus velut erumpente, quamplures sibi socios, qui ad eum convenerant, adjunxisse. Hinc brevi tempore ab Hilaro extructa ecclesia ac ædificatum monasterium in summitate montis; hinc maxima religio & celebritas loci. Et licet rerum omnium principia parva sint, progressu tamen temporis ingentes adauctæ fuerunt monasterio opes. Accessit liberatio cujusdam Olibrii Ravennatis nobilissimi a malo, quo vexabatur, spiritu precibus beati Hilari, sub quo etiam monachus factus cum duobus filiis monasterium opimo atque opulento patrimonio ditavit. Narrat etiam idem Paullus Theodoricum Gothorum regem Hilari fama permotum ex propinqua sua villa, cujus etiam nunc ad radices Apennini secus Bidentem fluvium vestigia supersunt, sanctissimum virum adiisse, & fructuosis prædiis cœnobium locupletasse. Re enim vera in descensu montis & in via publica, quæ ducit ad terram Galeatæ, quinquaginta passibus a cœnobio, visitur ad hanc diem parva ædicula antiquissima, & eo fine excitata, ut haberetur vel renovaretur memoria loci, in quo Theodoricus rex, qui tunc palatium ædificabat ad radicem dicti montis prope Galeatam in loco dicto nunc *la saetta*, venerabundus veniam de injuria, quam inferre volebat, petiit a beato viro, & ex illius persecutore factus est munificus patronus. In ea ædicula tabula extat marmorea, super quam sculptæ sunt effigies sancti Hilari & Theodorici cum hac inscriptione in parte postica.

Ann. Chr. 1039.

* condebat.

TVNC. CVM. REX. THEODORICVS. * SEDEBAT. PALATIVM. IVXTA. FLVMEN BIDENTEM. GALIGATAE. PARTIBVS. ET. ILLVC. COGEBAT. IRE. MVLTOS OPERARIOS. QVIDAM. SIBI. DETVLERE. QVEMDAM. DOMINI. FAMVLVM IBI.PROXIMVM.HABERE.SVVM.HABITACVLVM.QVI.PARERE.DEDIGNATVR PRAECEPTIS.REGALIBVS.IPSE.AVTEM.REX.THEODORICVS.VIAM.DVM.IRA MAGNA. REPLETVS.RAPIDISSIMO.CVRSV.IN.EQVVM.ASCENDIT.ET.IN.IPSO FVRORE. DVM. VOLVISSET. AD. DEI. HOMINEM. PROPERARE . . . .

. . . .

. . . .

In parte autem anteriori hæc tantum leguntur, ceteris literis temporis edacitate abrasis.

. . . . RENERIO . . . . . QVOD. MILITE . . . . .

. . . . VIRO. DEDIT. DOMINO. GRATIAS.

Ubertim de Hilaro agit etiam [a] Rubeus, qui testem narrationum suarum eumdem adhibet Paullum Hilari discipulum. Decessit sanctus vir octuagenario major idibus maji in monasterii ecclesia sepultus. Ecclesia sancti Hilari satis ampla est, optimæque structuræ. Quatuor in ipsa eriguntur altaria; primum, quod majus est, visitur e regione portæ templi, elevatum a pavimento ecclesiæ, & ad ipsum ascenditur per duas scalas marmoreas hinc inde constructas ab utraque parte presbyterii. Subtus altare in confessione seu sacello, ad quod descenditur per alias duas scalas lapideas ab utroque latere positas, extat alia ara, supra quam urna marmorea, in qua beati Hilari ossa quiescunt. Pone dictam aram loculus visitur satis angustus, & præter modum humidus, ubi vulgo dicitur sanctum Hilarum cellam sibi elegisse, ut vitam eremiticam duceret. Post altare majus, ubi etiam supellectilia sacra asservantur, armarium quoddam continetur, in quo olim custodiebatur cranium sancti Hilari reconditum in decenti argenteo vase, quod modo super altare est locatum. Quinta-decima die maji sollemniter celebratur ipsius festum cum supplicatione populi & delatione sacri cranii beati Hilari, cujus patrocinium contra grandines & tempestates potissimum imploratur. De inventione ejus reliquiarum, & de restauratione cultus sub Camaldulensium præfectura alibi erit dicendi locus.

[a] Lib. III. pagg. 136. 137.

Monasterium hoc a sui origine jurisdictioni archiepiscoporum Ravennatum fuit subjectum usque ad annum 753. quo Stephanus papa II. ipsum contulit Anscauso episcopo Foro-popiliensi, in cujus diœcesi situm extabat. Eo enim anno *cum Stephanus ad redimendam Italiam & exarchatum Ravennantium de manibus gentium, Francie properasset regionem, contigit eo revertente suum peragrari iter per monasterium beati Hilari scitum territorio Pupuliense, ubi cum maxima honoris humilitate susceptus est ab Anscauso quondam Pupuliense episcopo, & abbate ipsius venerabilis monasterii, & affluenter ipsius itineris subsidia illi tribuit*, ut ait Paullus I. Stephani germanus frater, Romanus & ipse pontifex, in sua bulla anni 759. in qua subdit, quod Romanus pontifex Stephanus *vicissitudinem impensi beneficii eidem Anscauso episcopo irrogans, prefatum monasterium diebus vite sue* fruen-

fruendum illi concessit; ipse vero Paullus Stephani fratris donationem privilegio etiam suo firmavit; *unde & nos*, sequitur, *hujuscemodi concessi presidii largitatem sub apostolice preceptionis pagina confirmavimus, atque jurisdictionem sancte nostre ecclesie submisimus eum*. Ansaucum nominat episcopum & abbatem hunc Ughellius [a], & etiam Vecchiazzanus in historia Foro-popiliensi, ubi asserit „ Paullum pontificem maximum Stephani „ germanum fratrem anno 757. confirmasse Ansauco abbatiam sancti Hi„ lari, ut ex diplomate. “ Verum decedente Anscauso, rursus idem Paullus juri Ravennatis ecclesiæ cœnobium Galeatense subjecit anno 759. *Nunc vero*, subjungit, *divina vocatione ipso Anscauso de hac migrante luce, agnoscentes rei veritatem, quod predictum venerabile monasterium juris sancte Ravennatis ecclesie a diuturnis existeret temporibus* &c. *sub jurisdictione sancte Ravennatis ecclesie* &c. *statuimus permanendum*. Meminit & Agnellus [b] privationis ejusdem cœnobii, quam tulit Ravennas ecclesia a Paullo, ut ipse ait, sed melius primum a Stephano Romano pontifice. Loquens enim de Sergio Ravennate antistite hæc habet: *Vir autem iste Sergius præsul, cum Paullus papa Romanus iter per Franciam pergeret, non ei obvius fuit, & indignatus papa, de valle, quæ dicitur Calle-collata, quæ rustico more Galliata dicitur, cum ira magna eum exuit*. Papebrochius [c] in actis sancti Hilari, & in Propilæo [d] dubitat de veritate diplomatis Paulli, dicens: „ Quam certo hæc dicantur, nescio .... ut enim taceam, „ quam incongruum sit Copronymi hæretici excommunicati imperio signari „ pontificis Romani bullas, prædicti omnes numeri annorum cadunt in „ annum Christianæ æræ 759. cum Paullum constet anno 757. vita fun„ ctum esse. “ Sed memoria lapsus est vir doctissimus, cum Paullus anno 757. non e vivis excesserit, sed eo dumtaxat anno ad Romanum pontificatum assumptus fuerit, quem per decennium tenuit usque ad annum 767. ut ipsemet agnoscit in suo Propilæo; quare annum 757. pro anno 767. accepit emortualem fuisse Paulli. Incongruum pariter non est annotari ibi annos Græcorum imperatorum, hæresi licet essent infecti, cum pertari ibi annos Græcorum imperatorum, hæresi licet essent infecti, cum plura Romanorum pontificum privilegia per hæc tempora Copronymi & Leonis ejus filii, ac ceterorum imperatorum nomina præferant, quæ legi possunt apud Muratorium [e] in Annalibus; ubi tamen hic annotat vel Leonis Copronymi filii annum fuisse potius *nonum*, non septimum anno 759. vel corrigi debere Pagii opinionem, qui initium imperii Leonis illigat anno 751. Nos post Rubeum ex tabulario archiepiscopi Ravennatis Paulli I. diploma manu nostra descriptum in Appendice recudimus.

Circa annum 785. Gundibrandus dux civitatis Florentinæ ejusdem Galeatensis monasterii invaserat *curtem* quamdam *Sasantinam territorio scilicet Florentino, arripiens ex ea inliciter plura peculia, quæ illi minime pertinebant*. Quare Adrianus papa I. Carolo regi Francorum & Langobardorum hæc scribens poscit, [f] *ut monasterium sancti Hilarii confessoris Christi, qui locus in Calligata, una cum hospitalibus, qui per colles alpium siti sunt, pro peregrinorum susceptione, a nulla magna parvaque persona invasionem pati eximia sinat* ejus *clementia, & ut terras, quas ex ipsa curte plures homines sine ratione abstulerunt, reddere* ipsius *regalis potentia faciat, simulque præfati monasterii missos mitissimo vultu, ac benignissima hilaritate eos suscipiens justitiæ, quam* ab *ipso petierint, clementissime accipiant effectum*.

Anno 996. Gregorius V. Romanus pontifex inter cetera, quæ confirmat ecclesiæ Ravennati & *Johanni archiepiscopo reverendissimo & sanctissimo confratri* nominat cœnobium divi Hilari *in agro cognomento Gallicata* ædifi-

ANN. CHR. 1039.

a T. II. col. 598.

b P. II. p. 423.

c T. III. Maji p. 472.

d Pag. 220.

e T. IV. pagg. 327. 329. 353. &c.

f Epist. 74. apud Du-Chesnium T. III. p. 791.

Ann. Chr. 1039.

ædificatum; anno vero sequenti [a] Hermenfredus abbas Galliatensis designatus obsequium fidemque sacramento sollemni eidem archiepiscopo jurat. Deinceps semper in Romanorum pontificum & imperatorum privilegiis monasterium sancti Hilari ad Ravennatis ecclesiæ jurisdictionem pertinere adnotatur. In diplomate Henrici regis ad Henricum archiepiscopum Ravennatem anno 1063. male Ughellius [b] appellat *monasterium sancti Nicolai in Galigara cum omni districtu & placito suo, castellis & curtibus & pertinentiis suis*. Hoc anno 1039. monasterii sancti Hilari abbas forte erat Fulco, de quo mentio occurrit in charta anni 1056. quæ sub eo anno referetur.

[a] Rub. lib. V. p. 273.

[b] T. II, col. 363.

XXVIII. Veteres inscriptiones Galeatenses.

Hic etiam loci in antiquitatis studiosorum gratiam veteres aliquot inscriptiones subjungere placet, quæ leguntur in ecclesia prædicta sancti Hilari, & in altera ecclesia archipresbyterali sancti Petri in Silva, vel in Bosco, ut appellant, Galeatensis castri, subjecta eidem monasterio sancti Hilari.

In ecclesia sancti Hilari prope aram majorem.

HIC. REQV. HANHE SI
PII M. XXVII. M. PRID. KAL. OC.
ND VI QVEM. . . . .

Ibidem sub marmoreo votivo simulacro.

SCS hilar°. sed HEC DEBITA DIE
JUX EUE BIS SECULARI DUE SERUI
hOPTINERE ViDEBANTUR dE
TERRITORIO QUOd MILITES CIR
CUIERAT CUM OMIBUS JUSTIS
OBSEQUIIS SCO VIRO DEDIT.

In ecclesia sancti Petri inter aram principem & sacellum sancti Andreæ.

RVBRIAE. TERTVLLLAE. V. A. XX. M. IIII. D. IIII.
CONIVG. OPTIMAE. CREFANVS. MAGRINVS.

Subtus inscriptionem leguntur hæc carmina.

LIVIA. METELLVS. ALVIT. GEMINAMQVE. SOROREM
EGREGIO. DE. PATRE. SATAS. SANCTA. GENETRICE
RARA. FVI. CASTO. BENE. JVNCTA. PVDICA. MARITO
INVIDA. SET. FATI. LEX. REDDIDIT. INRITA. VOTA
INANIVM. MISERAE. SOLACIA. LIQVIT. AMANTI
CONIVGIS. IN. MANIBVS. LICVIT. QVOD. REDDERE. VITAM.

Ad

Ad vas marmoreum aquæ baptismalis ejusdem ecclesiæ.

ANN. CHR. 1039.

Q. VELCENNAE. L. F. STEL. PRO
CVLO. DECVRIONI. MEVANIO
LAE. C. C. M. M. PATRONO
CONTENTVS. IMPENDIVM. RE
MISIT. ET. DEDICATIONE. STA
TVA. NVMER. COLL. IPSORVM
SPORTVL. DEDIT. SINGVL.
DENARIOS. BINOS
L. D. D. D.

idest: *Locus Datus Decreto Decurionis.*

ANN. CHR. 1040.

XXIX. Damianus Pomposiam evocatur.

PROBATUS Damianus in monasticæ & eremiticæ vitæ exercitiis, & a magistro suo idoneus repertus, ceteris constituitur, ut exemplar & doctor, magistri ipse adimplens officium in suo primum Avellanensi, deinde in Pomposiano cœnobio, ad cujus monachos informandos, & in monasticis ac literariis disciplinis excolendos hoc anno evocatus fuit a celebri abbate Guidone, qui eo temporis ipsum sanctissime & magna cum nominis æstimatione regebat. *Cum tempus igitur advenisset*, [a] inquit Laudensis, *ut lucerna domus Domini erecta super candelabrum omnibus luceret, jubente magistro, paucis illis fratribus exhortationis verba impendere cœpit. Cumque ejus opinio jam latius effusa crebresceret, Wido venerabilis abbas Pomposianus, vir sanctissimus, suos legatos ad hujus abbatem dirigens postulavit, quatenus caritate fratrum eum ad suum monasterium destinaret, secumque aliquandiu remorari permitteret, quo, poscentibus fratribus, verbi sacri erogare pabulum debuisset, ejusque pia petitio caritate, quam postulat, Deo disponente, minime frustratur. Illuc enim dirigitur, ubi caterva fratrum centenarium numerum ferebatur implere.*

a Cap. VI.

XXX. Quid Pomposiæ contigerit tempore ejus incolatus?

CUM in Pomposiano monasterio commoraretur, in quo per biennium substitit, contigit, quod ipse Damianus enarrat in opusculo *de perfectione monachorum* [b], hisce verbis, quæ libenter afferimus, ut disciplina innotescat ejusdem cœnobii sub abbate Guidone: *Dicam, non quod aliena relatione cognovi, sed quod oculis vidi. Pomposiæ quidam frater erat Raimbaldus nomine, frater videlicet Petri reverentissimi viri, qui nunc apud Vicentiam abbatis officio fungitur. Hic itaque adolescentiam suam crebris consueverat edomare jejuniis, & sicut in primis auspiciis, famosæ indolis in plerisque specimen dabat. Huic injunctum erat officium, ut cuidam Teutonico ministraret incluso, qui nimirum effossis oculis, & abscissa dextera juxta ecclesiam positus arduam ducebat vitam. Erat autem regula monasterii, ut nemo claustrensium egrediens loqueretur. Aliquando autem cum Raimbaldus in capitulo constitutus graviter quereretur, se nequaquam posse pueris imperitis per signa præcipere, ut servo Dei vestes abluerent, & præsertim quæ sibi edulia præpararent, postremo asserens atque denuntians, quia nisi silentium frangeret, mandata penitus servare non posset; e contra vir sanctus, abbas scilicet Guido, ne silentium solveretur, vehementer obsisteret, constanterque in auctoritatis suæ sententia permaneret, demum ad hoc post multa per-* ven-

b T. III. opusc. XIII. cap. XXI.

Ann. Chr. 1040.

ventum est, ut ille præciperetur ab administratione cessare, sibique quiescere. Sed ob divinæ ultionis accelerata severitas! vix dum dimidiæ horæ cursus elabitur, & ecce Raimbaldus superposito dolori digito, in gutture se esse percussum lacrymabiliter protestatur. Quid plura? Post diem, si rite teneo, tertium satisfactione facta, & accepta sancti patris benedictione defunctus est. Petrum, cujus frater erat Raimbaldus, credimus abbatem Vangaticiensem ejus nominis, ut alio loco dicemus.

Aliud quidem, Damiano ibidem commorante, evenit in eo monasterio, quod silentio non est prætereundum. Id ipse describit in [a] opusculo de *perfecta monachi informatione* ad Marinum Classensem monachum fratruelem suum. *Porro autem vidi Pomposiæ monachum apprime divinæ legis & disciplinis regularibus eruditum, qui, ut ferebatur, hoc cum assidente sibi fratre parili conventione pepigerat, ut apposita cuique vini, sicut mos est, personaliter obba, uterque quotidie utriuslibet mensura contentus esset. Nimirum, ut ex eo, quod uni competeret, duo se sub sobrietatis moderamine sustentarent. Cum vero socius ille deesset, in ipso æstatis ardore, qui nimirum eo loci ferventior incumbit, eo usque in propria obba vinum acescere permittebat, ut scaturescentes in ea vermes sæpius reperiret. Martinus itaque decalvatus, hoc quippe ei vocabulum erat, ad extrema perveniens, cum ejus totum corpus hydropis humore immaniter intumesceret, omnes nos, qui lectulo videbamur assistere, petiit, ut eum dignaremur scopis singillatim quilibet verberare. Cumque sic in fide perfecta, & sancta fuisset confessione defunctus, cuidam postmodum fratri in visione apparuit. Erat autem in cujusdam splendidissimæ regionis vernanti et florido nemore, candida decoratus stola, et fulgido præclarus aspectu; recumbebat autem in lectulo tegumentis insignibus et mirificis adornato.* Obba genus erat calicis, ut apertissime ex hac Damiani narratione liquet.

Vivebat tunc in eodem Pomposiano cœnobio & [b] *Johannes Comaclensis olim episcopus, qui dum conversionem suam per longa temporum intervalla differret, aliquando contigit, ut in fundo suo, quem in Saltus possidebat territorio, moraretur. Illic itaque constitutus pauperculæ cuidam viduæ porcum, quem velut spem sui victus alebat, præcepit auferri, suisque ferculis profuturum non segnius præparari. Emittit preces illa, fletus fundit ac gemitus, sibique diligentiæ suæ reddi postulat detrimentum. Sed suo ventri magis quam illi episcopus, dum propriis providet mensis, mandatum parvipendit auctoris* &c. *sed dum lacrymas viduæ suæ facit delicias gulæ, mox percussus in gutture vulnus incurrit, quod nullis medicorum studiis, donec vixit, evasit. Hoc itaque præpeditus incommodo* &c. *tandem sanis consiliis acquiescens, episcopales infulas monachica professione mutavit, atque in Pomposiano cœnobio, quod in beatæ Mariæ semper virginis est honore constructum, longis post temporibus vixit. Usque tamen ad obitum tanta læsi gutturis laboravit molestia, ut nisi cum magna difficultate trajicere alimenta non posset, adeo ut ad geminam semper mensam succedentium sibi fratrum in refectione discumberet, vixque tantum cibi caperet, unde recreare stomachum potuisset.* Johannem Comaclensem episcopum assedisse concilio Ravennati Arnaldi archiepiscopi anno 1016. ad eum annum vidimus, qui cum *longis temporibus vixerit*, potuerit esse ejusdem monasterii incola etiam tunc, cum in eodem cœnobio degebat Damianus.

Martinum decalvatum, de quo supra historiam narravimus Damiani ævo secutam, alterum arbitramur ab alio Martino, qui circa eadem tempora vitam ducebat in eremo Pomposiana. De hoc Martino hæc habet auctor anonymus & scriptor vitæ sancti Guidonis abbatis Pomposiæ,

[a] T. III. Opusc. xlix. cap. ix.

[b] Ibid. Opusc. xlii. cap. iii.

posiæ, cujus erat Martinus discipulus. [a] *Item quodam tempore ex fratribus idiota quidam, nomine Martinus, in cellula a cœnobio milliariis octo distante dum degeret, defunctus est; cujus funeri dum debitum fratres exhibuissent officium, revixit, qui fuerat defunctus, voceque anxia patrem monasterii clamitavit, sed ad præsens non habuit, quem quærebat, quoniam longe a monasterio erat, in quo abbas Guido manebat. Ducitur ergo ad monasterium, & ab eo, quem vocaverat, interrogatus ubi fuerit, quid viderit, quidve audierit: Loca, inquit, tormentorum, in quibus multos mihi notos ac propinquos cognovi. Cumque tremens, quæ videbam, attenderem, vir quidam stola amictus candidissima apparuit, me confortans, coronam in capite ferens auream, virgamque læva, favum vero mellis dextera portans, quem mihi comedendum obtulit; porrectum iterum, iterumque comedere jussit, hæsitantem, ne timerem, admonuit. Sciscitanti vero mihi quis esset, Michaelem Archangelum se esse respondit. Cognito quis foret, quem porrigebat favum, accepi & comedi, & ipso jubente ad corpus, quod reliqueram, ut cernitis, redii. Per tres autem dies, quibus post modicum in corpore vixit, illius favi, quem comederat, dulcedinem in ore persensit; post triduum vero patris Guidonis benedictione donatus frater ille in pace quievit.*

Ann. Chr. 1040.

a Sec. VI. P. I. pag. 350.

Idem quoque auctor anonymus & sequentia narrat, quæ circa eam ætatem contigere in Pomposiano monasterio. *Fuerat autem* [b], inquit, *in eodem monasterio monachus, Bertoldus nomine, qui cum in extremis vitæ hujus ageret, morasque in exeundo ex reprehensibili conscientia sustineret, Domini misericordiam patre Guidone cum fratribus implorante, in se, qui moriebatur, reversus est, & quid de ipso vidisset referens, dæmones, inquit, vidi adversum me insanientes, unius delicti causam, cum nihil in ceteris possent, præsertim (cum Christi bonitas omnia pœnitenti & confitenti dimisisset) opponentes. Sciscitantibus igitur fratribus, quæ qualisve esset culpa facinoris, pro qua se deputatum inferis diceret: Incantationem, inquit, quondam, dum adhuc seculo vestibus & moribus deservirem, didiceram, quam tamen nec opere exercui, aliquando vero memoriam verborum ejus in aliquo tenui; solum est mihi hoc crimen objectum. Vestris vero orationibus, quod ad præsens institit, evasi periculum. Sed ne possit ulterius hoc, quod nec scio vel recolo, delictum opponi, confiteor me, & in hoc quoque peccasse, in quo me peccasse non novi; sicque frater in pace quievit.*

b Ibidem.

Vir quidam, Johannes nomine, Venetiæ ortus, domum patriamque relinquens Pomposiam venit; susceptus vero ab abbate Guidone, ac monachus factus, adeo se probabilem exhibuit vita et moribus, ut quanta esset doctrina magistri, in gestis clareret discipuli. Etenim iste, de quo loquimur, cum literas omnino nesciret, Deum plusquam se, proximum vero tamquam seipsum diligens, hoc totum implevit, quod lex continent et prophetæ, abnegans denique semetipsum nihil umquam præposuit Christo; proximum quoque, (si fas fieri vel credi possibile) plusquam se convincitur dilexisse, cum nulli umquam intulerit injuriam, sæpius vero illatam pertulerit; nec alicujus se permiserit gravari obsequio, cum cuilibet ipse foret semper subsidio; ac his solummodo subveniendo deesset, quibus adesse non posset, cujus autem sanctitatis vel meriti fuerit, finis ejus probavit. Die quippe una dum resideret in claustro in ordine fratrum, una quoque cum abbate Guidone, angelus nive candidior in specie viri se monstrans, dixit ei: Euge serve bone, veni et intra in gaudium Domini tui. Qui cum a considentibus cunctis idem, quod a se visum et auditum, putaret, paullulum substitit; deinde illis tacentibus patri Guidoni quid viderit, quidve audierit, retulit dicens:

Ann. Chr. 1040.

dicens: Quid est, inquit, pater, quod vir iste, quem mecum omnes vidistis, locutus est mihi: Euge serve bone et fidelis, veni, intra in gaudium Domini tui? cui pater: Relinquere nos, ait, fili, vis? & iste non post multum tempus carne solutus migravit ad Dominum, sumpturus in præmio, quod accepit in merito.

XXXI. Chartæ Victorianæ, ubi etiam de duobus Hugonibus ducibus & marchionibus Camerini.

Monasterio sancti Victoris de Clusis, cui præsidebat Ursus abbas, Petrus filius Acto præter terras donat portionem suam de ecclesia sancti Savini positam in territorio Castellano prope collem de *Notaria*. Donatio signatur: *Anni domini mille* XL. *et temporibus domni Ugo dux et marchio, anni vero in ducato ejus sesto, et dies mense septembri indictione septima.* Cogimur distinguere Ugonem hunc ab eo Ugone, cujus mentionem fecimus ad annum 1028. quique refertur inter duces Spoletanos & marchiones Camerinenses a Muratorio [a], & dicere hunc filium forsan esse illius primi Ugonis, cum anno 1028. sextus recurreret primi Ugonis annus, & sextus pariter hoc anno 1040. recurrat annus secundi Ugonis; quare supplendus est idem Muratorius, qui tam in antiquitatibus medii ævi [b], quam in annalibus [c], unicum Ugonem ducem & marchionem Spoletanum & Camerinensem agnoscens, in eam conjecturam descendit, Ugonem præsidem duobus placitis Pinnensi & Marsicano anno 1028. maritum fuisse *Ville inclite comitisse relicte quondam domni Ugo gloriosissimi, qui fuit dux et marchio*, de qua Willa mentionem facit charta altera anno 1056. scripta, atque ab ipso edita dissertatione XV. *de Manumissione* [d]; & putat insuper Ugonem filium fortasse fuisse Bonifacii marchionis lege Ripuaria viventis. Ope harum chartarum videntur distinguendi duo Ugones, & alter verisimiliter pater, alter filius; alter ad annum 1028. vivens, quo sextum in ducatu numerabat annum, alter anno 1040. qui sextus similiter erat sui ducatus annus; & hic secundus potius quam primus vir fuerit Willæ comitissæ. In charta nostra errorem illapsum in indictionem putamus, ut loco octavæ notarius supposuerit septimam indictionem; malumus enim existimare notarium facilius errasse in indictione, quam in anno consignando; eam autem descripsimus ex tabularii sancti Blasii Fabriani autographo. Illud tamen minime sub silentio prætermittimus reperiri in tabulario monachorum sanctæ Catharinæ de Fabriano aliam chartam permutationis factæ a Bonizone filio quondam Franconis, & a Franca jugalibus cum eodem Urso abbate anno 1043. indictione XI. in qua denuo annus *sextus* Ugonis ducis & marchionis in scenam prodit, quo anno nonus, attenta præcedenti pagina, numerandus esset annus ipsius ducatus; alteram pariter signatam anno *mille quadraginta et tris .... temporibus domno Ugo dus et marchio anno ejus qu..... et die mense februarium per indicione nona*, qua Giso presbyter tradit custodi ejusdem monasterii aliquid de rebus suis. Insuperabilia profecto hæc sunt, nisi ad errorem notariorum confugiamus, qui loco noni *quartum* vel *quintum*, aut *sextum* signaverint ducatus Ugonis annum. In postrema charta etiam indictio corrigenda est ex nona in undecimam.

Sed quid, quod anno præsenti 1040. quartam exscripsimus chartam ex eodem archivo sanctæ Catharinæ, quæ præfert annum quartum Ugonis ducis & marchionis? *Teucius filius quondam Martinus, et Benedicta conjuge sua ad Ursus abbas donant terram in loco, qui dicitur Sarano in vocabulo Noceto. Anni Domini mille quadrainta et temporibus domno Ugo dux et marchio, anni vero in ducatu ejus quarto die mense november indictione octava.* Quare ad hos nodos dissolvendos etiam illud fortasse dici poterit, notarium errasse, conjungendo in prima charta annum Domini 1040. cum

sexto

a T. II. P. II. Scriptor. rer. Italic. coll. 989.. 991. 992.

b T. I. col. 286.

c T. VI. p. 176.

d T. I. col. 853.

Ann. Chr. 1040.

ſexto anno Ugonis, & ſubſtituendum eſſe menſe ſeptembri hujus anni 1040. annum Ugonis quartum; ita annus ſequens 1041. componetur cum anno quinto, & annus 1042. cum ſexto Ugonis, qui perdurare potuerit etiam ad menſem februarium anni 1043. Chartis his omnibus in ſtudioſorum gratiam locum damus in Appendice.

XXXII. De B. Forte eremita Avellanenſi.

Obiit hoc anno beatus Fortis eremita Avellanenſis. Id nos docet antiqua epigraphe appoſita ad ſacram ædiculam in medio cathedralis Eugubinæ ſitam, quæ ſic habet:

D. O. M.

DIVO. FORTI. EREMITAE. CANDORE. ANIMI

SVMMA. CONSTANTIA. ET. CHRISTIANA. PIETATE INSIGNI.

ANNO. A. CHRISTO. NATO. M. XL. AD. COELI. PATRIAM. MIGRAVIT.

Eam retulerunt Philippus Ferrarius ad diem VII. & Jacobillius ad IX. maji. Viſitur ejus imago tabulæ applicita in monaſterio Fontis-Avellanæ cum hujuſmodi ſubſcriptione.

BEATVS. FORTES. GABRIELLIVS. EVGVBINVS

MONACHVS. AC. EREMITA. AVELLANAE

OBIIT. IX. MAJI. ANNO. M. XL.

Ex [a] italica narratione Jacobillii ſequentia de illo excerpſimus. Beatus Fortis Eugubii nobili familia, & juxta quædam vetera monumenta, Gabriellia natus, in ipſo adoleſcentiæ ſuæ flore carnem macerans vitæ ſolitariæ, & meditationi cœleſtium rerum unice inhiabat. Juge effatum illius erat, ſenſum, carnem & mundum hoſtes domeſticos hominis eſſe, ad quos perdendos vota emittenda caſtitatis, ſi ad concupiſcentiam; paupertatis ſi ad divitiarum cumulum; obedientiæ, ſi ad honorum culmina alliciant; eremos vero eſſe caſtra inexpugnabilia adverſus hoſtes hujuſmodi. His armis, ſi omnino non interimuntur, enervatur ſaltem eorum potentia. Cum per ætatem licuit, ſeceſſit in altum Apennini montem, qui marchiam Anconitanam ab Umbria dividebat, & latuit in quodam ſpecu prope Schiggiæ caſtrum, octo milliaribus ab Eugubio diſtans. Viſitur & hodie parva eccleſia poſt ejus obitum in ipſius honorem erecta. Ex ea eremo, ubi pœnitentiis & jejuniis aſſidue vacabat, quandoque divertebat ad proximam Avellanenſem, in qua ſub Lodulpho magnæ pietatis & nominis viro, & Avellanitarum fundatore perfectionem didicit eremiticæ vitæ, ſub cujus etiam obedientia vixiſſe fertur, licet in ſeparato loco degeret. Id tamen factum ſub priore Guidone Arretino anno 1030. tradit idem Jacobillius alibi, nempe tomo III. [b] ubi etiam addit cum ceteris Avellanitis monachis decennio uſque ad obitum beatum Fortem vitam ſanctiſſimam produxiſſe. Deceſſit die IX. maji anni 1040. & ſepulcri honorem obtinuit in epiſcopali eccleſia Eugubina. Idem Jacobillius ad calcem ejuſdem [c] tomi III. catalogum texens inſigniorum reliquiarum Sanctorum, quæ aſſervantur in Umbria, ſcribit „ in eccleſia cathedrali urbis Eugubinæ quieſcere .... „ corpus beati Fortis Gabriellii monachi ſanctæ Crucis Fontis-avellanæ. “ Eadem brevius habet Buccellinus in Menologio Benedictino ad diem IX. maji. Anno 1740. ſeptimo ab ejus obitu ſeculo deſinente, & octavo in-

a SS. Umbr. T. I. p. 479.

b P. 332.

c P. 4.

Ann. Chr. 1040.

choante, sollemni ritu a familia Gabriellia nobilissima, quæ beatum Fortem inter majores suos numerat, celebrata fuit ipsius memoria in ecclesia Eugubina; altare quoque ipsi dedicatum in ecclesia nostra sancti Gregorii de Urbe; ac postremo introducta causa, ut ejus cultus ab Apostolica sede confirmetur, comite Forti Gabriellio-Valletta impensas operamque maximam præstante.

XXXIII. Gebehardi archiep. Ravennatis donationes factæ monasterio Pomposiano.

Lambertus abbas sancti Apollinaris, & Bonizo abbas sancti Severi in Classe post episcopos subscribunt præcepto Gebehardi archiepiscopi Ravennatis confecto hoc anno in favorem monasterii Pomposiani & Guidonis ejus abbatis. Confirmat Gebehardus suo privilegio Guidoni *ecclesiam sancti Petri apostoli cum curte sua integra, que vocatur Ustulatus*. Ustulatus castrum inde evasit, quod erat in comitatu Ferrariensi. *Necnon monasteria, quorum hec sunt nomina, videlicet sancti Stephani, qui appellatur majoris, & sancti Barbatiani, & sancti Zacharie, atque sancti Stephani, qui vocatur junioris, & monasterium sancte Marie, quod vocatur Scenodochium cum omnibus rebus & pertinentiis suis*. Hoc postremum ad annum 1029. pertinuisse ad monasterium sancti Severi in Classe jam diximus, quod hoc anno Gebehardus transtulit in jus abbatiæ Pomposianæ. Consuetudo enim ea tunc vigebat, ut episcopi monasteria & ecclesias juris suæ sedis donarent *pro orationibus*, vel *pro victu & sumptu monachorum*, aut reformanda, restauranda, melioranda committerent, sive etiam traderent ad emphyteusim ditioribus cœnobiis sub certa pensione. Quoad monasterium sancti Stephani junioris, scimus in urbe Ravenna extasse *monasterium sancti Stephani*, quod appellabatur *in Fundamenta*, quodque jacebat *juxta palatium*. Ipsum Paschalis papa I. privilegio suo a [a] Rubeo relato subjecit Petronaci archiepiscopo & ecclesiæ Ravennati anno 819. Donatum idem monasterium legimus anno 976. ab Honesto archiepiscopo Johanni archidiacono Ravennati. Secundum sancti Stephani templum illud erat, quod modo appellatur *de Aulivis*, seu *in Olivis*, in quo moniales initio seculi XIV. residebant, in urbem translatæ ex altero cœnobio divæ Mariæ cognomento *Padrielis, quod Cenceda a mœnibus haud procul erat*, teste [b] Rubeo. Hoc de Aulivis templum sancti Stephani majoris titulo decoratum asserit [c] Fabrius, illudque esse quod *in* [d] *honorem sancti ac beatissimi primi martyris Stephani servus Christi Maximianus*, non Maximus, ut scribit [e] Mabillonius, *episcopus a fundamentis construxit, & dedicavit die tertio idus decembris indictione* XIV. *novies P. C. Basilii junioris*. Templi etiam *sancti Stephani ad Balneum Gothorum* mentio habetur in chartis archiepiscopatus, in quibus abbas ejus monasterii legitur anno 955. *Petrus diaconus*. In tabulario [f] sancti Benedicti de Ferraria ad annum 978. legitur *Georgius archidiaconus & primicerius notariorum sancte Ravennatis ecclesie & abbas sancti Stephani junioris*; & ex archivo marchionis Rangonii ad annum 970. produximus nos chartam, in qua eodem anno idem *Georgius* Petro archiepiscopo Ravennati donat loca aliqua. Aliæ erant titulo sancti Stephani decoratæ ecclesiæ in urbe Ravenna, nam præter monasterium sancti Stephani ad Titum in Classe, reperiuntur ecclesia sancti Stephani *in Germinella* in suburbio; sancti Stephani *de mercato piscium de Ravenna*; ecclesia sancti Stephani *in Contra*; alia in *regione sanctorum Johannis et Paulli*, quæ fortasse duplex nomen obtinebant. Monasterium sancti Barbatiani alium etiam titulum sancti Johannis gerebat. *Onexius sancti Barbatiani* [g] *abbas, et subdiaconus sancte ecclesie Ravennatis anno Johannis pape secundo, Hugone regnante, decima octava octobris indictione sexta*, hoc est anno 932. in emphyteusim concedit terras in fundo

[a] *Lib.V.p.*237.
[b] *Lib. VI.*ᵒ *p.* 539.
[c] *Pag.* 351.
[d] *Agnell. Par. II. p.* 88.
[e] *Annal. T. II. p.* 456.
[f] *E. III.* 17.
[g] *G. I.* 1.

Ann. Chr. 1040.

do *Monasterio* in territorio Corneliense Hugoni & Berthæ clarissimæ feminæ uxori ejus, filiis & nepotibus ex eodem tabulario sancti Benedicti. Pariter [a] *Honestus subdiaconus*, idem forte, qui supra, *abbas sancti Johannis & Barbatiani* libellum facit unius mansionis cum curte Benedicto Beroaldi anno 957. juxta chartas ejusdem monasterii. [b] *Paulus abbas sancti Barbatiani Ravenne, filius domni Pauli ducis de Traversaria* concedit terram *Mercurio filio Romualdi* cum solutione calciarii anno 983. ex eodem archivo. *Sancti Zacharie monasterii abbas* erat [c] *Willelmus Johannis pape anno primo, Berengarii & Adelberti regum septimo, viegsima septima martii indictione quintadecima*, anno scilicet 957. quo terram claustratam juxta murum civitatis Ravennæ dat Martino. Anno autem 960. [d] *Johannis pape V. indictione* III. *nona aprilis* Romano de Sarciano in eodem fundo Sarciano tradit terras *Johannes abbas sancti Zacharie & sancti Johannis baptiste Ravenne*. Hæc pariter constant ex tabulis ejusdem loci. Gallæ Placidiæ neptis Singleida monasterium sancti Zachariæ ædificavit, ut ait Agnellus [e], *in loco non longe a sanctæ Crucis ecclesia*, eodem tempore a Galla Placidia constructa, *quam jactum sagittæ est*, sub pontificatu Johannis primi, Angeloptis dicti, Ravennatis archiepiscopi. Gebehardi donationem factam Guidoni Pomposiano integram remittimus ad Appendicem.

a *A. I.* 5.
b *E. II.* 1.
c *A. III.* 2.
d *S. II.* 7.
e *Par. I. pag.* 283.

XXXIV. Charta Vangaticiensis.

Quis Martino abbati Vangaticiensi, cujus mentionem fecimus ad annum 1013. in regimen ejusdem monasterii successerit, ignoramus; scimus hoc anno ipsius cœnobii abbatem Andream, cui *Rodulphus Normannus ex Francorum genere habitator in castro Arquada per vassonem terre, ramum pomis, fistucum notatum, adque coltellum & duos wantos totum insimul tradidit in subtum, in usum stipendiis monachorum, qui hordinati sunt, vel in antea pro tempore ordinati fuerint, & Deo frequentius die noctuque ibi servierint pro mercedem & remedium anime Ugonis marchionis & per remedium anime Guiditta femine, que fuit conjuge mea massaritia una comitato Pataviensis, & in fine Arquada*. Chartæ tantum partem [f] retulere Muratorius in antiquitatibus Estensibus, & [g] Silvestrius, sed nos eam integram transcripsimus ex autographo archivi Vangaticiensis & in Appendice edimus.

f *P. I. pag.* 95.
g *Paludi Adriane p.* 55.

XXXV. Aliæ Histrienses spectantes ad monast. S. Michaelis de Lemmo.

Spectant ad hæc eadem tempora insignes donationes factæ monasterio nostro sancti Michaelis de Lemmo in Parentina diœcesi. Dicimus ad hæc tempora, nam omnino periere autographæ tabulæ, & supersunt dumtaxat apographæ membranaceæ, sed vetustæ, ipsæ tamen summe vitiatæ in notis chronicis, in tabulario cœnobii sancti Mathiæ de Muriano, ex quibus non licet verum donationis annum decernere. Prima earum signatur *anno Dominice incarnationis* M. XXXX. *regni domni Henrici felicissimi regis anno sexto indictione decima die duodecima mensis julii*. Anno 1040. decurrebat indictio VIII. & secundum in regno annum numerabat Henricus rex, Conradi filius. Rursus annus sextus Henrici componitur cum anno 1044. quo tamen indictio erat XII. non X. Demum indictio X. pertinet ad annum 1042. & conjungitur cum anno IV. Henrici regis. Quare omni ex parte confusæ & implexæ fuerunt ab imperito exscriptore notæ temporariæ; quod idem dicimus de aliis duabus chartis ad idem monasterium pertinentibus, & eumdem incarnationis ac regni Henrici annum & indictionem X. referentibus, cum tamen ex mox dicendis pertinere videantur hæ duæ postremæ chartæ, & saltem tertia, ad aliquem ex annis sequentibus. Itaque licet medicam manum omnimode exigant, nihilominus de iis aliqua dicimus sub anno præsenti, cui eas consignatas

repe-

Ann. Chr. 1040.

reperimus. *Wilpurga ergo illustrissima domina ..... mater Histriensium totius nobilitatis compos quondam comitis & comitissa procreata ecclesiam ad honorem Dei & sancte Marie virginis & beati Michaelis archangeli a domno Johanne abbate & reliquis ibidem congregatis super altitudinem ripe sinus, qui dicitur Lemus, edificatam, & a domino Engalmero venerabili Parentino episcopo eadem invitante consecratam humillima devotione & benignissimo caritatis affectu* dotavit, destinare insuper curans ante mortem suam loca, quæ eidem sancto loco offerre intendebat. Sequitur deinde in eadem charta oblati territorii recensio; hæ autem tabulæ confectæ dicuntur *consensu domini Wecellini & consensu domini Woldorici & consensu filiorum & filiarum suarum presentium nobilium*, una cum advocato suo *illustri Jacobo Almerici*, & præsente *domno Engalmero Parentine civitatis episcopo*. Similiter altera charta a se confecta *Azcica inlustrissima totius nobilitatis compos patre Wecellino & Wilpurga nobilissima matre Histriensium quondam comite & comitissa procreata, consensu* ejusdem *domine Wilpurge matris sue adhuc viventis, & consensu domini Wolderici filii sui, qui coram stabat*, supradictam Wilpurgæ donationem confirmat, designans ipsa quoque territorium donatum præfato monasterio sancti Michaelis. Cum in hac secunda charta Azcicæ mater Wilpurga vivens *adhuc* nominetur, argumentum desumi potest donationem Azcicæ aliquantum temporis post donationem Wilpurgæ esse statuendam; & tamen donatio Azcicæ facta legitur eodem anno tum incarnationis Dominicæ, tum Henrici regis, & eadem indictione, *sexta* autem *die mensis maji*, duobus mensibus nimirum ante donationem Wilpurgæ; porro probabile non est filiæ donationem præcessisse illam matris. Demum sub iisdem annis ab incarnatione, & sexto Henrici regis, atque sub ipsa decima indictione, *die quinto decimo mensis septembris*, quatuor post Azcicæ, & duobus post Wilpurgæ donationes mensibus, enarratur in tertia charta quæstio, quæ vertebat inter dominum episcopum Parentinum & domnum Johannem abbatem sancti Michaelis de Lemmo. Lis erat hujusmodi. Episcopus exigere volebat decimam de territorio ejusdem monasterii, & præceperat hominibus eidem cœnobio servientibus, ut eam in episcopalia horrea inveherent; isti vero renuebant, quia abbas Johannes *sub pena dupli* dederat in mandatis, ut ad suum monasterium decima referretur. Cum de die in dies controversia recrudesceret, Johannes abbas ad Azcicam comitissam provocavit, quæ Henricum regem adiens coram eo injuriam exposuit, quam episcopus inferebat *pauperibus Christi*; dum ipsa ideo dictum territorium obtulerat, ut possent *fratres predicti monasterii habitare, & pauperes recipere*. Episcopus e contra reponebat omnes decimas debere *esse episcopi & capituli sui*. Rex demum pronunciavit pro abbate Johanne ejusque monasterio, dicens episcopo: *Vade in pace, & noli nos contristare; nos volumus decimas dare, quas tu petis, supradicto monasterio, & hoc habemus exemplum, quod per totam provinciam Histriensium monasteria sancti Benedicti possident suum territorium cum decimis, & omnes fructus, qui in eo possint habere. Post hec episcopus fecit pacem cum domna Azcica, & ipsa dedit episcopo & suo capitulo territorium subtus montem Sablonorum versus occidentem, & episcopus promisit, quod numquam peteret decimam in territorio supradicti monasterii*. Hoc Henrici judicatum retrahendum videtur ad aliquot annos post donationem Wilpurgæ & Azcicæ, & facile ad annum 1046. quo Henricus ex Germania in Italiam descendit, cum alia ex parte anno 1040. idem rex in Germania moras traheret, neque verisimile est episcopum Parentinum & Johannem abbatem, vel saltem Azcicam comitis-

sam

ſam ſe contuliſſe in Germaniam, ut ſententiam Henrici regis poſtularent.

ANN. CHR. 1040.

Neque majora ad harum chartarum illuſtrationem addere poſſumus. Engelmarus Parentinam eccleſiam rexit poſt Sigimbuldum, cujus memoria occurrit apud Coletum [a] in Italia ſacra Ughellii ad annos 1014. & 1017. Anno 1030. [b] idem Engelmarus *cenobio ſancti Michaelis, quod prope civitatem Polenſem conſiſtit, & Johanni abbati* tradidit *monaſterium ſancti martyris Caſſiani ſitum & fundatum infra muros civitatis Parentine.* Johannes abbas & cœnobium ſancti Michaelis prope civitatem Polenſem alius & aliud videntur fuiſſe a Johanne abbate & a cœnobio ſancti Michaelis de Lemmo, quod non prope Polam, ſed in territorio Parentino erat conſtitutum. Coletus tamen Johannem & monaſterium ſancti Michaelis, de quibus ſermo eſt in charta anni 1030. confundit cum Johanne & cum monaſterio ſancti Michaelis de Lemmo, de quibus chartam illam producit, quam tertio loco ſuperius illuſtravimus. Romualdus cœnobium ſancti Michaelis de Lemmo fundaverat anno 1003. quare, quod in ſuperioribus chartis enuntiatur, eccleſiam nimirum a Johanne abbate fuiſſe fundatam, & ab Engelmaro epiſcopo Parentino conſecratam, intelligi debet de perfectione ejuſdem eccleſiæ. Maritus Wilpurgæ comitiſſæ erat Wecellinus comes, & ex utroque nata fuit Azcica comitiſſa, cujus filius fuit Woldoricus. *Wecilli vicecomitis* nomen reperitur in donatione piſcariæ, quam Sigimbuldus fecit canonicis ſuæ eccleſiæ anno 1015. [c] In ſupradicta Engelmari charta anni 1030. apponitur ſignum *Conſtantini filii Ecili comitis.* Wezellino nobili militi [d] ſcribit anno 1079. Gregorius papa VII. mandans, ut regem Dalmatiæ apoſtolica auctoritate conſtitutum infeſtare deſiſtat, & monens, ut ſi quid adverſus eum habeat, ab apoſtolica ſede judicium expetat, alioquin excommunicationis ſententiam cum omnibus ſuis fautoribus attendat. Sed hic Wezellinus remotior eſt, quam ut ad tempora Wilpurgæ referri queat; nec plura divinare volumus. Verum ad locorum nominatorum in his chartis lucem, heic loci exhibemus veterem Lemmi in territorio Parentino topographiam, quam ſeculo XV. confecit Maurus monachus cœnobii noſtri ſancti Michaelis de Muriano, & *incomparabilis coſmographus*, ut fert ipſius æreum numiſma eo vivente cuſum, & quam aſſervatam in altero ſancti Mathiæ monaſterio noſtro typis recentibus expreſſam ſubjicimus. Addimus etiam veterem notarii atteſtationem, qui initio ſeculi XIV. exemplum confecit primæ chartæ donationis Wilpurgæ comitiſſæ die XII. julii anni 1040. quam ſervamus in noſtro ſancti Michaelis archivo; quæ eſt hujuſmodi: *Ego Andreas de Parentio imperiali auctoritate notarius de mandato venerabilis domini Bonifacii Dei gratia Parentini epiſcopi, preſentibus teſtibus domino Georgio archipresbytero Parentino, & domino Martino clerico canonico Parentino, Arligio de Mediolano diacono, Mattheo canonico ſancti Laurentii, & Simone familiare dicti domini epiſcopi & aliis multis. Actum Parentii in epiſcopali palatio, relevavi hoc privilegium, exemplavi & ſcripſi de publico & authentico privilegio, nihil addens vel minuens, quod intentionem variet, augeat, minuat, vel immutet, ſed ſicut in eo inveni, ſic bona fide exemplavi & tranſcripſi, currente anno Domini milleſimo trecenteſimo quinto indictione tertia die ultimo menſis martii.*

Morico [e] converſo pro eremo Camaldulenſi recipienti Petrus olim Petroni vendit terram in caſali *Monte* menſe martio, & Raynerius [f] filius Teuzi aliud prædium ibidem ſitum eremo Camaldulenſi pretio recepto tradit. Hæc ex ſummariis domni Eduardi Baroncinii.

a T. X. col. 313.
b Ibid. col. 315.
c Ibid. col. 313.
d Concil. T. XII. col. 458.
e Arch. Cam. §. Amiſſæ 3. 42.
f Ibidem 4. 42.

CASI-

Ann. Chr 1041.

XXXVI. Casimirus rex Poloniæ ecclesias erigit super corpora SS. Martyrum Polonorum Romualdi discip.

CASIMIRUS, Benedicti IX. Romani pontificis dispensatione, ex monacho cœnobii Cluniacensis regno suo Polonico restitutus, hoc anno sanctorum martyrum Johannis, Benedicti, Matthæi, Isaac & Christini, ac sancti Barnabæ confessoris cellulas veneratus, totidem in eorum fundamentis ecclesias construendas curavit; & ut venerabilem locum venerabiliorem populorum frequentia redderet, novam in circuitu civitatem condidit, ex nomine suo Casimiriam nuncupatam: tres deinde alias ecclesias in locis, ubi erant cellulæ sanctorum Andreæ Zoerardi, Benedicti Zoerardi & Justi eremitarum confessorum apud Opatovicium ædificari jussit, aliisque regiæ pietatis atque munificentiæ signis sancti patris Romualdi, ejusque in Poloniæ regno discipulorum & asseclarum nomen ubique illustravit.[a] Hæc Grandius ex Minio nostro in sancti Casimiri vita Venetiis edita anno 1620. qui ea ipsa acceperat a Martino Baronio Jaroslaviensi in Polonia clerico. Ex insigni studio Casimiri regis in beatissimos Poloniæ martyres, Romualdi discipulos & asseclas, existimat eodem loco idem Grandius confirmari sententiam suam de Casimiri discipulatu sub sancto Romualdo; legerat enim in Martini Cromeri Polonica historia[b] „ profectum „ esse Casimirum Lutetiam anno Christi 1036. voluntate matris, ut in„ genium honestis disciplinis excoleret, inde post aliquot annos, visa obi„ ter Italia, & Romualdo abbate sancto, Cluniaci in Benedictinorum „ monachorum sodalitatem se dedisse, monasticam vitam professum. “ Emendat tamen Cromerum substituendo, juxta Sethum Calvisium, annum 1034. quo eodem anno die XV. vel juxta alios XXV. martii, parentem Miecislaum amiserat. Fulcit pariter opinionem suam verbis Mathiæ Miechoviæ medici in alia Polonica historia[c] hæc scribentis: „ Casimirus de„ legit tandem matre consentiente monachari, & accedere personaliter ad „ Romualdum vitæ sanctitate pollentem in Italia, donato ei pulchro ca„ ballo, exposuit quis esset, poscens ab eodem susceptionem & professio„ nem regularem, quo annuente rediit Cluniacum. “ Eadem refert Stephanus Demalevicius in vita sancti Bogumili Gnesnensis archiepiscopi. Quibus addere poterat Salomonem Neugebaverum[d] in historia rerum Polonicarum, qui Cromerum exscribit, aliosque Polonos auctores. Hinc fert sententiam idem Grandius filium Busclavi Sclavonici regis, qui Romualdo equum satis egregium factus ab eo monachus dono dederat, ut narrat Petrus Damianus[e] in vita ejusdem Romualdi, non alium fuisse quam Casimirum, qui anno 1034. Italiam lustravit; quinimmo ex hujusmodi historico facto aliud desumit argumentum ad removendum ab anno 1027. ut ad eum annum monuimus, obitum Romualdi, ipsum ad annum 1037. differendo. Sed jam validis rationibus probatum est annum 1027. supremum fuisse vitæ Romualdi, & filium insuper Busclavi Sclavonici regis a Damiano in medium adductum alium fuisse a Casimiro Poloniæ postea rege, sicut ad annum 998. fuse ostendimus. Ut vero Casimirus rex Poloniæ recte appellari posset Romualdi discipulus, probandum foret ipsum Italiam lustrasse ante annum 1027. in qua hypothesi non pulsus fuisset regno Casimirus ratione matris Rischæ, cujus imperium regni proceres ferre non poterant post mortem viri sui Miecislai, quæ contigit anno dumtaxat 1034. quam causam Casimiri expulsioni assignant Polonicæ historiæ scriptores, sed alio consilio ductus Poloniam deseruisse dicendus foret. Non inficiamur hocce Casimiri iter per Italiam, attenta ejus ætate, contingere potuisse ante annum 1027. puta anno 1025. vel 1026. quibus ipsi licuisset Romualdum de facie videre, ipsumque equo donare; at omnino negamus hujusmodi iter, si componatur cum anno 998. quo equi oblatio fa-

cta

a *Dissert. Cam. II. pag. 60.*

b *Lib. IV. cap. I.*

c *Lib. II. cap. 13.*

d *Lib. III. p. 56.*

e *Cap. XXVI.*

cta Romualdo Montem-casinum adituro describitur a Damiano; eo enim anno nondum natus erat Casimirus. Cur autem admitti nequeat de facto colloquium Casimiri cum Romualdo, quod narrant Cromerus & Miechovias, ex ea ratione petimus, quia hi colloquium referunt ad annum tantum 1034. quo a proceribus pulsus fuit regno, at eo anno jam obierat Romualdus. Probetur ergo Casimirum colloquutum fuisse cum sancto Romualdo ante annum 1027. & tunc faciles dabimus manus in admittendo ipsius discipulatu sub eodem Romualdo.

Porro studium Casimiri erga sanctos martyres Polonos originem suam traxit a veneratione, qua ipsos prosequebatur, quos pariter sciebat ab avo suo Boleslao summo in pretio fuisse habitos, tum viventes, tum defunctos, & quos demum signis & miraculis clarescere viderat sub patre, & videbat quotidie temporibus etiam suis. Ad hanc forte Casimiri extructionem basilicarum respexit Damianus, cum in vita sancti Romualdi, quam anno sequenti in monasterio sancti Vincentii exaravit, hæc conscripsit: *Deinde facta super corpora Sanctorum basilica, innumerabilia non solum tunc, sed & nunc ibi fiunt ex divina virtute prodigia*; quamquam potest Damianus intelligi de basilica erecta super eorum sacra corpora a Boleslao statim post ipsorum martyrium. Argumentum etiam ex Casimiri pietate desumi potest corpora sanctorum martyrum Polonorum eremitarum anno 1038. asportata non fuisse in Bohemiam, sed in Polonia permansisse; tam recentem enim a Bohemis direptionem factam sacrarum exuviarum inultam non permisisset Casimirus in eorum cultum propensissimus.

Injucundum non erit descriptionem heic loci exhibere hujusmodi ecclesiarum, quas sanctis martyribus dicavit pius rex, juxta earum statum, quo cernebantur his postremis seculis. Narrationem de his confecit Martinus Baronius supralaudatus, & ad Thomam Minium cœnobitam nostri monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia sui amicissimum transmisit initio seculi præteriti, ut hic affirmat in sua historia Camaldulensi, quæ ms. asservatur in bibliotheca ejusdem cœnobii.

Ecclesia sancti Matthæi in meditullio urbis conspicitur, eo in situ ubi publicæ nundinæ fiunt. Tota ex marmoreis lapidibus coagmentatur, & in ea distributa visuntur septem altaria, quorum princeps & pulcherrimum in medio collocatum tumulo sancti martyris cum parte ipsius reliquiarum insignitur, ubi etiam coloribus exprimitur super tabulas ipsius martyrium. Circum ecclesiam extenditur cœmeterium, & ad orientalem ipsius partem consurgit speciosa & pergrandis turris campanaria. Servitio hujus ecclesiæ addicti sunt præpositus & quatuor sacerdotes, qui curam exercent animarum.

Secundam ecclesiam sancto martyri Johanni dicatam obtinent modo patres ordinis Minorum sancti Francisci, vulgo de observantia, ad quam evocati fuere anno 1510. Monasterium, quod prope ecclesiam cernitur, ædificatum dicitur a beato Johanne episcopo Posnaniense. In medietate ecclesiæ situm est altare, quod privilegium etiam habet pro defunctis, ubi religiose custodiuntur lipsana sancti Johannis. Hæc pariter ecclesia ex lapidibus est compacta, & jacet super parvum montem. In viridario autem Fratrum scaturit fons, dictus sancti Johannis, cujus aquæ potus efficax est ad febres, ceteraque noxia pellenda.

Ecclesia sancti Benedicti ex lignis constructa est, tribusque altaribus ornatur, atque sub ara majori collocatum continet sepulcrum marmoreum ejusdem sancti martyris, cœmeterio pariter ligneo cingitur, & sita est super collem dictum Tenegobor.

Ann. Chr. 1041.

Ecclesia sancti Christini in insula ædificata, ipsa quoque lignea, tribusque aris decoratur; prope ipsam arx lapidibus extructa surgit, & ab ecclesia sancti Christini ad illam sancti Benedicti transitus habetur per pontem.

Ecclesia sancti Barnabæ lignis & tabulis similiter constans, triaque altaria habens, sub conspicuiori asservat corpus sancti confessoris; ad ipsam religionis ergo omni sexta feria innumerus populus confluit.

Denique ecclesia sancti martyris Isaac etiam ipsa lignea sepulcro marmoreo ditatur, ubi reconditæ coluntur exuviæ sancti eremitæ, & a presbyteris secularibus, qui divina peragunt mysteria, incolitur.

Consecratas affirmat idem Baronius memoratas ecclesias a sancto Stanislao martyre & episcopo Cracoviensi anno 1072. die XII. novembris, quæ est sacra ipsorum beatorum martyrum. Per medium urbis Casimiritanæ, quæ tota juxta morem ejusdem regionis ex tabulis ligneis est ædificata, neque muris cingitur, pertransit flumen dictum fluvius sacræ eremi.

Alterius sancti confessoris Justi ecclesiam sitam esse ab opposita parte fluminis appellati Dienaice asserit laudatus scriptor. In hac, quæ lapidibus, tribusque aris est decorata, corpus traditur quiescere sancti viri, sed ignoratur locus ejus tumuli. Mons, super quo ædificata est, appellatur Lobsowus, & distat ab Opatowicio duabus leucis Polonis, hoc est decem milliaribus Italis, octo vero a Cracovia.

Superaddit Minius anno 1611. dono se recepisse ab eodem Baronio lapides aliquot tumulorum eorum Sanctorum, cum osse sancti Matthæi, cum parte casulæ rubeæ, quæ ad usum sanctorum eremitarum inservierat, & cum portione etiam casulæ sancti Adalberti archiepiscopi & martyris, & demum cum parte vestis sancti Barnabæ, quæ reperta fuerat Posnaniæ; hæc omnia honorifice collocavit ipse Minius in sacrario suæ ecclesiæ sanctæ Mariæ Angelorum.

Hæc dixisse non pœnitet de sanctis martyribus & confessoribus Polonis ad ipsorum gloriam, & ad gloriam sancti patris Romualdi, cujus discipuli fuere, vel ejus institutis in eremis Polonicis adhæsere. Ipse interea Romualdus miraculis inclarescebat, quæ Deus operabatur ad ipsius Valle-castrensem tumulum, ad quem ex longinquis terrarum partibus toto anno, maxime in ejus festivitate, fidelium multitudo confluebat, ut fusius ex Damiano notum faciemus sub anno sequenti. Invidit nobis antiquitas monumenta gestorum & laudis ceterorum eremitarum, qui tunc in Perensi, in Parentinis, in Urbe-vetanis, aliisque a Romualdo excitatis cœnobiis & solitariis recessibus pie sancteque vivebant, quorum jactura humilitati, & ab hominum consortio remotissimæ ipsorum vitæ est etiam tribuenda.

XXXVII. Chartæ Pisanæ, Pratalienses & Gregorianæ.

Donatio legitur sub hoc anno facta monasterio sancti Michaelis *sito foras civitate Pisa prope porta, que dicitur Samuel, ubi nunc domnus Bonus reverentissimus abbas preesse videtur*, qua Martius, Melior & Ugo germani filii bonæ memoriæ Levitii eidem offerunt terram *in loco & finibus Colignola*. Subscribunt Leo, Willelmus, & alter Leo judex imperatoris, Widone notario chartam complente. Ædificata subinde fuit in eodem loco ecclesia sub invocatione sancti Christophori de Colignola, sive de Coloniola, ex lapidibus, lignis, Sanctorumque reliquiis asportatis ex altera capella dicta de Mezzano. Sed de illa, deque ejus subjectione abbatibus sancti Michaelis, ad quorum jus pertinebat, necnon de litibus occasione ipsius ecclesiæ exortis alius erit dicendi locus. Interim ipsius donationis paginam ex autographo archivi ejusdem monasterii ad Appendicem remittimus.

Ad

Ad quam etiam producimus libellum locationis factum sub hoc anno, *anno* nimirum *pontificatus domni Benedicti* &c. *noni pape* &c. *nono*, *indictione nona mense martio* Donato, Sicconi & Petro fratribus a religioso presbytero, monacho atque coangelico abbate Johanne, qui in monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe regimine jam successerat Stephano abbati.

Ann. Chr. 1041.

In summariis Eduardi Baroncinii laudatur sub hoc eodem anno [a] charta confecta Biblenæ manu Azi notarii, in qua tamen desiderantur subscriptiones contrahentium, Sigifridi nimirum abbatis Pratalienfis & Reprandi presbyteri; in ipsa nomen legitur Luzi vicedomini Biblenæ. Ejusdem abbatis Sigifridi tempore, qui non multos annos superstes fuit, [b] quidam Arnulfus presbyter filius Teuzonis, quo tamen anno ignoratur, quia corrosa est pagina, postulavit, ut sibi concederetur societas monachorum Pratalienfium, quam etiam impetravit; subinde tradidit omnia sua bona mobilia & immobilia in manus dicti abbatis, a quo licentiam obtinuit pro suo libitu permanendi in seculo, & ingrediendi, cum sibi placuerit, monasterium, & deferendi res suas, nil sibi reservando.

a *Arch. Cam.* §. *Invalidæ* 9. *A.* 1. 1.

b *Ibid.* §. *Recordation.* 3. *A.* 1. C. 4. 3.





ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER TERTIUS-DECIMUS.

Ab anno CHRISTI M. XLII. *ad annum* M. LI.

ANN. CHR. 1042.

I. Damianus ad monasterium S. Vincentii de Petra-pertusa reformandum missus.



POSTQUAM biennium impendit Damianus in monasterii Pomposiani cœnobitis edocendis, inde evocatus a proprio abbate ad suum Avellanense monasterium, destinatur ad præstandum simile officium erga cœnobium sancti Vincentii, quod quidem celebre eo tempore erat tum fratrum numero, tum latifundiorum possessione, sed in disciplina monastica admodum collapsum post mortem sancti Romualdi. *Cumque ibidem*, hoc est Pomposiæ, habet [a] Johannes Laudensis, *fere biennio retentus non parvum fructum ex jacto verbi semine fidelis operator Domino tulisset, accepto abbatis sui mandato, subnexo etiam obedientiæ verbo, quatenus ad se redire debuisset, licet pluribus obstrictus precibus, teneri ultra nequaquam valuit; sed tamquam vir Deo plenus, obedientiæ per omnia subditus, magistrum non obaudire formidans, festinus ad eum redivit. Sæpe namque nobis referre solebat, cum sermocinantis occasio id videretur exposcere, quo sui nos exemplo, velut ex propinquo ad obedientiam efficacius provocaret, quod si quid olim sibi cum obedientiæ additamento præcipi contigisset, tanto sua viscera verbum hoc illico terrore concuteret, ut nulla injuncti operis difficultate ab ipsius executione retardari valeret. Peracto igitur cum suis confratribus permissi temporis spatio, iterum ejusdem rei gratia, qua Pomposiam jerat, ad sancti Vincentii, cujus supra meminimus, monasterium, pergere jubetur. Quod nempe quanto vel turba monachorum, vel latitudine facultatum cernebatur uberius, tanto se monasticæ norma disciplinæ fore declarabat angustius. Ibi quoque aliquandiu commoratus, nequaquam segnis a Dominicæ vineæ cultura quievit; donec cooperante sibi Domino, uberem sui fructum famulatus impenderet.*

a *Cap.* VI.

II. Scribiti bidem vitam S. Romualdi.

TEMPORE, quo in eodem monasterio consistebat Damianus, vitam sancti patris Romualdi scriptis exaravit, post quindecim scilicet annos ab ejus obitu, ut in prologo vitæ ipse admonet his verbis: [b] *Adversum te prorsus immunde munde conquerimur, quia habes intolerabilem stultorum sapientium*

b *Prolog. in Vit. S. Rom.*

pientium turbam tibi facundam, Deo mutam. Habes, qui per vanam eloquentiam & inanem philosophiam se sciunt in superbiæ cornibus arroganter extollere; non habes, qui profuturum aliquid ædificationi proximorum ad posterorum velit memoriam schedulis annotare. Habes, inquam, qui in prætoriis judicum negotiorum secularium lites, & causarum jurgia continuis valeant declamationibus perorare; non autem habes, qui possit in sancta ecclesia vel unius Sanctorum virtutes, & clara gesta describere. Sapientes siquidem sunt, ut faciant mala, bona autem facere nesciunt. Ecce enim tria jam fere lustra transacta sunt, ex quo beatus Romualdus, deposito carnis onere, ad æthera regna migravit, & nemo adhuc ex hujusmodi sapientibus extitit, qui de tot mirabilis vitæ ejus præconiis pauca saltem historico stylo digereret, & avidissimæ devotioni fidelium satisfaciens ad communem utilitatem recitanda legivo (vel collegio) sanctæ ecclesiæ tradidisset. Nobis autem in angusto cellulæ angulo residentibus, utilius erat, sicut proposuimus, propria peccata ad mentis oculos assidue revocare, quam alienæ virtutis historiam texere, magis expediret commissi reatus tenebras plangere, quam splendida sanctitatis insignia imperitis sermonibus offuscare. Quod autem sancti Romualdi vitam conscripserit Damianus commorans in monasterio sancti Vincentii, aperte indicat capite LVII. ubi ait: *Alius frater, Gaudentius nomine, abbatis videlicet hujus monasterii sancti Vincentii pater* &c. Ibi ergo positus, *multorum fratrum precibus*, ut subjungit in eodem prologo, *& germana caritate devinctus, quod de prædicto mirabili viro ab egregiis ejus discipulis didici, aggrediar, Deo auctore, describere, vitæque ejus initium, cursum & finem, nimirum imperitus homo, non historiam texens, sed quoddam quasi breve commonitorium faciens, quibuscumque tentabo literarum apicibus exarare.* Quod ideo fecit, *ne celeberrima ejus fama, quæ adhuc populi totius ore depromitur, labente curriculo temporum, de memoria hominum penitus deleatur; cum ad sepulcrum ejus ex longinquis terrarum partibus toto anno, maximeque in ejus festivitate fidelium multitudo conveniat, miracula per eum divinitus facta conspiciat, audire vitæ ejus historiam desiderabiliter quærat, sed utpote quæ non sit, audire non valeat.* Reddit autem rationem suæ scriptionis his aliis verbis. *Hoc autem unum in primis lectorem meum nosse desidero, quia non multa per eum facta miracula in hac ego descriptiuncula colligam, sed potius quod ad ædificationem omnimodis attinet, conversationis ejus ordinem referre contendam. Beatus siquidem vir in tantum se humilitatis tegmine a vento vanæ gloriæ custodivit, quod undecumque humanis oculis videri mirabilis potuit, studiosissima occultatione suppressit. Quæ tamen miracula etiamsi minime fecisset, mirabilem vitam ducens, minori veneratione dignus non esset, neque enim præcursor Domini fecisse miracula legitur, quo majorem nullum inter natos mulierum surrexisse veritas ipsa testatur.* Ceterum, quantum in ea vita conscribenda veritati studuerit, admonet his postremis prologi sensibus: *Nonnulli enim Deo se deferre existimant, si in extollendis Sanctorum virtutibus mendacium fingant. Hi nimirum ignorantes Deum nostro non egere mendacio, relicta veritate, quæ ipse est, falsitatis ei putant se placere posse commento. Quos bene Hieremias redarguit dicens:* [a] *Docuerunt linguas suas loqui mendacium, ut inique egerent, laboraverunt. Qui enim ultro oblatam simplicem veritatem referre facile poterant, in componendis, quæ nesciunt, casso labore desudant; & quo se pro Deo stare, quasi adjutores autumant, eo ut revera falsi testes contra Deum pertinaciter pugnant, Apostolo Corinthiis attestante, qui ait:* [b] *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides vestra; deinde subjungit: Invenimur falsi testes Dei, quoniam diximus testimonium adversus*

a Hier. IX.

b I. Cor. xv.

ANN. CHR. 1042.

versus Deum, qui suscitaverit Christum, quem non suscitavit. Sed quia necessitate ad scribendum coacti, velut commoti ista præmisimus, jam precibus ejus, de quo loquimur, Deo opitulante ad narrationis ordinem veniamus. Alibi jam monuimus, quantum a veritate aberret Rubeus, dum scribit Damianum beati Romualdi vitam collegisse in monasterio sancti Vincenti, quod erat in urbe Ravennate.

III. Chartæ Pratalienses, Camaldulenses & Histrienses.

RAINERIUS filius Widi per chartulam *judicati & ofertionis pro remedio e luminaria anime* tradit hoc anno monasterio sanctæ Mariæ de Pratalia integram suam portionem de domibus, curtibus, terris, vineis & sortibus, cum jure etiam, quod sibi competebat in ecclesiam sancti Michaelis in casalibus *la Silva, & Caminza cum circuito & cimiterio suo*. Chartam, quam transcripsimus ex tabulario Fontis-boni, dabimus in Appendice. In summariis quoque ejusdem archivi confectis ab Eduardo Baroncinio leguntur sub eodem anno hæ donationes factæ eremo Camaldulensi & Petro ejusdem priori. Viventius & Grisentius [a] fratres filii Winizonis una cum uxoribus suis offerunt omnes suas terras & res positas in territorio Partinæ casale *Monte*. Petrus & Azo [b] filii olim Petroni refutant pretio solidorum centum terras & quascumque res, quæ fuerunt olim Frolfi consanguinei sui.

a §. *Donatio. n. 91. A. 1. 13.*

b §. *Renuntiatio. n. 3. A. 1. 22.*

Insuper hoc ipso anno ex archivo canonicorum regularium Portuensium Ravennæ, Johannes abbas sanctæ Mariæ & sancti Andreæ in insula Serra in Histria [c] donavit Aimmoni abbati sancti Adalberti in insula Pereo plura bona, quæ erant constituta in territoriis Faventino & Imolensi. Monasterium hoc Histriense, de quo pauca admodum supersunt monumenta, multa prædia obtinebat in præfatis territoriis. Reperimus in tabulario archiepiscopali Ravennæ ad annum 1054. Ergencbaldum abbatem ejusdem cœnobii (is successisse videtur Johanni) cum consensu monachorum suorum libellum emphyteusis conscripsisse de portionibus terrarum positarum in comitatu Faventino *plebe sancti Petri intra Silva*, Petro Allegritto, & Gasdiæ ejus jugali. Ad illustrationem hujus Histriensis monasterii libellum hunc in Appendice producimus confectum: *Anno ab incarnatione Domini millesimo quinquagesimo quarto, imperante donno Einrico Romani imperii in Italia vero sede anno octavo, die sextodecimo mensis junii indictione septima, in fundo, qui vocatur Casaligoto*; sed apographum hujus libelli factum fuit: *Anno Deo propitio pontificatus domni Gregorii pape sede anno septimo, sitque regnante Einrico filius item Einrici imperatoris anno vicesimo secundo, ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo septuagesimo nono, die vero ..... mensis decembris, indictione tertia, in fundo Paraciaco*. Emendandus est in hoc apographo annus Henrici filii Henrici imperatoris, cum mense decembri anni 1079. inchoasset annum vigesimum-quartum post mortem Henrici patris, quæ contigerat die quinta octobris anni 1056. Indictio autem tertia bene convenit, quæ nimirum incœperat a mense septembri.

c *Capf. D. n. 999.*

ANN. CHR. 1043.

IV. Damianus redit ad suam Avellanensem solitudinem, & regimen loci suscipit.

REFORMATIONE introducta sanioris disciplinæ in monasterium Sanvincentianum, revocatus fuit denuo Damianus ad suam Avellanensem solitudinem, cujus etiam loci post breve tempus, morte interveniente sui magistri, regimen assumpsit. *Magister vero ejus*, inquit Johannes Laudensis [d], *tantam ejus prudentiam & zelum considerans, lætabatur strenuum se recepisse discipulum, cui tuto committeret ipsius eremi gubernacula. Assumpto itaque discipulorum consultu, eremi procurationem ei, licet abneganti & renuenti, post se suscipiendam mandavit. Post migrationem vero magistri*, regi-

d Cap. VII.

regimen loci suscipiens, tam spirituali, quam temporali cultu haud modice dilatavit. Quamvis ex his verbis liquido non deducatur Damiani antecessorem hoc anno obiisse, & consequenter Damianum administrationem suscepisse monasterii Avellanensis, ex inferius tamen dicendis certum est ipsum huic loco præfectum fuisse ante mortem Gebehardi archiepiscopi Ravennatis, quæ figenda est ad annum sequentem. Qui existimant Guidonem Arretinum fuisse Avellanensem abbatem & Damiani prædecessorem, necesse est, ut ad hunc annum illius obitum statuant. Pariter erroris convincuntur quotquot, & plures sunt tam ex nostris, quam ex alienis auctoribus, qui pluribus post hinc annis Damiani præfecturam Avellanensem auspicantur.

Ann. Chr. 1043.

V. Beneficia ab ipso præstita eidem loco.

Enumerat ipse Damianus in eo opusculo, [a] quod post hæc tempora conscripsit de *ordine eremitarum & de facultatibus eremi Fontis-Avellani*, quot immobilia & mobilia bona eidem monasterio industria sua procuraverit, ut ad observandam monasticam & eremiticam vitam *nullus excusationi pateret locus. Juxta id*, inquit, *quod exiguitati loci humilis competebat, studuimus eo tenus possessiones acquirere, ut prædictum numerum fratrum*, viginti nimirum, *possis*, Priorem successorem suum alloquitur, *nisi exercendi cura defuerit, substentare. Librorum quoque numerum non minimum dereliquimus, ut fratribus nostris, qui pro nobis orare dignentur, meditandi copiam præberemus. Bibliothecam namque omnium veteris & novi Testamenti voluminum, licet cursim, ac per hoc non exacte vobis emendare curavimus. Ex passionibus quoque beatorum martyrum; ex homiliis sanctorum patrum; ex commentariis allegoricas sacræ scripturæ sententias exponentium, Gregorii scilicet, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Prosperi, Bedæ, Remigii etiam & Amalarii, insuper & Haimonis atque Paschasii, divina gratia nostris allubescente laboribus, plures libros habetis, quibus vacare potestis, ut sanctæ animæ vestræ non solum oratione crescant, sed & lectione pinguescant. Ex quibus nimirum codicibus nonnullos pro nostra possibilitate correximus, ut in sacræ disciplinæ studiis intelligentiæ vobis aditum panderemus. Claustrum quoque juxta ecclesiam construi hac intentione censuimus; ut si quem adhuc inolita monasterialis ordinis consuetudo delectat, habeat ubi in præcipuis festivitatibus sollemniter ex more procedat; cui & processioni crucem argenteam satis idoneam procuravimus. Ejusdem quoque intentionis studio, imbecillitati fragilium consulentes, etiam tintinnabula, atque bechinia* (videntur fuisse pelves & catini pro usu ecclesiæ,) *diversaque divinæ domus utensilia comparavimus. Calices quoque duos argenteos pulcherrime deauratos hac vobis ratione providimus, ut cum sacra Dominici corporis & sanguinis mysteria vultis accipere, stannum, vel vilius quodcumque metallum vestris labiis nequaquam necesse sit adhibere. Conspicua nihilo minus sacrosancto altari tegmina, & celebrandis Missarum sollemniis pretiosa contulimus ornamenta. Hæc omnia, fratres, nos non sine labore quæsivimus, ut vobis laboris impendia tolleremus; tantoque liberius se vester animus ad alta sustolleret, quanto minus hunc ad providenda sibi infima rei familiaris inopia non gravaret.* En beneficia, quæ sacræ Avellanensi congregationi contulit tempore sui præsulatus Damianus. Quanta vero monachalis & eremitica disciplina augmenta susceperit in eo loco sub ejus magisterio, quales quantosque viros sanctitate & pœnitentia florentes Fons-avellanæ inde aluerit, sequentibus annis fusissima se præbebit dicendi copia.

[a] *Opusc.* XIV.

VI. Ejus binæ epistolæ ad Gebehardum archiep. Ravennatem.

Interim Damiani nomen e latibulo Avellanensi erumpens illustre habebatur per totam Italiam. Vix ad prioratum assumptus, a Gebehardo archiepiscopo Ravennate, ut in patriam suam rediret, invitatus fuit; evocatus

Ann. Chr. 1043.

catus est enim a Gebehardo eo tempore, quo, ut ipse Damianus [a] ait, *pauperculum locum ad regendum suscipiens, qui prius per memetipsum solummodo pauper extiti, nunc per tot pauper effectus sum, quot regendos accepi*. Ravennæ notissimus erat Damianus, ubi natale solum olim habuerat, sed recentior etiam erat ipsius notitia acquisita a Gebehardo in monasterio Pomposiano, ubi ille his postremis annis sapientia, & sanctitate vitæ eluxerat, cuique monasterio addictissimus erat idem archiepiscopus Ravennas, ut legitur etiam [b] in vita sancti Guidonis Pomposiani abbatis, cum quo sæpe ad mensam discumbens Gebehardus aquam in vinum mirabiliter mutatam gustavit. Porro Damianus ab archiepiscopo invitatus, *si fieri potest*, adventum in patriam deprecatur; *sin autem, quidquid volueris*, inquit, *cum omni auctoritate præcipias*. Eremum tamen deseruisse, & Ravennam ad tempus accessisse ipse indicat [c] scribens ad G. thesaurarium Ravennatensis ecclesiæ. Ceterum Gebehardum *secundæ per Italiam sedis antistitem* Damianus appellat. Lis eo seculo inter archiepiscopos Ravennatem & Mediolanensem vertebat, & in Romanis conciliis nunc Ravennati, nunc Mediolanensi ecclesiæ præcedentia concessa fuerat. Damianus ergo urbi suæ addictissimus eam secundam sedem vocat, ut distinctius pronuntiatum fuit anno 1046. in synodo Romana a Clemente papa II. Summopere extollit Gebehardum Damianus, quod *eo tempore, quo simoniacus draco miserabilium negotiatorum brachia perplexis concupiscentiæ spiris virus infundit, solus pene ex omnibus invictus Christi miles incolumis permanens, ecclesiam tuam mundam ab omni ejus pestifera contagione custodis, & quod pastorum, immo latronum culpa magistri sedes amisit* (alludit ad ecclesiam Romanam a Benedicto IX. per simoniam invasam) *nobilis alumni cathedra inviolata servavit*, nimirum Apollinaris, Petri discipuli, qui Ravennatem cathedram erexit. Laudat insuper archiepiscopum, quod saluti monachorum pastorali oculo suo invigilet. Gebehardus scilicet Pomposianos potissimum coluit monachos, multisque beneficiis fuit de eis meritus; ita & Adalbertinos in insula Perei, aliosque cœnobitas donationibus & privilegiis cumulavit, ut etiam ex nostris Annalibus innotescet.

Altera vero epistola ad Gebehardum eumdem data ipsum *omnigenæ eruditionis sapientiæ pollentem* celebrat, *consiliariumque domini papæ*, utique Beneidcti IX. appellat, eumque orat, ut contra Fanensem & Pisaurensem episcopos viriliter arma suscipiat, ne infames illi & criminosi præsules diutius commorari in suis episcopatibus sinantur. Ad ultimum commendat ei abbatem Classensem carissimum patrem suum. Degebat tempore hujus secundæ epistolæ, ut ex ipsa colligitur, Gebehardus Romæ; abbas vero Classensis adhuc erat Lambertus, de quo plura diximus annis antecedentibus, & rursus dicemus ad annum 1045. Quantus porro familiaritatis & dilectionis affectus Gebehardum inter & Damianum cederet, initium ejusdem epstiolæ declarat. *Dilectissime*, inquit, [d] *mihi pater & domine, quo circa te desiderio ferveam, quæ tuæ dilectionis flamma meum pectus exurat, testis est lingua, quæ tam crebro te abesse conqueritur; testis est conscientia, quæ serenissimam angelici tui vultus speciem tam perspicue contemplatur. In illo quippe pectoris receptaculo, non ubi pater aut mater, sed ubi ipse sum, te alterum reconditum gero. Quapropter humiliter peto, ut mihi mutui amoris vicem redhibeas, & gratia, quæ simplex egreditur, ad me duplicata recurrat. Hoc autem mihi persuadere facile poterunt, qui ad vos de nostris partibus venientes, aliquod negotium in præsentia sanctissimi apostolici domini mei exercere contendunt.*

VII. Dominicus Loricatus & Leo eremita transeunt ad disciplinam Damiani.

Ante præsentem annum Dominicus Loricatus, qui primum *plurimos annos*

a Lib. III. epist. II.

b Mabill. Sec. VI. n. 12. p. 451.

c Lib. V. epist. 12.

d Lib. III. epist. III.

ANN. CHR. 1043.

annos vixit sub magisterio sancti Johannis de Monte-feretri, & tantum *longe post* eremum Luceoli, eodem Johanne permittente, dimisit, non potuit Damiano adhærere in solitudine Avellanensi; eo enim anno se disciplinæ Damiani subjecit, quo tamquam *monachus abbati*, & tamquam *cliens se subjugaret*; id quod intelligi nequit, nisi postquam Damianus habenas suscepit regiminis cœnobii Avellanensis; sed præstat ipsum Damianum [a] audire: *Longe vero post, magistro præbente consensum, dignatus est vir sanctus prædictus mihi misero, & quem ipse suscipere dignaretur, indigno, mira se prorsus humilitate committere, & sicut abbati monachum subjugare. Cui nimirum præstitit, non accepit. Et quem susceperam velut in subjectione clientem, gaudeo me in schola Christi vere philosophum percepisse doctorem. Tota quippe vita ejus prædicatio & ædificatio, doctrina erat & disciplina.* Quare Jacobillius [b] non est audiendus, qui scribit transitum hunc Loricati accidisse anno 1034. quo, ut satis abunde probavimus, Damianus vix vel recens seculo valedixerat, & prima dumtaxat vitæ monasticæ rudimenta excipiebat in cœnobio Avellanensi; melius Turchius, qui adventum Loricati ad Fontem-avellanæ refert ad annum 1044. Distabat a Luceolensi eremo altera Avellanensis per octo fere milliaria. Austerissimis pœnitentiæ exercitiis Avellanitarum invitatus, patiendi cupidissimus Dominicus, haud ægre facultatem impetravit discessus a suo magistro Johanne de Monte-feretro, præsertim cum hæc de loco in locum transmigratio non esset monasticæ regulæ aut professionis eremiticæ mutatio (utrobique enim eædem servabantur consuetudines) sed foret gradus ad perfectiorem vitam, quæ in loco magis solitario, & a familiarium consortio remotiore facilius obtineri poterat a Dominico, patrium fortasse solum, Luceolensem nimirum eremum, deserente.

a *Vit. S. Dom. Loric. cap.* VII.

b *Vit. SS. Umbr. T. II. pag.* 337.

Referendus est ad eadem tempora adventus etiam Leonis eremitæ ad eamdem eremum Avellanensem, qui vel ex eremo fundata a marchione Maginfredo in Liguriæ finibus, ubi primum vitam traxit, teste Damiano, vel ex Sitriensi monasterio majori solitudinis & pœnitentiæ ardore inflammatus se contulit ad eumdem Damianum, cujus magnum nomen fama tunc undique diffundebat. Hunc deinceps, ut consiliarium & magistrum suum, & ut angelum sibi a Deo constitutum suspexit semper & veneratus est, licet officio & auctoritate major, Damianus.

VIII. Chartæ ad varia monasteria spectantes.

DONATA fuerat monasterio Pratalienſi annis antecedentibus ecclesia sancti Michaelis in casali *Camenza*; pertinet autem ad hunc annum oblatio terrarum in eodem casali facta ab Algozo de genere Francorum, & ab Ermizia, *que & Minuta vocabatur*, ad augendos nimirum proventus ejusdem ecclesiæ. Hanc donationem exscripsimus ex chartario Fontis-boni, & in Appendice nostra edimus; ad quam etiam remittimus ex tabulario archiepiscopatus Ravennatis paginam semilaceram, qua Gebehardus Ravennas antistes, quem Damianus superius laudavit ut monachorum saluti apprime vigilantem, donavit hoc anno piscariam cognomento *Corbariam* Aimmoni abbati sancti Adalberti in insula Pereo, qui facile successerat Vitali abbati, de quo locuti sumus ad annum 1017. In eadem Appendice publici juris facimus tertiam paginam a nobis transcriptam ex archivo sancti Blasii de Fabriano, quæ continet donationem bonorum positorum in fundo *Cerreto*, qui dicitur *Punpiano* territorio Senogalliæ, factam Urso abbati & ejus monasterio sancti Victoris de Clusis ab Ofredo, qui vocatur *Ceso*, filio quondam Guifredi, & a Tethelanda ejus jugali: *Anni Domini millesimo quadragesimo tertio, anno Deo propitio pontificatus domni Benedicto pape sede anni ejus nono, die mense madio indictione decima.*

Ann. Chr. 1043.

ma. Nisi recurratur ad annum Pisanum, vix conciliari possunt omnes notæ chronicæ hujus chartæ.

IX. Ex iis illustratur charta ad San-gregorianum monasterium pertinens.

Benedictus abbas monasterii sanctorum Gregorii & Andreæ de Urbe successor legitur Johannis abbatis in charta præsentis anni edita a Cl. V. Nerinio in Appendice ad suam historiam de templo & de cœnobio sanctorum Alexii & Bonifacii, quæ meretur locum in his nostris Annalibus. Firmata siquidem per eam hoc anno fuerunt pacta quædam inter *Benedictum abbatem monasterii sanctorum Andree apostoli & Gregorii confessoris, qui nuncupatur Clivus Scauri*, & inter *Petrum abbatem monasterii sanctorum Bonifacii & Alexii, quod ponitur in Apentino*, circa quoddam casale, quod vocabatur *Tertius*, de quo lis erat inter utrumque cœnobium. Casale nimirum hocce Petrus bonæ memoriæ episcopus Silvæcandidæ in pueritia sua acquisiverat per chartulam tertii generis ab abbate sancti Gregorii; sed contra legem, quæ vetabat, ne piis locis traderentur bona per libellos emphyteusis semel acquisita, idem Petrus ante obitum suum obtulerat præfatum casale monasterio sancti Alexii. Forte charta emphyteusis olim scripta in favorem Petri episcopi devenit in manus Johannis prædecessoris Benedicti abbatis Gregoriani, qui eam proinde, utpote quia Petrus episcopus pactis minime steterat, perforavit. Mota deinde controversia inter utrumque monasterium, & convenientes præsides vel advocati utriusque cœnobii coram Gregorio consule fratre germano Benedicti IX. papæ, & coram sanctissimo Bartholomæo (is videtur fuisse abbas Cryptæ-ferratæ) necnon coram Johanne archi-canonico sancti Johannis intra portam Latinam, qui fidei-commissarius erat supradicti Petri episcopi, coram Petro pariter diacono & cancellario sanctæ apostolicæ sedis, ac Stephano primo-scriniario & Stephano dativo judice, postularunt, ut lis decerneretur; ipsi porro judices sententiam pronunciarunt debere monasterium sanctorum Bonifacii & Alexii undecim libras denariorum numerare monasterio Clivi Scauri, cœnobium vero hoc teneri reddere chartam perforatam, quæ valeret ac si integra foret, monasterio San-bonifaciano. Decreverunt insuper, ut cœnobium sancti Gregorii libellum emphyteusis perpetuum ejusdem casalis scriberet præfato monasterio sanctorum Bonifacii & Alexii, quod e contra pensionis nomine quotannis in festivitate sancti Gregorii se obligaret ad solutionem, & de facto illi exsolveret quinque denarios argenteos. Ita, ni fallimur in explicatione nostra, arbitramur illustrandam esse chartam hanc, melius quam explicaverit ipse Nerinius in dedecus Johannis abbatis Gregoriani, eamque proinde in Appendice recudimus pro veritatis & rectæ dilucidationis nostræ testimonio.

Ann. Chr. 1044.

X. Damiani epistolæ ad Gregorium VI. Rom. pont.

Tres Romanos pontifices tulit præsens annus millesimus quadragesimus-quartus, Benedictum IX. qui anno 1033. electus undecimum gerebat supremi ecclesiæ regiminis annum; Johannem episcopum Sabinensem, qui assumpto Silvestri III. nomine ad tres menses eam cathedram obtinuit; & Johannem archipresbyterum, appellatum etiam Gratianum, cui Gregorii VI. nomen inditum est. Cum expressis verbis [a] Desiderius abbas Casinensis, S. R. E. cardinalis, & postea Romanus pontifex, Victor III. dictus, atque ex Desiderio Leo Ostiensis duos annos & octo menses pontificatus Gregorio VI. tribuant, & cum ejusdem Gregorii depositio in concilio Sutrino contigerit paullo ante festa Natalitia anni 1046. recte consequitur Gregorium VI. eam cathedram conscendisse ad finem vergente mense aprili hujus anni. Rursus eodem aprili mense hujusce anni synodus Romana celebrata fuit in causa Gradensis patriarchatus sub Benedi-

a *Apud. Leon. Ostien. Lib. II. cap. 79.*

cto

Ann. Chr. 1044.

cto IX. Quare sic videntur in ea rerum & historiæ obscuritate concilianda tempora horum pontificum, ut anno elapso desinente, vel hujus initio, Romani *nequitiam amplius ferre* Benedicti IX. non valentes, ipsum *a pontificatus cathedra* exturbantes, ab Urbe ejecerint, *alterumque in locum ejus*, *Johannem videlicet Sabinensem episcopum*, *non tamen vacua manu*, *canonica parvipendentes decreta*, ut scribit idem Desiderius, substituerint. *Qui tribus non amplius mensibus Romanæ usus est cathedræ successione*, *Benedicto undique suis cum propinquis infestante Urbem* ..... & *ad episcopatum* reverso, & denuo recepto *sacerdotio*, *quod amiserat*. Ita clare intelligimus, quomodo mense aprili præfuisse potuerit Benedictus synodo Romanæ hujus anni. *Sed cum a clero simul & a populo propter nequitias suas contemni se conspiceret*, *& fama suorum facinorum omnium aures impleri cerneret*, *tandem reperto consilio*, *cuidam Johanni archipresbytero*, *qui tunc in Urbe religiosior ceteris clericis videbatur*, *non parva ab eo accepta pecunia*, *summum sacerdotium relinquens tradidit*. Id quod contingere debuerit eodem mense aprili, ut vera esse queant, quæ prosequitur Desiderius, *Johannem*, *cui Gregorius nomen inditum est*, *duobus annis & octo mensibus sacerdotium administrasse*.

Gregorio itaque VI. recens creato Romano pontifici Damianus, qui absens tunc ignorabat in ipsius promotione pecuniam intercessisse, gratulatus hoc anno scribit, tamquam [a] *antiquum sui juris privilegium* recepisset *sancta ecclesia*. *Conteratur*, inquit, *jam milleforme caput venenati serpentis*, *cesset commercium perversæ negotiationis*, *nullam jam monetam falsarius Simon in ecclesia fabricet*, *nulla Giezi*, *præsente providi doctoris adsistentia*, *furtiva dona reportet*. *Jam columba revertatur ad arcam*, *& virentibus olivæ foliis pacem nuntiet redditam terris*. *Reparetur nunc aureum apostolorum seculum*, *& præsidente vestra prudentia*, *ecclesiastica refloreat disciplina*. *Reprimatur avaritia ad episcopales infulas anhelantium*, *evertantur cathedræ columbas vendentium nummulariorum*. Deplorat nimirum Damianus infelicia tempora Benedicti IX. Spei tamen suæ, immo mundi initium futuram subdit ecclesiam Pisaurensem, cui, si restituatur episcopus *magnis criminibus obvolutus*, quem insuper gloriosis titulis *adulteri*, *incestuosi*, *perjuri atque raptoris* ornat, *ab apostolica sede boni aliquid ulterius posse fieri denegatur*. Immo a depositione Pisaurensis, Fanensis & Castellani episcoporum initium affirmat esse sumendum. Ex hac Damiani epistola colligitur Pisaurensem episcopum fuisse jampridem a sede sua deturbatum, sed tentasse tunc regressum, qui ne eveniat, Romanum pontificem exorat. Ex chartula tabularii archiepiscopalis Ravennatis Pisaurensis episcopus ad annum 1051. erat Petrus. Petrus quoque Pisaurensis episcopus subscribit concilio Romano anni 1059. sub Nicolao II. Nescimus an Petro tribuendum hujusmodi Damiani elogium, an vero Petri antecessor fuerit hujusmodi criminosus episcopus? Pariter Fanensis & Castellani episcoporum nomina ignoravit Ughellius, sed neque has historicas circumstantias, quas ex Damiano novimus, suppresso ipsorum nomine, inserendas curavit suis Fanensibus & Castellanis episcopis. Ceterum agnovit postea Damianus innocentem non fuisse omnino Gregorii exaltationem, quando nimirum in concilio Sutrino una cum aliis Romanis pontificibus depositus fuit & ipse Gregorius, ut idem testatur in opusculo XIX. *de abdicatione pontificatus* ad Nicolaum II.

Viduata insuper Foro-sempronienſi ecclesia præsenti vel sequentibus duobus annis pontificatus Gregorii, altera epistola [b] eidem pontifici significat Damianus electum fuisse a clero & a populo archipresbyterum quemdam non

a *Lib.* I. *epist.* I.

b *Lib.* I. *epist.* II.

Ann. Chr. 1044.

non undequaque sibi probatum, avarum scilicet & episcopalem honorem ambientem; nihilo secius, si is cum ceteris conferatur, non indignum sibi videri ea dignitate; *clerici* enim *digni episcopatus officio* in Damiani *partibus* non inveniebantur. Nisi tamen Romanus pontifex ipsum in episcopum consecrandum censuerit, postquam de ambitione sua electus pœnitentiam egerit, Gregorium precatur, ut nulli cathedram hujus ecclesiæ conferat ante adventum suum Romam.

XI. De Adam Foro-semproniensi episcopo.

Foro-sempronïensis episcopus, qui obierat, fuit Adam; is enim subscriptus reperitur inter ceteros patres hoc ipso anno mense aprili in suprarelata synodo Romana, in qua de Gradensi patriarchatu actum fuit. Pluries ante postremum obitus sui annum Adam promiserat Damiano monachalem habitum se suscepturum, sed de die in diem executionem propositi sui differens, a morte præoccupatus fuerat. Ejus obitum narrat idem Damianus [a] opusculo *de fide Deo obstricta non fallenda* ad Landulphum clericum his verbis: *Num & Adam Sempronienſem episcopum præteribo, qui se monachum fieri sæpe promiserat; sed semper excusationes quibusdam quasi rationibus coloratas obtendere satagebat? Aliquando mitius febriens, me vocavit ad se; cui nimirum, ut monachus fieret, cum ego violenter insisterem, velle se perhibebat; & tamen, ut per quasdam verborum ejus rimas erumpere videbatur, rem differre tentabat. Postremo, quod apud me magis obtinuit, ait: Ego quidem, pater, quidquid præcipis, incunctanter obtempero; verumtamen nolo te lateat, quia mox, ut ego factus fuero monachus, prædis quoque atque rapinis hæc proculdubio patebit ecclesia, insuper & possessiones ejus, & prædia scelesti homines radicitus extirpabunt. Hoc ergo audiens, dum delusus ecclesiæ tam periclitanti, prob dolor! animæ non prævidi. Recedens igitur sibi suisque mandatum dedi, ut si languor aliquatenus ingravesceret, aut mihi per indicem protinus innotesceret, aut illum ad monasterium non longe positum deferrent. Porro autem postquam ego recessi, frater ejus hæc mihi per nuncium delegavit: Dominus quidem meus, ut speramus, per divinam clementiam convalescet; verumtamen hortor, ut revertaris ad eum, hoc scilicet ordine, ut videlicet dominico die propius accedendo ad cœnobium beati Vincentii, quod ab episcopatu vix quinque lapidibus distat, requiescas. Secunda vero feria maturius surgens, ac matutinas laudes suaviter equitando persolvens, ad nos diluculo nondum plenius diescente pertingas, & posthæc venire te, quæso, non pigeat. Nam si veneris, tui labor itineris compensatione congrua non privabitur. Hoc ultimum ego audiens illico nauseatus exhorrui, & tamquam mihi spes daretur munerum, pro pecuniæ quæstu ire me funditus abnegavi; conscientia teste non mentior, ipsum quoque non leviter conviciatus sum, velut inhonestæ legationis auctorem. Rursus tamen me in memetipso recolligens timere cœpi, ne si hic homo ex hac vita transiret, me postmodum conscientia negligentiæ redarguens sauciaret. Quid verbis immoror? Tandem parui, cunctaque, sicut ille mandaverat, per ordinem servans, cum vix dum aurora prorumperet, ecclesiæ limen accessi. Sed ecce cum omnes hinc inde perstreperent, fletus & ejulatus emitterent, vix duobus assistentibus pueris, intra cubiculum cadaver episcopi jacebat exanime. In quo nimirum casu ac summo studio perpendendum, quanta adversus incautos hujus vitæ dilectores callida machinatoris insidietur astutia. Accurate scilicet & argute illud mihi temporis punctum per ora mittentium constituit, ut venirem, quod episcopi mors inopinata præcederet, ut & illius me præveniret occasus, & meos frustaretur adventus.* Hæc Damianus de morte Adami episcopi Foro-semproniensis. Corrigendus proinde Ughellius, qui Adamum post supranominatum archipresbyterum, immo

[a] *Opusc.* xlii. *cap.* iiii.

mo etiam post Benedictum, episcopum ejus sedis facit, ac ipsius Adami obitum consignat ad annum 1069. Hoc, præterquamquod falsum est ex Damiano, qui ejusdem defuncti historiam enarrat ad annum 1059. quo exaratum est opusculum ad Landulphum, ubi Adami mortem refert, erroris insuper convincitur ex laudata epistola Damiani ad Gregorium VI. in qua clare indicatur episcopum Foro-sempronienſem aliquem fato cessisse; agitur enim in ea epistola de successore episcopo Foro-semproniensibus dando. Qui proinde defunctus episcopus, cum Adam fuerit, ut liquet ex subscriptione ejusdem inter patres concilii Romani anni 1044. necessario consequitur, eumdem Adamum oppetiisse mortem hoc anno vel duobus subsequentibus, intra tempus scilicet pontificatus Gregorii VI. Quare ita emendanda erit Ughellii series in episcopis Foro-semproniensibus. Adam episcopus; deinde N. ex archipresbytero ejusdem ecclesiæ, dummodo a Gregorio VI. non fuerit reprobatus; tum Benedictus, de quo alibi agemus, qui Foro-semproniensem cathedram tenuit saltem ab anno 1049. (eo enim anno subscripsit bullæ Leonis papæ IX. pro Johanne episcopo Portuense) usque ad annum 1062. vel 1070. quibus sedit in concilio Romano sub Alexandro II. ut alibi videbimus.

XII. Obitus Gebehardi Ravennatis archiep.

CONTIGERAT hoc ipso anno, verum ante electionem papæ Gregorii, obitus etiam Gebehardi Ravennatis antistitis, & Damiani amicissimi, qui decessit XIV. kalendas martii juxta Rubeum, sepultusque fuit in monasterio Pomposiæ, quod vivens pluribus bonis auxerat, & privilegiis ditaverat. Ipsius tumulo sequentes versus insculpti fuere:

PONTIFICIS. MAGNI. CORPVS. JACET. HIC. GEBEHARDI
PER. QVEM. SANCTA. DOMVS. CREVIT. ET. ISTE. LOCVS
PLVRIMA. DONAVIT. QVAE. TALI. LEGE. LEGAVIT
QVAE. PATITVR. JVDAS. RAPTOR. VT. IPSE. LVAT
CHRISTO. FVNDE. PRECES. SIBI. LECTOR. DIC. MISERERE
OBIIT. ANNO. DOMINI. M. XXXXIIII.

Amadesius [a] auctoritate cujusdam paginæ tabularii archiepiscopalis Ravennatis existimat Gebehardum in vivis fuisse etiam mense decembri hujus anni. En notæ chronicæ [b] ipsius paginæ. *Gebeardus servus servorum Dei divina gratia archiepiscopus ..... anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri apostoli Domini sede duodecimo, die vigesima mensis decembris indictione duodecima Ravenne.* Opinione tamen nostra hæc charta spectat ad annum antecedentem 1043. signatum indictione XII. inchoata a mense septembri, præsertim cum mense decembri anni 1044. non solum pulsus fuisset Benedictus a Romana urbe, sed insuper a pluribus mensibus supremam sedem jam resignasset Gregorio VI. Quod autem in charta Ravennate conjungatur duodecimus annus pontificatus Benedicti IX. cum anno 1043. qui erat tantummodo undecimus, ea accensenda est ceteris similibus Ravennatibus paginis, aliisque in bullario Casinensi, & apud Mabillonium allatis, quæ, [c] teste Muratorio, electionem Benedicti uno anno anteriorem statuunt, cum tamen validioribus documentis innitatur communis opinio, quæ ad annum dumtaxat 1033. retrahit ipsius ad pontificatum Romanum electionem.

a *Ep. ad Collin. Opusc. T. XLV.*
b *Caps. A. n. 290.*
c *Annal. T. V. pi 99.*

DOMI-

ANN. CHR. 1044.

XIII. Dominicus Loricam vestit, Loricatus inde dictus.

DOMINICUS factus anno præcedenti discipulus Damiani in eremo Fontis-avellanæ ferreos circulos, loricamque ferream superinduit hoc anno, unde cognomentum ipsi exinde factum Loricati. Opusculum enim Damiani ad Blancam comitissam pertinet, ut suo loco dicemus, ad annum 1059. Porro tempore scriptionis hujus opusculi quindecim fere excurrerant anni, quibus tam grave & molestum pondus gestabat sanctus vir. *Utinam*, loquitur ad Blancam Damianus [a], *daretur tibi nunc dominum videre Dominicum, qui, quod imperitæ linguæ conamur officio, ipse se efficaciori luculentissimæ vitæ doceret, & informaret exemplo. Hic denique a tribus jam circiter annorum lustris lorica ferrea vestitur ad carnem, duobus autem ferreis circulis in corpore cingitur, duobus item per brachiorum armos arctatur.* Industrium profecto Dominici pro gravissima pœnitentia inventum! Quandoquidem vestis episcopo donata, ut observavimus, causa fuerat criminis, pro quo expiando seculum reliquerat, & eremum petierat, idem crimen in se ulciscitur, novam & asperrimam superinduens vestem. Plures in eremo Avellanensi loricis ferreis se præcingebant, ut testatur idem Damianus in libro [b] de suæ congregationis institutis. Verum aut nullus usus fuit ante Dominici exemplum, aut nullus videtur eas gestasse vel ponderosiores & asperiores, vel diuturniore tempore, quam fecerit ipse Dominicus, unde merito antonomastice cognominatus fuit Loricatus. Loricam non deponebat, nisi cum eam ablui oporteret, & novam tunc supervestiebat; eam demum neque in ipsa postrema sua infirmitate abjecit; quinimmo tunc tantum, post ejus scilicet obitum, monachi agnovere præter loricam, qua ad carnem utebatur quotidie, aliam habuisse substratam lateribus ejus, super quam quietem carpens vel in infirmitatibus etiam jacebat. Percontatus fuit aliquando Damianus Dominicum, qua ratione tam gravi & rigida Lorica præpeditus, psalmos tamen brachiis extensis decurrere posset, genua insuper flectere, & cum toto corpore prostrari, cui Dominicus hanc obscuram reddidit responsionem: *Cum incolumitas mihi votiva respondet, quandoque per omnes totius psalterii quindenos psalmos centies genua flectere consuevi.* Non attendit ei responsioni tunc Damianus, sed postea ipsam mente revolvens, inhorruit a Dominico Loricato mille genuflexiones fieri consuevisse in uno psalterio. Hæc narrat Damianus in opusculo ad Teuzonem [c]; sed & in altero [d] ad Hugonem archiepiscopum Bisuntinum. *Hic mihi*, inquit, *confessus est sæpe se mille fecisse metaneas per singulos dies, dum tamen ferrea lorica jugiter esset indutus ad carnem.* Idipsum pariter indicat in epistola *ad Petrum Cerebrosum monachum* illis verbis [e]: *Lorica est homo indutus ad carnem, ferreis membra diversa circulis ambit, mittit cum labore metaneas, allidit ad pavimentum crebrius palmas.* Inter ceteros eremitas, quos ære cælarunt Sanderii fratres typis Antverpianis Ernesti Wander anno 1591. sub imagine sancti Dominici Loricati sequentes versus leguntur:

Quæ mihi cognomen tribuit Lorica juventam
Et senium afflixit nocte dieque premens;
Sic scelus admissum non nota fraude piavi,
Sic cælum merui, sic fruor ipse Deo.

a Opusc. L. cap. 14.

b Opusc. XV. cap. XIV.

c Opusc. LI. cap. IX.

d Opusc. XXXIX. cap. III.

e Lib. VI. epist. XXVII.

XIV. Charta Sangregoriana.

JOHANNES episcopus Tiburtinus petit *anno duodecimo domini Benedicti noni papæ mensis octobris indictione tertiadecima*, inchoata tamen a mente septembri, a Benedicto abbate monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe sibi confici libellum emphyteuticum in loco, qui vocatur *Moreni.*

veni. Ughellius [a] mentionem facit Johannis episcopi Tiburtini nonnulla bona dantis ecclesiæ Sublacensi anno VII. Benedicti papæ IX. Ex charta nostra, quam habes in Appendice ex codice Gregoriano, sedes Tiburtina Johannis deducenda est ad hunc annum, immo ad annum 1059. quo interfuit in concilio Romano sub Nicolao II. sicut etiam ex ea intelligimus fautores Benedicti IX. Romæ ipsius nomen in publicis tabulis conservasse, licet a pluribus mensibus cathedram Romanam Gregorio VI. tradidisset, vel etiam facile Benedictum tempore Gregorii VI. denuo turbas civisse, ut sedem illam invaderet. Benedictus abbas Gregorianus subscripsit hoc eodem anno synodo Romanæ, cui interfuit in causa patriarchatus Gradensis; suffectus autem fuerat in locum Johannis abbatis, de quo egimus anno 1041.

ANN. CHR. 1044.

a T.I.col.1308.

XV. Fundatio monasterii S. Pantaleonis in urbe Lucensi.

DISCIMUS ex veteri apographo asservato in tabulario monasterii sancti Pontiani urbis Lucensis consignanda esse ad hunc annum primordia cœnobii sancti Pantaleonis ejusdem diœcesis, quod primo canonicorum sedes, tum Cisterciensium, postremo Camaldulensium monachorum, quibus reformandum datum *est* anno 1401. fuit domicilium. Ea porro sunt hujusmodi. Johannes, Bonetus & Bonaldus sacerdotes, Petrus clericus & eremita, lege viventes Romana, atque Villanus *Deo devotus* legem servans Langobardam, ecclesiam, quam ipsi ædificaverant in loco, qui vocabatur *Mons-eremitæ*, & non longe ab oratorio sancti Antonii, sacram esse voluerunt beato martyri Pantaleoni, beatæ Mariæ virgini, atque beato Petro apostolo, Marco etiam evangelistæ, & sanctis Martiali, Nicolao & Simeoni, atque condixerunt communem vitam in prædicta ecclesia vivere, & ibidem Domino deservire *secundum regulam canonicam, & ibi sint canonici omni tempore ordinati a preposito communiter electo a canonicis*. Quam ecclesiam Deo obtulerunt *pro remedio animarum* suarum, *& animarum Langobardorum Rolandi, Fralmi, Guidonis, Rainerii, Sicismundi, Gerardi sacerdotis & Ildebrandi, & presbyteri Rustici, Rainerii & Lamberti, qui pro Dei timore condonaverunt terram illam, in qua predicta ecclesia constructa est, & pro anime remedio domni Johannis Lucensis episcopi*, sub cujus etiam & ejus successorum cura, potestate ac dispositione maluerunt, ut permaneret prædictus locus. Si autem episcopus Lucensis negligens in loci custodia fuerit, statuerunt, ut quatuor religiosiores clerici cum totidem laicis ejusdem civitatis protectionem monasterii susciperent. Si ii quoque neglexerint, determinarunt, ut cura demandaretur abbati cœnobii sancti Pontiani, cui in casu desidiæ subrogari decreverunt abbatem monasterii de Sexto. Et demum recusantibus omnibus nominatis, vel locum custodire posthabentibus, transtulerunt dominium ac dispositionem prædictæ ecclesiæ in episcopum Pisanæ urbis, sex propterea chartas eorum cuilibet dandas hujus ipsorum voluntatis conscribi mandantes. Signarunt se post ipsos *Johannes Dei gratia humilis Lucensis episcopus, Johannes presbyter & abbas sancti Petri, Albericus abbas sancti Pontiani, Guido archidiaconus, Salomon presbyter & primicerius, Lambertus diaconus, & canonicus sancti Martini* & plures alii presbyteri, & canonici atque judices. Charta donationis confecta fuit *anno ab incarnatione Domini millesimo quadragesimo quarto septimo kalendas augustarum indictione duodecima*, quam integram in Appendice publici juris facimus ad illustrandas origines ejusdem monasterii.

ANN. CHR. 1045.

XVI. Literæ Damiani cuidam episcopo. De Hildebrando, Lothario & Guidone comitibus in ea nominatis.

CUM esset circa hæc tempora in itinere constitutus, & forte Florentiam transiisset Damianus, cuidam innominato episcopo [b] literas dedit, quibus ipsum admonuit, ut a muneribus impiorum accipiendis manus suas innocuas servaret, ne eorumdem peccatorum particeps evaderet.

b Lib. IV. epist. VII.

Quam

Ann. Chr. 1045.

Quam periculosa res foret munera accipere, extraneo prius, postea domestico comprobat exemplo. Historiam itaque affert cujusdam presbyteri nomine *Petri*, *spiritualis patris Hildebrandi comitis Thusciæ*, *qui dicebatur de Capuana*, tam divitis & præpotentis, *ut gloriaretur se plures habere curtes & castella*, *quam dies sint*, *qui numerarentur in anno*. Diploidem is dederat eidem Petro presbytero, a quo pœnitentiam de more recipiebat. Rainerius alter presbyter per somnium vocem audivit, qua eidem Petro imponebatur ascensus in quoddam promontorium, super quod cum ascendisset, leprosum se momento evasisse obstupuit. Interrogante autem presbytero Petro eum, qui se vocaverat, quique videbatur esse sanctus Benedictus, cur hoc sibi accidisset? respondit Benedictus ipsum lepram ideo contraxisse, quia diploidem ab Hildebrando acceperat. Sed & illico Benedictus e monte in vallem subjectam Petrum deduxit, ostenditque illi Hildebrandum suppliciis & exquisitis pœnis ob suam crudelitatem afflictum; *Lotharium quoque comitem*, *qui jam ante non multum tempus obierat*, in gurgite cruciatum, domum denique horrendam, in qua ministri quarta feria proxime ventura expectabant comitem Guidonem; qui adveniente eadem quarta feria revera decessit. Hanc a Rainerio ipso recitatam visionem narraverat Damiano nuper *Gerardus religiosus ecclesiæ Florentinæ canonicus*; ut videre jam incipiant lectores nullam fere narrationem factorum in suis opusculis usurpatam fuisse a Damiano, quam a gravibus viris non hauserit.

Exclusis ceteris ejusdem nominis ecclesiæ Florentinæ canonicis ad annos 1013. 1028. 1036. 1038. & 1062. relatis ab Ughellio [a], putamus Gerardum hunc fuisse canonicum illum, qui anno sequenti 1046. Florentinæ ecclesiæ datus fuit episcopus, eamque rexit usque ad annum 1058. quo ad Romanam sedem sub nomine Nicolai II. fuit provectus, quique semper Damiani coluit amicitiam; & cum in hac epistola canonicus nominetur, colligere possumus epistolam scriptam fuisse ante annum sequentem, quo evasit episcopus.

Hildebrandus autem potentissimus ille comes fuerit, cujus adnisu Arialdus episcopus Clusinus jus fasque omne, ut loquitur Ughellius [b], permiscuit, gravissimas lites & concertationes movens contra monachos Amiatinos, cuique epistolam dedit Winizo Amiatinus abbas, quæ legitur apud eumdem Ughellium. Hildebrandus etiam alter vivebat circa hæc tempora comes, pater Enrighi comitis viri Ghisellæ, quæ anno 1040. apud Muratorium [c] ex chartophylacio Lucensis archiepiscopatus donat *sacris locis casas*, *castella*, *ecclesias*, *que ipsa possidebat in comitatibus Lucense*, *Pisense*, *Florentino*, *Populoniense*, *Rosellense*, *Vulterrano*, *Arretino* &c. Alter [d] *Hildibrandus comes* testis est in placito anni 1038. pro *Andrea abbate sancti Bartholomei in comitatu Rosellensi*. Demum *Hildebrandus* [e] reperitur *filius Rodulphi comitis*, *& Julie filie Landulphi*, *qui fuit princeps Beneventanorum*, consentiens donationi, quam mater sua fecit anno 1007. Benedicto episcopo Volaterrano. Si fuit hic postremus, cujus historiam narrat Damianus, intelligeremus, cur ab ipso comes Hildebrandus appellatus fuerit *de Capuana*, ratione scilicet affinitatis cum principibus Capuanis & Beneventanis.

Lotharius vero videtur fuisse *comes* ille *Burginovi*, *filius Caduli comitis & Gemme*, *vir Adelasie*, qui anno 1004. & sequentibus apud Lamium [f] in deliciis eruditorum donat plurima bona monasteriis Septimi & sancti Salvatoris Burgi-novi de Ficiclo, qui habebat filium Lotharium itidem dictum, [g] quique anno 1034. defunctus nominatur a Willelmo altero Lotharii

a *T. III. in Florentin.*

b *Ibid. col.* 619.

c *Antiq. med. ævi T. V. col.* 74.

d *Ibid. col.* 979.

e *Ital. sac. T. I. col.* 1431.

f *Ann.* 1743. *pagg.* 888. *&c.*

g *Ibid. p.* 896.

tharii senioris filio & junioris fratre. In miscellaneis quoque Ferdinandi Melioris, quæ asservantur a Cl. V. Antonio-francisco Biscionio [a] tomo LXXX. sub anno 1015. legitur, *Lotharium comitem filium olim Cadoli, qui fuerat item comes*, dedisse quædam bona ad emphyteusim. *Actum Florentie*.

[a] *Pag.* 92.

Guido demum aliquis erat ex ea nobilissima Guidiorum comitum familia, quæ per hæc tempora in Thuscia & in Æmilia potentissima florebat.. Guido comes filius bonæ memoriæ Tegrimi comitis vivebat annis 1017. & 1027. quibus donavit bona monasterio sancti Fidelis Strumii, ut ex chartis, quas indicat Admiratus. Is, qui nuper defunctus asseritur in hac Damiani epistola, non fuit profecto Guido [b] ille comes, qui ut ait Ubertus archiepiscopus Pisanus apud Ughellium [c], *tempore Gerardi episcopi Florentini subtraxit Empolim a Pisanorum dominatu*. Obiit enim Guido a Damiano nominatus, cum Gerardus adhuc esset ecclesiæ Florentinæ canonicus, hoc est ante annum 1046. nam in hac dignitate constitutus suprarelatam historiam Damiano narravit; secundus vero decessit post episcopatum Florentinum assumptum ab eodem Gerardo.

[b] *Storia della famiglia Guidi p.* 2.

[c] *T. III. col.* 355.

XVII. Et de Rodulpho quodam primario viro.

Alia autem historia, quam subjungit Damianus, non ab altero sibi communicata, sed in qua maximam partem habuerat eodem tempore, cum utrobique voce illa *nuper* utatur, est hujusmodi. [d] *Primarius quidam Rodulphus nomine, potens satis & prudens, apud suum monasterium mihi pallium*, ait, *reverenter obtulit, quod triblathon juxta sui generis speciem nuncupatur; trium quippe colorum est, & blathon pallium dicitur, unde triblathon pallium vocatur, quod trium cernitur esse colorum. Hoc itaque vir ille suppliciter offerens procidit, soloque prostratus me, qua potuit humiliati cordis intentione, rogavit. Defer, inquit, hoc munusculum, Domine mi, sanctis fratribus tuis, a quibus utique nil aliud peto, nisi ut hoc solum apud divinam impetrare clementiam studeant, quatenus a corde meo tenebrarum, quas patitur, caliginem tollat. Amor enim seculi cor meum detinet obcæcatum, mihique tenebras ingerit, quas sanctis eorum orationibus expelli cupio, quo saltem tenue divinæ lucis igniculo merear illustrari. Sed cum ego & orationum vota promitterem, & munus ingestum non modo verbis, sed manibus propulsarem, quæ utrinque fusa sint verba, intelligenda relinquimus, non scribenda per ordinem judicamus. Quid plura? defero munus fratribus, sed ingratos invenio; legati fungor officio, sed non festive suscipior. Invehuntur enim, non gratias agunt; expostulant, non blandiuntur; & oblationem talis viri non donum, sed sordes atque contagium deputant animarum. Nullo itaque pacto quiescere potuerunt, donec munus incaute susceptum ad eum, qui dederat, presto remitterem, eique gratuitas orationes sub verbis excusatoriis nihilominus quasi non remitterem, pollicerer. Fateor, multum mihi placuit, quod objurgatus sum, quod correptus, quod verbis mordacibus aspersus sum.* Minime confundendus est Rodulphus hic vir primarius potens & prudens cum Rodulpho inde monacho Avellanensi, & postea episcopo Eugubino, qui ad hæc tempora vix quindecim attingebat ætatis annos, ut ex alibi dicendis constabit; neque similiter Rodulphus erat primarius cujusdam monasterii, ut intellexit Mabillonius [e], sed potius laicus, cujus nimirum *cor amor seculi* adhuc detinebat *obcœcatum*.

[d] *Lib. IV. epist.* VII.

[e] *Annal. T. IV. p.* 589.

XVIII. Præceptum Henrici pro monasterio S. Apollinaris in Classe.

Henricus rex *per interventum Agnetis conjugis* & petitionem *Herimanni archiepiscopi*, Coloniensis nimirum, *atque archicancellarii, viro venerabili Lamberto abbati de monasterio sancti Apollenaris, quod in Classe cognominatur*, privilegium hoc anno concedit, quo sub suæ defensionis munimen recipit ejus ecclesiam cunctaque ad eam pertinentia. Adnotanda sunt in

Ann. Chr. 1045.

diplomate hæc potissimum verba: *Quadam peculiari donatione ejusdem ecclesie advocaturam cum investitura per manum predicti abbatis suscepimus*; quibus verbis Henricus se declarat basilicæ sancti Apollinaris advocatum. Inter cetera vero, quæ præcepto suo eidem monasterio Henricus confirmat, quæque *predicte ecclesie ad presens sine ulla contradictione pertinere non dubitantur*, recenset in *urbe Ravenna* monasterium sancti Theodori, *quod cognominatur Grecum, cum castello & fundo in Fanensi comitatu sito, quod vocatur Albiniano, & cunctis omnibus ad predictum Grecum monasterium pertinentibus*. In charta tabularii archiepiscopatus Ravennatis annum 1007. præferente nominatur *Andreas clericus abbas sancti Theodori, quod vocatur Grecum prope monasterium sancti Apollinaris novi*. Ædificatum fuerat monasterium hoc *beati Theodori diaconi*, ait [a] Agnellus, *a Theodoro patricio* tempore Theodori archiepiscopi Ravennatis, *non longe a loco, qui vocatur Calchi, juxta ecclesiam beati Martini confessoris, qui vocatur Cœlum aureum, quam Theodoricus ædificavit rex, sed sub potestate istius pontificis*, nempe Theodori, *relata*. Ipsa subinde ecclesia sancti Martini alterum etiam titulum obtinuit sancti Apollinaris novi sub Johanne VIII. archiepiscopo, quem ex Classe transtulisse in ipsam corpus sancti Apollinaris confinxerunt. Videtur Gebehardus archiepiscopus monasterium istud concessisse Lamberto abbati Classensi post annum 1037. cum in privilegio Conradi ejusdem anni nulla fiat ipsius cœnobii inter cetera Classensis abbatiæ jura mentio. In comitatu autem *Firmano* additur *monasterium sancti Petri juxta mare cum castro integro, quod vocatur Butrio*. Hoc quoque monasterium deest in Conradi præcepto. *Datum* est autem privilegium Henrici *decimo sexto kalendas octobris anno Dominice incarnationis* M.XXXXV. *anno autem domni Heinrici* III. *regnantis* VII. *indictione* XIIII. incœpta nimirum a mense septembri. *Humfredus cancellarius vice Herimanni archiepiscopi & archicancellarii recognovit*. Humfredus is est, quem videbimus anno sequenti ab Henrico rege Ravennatibus datum archiepiscopum post Widgerium loco motum. Diploma autographum a nobis transcriptum ex tabulario Classensi, & cujus adhuc visuntur cerei sigilli deperditi signa, edimus in Appendice.

XIX. Immo ep. Arretinus utitur consiliis Albizonis eremitæ Camaldulensis.

Cum Immo seu Irmenfridus Arretinus episcopus infirmitate & pedum labore oppressus ecclesias sui episcopii, populumque sibi commissum sollicite regere non valeret, defuncto præcipue Viventio archidiacono, *qui* ipsi erat *quasi brachium dextrum*, accersivit hoc anno *Petrum prepositum, Rodulfum abbatem sancte Flore, Teuzonem abbatem sancti Martini al Pino, & Albizonem eremitam Camaldulensem*, plures quoque alios clericos & capitaneos de suo comitatu, petiitque ab illis consilium, qua ratione providere posset plebibus & ecclesiis sui episcopatus. Unanimiter ipsi suaserunt episcopo, ut sapientioribus & melioribus viris suæ canonicæ ceterarum ecclesiarum curam committeret. Viventium archidiaconum jam tunc defunctum subscriptum legimus in pluribus Theodaldi paginis, quas attulimus, sic etiam Petrum præpositum, de quo egimus quoque ad annum 1026. Rodulfus & Teuzo monasteriorum sanctæ Floræ, & sancti Martini civitatis & diœcesis Arretinæ erant abbates. Albizonem autem existimamus Camaldulensem eremitam illum esse, qui Petro Dagnino priori in regimen eremi suffectus fuit anno 1051. Hinc dignoscimus, quantam apud episcopum Immonem existimationem obtineret Albizo, ut eum, licet solitudini addictum, cum sapientioribus viris adhiberet nihilo minus in consilium, ubi ageretur de rebus maximi momenti. In Appendice ad Albizonis gloriam chartam iterum edimus publici juris jam factam a Muratorio, [b] ex auto-

a Par. II. p. 304.

b Antiquit. medii ævi T. VI. col. 426.

autographo ad eum misso ab Huberto Benvoglientio. Ipsi Muratorio tamen non assentimur, qui ex Grandio nostro [a] putat Albizonem hunc fuisse illum summe pium virum sancti Petri Damiani comitem & amicissimum, quocum ad Teuzonem monachum Florentinum se contulit; de Albizone comite Damiani alibi dicemus.

Ann. Chr. 1045.

a *Dissert. IV. num. v.*

Ann. Chr. 1046.

XX. Guido abb. Pomposianus ad Deum transit.

DECESSIT in pace hoc anno pridie kalendas aprilis Guido ex sancti Severi Classis olim præsule celeberrimus inde abbas Pomposianus, eremiticæ ad sancti Romualdi normam vitæ impiger sectator & propagator in suo perillustri cœnobio. Legationem ad ipsum paullo ante obitum direxerat Henricus III. ut occurreret nuntiis suis, quos in Italiam præmittebat, [b] *quoniam ipsius consilio omnia imperatoris mandata implenda erant*. Valedicens igitur Guido monachis Pomposianis, & prædicens se eos non amplius visurum, *profectus venit Parmam in Burgum, ubi altera die adventus ejus, quo venit, illuc cœpit infirmari, die autem tertia defunctus est .... mansit corpus ejus apud Parmam mensibus septem*, nempe usque ad mensem novembris hujus anni. *Venit tandem* iis scilicet diebus *imperator Henricus, qui jamdiu præstolabatur, & conquerentibus monachis aufertur corpus sanctum Parmensibus, deinde imperatoris jussu Veronam defertur, ubi in ecclesia beati Zenonis depositum fuit*. Mense aprili anni sequentis, ejusdem imperatoris præcepto, *corpus sancti Widonis de Italia allatum est Spiram imperii sui anno primo regni autem nono indictione quintadecima*, ut ad annum 1047. legitur in chronico Saxonico. Præter plura, quæ de Guidone alibi diximus, talem, dum viveret, venerationem apud omnes sua sanctitate promeruit, ut Bonifacius marchio semel in anno Pomposiam accederet, ubi peccata sua pœnitentiæ sacramento eluebat, & aliquando, eo quod, pro more illius temporis, ecclesias venales dedisset, correptus a sancto abbate, facti pœnitentiam duris disciplinis egerit, Deoque voverit se non amplius ecclesias pretio traditurum, ut testatur Domnizo presbyter [c] in vita Mathildæ comitissæ filiæ ejusdem Bonifacii, qui eam ex Beatrice conjuge suscepit circa hunc annum. Guidoni non Obertus vel Ubertus, sed Mainardus in regimine Pomposianæ abbatiæ successor fuit datus.

b *Apud Mabill. Sec. VI. P. I.* 452.

c *Lib. I. cap.* 14.

XXI. Epistola Damiani ad Henricum III. regem.

HENRICUS rex Vicquerium seu *Widigerum*, ut eum appellat Ughellius, *qui* post Gebehardum *Ravennæ præsulatum jam biennio inepte & crudeliter nondum consecratus tenebat, ad se vocatum episcopatu privaverat iis diebus*, teste Hermanno Contracto. Verum cum post sui expulsionem epistolas plurimas Ravennatibus civibus mitteret Vicquerius, omnia se facturum, quæcumque ipsi voluerint, spondens, & per nuntium suum jurans, [d] Damianus regem Henricum, cujus virtutes, pietatem & religionis tuendæ studium diserte celebrat, hortatur hoc anno, ne aures præbeat, si forte de Ravennatibus quidam majestati ejus suggererent, *ut ad eamdem cathedram ille valeat repedare*. Sed potius ut *ejecto latrone, pastorem unde ecclesia gaudeat*, ordinet. Damiani preces & consilia audivit pius princeps; electus enim fuit hoc anno in Ravennatem archiepiscopum Humphridus ipsius regis cancellarius, quem post natale Domini hujus anni consecravit Clemens papa II.

d *Lib. VII. epist. II.*

XXII. Coronatio ejusdem Henrici in imperatorem.

POST hæc Romam properavit Damianus; ibi enim erat, quando *Henricus rex coronam suscepit imperii*, ut de se ipso [e] scribit. Quare cum post concilium Sutrinum, in quo præsente Henrico depositi fuerunt mense decembri tres papæ Benedictus IX. Silvester III. & Gregorius VI. electus fuerit Romæ in basilica Vaticana Clemens II. antea Suidgerus episcopus

e *Opusc. XLII. cap. 6.*

Ann. Chr. 1046.

ſcopus Bambergenſis, qui die natalis Domini conſecratus eadem die imperiali diademate Henricum cinxit, ſub finem hujus anni Romæ morabatur Damianus in quodam hoſpitio, in quo ſimul degebat vir quidam nomine Pambo clarus genere, ſed tenuis facultate, cujus quamdam enarrat hiſtoriam in opuſculo XLII. ad Landulphum clericum. Ante hæc tempora idem Damianus in Urbinatem provinciam excurrerat, & facile in ſuo monaſterio ſancti Vincentii moras trahebat. In ea etiam provincia verba ad populum faciens [a] *occaſione feſtivitatis nonnullis religioſis invitantibus viris, tantus eum inundantium fratrum monachorum atque ſecularium fluctus abſorbuit*, qui ad ejus ſermocinationes concurrebant, ut timeret quietem & otium contemplationis perdere. Alia tamen ex parte anxius ſummopere erat, *ubi poſſet uberiores animarum fructus acquirere, & zelo proximorum ductus diverſas Italiæ regiones* perluſtrabat, ut ad rectitudinis ſtatum alios revocaret.

a Lib. V. epiſt. 12.

XXIII. Damiani epiſtola ad W. archiep. Quis foret hic archiepiſcopus?

Quinta libri tertii ejuſdem Damiani epiſtola inſcribitur *domno W. reverendiſſimo archiepiſcopo*. Hanc Cajetanus datam putat Wiberto archiepiſcopo Ravennati, qui anno 1071. Henrico a ſede apoſtolica excommunicato, & eo anno defuncto in eadem cathedra ſucceſſit. Verum plura ſunt in ipſa epiſtola, quæ alteri archiepiſcopo Ravennati inſcriptam exiſtimare nos cogunt. Conqueritur ſcilicet in ea Damianus, quod *cum cetera monaſteria ſub alis miſericordiæ* ipſius archiepiſcopi *illæſa conſiſtant, & cum ſecuritate, & immunitate Deo deſerviant*, ſuum ſolum monaſterium, ex quo ipſum idem archiepiſcopus in illud ingredi præceperat, tot pateat invaſionibus, & rapinis ſit obnoxium, ut jam videatur funditus deſolatum, oratque, ne ſanctus locus inſuper gravetur, qui tantam eccleſiaſticarum rerum jam pertulerat jacturam. Ulterius addit bonæ memoriæ deceſſorem ipſius ſollicitum de ſalute ſuæ animæ, & de ſpiritualium rerum ordinationibus expetiiſſe, ut Damianus Ravennæ habitationem ſuam figeret. Sed hæc qua ratione convenire poſſunt Wiberto, qui ſedem Ravennatem obtinuerat paullo dumtaxat ante obitum Damiani, cujus Wiberti etiam deceſſor non bonæ, ſed triſtis & indignæ memoriæ Henricus extra eccleſiæ communionem defunctus fuerat, ut ſine ambagibus ſcribit Johannes Laudenſis? Quare Damiani epiſtolam rectius miſſam arbitramur ad Widigerum archiepiſcopum, licet intruſum, vel ſi mavis etiam ad Umphredum, quorum anteceſſor Gebehardus maxima dilectione Damianum proſequebatur. Ille anno 1044. Gebehardo, hic anno 1046. Widigero ſucceſſerat. Sed quodnam monaſterium Ravennæ Damiano reformandum commiſſum fuerat? ut de eo proinde dicere debuerit: *Domus Dei per me videtur in infima dejici, per quem ſperabatur Deo vobis cooperante cœlotenus exaltari*. Anſne Claſſenſe ſancti Apollinaris, obitu forte Lamberti abbatis viduatum? Hoc-ne tempore Marinum fratruelem ſuum monaſtico ſchemate in eo cœnobio induit Damianus? Habemus etiam circa annum 1061. monachos cœnobii Claſſenſis ſuam [b] *ruinam & excidium loci* pertimuiſſe. Illud tamen minime intelligimus, quomodo *gratias regi regum Deo* referendas eſſe ſcribat Damianus, *quia dum totum orbem* propinquus *jam dies Dominicæ nativitatis irradiat, urbem clariſſimus* archiepiſcopi *adventus illuſtrat*; id quod demonſtrare poſſet primum archiepiſcopi ad eccleſiam ſibi commiſſam adventum, & poſtea ſubdat ſatis ſe mirari, quia *poſtquam ad ipſum venit, poſtquam ab alio revocatus itinere* ejuſdem archiepiſcopi *juſſionibus paruit, nullum legationis verbum, nullum ſuſcipere* meruerit *familiaritatis ſuæ inditium*. Inſuper inquit, *vos e diverſo me quotidie flagellatis, quotidie acres verberum plagas infligitis, & qui audire non meretur* linguam,

b Lib. II. epiſt. 4.

linguam, gravem de sacris manibus suscipit disciplinam. Addantur, quæ superius ex hac eadem epistola retulimus, scilicet Damianum ingredi in illud monasterium in mandatis accepisse ab eodem archiepiscopo; id quod indicat tempus aliquod elapsum fuisse post primum archiepiscopi adventum. Quare forte alludit non ad primum archiepiscopi ad suam sedem adventum, sed puta ad adventum causa visitationis, vel innuit monasterium Damiano concessum ad reformandum sub jurisdictione fuisse Ravennatis archiepiscopi, sed in alia urbe constitutum. Utut res sit, hæc omnia pertinent vel ad Widigerum, vel ad Umfredum, potius quam ad Wibertum, & ad hunc annum 1046. potiusquam ad annum 1071. Amadesius [a] tamen Gibertum vel Wibertum archiepiscopum Ravennatem, ignotum huc usque, ad annum 1044. ex membrana [b] tabularii archiepiscopii Ravennatis in medium profert, qui insuper annotatur in indice chartarum ejusdem archivi ad hunc annum 1046. quo [c] Gibertus archiepiscopus Ravennas locat & confirmat Girardo comiti castrum Brittonorii cum villis Trentula & Bosazsio, ejusque *filiis* masculis sub pensione XII. marabutinorum. Intrusum ipsum quoque archiepiscopum in Ravennate ecclesia, ut erat Widigerus, putat idem Amadesius, cui proinde Giberto vel Wiberto potuerit etiam inscribi Damianica epistola, quam illustravimus, melius quam Wiberto, qui anno 1071. electus fuit archiepiscopus Ravennas.

ANN. CHR. 1046.

a *Opusc. Phil. T. XLIV. p.* 436.

b *H.* 2351.

c *G.* 2851.

XXIV. Præceptum Henrici pro monasterio Pratalienſi.

ROMAM versus, ut coronam de manu pontificis acciperet, properans Henricus, cum die prima decembris apud sanctum Genesium in comitatu Lucensi consisteret, privilegium concessit monasterio Pratalienſi & Dominico ejus abbati, sub sui mundiburdii tuitione idem cœnobium recipiens. *Datum kalendis decembris* anno *Dominice incarnationis millesimo quadragesimo sexto, anno autem domni Henrici tertii ordinationis ejus* XVIII. *regni vero* VIII. Henricus III. undecim annos natus regni Germaniæ coronam suscepit anno 1028. die XIV. aprilis post mortem Henrici Bavariæ ducis, vivente adhuc Conrado ejus patre, quæ est prima regni Henrici epocha; secunda vero epocha ducitur a morte ejusdem Conradi, quæ contigerat die quarta junii anni 1039. quare vel legendum potius esset *ordinationis ejus anno* XVIIII. vel ad annum 1029. retrahenda foret Henrici electio & coronatio in regem Germaniæ. Etiam apud [d] Muratorium similes leguntur chronicæ notæ XVII. kalendas decembris hujus anni in donatione, quam fecit idem Henricus Lucensi cœnobio sancti Frigdiani. Immo adhuc post mensem, idest III. nonas januarii, ut videbimus anno sequenti, reperitur in charta tabularii Camaldulensis signatus *ordinationis ejus annus* XVIII. *Heinricus cancellarius vice Herimanni archicancellarii*, nempe Coloniensis archiepiscopi, Pratalienſe privilegium *recognovit*. Heinricus suffectus fuit in locum Humfredi, ut cancellarii dignitate frueretur, sicut etiam post mortem ejusdem Humfredi archiepiscopi Ravennatis eam sedem obtinuit. Dominicus autem abbas Pratalienſis successerat annis proxime antecedentibus in regimen ejusdem abbatiæ Sigifredo, cujus monumenta habentur usque ad annum 1043. Pagina autographa descripta fuit a nobis ex tabulario Fontis-boni, ut etiam altera continens donationem factam eidem monasterio Pratalienſi ab Ugone filio Johannis de rebus positis in plebibus sanctæ Mariæ Partinæ, sanctæ Mariæ Bujani & sancti Hippolyti Biblenæ, in casalibus Silva, Caminza & aliis; in hac tamen postrema charta emendanda est indictio secunda, cum decurreret præsenti anno indictio XIV.

d *Antiq. medii ævi T. IV. col.* 801.

XXV. Charta monasterii S. Michaelis de Burgo Pisarum.

MONASTERIO sancti Michaelis de Burgo Pisarum, & Bono ejus abbati Eritius filius bonæ memoriæ Eringhi, qui fuit judex domini imperatoris, vendit terram sui juris positam prope dictum monasterium. Mentionem

Ann. Chr. 1046.

tionem facit hujus contractus idem abbas Bonus in suo Brevi recordationis: *Et nunc*, inquit, *post multum tempus comparavi da Errigo filio Eritii terram, ubi nunc ipsum monasterium consistit, & dedi in ipsa terra libras quadragintaduas*. Lapsu tamen memoriæ videtur factum, ut ordine permutato scripserit Bonus: *Errigo filio Eritii* pro *Eritio filio Henrici*, ut observat Grandius [a] noster in appendice ad suam epistolam de Pandectis. Ceterum ipse Bonus, qui ab anno 1018. ecclesiam, & turrim campanariam pluries erexerat, ornamentis quoque locum sanctum, & codicibus bibliothecam ditaverat, terras insuper & prædia pro monachorum substentatione comparaverat, hoc anno monasticas ædes in nobiliorem formam extruxit, nam post supraenarratam emptionem subdit: *Et post hæc ædificavi ipsam domum a petra & calcina, ubi sunt omnes officinæ, sicut abbatia habere debet, & est tam perfecta domus, ut in tota Marcha melior non est, cum columnas, quas de insula Ilba, & de Luni adduci feci*. „ Mirum id „ videbitur, subjungit Grandius, considerantibus eximia septem monaste„ ria in marchia Hetruriæ ab Hugone marchione paullo ante magnifi„ centissime fundata. " Altera donationis pagina facta a Gherardo filio bonæ memoriæ Teuti, & a Bodda jugalibus eidem Bono reverentissimo abbati, ejusque monasterio, & scripta *anno ab incarnationis ejus millesimo quadragesimo septimo, undecimo calendas junii indictione quartadecima* pertinet ad hunc annum Romanum, quia in ea usurpatur annus Pisanus. Offerunt autem supradicti donatores terram *in loco & finibus Selvalonga, ubi dicitur Codula, prope ecclesia sancti Bartholomei apostoli*. Sed integras chartas ad Appendicem remittimus.

a Pag. 142.

Ann. Chr. 1047.

XXVI. Literæ Damiani ad Clementem II. Rom. pont. & ad Petrum card.

Henricus tertius imperator non semel, sed sæpe sæpius præceperat, immo rogaverat Damianum, ut ad Romanam curiam se conferret, ibique auribus summi pontificis suggereret, quæ in ecclesiis suarum partium agerentur, quæque necessaria forent pro reformatione ecclesiarum in provinciis Umbriæ & Piceni. Vidimus Damianum anno præterito die festo nativitatis Dominicæ Romæ constitutum præsentem fuisse electioni Clementis II. in Romanum pontificem, & coronationi Henrici in imperatorem. *Itinere dierum trium*, vel a Romana, vel forte etiam a Ravennate urbe *regressus in eremum*, literas denuo recepit ab eodem Henrico manibus offerendas pontificis. Has proinde Damianus una cum epistola a se scripta ad eumdem Romanum præsulem Clementem II. mittit, & utrum ad eum venire debeat, nec ne, jubere illum precatur. Inter utrumque enim positus, & [b] *dies suos huc illucque discurrendo perdere* timebat Damianus, alia vero ex parte summopere exoptabat providere ecclesiæ Dei, quæ in suis partibus culpa malorum episcoporum & abbatum omnino erat confusa. Innuit in ea epistola Petrus *Fanensem latronem ab his etiam, qui non erant, sed dicebantur apostolici, maledictum & excommunicatum*, reversum fuisse a Romana urbe ad suam ecclesiam *cum magna arrogantia & exultatione*. Idem fecisse etiam episcopum *Auximanum inauditis criminibus involutum*. Idem alios præsules *simili sententia condemnandos*. Obtestatur ergo supremum antistitem, ut *ecclesiastici vigoris* exerat *disciplinam, & conculcatam ac abjectam* studeat *relevare justitiam*. Suppleri poterit his notitiis Ughellius, qui tam in Fanensibus, quam in Auximanis episcopis eas circumstantias penitus supprimit; & quidem ante Harduinum Fanensem, cujus mentio occurrit in conciliis Romanis annorum 1050. & 1059. innominatus hic Simoniacus est reponendus, & ante Ghislerium Auximanum criminosus episcopus a Damiano memoratus. Meminit Rubeus

b Lib. I. epist. 3.

beus, [a] alterius Ghislerii episcopi Auximani, qui anno 1037. interfuit placito, in quo Gebehardus archiepiscopus Ravennas per missos Conradi imperatoris recuperavit propriæ ecclesiæ plura bona posita in territorio Auximano. Episcopus ergo Auximanus criminosus, vel est Ghislerius primus, vel inter utrumque Ghislerium reponendus.

a Lib. V. p. 208.

Antequam tamen Romam se conferret Damianus Henrici præceptis obtemperaturus, Petri sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & cancellarii familiaritatem pariter expetiit, & licet longinquitas locorum huic rei obesse videretur, orat nihilominus, ut sibi *sit oculus*, *sit magister*, *quatenus per eum liceat cernere*, *si quidquam apud aures beatissimi Apostolici valeat laborare*; tum subjungit: *Nisi ad rectitudinis statum sedes Romana redeat*, *certum est*, *quia totus mundus in suo lapsus errore perdurat*. Deplorat nimirum tempora pontificatus Benedicti papæ IX. anteacta, quibus succedere desiderat tempora feliciora. Credimus hunc esse Petrum sacri palatii cancellarium, qui sub Gregorio VI. fungebatur hoc officio, & floruit etiam sub pontificatu Clementis II. & Leonis IX.

XXVII. Damianus Romam se confert.

ROMAM itaque secunda vice etiam præsenti anno nostra sententia se contulit vocatus Petrus ad synodum, quam Clemens II. contra simoniacos congregavit, de qua mentionem facit ipse Damianus in libro [b], cui titulus *Gratissimus*. Id etiam discimus ex opusculo [c] *de Contemptu seculi*, quo ingemiscit se ad ecclesiastica onera subeunda avulsum fuisse a solitudine, suosque admonet, ne quovis prætextu sinerent se abduci ab eremo, ut abductus ipse fuerat. *Imperialis*, inquit, *edicti pagina veredario discurrente defertur*, *bullatæ nobis apochæ ab auctore sedis apostolicæ diriguntur*, *synodus congregatur*, *religiosis viris totius concilii summa committitur* ...... *nolite quæso monachi*, *nolite sub ecclesiasticæ compassionis specie regum aulas irrumpere*, *nolite aures principum velut salutaria suggerendo*, *fastidiosa importunitate pulsare*, *credite experto*, *credite in hujus gratiæ studiis non leviter fatigato*. *Imperatoriæ namque majestati sæpe*, *quæ suggerenda videbantur*, *expressimus*, *a summis pontificibus invitati*, *synodalibus conciliis interfuimus* &c. „ Incertum tamen est, ait Mabillonius, an tunc Petrus Romam adierit, qui nihilominus se multis conciliis a Romanis pontificibus convocatis interfuisse alibi dicit. “

b Opusc. VI. cap. 27. 35. 36.

c Opusc. XII. cap. 30.

VEL ante Romanam profectionem, vel post ipsam, sicut olim a Gebehardo, ita [d] *a novo electo* Ravennate antistite, *qui zelo divini Spiritus constitutus est*, in patriam invitatus fuit Damianus, & rogatus ab ipso, simul etiam a primoribus civibus, ut urbem Ravennam, relicta eremo, habitaturus adveniret pro animabus lucrandis. Hæc non de Vicquerio vel Widigero invasore post Gebehardum, sed de Humphredo legitime electo & consecrato hoc anno, vel sub finem præcedentis intelligenda. Archiepiscopi & civium postulationibus tandem consensit Damianus, & *eremum deserens spe lucrandi animas urbem habitaturus* advenit. Verum paullo post cernens negligens populi studium pro salute acquirenda, videns etiam prædictum virum archiepiscopum, *non ad quod missus est*, *sed quod permissus fuerat*, agere, incertus quid demum caperet consilii, epistolam scripsit G. thesaurario ecclesiæ Ravennatis, quem *religiosum presbyterum*, *aramque Seth in cimiliarchio* vocat, petens ab eo consilium, utrum in patria sit sibi remanendum, an ad proprium monasterium redeundum. Quamvis ab ipsius decisione pendere velit, sensu tamen suo antefert animarum lucrum suo privato periculo. Ad ultimum salutat carissimum sibi patrem & magistrum suum Mainfredum presbyterum, & dilectissimum fratrem suum Gerardum de Blanca, qui videntur fuisse Ravennates. Quod autem G. thesaura-

XXVIII. Idem scribit G. thesaurario ecclesiæ Ravennatis, & Henrico imperatori.

d Lib. V. epist. 12.

Ann. Chr. 1047. a L. 4881.

ſaurarium *aram Seth in cimiliarchio* appellat, titulus is erat & dignitas in eccleſia Ravennate, quæ uſque ad præteritum ſeculum perduravit. Anno 1221. cimiarca erat Raynaldus [a] ex tabulario archiepiſcopali; ex quo etiam anno 1266. cardinales & cantores eccleſiæ Ravennatis cum conſenſu archiepiſcopi elegerunt cimiarcam Jacobum quondam Johannis Muratori. Vaſorum & ornamentorum eccleſiæ curam gerebat cimiarca. Sed G. theſaurario, cui ſcribit Damianus, injunctum erat inſuper *eccleſiaſtici prioratus* officium, quod valde occupatum ipſum tenebat.

Pollicitus pariter fuerat hoc anno imperator Henricus commorans in monaſterio ſancti Apollinaris Claſſis Ravennæ Damiano ipſum viſitanti liberationem cujuſdam Gislerii, qui captivus detinebatur a multo tempore in Germania. Cum vero differretur de die in diem ejus liberatio, ſcripſit Henrico literas Damianus [b] orans, ut miſerum illum abſolveret, vel abſolutionem novo promiſſo firmaret, & qui neque per preces ſecularium virorum, neque ſervorum Dei indulgentiam obtinere valuerat, per ſe obtineret. Poſtremo ait, *me ad vos quantocius feſtinare jubete*. Deducitur ex his epiſtolis, ex iis quoque, quæ diximus ſub anno antecedenti, quanta jam ab hoc tempore auctoritate polleret Damianus apud imperatorem, apud ſummos pontifices, apud eccleſiaſticos viros.

b Lib. VII. epiſt. 1.

XXIX. Obitus Lodulphi Fontis-avellanæ fundatoris, & Olibæ ep. Auſonenſis.

Refertur ad hunc annum a pluribus obitus Lodulphi Avellanenſis eremi conditoris, quem inſuper nonagenarium deceſſiſſe tradunt [c] Johannes-baptiſta Piergilius Bevanienſis in vita beatæ Claræ e Monte-falcone edita Fulginii anno 1663. Jacobillius, Lucentius & Florius. In ms. codice bibliothecæ Vaticanæ ſignato n. 3903. annotatoris tamen cujuſdam manu, & charactere præteriti ſeculi legitur: *Beatus Lodulphus Augubio in ſacro monaſterio ſanctæ Crucis Fontis-avellanæ congregationem Columbæ fundavit. Fuit epiſcopus, & anno Domini* 1047. *in eodem monaſterio mortuus eſt, & mira ſanctitate refulſit*. Sed cur non feciſſet verba de Lodulpho in epiſtolis & opuſculis ſuis Damianus, ſi is hæc revera tempora attigiſſet? Eum proinde, ſicut epiſcopalem ſedem Eugubinam non obtinuiſſe alibi conjecimus, ita ad ſuperos evolaſſe pluribus annis, antequam Damianus eremiticam monaſterii Avellanenſis vitam eligeret, arbitramur. Ceterum ait Sartius noſter: [d] „ De Lodulpho incerta omnia, illudque imprimis obſcurum, ubi ejus reliquiæ requieſcant. “

c Pag. 310.

d De epiſc. Eugub. pag. 25.

Certius eſt mortem oppetiiſſe hoc anno Olibam epiſcopum Auſonenſem & abbatem Rivipullenſem, atque tumulatum fuiſſe in Cuxanenſis monaſterii eccleſia, quam ſimiliter una cum pluribus aliis regebat. Filius fuit Olibani comitis Biſuldunenſis, ejus nimirum, quem Romualdus & Petrus Urſeolus ad monaſticum habitum in Caſinate monte aſſumendum allexerant; in decentiorem locum intra eccleſiam corpus Urſeoli tranſtulerat, & *ſancti Michaelis cœnobium, in quo requieſcit*, ut ait [e] Rivipullenſis ſcriptor vitæ beati Petri Urſeoli, *admodum in omnibus curis dilexerat*.

e Num. 21.

XXX. Privilegium Henrici imp. pro eremo Camald.

Paucis diebus poſt ſuam coronationem *tertio*, ſcilicet *nonas januarii*, cum adhuc Romæ moraretur Henricus, *ex pratis ſancti Johannis* privilegium conceſſit *heremitis in Campo amabili dicto cummanentibus*, confirmans ipſis *bona omnia, que venerabilis Teudaldus epiſcopus liberaliter contulit, & que Immo epiſcopus* eiſdem *contradidit*; inter conceſſa ab Immone commemorat *decimam de Pergentina & de Avana & de Corſignano*. Eadem die alterum cum iiſdem chronicis notis, & Romæ datum monaſterio sancti Petri Peruſinæ [f] urbis dilargitus fuerat. Chartam noſtram ex tabulario Camaldulenſi damus in Appendice, & in ea adhuc viſuntur reliquiæ ſigilli in cera alba.

f Bull. Caſin. T. II. col. 82.

Sub

Ann. Chr. 1047.

Sub hoc eodem anno collector jurium abbatiæ Burgensis præceptum indicat monasterio Burgi-sancti-Sepulcri, & *Roderico illius loci constructori* concessum ab eodem Henrico III. imperatore. Ex eo, si legitimum est, dignoscimus, Rodericum adhuc præfuisse hoc anno eidem abbatiæ.

Ann. Chr. 1048.

XXXI. Damianus varia loca condit pro eremitis. a Cap. VII.

Ardor monasticæ & eremiticæ disciplinæ, quo æstuabat Damianus, minime patiebatur contineri intra fines tantum Avellanensis solitudinis; *& quia divina gratia*, inquit Johannes Laudensis, *ad uberiorem animarum fructum ejus mentem succenderat, cœpit alia loca perquirere, ubi ad serviendum Deo congregare monachorum copiam posset*. Primus locus, quem eremitico vivendi generi destinavit Damianus, juxta ejusdem Laudensis ordinem, videtur fuisse eremus Suavicinia, de qua hæc habet idem Johannes: *In Camerinensi itaque diœcesi aptum quemdam ad eremitarum habitacula locum juxta suam vicinam rupem* (ita in editis, sed legendum *Suavicinam* rupem) *curiosus indagator invenit, ibique congregatis fratribus, oratorio fundato, ordinatoque priore, sub quo famulari Deo deberent, rursus ad locum alium investigandum processit*. De Suavicinia eremo, cujus ædificatio aliis etiam argumentis potest circa præsentia tempora assignari, multa occasione Dominici Loricati, qui in ea prioratus officium tenuit, in eaque fuit tumulatus, occurrent nobis dicenda ad annum 1059. Ipsius quoque mentionem facit Damianus in libello *de suæ congregationis institutis*.

Quamvis tamen plura loca, ut in annis sequentibus aperiemus, pro eremitarum domicilio in variis territoriis excitaverit Damianus, nullam eremum præposuit umquam suæ Avellanensi, quam semper præ ceteris coluit, & in qua majores, quoad vixit, constituit delicias suas. *Hujuscemodi autem studiis continuis vacare gaudebat*, prosequitur Laudensis, *non quæ sua essent, sed quæ Jesu Christi requirens. Porro quamquam his gerendis prudens Dei servus instaret, tamen dilectum sanctæ Crucis Fontis-avellani locum & collegium, quod ipse præ omnibus tamquam unicum diligebat, crebro, quocumque diverteret, visitare curabat. Nequaquam sane illorum oblivisci poterat, cum quibus a suæ conversionis exordio conversatus fuerat, quosque jussione magistri sibi commendatos esse recolebat. Quamquam nec ceteros, quos per diversa loca discipulos aggregaverat, sua diutius visitatione carere patiens, modo sui præsentia, modo epistolis, modo dirigendo aliquos spiritualium discipulorum sibi hærentium, omnes paterna sollicitudine congruis vicibus inviseret*. Neque iis contentus, curam suam pariter extendebat ad reformanda monachorum cœnobia, & ad canonicorum statuendas communes domus: *Hanc quippe*, subjungit Laudensis, *sollicitudinem non solum propriis, quos ipse fundaverat, sed & pluribus locis tam cœnobiorum, quam canonicarum, tamquam communis parens cunctorum, non desinebat impartire, prout quisque videbatur expetere*. Vidimus ad annum 1005. æque sollicitum fuisse Romualdum non solum in eremitica vita promovenda, & in adducendis ad meliorem frugem monachis, eorumque moribus exigendis ad normam regulæ sancti patris Benedicti, sed etiam in *constituendo plures canonicos & clericos, qui laicorum more seculariter habitabant, præpositis obedire & communiter in congregatione vivere* docendo; ut inde videas Damianum suspexisse in omnibus Romualdum, tamquam exemplar, cui in zelo Dei gloriæ comparandæ, Simoniam delendi, eremiticam vitam propagandi, monasticum & canonicum ordines restituendi se conformaret. De Fanensis ecclesiæ canonicis, simul etiam de Velitrensibus ad communem vitam amplectendam illectis a Damiano erit alibi dicendi locus.

Ann. Chr. 1048.

XXXII. Bonus abb. S. Michaelis Pisarum regimen dimittit.

Bonus abbas sancti Michaelis in burgo Pisarum, de quo multa verba fecimus ad annum 1018. qui fuit primus regiminis, immo originis hujus monasterii ab ipso fundati, postquam triginta annis desudaverat in ædificiis cœnobii & ecclesiæ, in ornamentis quoque basilicæ, bibliothecæ ceterarumque officinarum, postquam bonis insuper & prædiis monasterium locupletaverat, malevolorum tandem dicteriis & calumniis pulsatus, administrationem ejusdem loci deserit, vitamque privatam agere deinceps instituit. Quænam contra sanctum virum fuerit excogitata, silet ipse Bonus in Brevi recordationis, quod scripsit hoc anno; sequentia tantum habet: *Hoc est malum, quod ego feci cum monachis meis per annos triginta in ipsum locum*, ac narrationem suam nihilominus prosequitur eorum, ob quæ bene fuit meritus de sacro illo loco, ut conjicere liceat accusatum fortasse fuisse Bonum, perinde ac bona monasterii, aut eleemosynas ipsi oblatas dissipasset, & in utilitatem ejusdem cœnobii minime convertisset. Displicuere Bono hæc maledicta & contra se, & contra monachos suos pronuntiata; quare agnoscens neminem prophetam acceptum esse in patria sua, cedendum ratus tempori & injuriis, monasterium & urbem Pisanam dereliquit, conferens se in insulam Corsicam, ubi plura bona ipsi abbati Bono recens legaverat Albertus Acuti. Quid Bono contigerit in ea insula, anno sequenti narrabimus. Interim operæ pretium arbitramur ad Appendicem remittere ex archivo ejusdem monasterii sancti Michaelis Pisarum ipsum Breve recordationis, quod a Mabillonio primum, postea a Grandio & a Muratorio editum, in his quoque Annalibus jure locum sibi vindicat.

An-ne eidem Bono, quem in Romana urbe agnoscere potuit, dicatus fuit a Damiano libellus *de fuga dignitatum ecclesiasticarum*, inscriptum *domno B. religiosissimo abbati*, qui edoctus fuerat *a divino spiritu aridam virgam vanæ prælationis abjicere, & ad privatam animæ suæ custodiam expeditis gressibus festinare?* Potuit tamen hoc opusculum inscribi a Damiano etiam Bonizoni abbati sancti Petri urbis Perusinæ, qui per hæc eadem tempora, hoc est circa annum 1053. sponte officium & dignitatem abbatialem exuit, ut quieti & cultui proprii spiritus indulgeret, de quo ipse mentionem facit anno 1060. in epistola ad Johannem monachum. Quam misera sit rectorum conditio, & quam ægre impleatur hujusmodi ars præsidendi, declarat sanctus doctor; docet tamen etiam artes, quibus dæmon impugnat eos, qui se prælaturis semel abdicavere, & adversus eas roborat eumdem abbatem.

XXXIII. Etiam Gaudentius Absarensis episcopus se abdicat, & monachum induit.

Insignioris abdicationis exemplum habemus circa hæc tempora in Gaudentio Absarensi episcopo, qui ut otio contemplationis ferventius adhæreret, quam prohibebant officium suum episcopale, ac malorum hominum protervia, relicta ea sede, urbe & patria ad monasticum votum iterato transiit, & mare trajiciens in monasterium Portus-novi prope Anconam se conclusit. De eo hæc habet Damianus opusculo XXIX.[a] *de abdicatione episcopatus* ad Nicolaum papam II. *Venerabilis quoque Gaudentius Apsarensis episcopus, cujus ego familiaritatis dulcedinem merui, per quem Deus jam non ignobile miraculum fecerat, episcopatum dimisit, & de Sclavonico regno navigans litoribus Anconitanæ urbis applicuit.* Causam & historiam hujus dimissionis adducit coævus scriptor vitæ ipsius. *Per membrum suum*, inquit, *nobilem*, *immo per ignobilem virum prædictæ civitatis, quasi aurum per ignem examinare ac tentare, ut illud Job, cui in terris similem non invenit, sic ipse latitanter in homine jam Deo permittente nixus est. Ordo vero tentationis talis fuisse perhibetur, ut ore suo beatus vir nostris* auribus

a Cap. 1.

auribus intimavit (ex his verbis ætas scriptoris dignoscitur). *Ille vero nobilis, qui ignobilis est reputandus, cum quadam, quæ pulcra ducebatur specie, tamen consanguinea, matrimonium contra interdictum religiosissimi pontificis Gaudentii contrahere nixus est. In principali festo paschæ, cum divina incœpta mysteria, ecclesiæ limina suis cum complicibus armata manu violenter intrare non metuit. Quem beatus Gaudentius tamquam bonus athleta ad certamen lætus accedens, vinculo excommunicationis percussit. Quamvis ex impulsione de ecclesia inimicus humani generis videtur convaluisse; nondum tamen divina in terris peracta fuerant mysteria, dum apud omnipotentem Deum in cœlis suscepta credimus esse. Tanto dolore pontifex ductus, quod id de tanta injuria pensari debuerat, divina inspirante clementia, qui cum iniquis nihilominus habitare voluerat, ad totius orbis matrem mare adnatavit, ut quondam filii Israel mare rubro transmisso ad terram promissionis, scilicet Romanam ecclesiam, devenit. Ut mater filium, sic tota curia Romana ipsum recepit, & consolari per dies plurimos, ac largiri sibi non destitit auxilium, quod vir Dei sanctus quæsierat. Sicque Absarensium populum, qui maledictione Dei & sancti pontificis plurima ex parte implicati fuerant, sine pastore & correctore relinquere non permisit. Sic apostolicis literis confirmatum beatum Gaudentium suam ad civitatem Absarensem papa remittere curavit. Benedictione itaque suscepta apostolica, & itinere gradiente suo ad Anconitanam tandem pervenit civitatem. Prudens quidam Petrus nomine in suam honorifice suscepit domum, qui fundator tunc fuerat Novi-portus monasterii.* Clarius & brevius rem totam narrat Petrus Damianus in alio opusculo [a] *apologetico ob dimissum episcopatum* ad Alexandrum papam II. *Hæc*, inquit, *venerabilis ille vir expertus fuerat, Petrus videlicet Absarensis episcopus, qui episcopatum dimisit, & de Sclavonico regno Italiam navigans, litoribus Anconitanæ urbis applicuit. Hic mihi dum totius circa se regni reverentiam conquestus exponeret, ac molestæ inquietudinis tœdia numeraret, inter cetera unum intulit, quod vos latere non patior. Quidam, inquit, degener quidem moribus, sed majorum titulis insignitus, sui generis consanguineam nuptiali sibi fœdere copulavit. Quid plura? prohibitus perstitit, excommunicatus adhæsit, totumque ecclesiasticæ censuræ vigorem nugarum puerilium fabulas deputavit. Cui certe hoc ad divinæ indignationis indicium contigit, ut panes de nuptialibus mensis in plateas ante canum ora projecti minime tangerentur. Insuper, o divinæ animadversionis pavenda severitas! dum rigidus stat, dum præceptis se sacerdotalibus non humiliat, qui vigilare sibimet ad salutem noluit, in cubiculo dormientem repente de cœlestibus irruens fulgur extinxit. Sic sic divini furoris expertus est moriendo sententiam, qui vulneri suo, dum viveret, adhibere contempserat medicinam. Hoc autem diximus, ut quam sanctæ auctoritatis vir ille fuerit, qui episcopatum deseruit, monstraremus.*

ANN. CHR. 1048.

Quod autem Damianus Petrum episcopum in hoc postremo opusculo appellaverit, quam in alio ad Nicolaum II. sub Gaudentii nomine in medium produxerat, id vel errori memoriæ Damiani deputandum, ut pro Gaudentio nomen apposuerit successoris Gaudentii, qui revera fuit Petrus, ut ad annum 1066. eruitur ex Lucio, vel dicendum Gaudentium a Petro fundatore Portus-novi aliud Petri nomen sibi adjunxisse, præsertim cum pluribus exemplis demonstrari possit Croatos, Dalmatas & Sclavonicos duplex nomen obtinuisse, atque proprio aliud, & etiam Petri, conjunxisse. Ex antiquo regesto privilegiorum monachorum sancti Chrysogoni Jaderensis urbis apud eumdem Lucium [b] ad annum 1067. legitur: *Ego Cresimir, qui alio nomine vocor Petrus, Croatorum rex, Dalmatino-*

a *Opusc.* XX. *cap.* 3.

b *Pag.* 76.

Ann. Chr. 1048.

rumque, *notifico* &c. In synodo habita anno 1076. a legatis Gregorii papæ VII. in Dalmatia habetur: *Ego Demetrius*, *qui & Suinimir nuncupor*, *dux Croatiæ & Dalmatiæ* &c. Petrus fundator monasterii Portus-novi male aut saltem sine fundamento in quibusdam mss. catalogis episcoporum Absarensium asseritur fuisse idem Petrus Damianus, a quo monasticum habitum receperit Gaudentius; id profecto non tacuisset Damianus, qui familiaritatis tantum dulcedinem & colloquia Gaudentii se meruisse scribit. Quare alius a Damiano habendus est Petrus conditor hujus monasterii.

Prosequitur scriptor vitæ beati Gaudentii, & narrat, quomodo sanctus vir monasticam vestem in eo cœnobio assumpserit. *Altero vero die*, ait, *nutu Dei*, *qui talem thesaurum nobis donatus fuerat*, *febrilis calor corpori depositi beati Gaudentii accedere jussus est*, *episcopo deprecante Deo*, *ut a labore anima ipsius ad cœlum scandere possit*. *Sicque factum est*, *ut a Deo dispositum fuerat*, *per fundatorem subscripti monasterii episcopo impetrante ad cœnobium cum populo civitatis deductus est*, *ubi habitum beati Benedicti sollemniter recepit*, *& in eadem ecclesia per dies plurimos divina concessit potentia superesse*. *In quibus vel inter quos dies*, *quando potus sibi ferebatur aquæ*, *nimium dolorem cœperat*, *quod vini meri saporem in tantum suo ore sumpserat*, *ut sibi possit credi*, *quod numquam suæ voluntati parere cœnobita voluisset*. *Iterum atque iterum*, *immo multoties ab afferentibus aquæ poculum resumpto calice vinum degustare gaudebant*, *quo ægris porrecto incolumes ab infirmitatibus recedebant*, *impleta prophetia Domini*: *O mors ero mors tua*, *morsus tuus ero inferne*; *per febrem beatissimi viri Gaudentii febres peccatorum infirmantium destruere conspiciebantur*. Hujuscemodi conversio aquæ in vinum frequens fuit, ut semper, potissimum hoc seculo, quod vidimus in Bononio, in Guidone Pomposiano, aliisque. Cetera de Gaudentio ad annum 1050.

XXXIV. Chartæ monasteriorum montis Còneri & Prataliæ.

Prope monasterium Portus-novi aliud extabat sancti Petri ædificatum *super cacumine montis*, *cui vocabulum est Còneri*, de cujus origine locuti sumus ad annum 1038. Huic cœnobio Acto sacerdos & monachus Johannis filius donat hoc anno ecclesiam sancti Antonii, cui ipse Atto præerat, *cum libris & paramentis & campanis*, *collis*, *vineis*, *terris* &c. promittens insuper Campezo abbati (successerat is Guimezo, sub quo monasterii facta fuerat ædificatio) Bizantios aureos quinquaginta pœnæ nomine, si pactis & donationi non steterit: *Anno millesimo quadragesimo octavo imperante domno Henrico imperatore augusto anno imperii ejus secundo indictione prima*. Subscribit post Attonem Amezo comes. Laurentius autem tabellio urbis Auximanæ chartam confecit, quam ex archivo patrum eremitarum Montis-coronæ in diœcesi Perusina erutam integram edimus in Appendice.

Ad quam etiam amandamus ex tabulario Fontis-boni *Breve recordationis & obligationis* conscriptum hoc eodem anno, & firmatum inter homines monasterii Pratalienfis, & homines filiorum Berardi. Ortæ fuerant lites inter utrosque, quæ eo usque processerant, ut utrinque factæ fuerint deprædationes, domorumque combustiones. Venerunt ergo Rainerius, Guido & Ugo filii Berardi in locum, qui vocabatur *Ariole*, cum militibus suis, & similiter Dominicus abbas Prataliæ cum suis clientibus, ibique diutissime utriusque partis rationibus ventilatis, tandem polliciti fuere filii Berardi, ut quandoquidem damna illata recompensare non valerent, se, filios & hæredes suos perpetuo obligarent eidem monasterio, sic nimirum, ut quicumque ex iis vellent monasticum habitum suscipere, in eodem cœnobio & non alibi monachi vel conversi induerentur; quicumque vero in his partibus monasterio Pratalienfi proximis vita decederent, in ecle-

ecclesia ejusdem cœnobii tumuli honorem haberent, cui etiam bona sua dijudicarent, testamentarias tabulas in ejus beneficium conficientes.

Ann. Chr. 1048.

Guido *custos hospitalis Camaldulensis* nominatur sub hoc anno in quadam locatione, [a] & Ugo monachus [b] bona vendens pro eremo Camaldulensi, ut intelligimus ex summariis Baroncinii. Nullum pene erat per hæc tempora monasterium, quod juxta regulam sancti patris Benedicti, adjunctum non haberet hospitale pro pauperibus & peregrinis suscipiendis.

a *§. Amissæ. 8. A. 9.*
b *Ibid. 10. A. 43.*

Primis temporibus pontificatus Leonis papæ IX. electi mense decembri anni præcedentis Wormatiæ in Romanum antistitem loco Damasi, qui viginti trium dierum spatio dumtaxat supremum præsulatum gesserat post Clementem II. videtur inscriptum a Damiano eidem Leoni opusculum, *Gomorrhianum* appellatum, in quo nefandum & detestandum illud crimen deplorat, cui Deo dicati suo tempore misere inserviebant [c]. *Hujus perditionis obnoxii*, inquit, *sæpe Divina clementia resipiscunt, atque ad satisfactionem veniunt, & pœnitentiæ quidem pondus quamlibet grave devote suscipiunt, ecclesiasticum vero ordinem perdere vehementer perhorrescunt*. Sed quia *quidam rectores ecclesiarum circa hoc vitium humaniores forsitan quam expediret*, absolute decernebant, veros tantum & declaratos sodomitas deponendos esse a suo ordine, hinc hujuscemodi flagitii quadruplicem, unum altero graviorem, gradum exponens Damianus, omnes quomodolibet carnaliter peccantes, utpote indignos, ab exercitio sacrorum ordinum, juxta sanctos canones, removendos esse toto nisu contendit. Leonem tamen humiliter orat & obsecrat, ut adscitis ad consilium spiritualibus & prudentibus viris sibi *super his capitulis ita respondeat, ut omnis de pectore dubietatis scrupulus tollatur*, & dignetur *beatitudo* sua *decretali pagina clementer instruere, qui debeant ab ecclesiastico ordine irretractabiliter abjici*, quibus vero *misericorditer indulgeri*. Porro Leo conspicuo & summe honorifico diplomate Damiani zelum commendans, *apostolicam* suam interposuit *auctoritatem*, ut omnibus constaret judicio sanctæ sedis placuisse, quæcumque continebantur in ejus libello; verum humanius agens, eos, *qui non longo usu vel secum, vel cum aliis* peccaverunt, *si digna pœnitudine probrosa crimina luerint*, admitti sinit ad eosdem gradus, *ablata aliis spe recuperationis sui ordinis, qui vel per longa tempora secum, sive cum aliis, vel cum pluribus, brevi licet tempore* se macularunt, *vel quod est horrendum dictu & auditu, in terga prolapsi sunt*. Gloriosum Damiano summi & sanctissimi pontificis rescriptum, quod inter opera sancti doctoris Petri Damiani reperitur, damus in Appendice.

Ann. Chr. 1049.

XXXV. Damianus opusculum Gomorrhianum dedicat Leoni IX. Rom. pont.

c *Opusc.* VII.

Licet autem hoc libello gratiam plurimam iniisset, & de apostolica sede optime fuisset meritus Damianus, a malevolis tamen de quibusdam, forte de libertate scribendi, & referendi hujusmodi spurcissima flagitia, apud eumdem summum pontificem insimulatus fuerat, ut de se testis est in altera epistola ad eumdem Leonem data; *ne forte* [d], ait, *posset suggerendo destruere, quod diabolus in suis partibus non desinebat quotidie novis adinventionibus fabricare*. Quod Leo maledicis faciles aures præbuerit, deputavit Petrus nimiis negotiis, quibus erat ille pressus, summaque modestia, sed simul invicto animi robore, innocentiam suam est obtestatus. Hinc facile fuerit, ut intra breve tempus Damianus in gratiam redierit Leonis, quandoquidem ipsius adjutor validus deinceps fuit in pluribus synodis, quas hoc & sequentibus annis contra Simoniacos & incontinentes clericos Romæ & alibi celebravit zelo Dei percitus sanctissimus pontifex.

d *Ep. IV. Lib. I.*

PER-

Ann. Chr. 1049.

XXXVI. Privilegium ejusdem Leonis pro eremo Ocrensi.

Pertinet quoque ad hunc ipsum circiter annum ejusdem Leonis privilegium Damiano concessum pro eremo, quæ *dicitur Ocri in Saxeno*, seu Sarsinate territorio posita. Ædificaverat Damianus, vel potius a patronis, qui condiderant locum hunc, obtinuerat, ut ædificium illud ad solitarium recessum reduceretur, eremusque evaderet, cujus ipse foret prior, eamque bonis a fidelibus oblatis dotaverat. Verebatur autem sanctus vir, ne tempore progrediente alicui monasterio subjiceretur; id proinde vetat Romanus pontifex Leo, & monasterium quidem ex eremo fieri, si congruum visum fuerit, annuit, juri vero alterius cœnobii submitti prohibet, cum similis *suppositio plerumque sit loci destructio*. Possidebat insuper prædicta eremus plebem sanctæ Mariæ positam in loco, qui dicebatur Vineole; hanc quoque supradictæ eremo confirmat Leo. Johannes Laudensis, qui sermonem instituit de eremis & de monasteriis a Damiano excitatis, de Ocrensi penitus silet. Ocri mons erat in territorio Sarsinate, parum dissitus a juribus & possessionibus dominorum de Valbona, ut liquet ex charta Fontis-boni, qua *Raynerius* (forte comes de Corneto) anno 1197. mense augusto *donavit pro anima domno Jacobo priori ecclesie sancti Johannis inter ambas Paras, ejusque successoribus omnia, que habebat & tenebat a Serra, que continetur supra Vieza ad montem Justi, & a Serra de Valbona ad montem Ocri de patrimonio* &c. Manu *Bonafide notarii*. Immo juxta Baroncinii ms. chronicon eremi Camaldulensis, montis *Ocri* mentio habetur ad annum 1125. in quadam enumeratione bonorum ejusdem monasterii sancti Johannis-baptistæ inter ambas Paras, quod latifundia & bona multa possidebat tum in Sarsinate, tum in Monte-feretrano territorio.

a §. Donatio n. 351. A. 2. 33.

XXXVII. De Alberico sanctissimo eremita, qui ibidem floruit.

Ocrensis eremus vel ad hæc, vel post hæc tempora, quandoquidem nos latet verum & præcisum tempus, domicilium fuit pœnitentia & sanctitate insignis eremitæ cujusdam nomine Alberici. Constat enim ipsum habitasse eremum in territorio ejusdem monasterii sancti Johannis-baptistæ, ex instrumento finium præfati cœnobii, quod confecit Johannes Serra-monte notarius anno 1330. a quo quidem monasterio tribus quadrantibus milliarii abest nunc eremus, vulgo dicta cella sancti Alberici, & posita inter tres montes, scilicet *montem Ocri, & pozzam sancti Alberici, montem Famajolis & montem Aquilonis*, sic ab aquilis appellatum. Visitur ad hodiernam diem ibidem oratorium sive ecclesia cum duabus cellis eremitarum, & in ecclesia adhuc supersunt duo sepulcrales lapides absque ulla epigraphe, plurium defunctorum ossa contegentes. In adverso autem ecclesiæ latere extat petra, quæ communiter lectulus sancti Alberici dicitur, cujus minimæ partes in pulverem redactæ vim pellendi morbos habent. Reperitur etiam in fasciculo 1. chartarum ipsius cellæ, sive sancti Johannis, extantium in tabulario Camaldulensi descriptio ejusdem eremi confecta anno 1580. his verbis: *Eremus sancti Alberici infra confinia Cellæ & ejus territorium cum duabus ecclesiolis & tribus cellis, ubi eremitæ pœnitentiam agebant, cum domo, curte, horto & fonte muro recinctis ad usum & habitationem eremitarum. In præfatis ecclesiis extant tres petræ, in quibus sepulti dicuntur tres eremitæ antiqui habitatores dictæ eremi* &c. Circa hanc eremum excrescit copiosa multitudo fagorum, quæ mirabili corona circumdant sanctum locum, Cruces hinc inde efformantes.

Mirabilibus Deus signis eremi hujus & ipsius circuitus protectionem, quam habet, declarare dignatur; nemini carnibus hic vesci fas est, transgressoribus hujus legis acriter a Deo punitis; nullius ibidem silvestris volucris aut animalis sanguis funditur, nullusque venator audet arma ibi exerere, vel

globos

globos igneos explodere, prædamque facere, ut testes sunt custodes loci & accolæ. Innumera sunt prodigia, quæ divina bonitas per sancti Alberici interventionem operatur, præsertim in ecclesia, ubi olim fuit ipsius eremus, & vix elabitur dies, quo per loca aspera & inaccessa ad ejus cellam non confluat ingens numerus fidelium pro veneratione sancti loci, & pro sospitate obtinenda; ipsiusque præcipua virtus est in curandis intestinorum morbis & prolapsionibus. Manuscriptum exemplar transmissum ad nos fuit multorum miraculorum, quæ postremis his annis ad cellam vel ad lectulum sancti Alberici contigere, vel etiam virtute balneorum & aquarum ejus mirabilium, quæ miracula collecta in unum fuere ab eremitis Camaldulensibus, qui ibidem commorantur, & testimonio fulcita sunt sacerdotum locorum propinquorum, omnia præterea a notariis & a cancellariis publicis roborata ipsorum manu.

Cultus sancti Alberici viget insuper in ecclesia abbatiæ sancti Anastasii positæ in diœcesi Feretrana, in qua corpus sancti eremitæ modo quiescit, & quæ nunc unita est ecclesiæ Feretranæ seu Leopolitanæ. Cum enim oppidanis ejusdem diœcesis innotuisset consilium Florentinorum, qui circa annum 1300. fines ditionis propriæ agnoscere, limitibusque signare volebant, metuentes, ne intra fines Florentini dominii statueretur eremus aut cella sancti Alberici, & ita ipsorum patria, Sarsinas nimirum diœcesis privarentur honore sancti ejus sepulcri, & facilitate ipsum adeundi, ut revera locus ille intra fines Florentinæ ditionis fuit designatus, consilio inter se habito decreverunt sacrum corpus noctu subripere. Res ad eorum votum cessit, & ablatis sancti viri lipsanis, ipsa deduxerunt ad ecclesiam ejusdem abbatiæ sancti Anastasii, & ne furtum detegeretur, vel a Florentinis repeteretur ejus corpus, ipsum in capsa lapidea intra parietem ejusdem ecclesiæ condidere. Abbatia sancti Anastasii tunc obtinebatur a monachis ordinis sancti Benedicti nigri coloris, qui in altari ad ejus honorem dicato sanctum Albericum eorum veste indutum coloribus exprimere maluerunt. Ex titulo hujus ecclesiæ tota vallis, quæ abbatiam circumdat, appellatur Vallis-sancti-Anastasii. Fert traditio, quam vetus pictura comprobat, sanctum Albericum, dum viveret, transeuntem per dictam vallem cuidam rustico præcepisse, ut terram effoderet, ex qua emanaverit tunc & deinceps aqua morbis medendis efficax; quæ aqua Balnea sancti Alberici appellantur, constanti fama eadem balnea sancto viro tribuente, licet nominentur etiam Balnea sancti Marini, eo quod hi fontes tribus milliaribus distent ab oppido Sancti-Marini.

Monachis locum cedentibus post initium seculi decimi-quinti, commendatariisque introductis, abbatia sancti Anastasii unita fuit, curante Roberto Adimario episcopo, anno 1461. mensæ episcopali Mont-feretranæ, duoque capellani ibidem constituti, qui curam exercerent animarum. Anno 1640. Consalvus Durantes ex civitate sancti Angeli in Vado, episcopus Mons-feretranus, qui recedens a sua ecclesia, ut quieti & solitudini vacaret, se ad abbatiam sancti Anastasii contulerat, desiderio motus reperiundi sacri corporis, quod certum erat asservari in ea ecclesia, solus nocte malleolo parietes omnes dictæ ecclesiæ pertentavit, ad hoc ut ex sonitu, ubinam vacuus aliquis esset in pariete locus, in cognitionem veniret. Sed cum experimenta inania forent, ædiculam interea construi jussit in honorem beatæ Mariæ virginis. Dum autem lapides parietis loco dimoverentur pro ædificatione novi altaris, factum est, ut fabri murarii opus prosequentes capsam lapideam detegerent, super quam coloribus expressa erat imago sancti Alberici habitu albo Camaldulensi induti, eodemque tempore

Ann. Chr. 1049.

pore ærea ſigna omnia eccleſiæ ſponte ſua ſtrepitum ederent. Magna animi exultatione ſtatim aperta fuit capſa coram epiſcopo, qui de ea re ſollicite fuit admonitus, & ex ipſa ſuaviſſimo efflante odore, repertum fuit ſacrum ejus corpus ſive oſſa, una tantum deficiente maxilla, quæ in ſacra eremo Camaldulenſi aſſervabatur, hodieque colitur, cineres vero inventi in vaſe quodam argillaceo poſito in angulo capſæ. Collocatum tunc fuit ab epiſcopo corpus ſancti Alberici decenter prope altare ſanctæ Mariæ de Roſario cum ſequenti epigraphe.

D. O. M.

CONSALVUS. DVRANTES. VADENSIS. EPISCOPVS. FERETRANVS
CORPVS. SANCTI. ALBERICI. EREMITAE. IN. HAC. ECCLESIA
ASSERVATVM. HVC. HONORIFICE. TRANSTVLIT. DIE. VII.
SEPTEMBRIS. ANNO. DOMINI. M. DC. XL.

Anno 1650. translatum fuit ſancti Alberici corpus ad altare ſanctæ Muſtiolæ, ſub Bernardino Scala epiſcopo, campanula eccleſiæ etiam hac vice ſine ullius ope perſtrepente; anno demum 1698. a Bernardino Belluccio altero epiſcopo ad altare ipſi ſancto eremitæ dicatum, & fuit reconditum intra capſam cupreſſinam. Quia vero intra hanc novam capſam vas cinerum includi non potuit, cineres ſine vaſe in ipſa depoſiti fuere, & lignea capſa in recens extructam marmoream arcam recondita. Capſa autem vetus lapidea & vas ex argilla in armario ejuſdem eccleſiæ cuſtodita, ex quibus adhuc ſuavis odor emittitur. Poſt ea tempora loculus apertus iterum fuit ab epiſcopo Feretrano Petro-valerio Martorellio, qui aliquot ſancti Alberici reliquias inde abſtulit, & ad Romanam urbem tranſmiſit.

In eadem eccleſia ſancti Anaſtaſii feſtum ſancti Alberici celebratur dominica ultima auguſti, eo quod dies vigeſima-nona ejuſdem menſis, quæ fuit dies tranſitus ſancti Alberici, impediatur ab altero feſto decollationis ſancti Johannis-baptiſtæ.

De beato Alberico meminit Ferrarius ad diem XXIX. auguſti: „ Apud „ Sarſinam, inquit, Sancti Alberici eremitæ. “ Et in adnotationibus: „ Ejus „ memoria hac die celebris eſt in abbatia ſancti Anaſtaſii diœceſis Fere- „ tranæ finitimis populis ad illius corpus in dictam abbatiam venerandum „ confluentibus. “ Mentionem facit Caſtellanus in martyrologio univerſali: „ Balnei apud Camaldulum in diœceſi Sarſinatenſi ſanctus Albericus „ ſolitarius. “ Nicolaus autem Brautius epiſcopus Sarſinæ in ſuo libro, cui titulus: *Martyrologium poeticum Sanctorum totius Italiæ, & eorum qui in martyrologio Romano continentur, cum Chriſti genealogia & quindecim myſteriis ſanctiſſimi Roſarii* editum Venetiis anno 1630. ex typographia Marci Ginammi, hæc cecinit de ſancto Alberico.

Sarſina cultorem vivum ſervavit eremi,
Quem vita functum Mons-feretranus habet.

Bollando ejuſque continuatoribus nullæ vel pene nullæ notitiæ pervenere de iis, quæ pertinent ad tempus & cultum hujus ſancti viri, quem floruiſſe putant ſeculo v. & de quo parce admodum & jejune tractant.

Demum quoad eremum aut cellam ſancti Alberici, in actis epiſcopalium viſitationum ſub anno 1709. hæc exarata fuere: „ Eccleſia ſancti

Alberici

„ berici fuit visitata &c. altare unicum est sancto Alberico dicatum, cu-
„ jus imago cum imaginibus beatæ Mariæ virginis, sanctorumque Ro-
„ mualdi ac Georgii in pariete sunt depictæ. “ In visitatione autem anni 1718. „ Ecclesia sub invocatione sancti Alberici hic frequenter in vi-
„ ta permanentis in propria eremo, consistens in mansione cum horto ac
„ fonte, cum prodigiosa tabula, super quam concurrentes infirmi ac de-
„ cumbentes, quia mirabilis est Deus in Sanctis suis, sani revertuntur ad
„ propria. Inspiciuntur binæ quoque mansiunculæ subterraneæ, in quibus
„ servus Dei cum socio multoties permanebat. “ Episcopus Sarsinas Petrus jacobus Picchi sancti Alberici intercessione liberatus ab eadem intestinorum infirmitate, sacrum chrisma in præfata ecclesia parvulis contulit, altare dedicavit, ubi habetur lectulus sancti eremitæ, tabulisque cooperiri mandavit eumdem lapidem, qui pro strato inserviebat sancto Alberico. Die 29. augusti indulgentia plenaria conceditur locum illum visitantibus, quibuslibet etiam feriis sextis mensis martii, & alia die insuper ab ordinario assignata idem *spiritualium* bonorum thesaurus obtinetur a fidelibus ibidem *catervatim* confluentibus. Flaminius Dondi episcopus Mons-feretranus os sacrum e corpore sancti viri dempsit, donoque dedit eidem ecclesiæ, sive eremo, quæ primitus totum sacrum corpus possidebat, antequam ad abbatiam sancti Anastasii deportaretur.

XXXVIII. Epistola Damiani P. abbati.

Sed ad Damianum revertamur. Sub eodem Leone, appropinquante aliqua ex pluribus Romanis synodis, quas omni anno idem Romanus pontifex collegit, monachus quidam Damiani, apostolicæ sedis & Romanorum pontificum excommunicationum jaculis sauciatus, exceptus fuerat a P.. abbate in suum cœnobium, & licet Damianus pluries expostulasset, ut suus monachus sibi restitueretur, abbas tamen variis captatis excusationibus facinorosum monachum adversus eum fovere non desinebat. Epistolam [a] ergo huic abbati scripsit Damianus; & primo miratur, quia *cum tota terra repleta sit monachis*, nequam hunc monachum adeo expetat; ad memoriam ei reducit, quod *ipso præsente frater ille prius ante sanctum altare ecclesiæ, & postmodum ante crucem cellulæ sub excommunicationis se devotavit elogium, si nostri prioratus obedientiam ex industria ulterius violaret*. Caveat ergo *tam sanctum, tam venerabile monasterium* polluere susceptione illius monachi, *qui tot excommunicationum vinculis involutus est*. Paratum se insuper asserit monacho indulgere. *Pro caritate ergo vestra, sanctorumque patrum vestrorum*, inquit, *quorum ego servus sum, cum vestris ad me tantummodo literis veniat, & me circa se mansuetum fore, mitem atque benevolum non diffidat*; alioquin minatur se de hac re acturum in *Romana synodo jam appropinquante*. P.. abbatem Classensis cœnobii sancti Apollinaris fuisse arbitratus est Constantinus Cajetanus editor operum sancti Petri Damiani; nos monumentorum per hæc tempora defectu ignoramus, quis Lamberto abbati Classensi anno 1045. viventi successerit. In concilio Romano anni sequentis, quo Leo papa IX. Sanctorum canoni adscripsit Gerardum episcopum Tullensem, inter ceteros abbates, qui interfuerunt, legimus subscriptum Willelmum abbatem sancti Apollinaris, quem Classensem arbitramur; nam statim post ipsum nominatur Wido abbas sancti Severi, qui revera ex charta inferius producenda regebat hoc anno 1049. monasterium Classense sancti Severi. Willelmus abbas per errorem appellatur Urbinus in bulla ejusdem Leonis, qua in Sanctorum numerum refert eumdem Gerardum, apud [b] Mabillonium. Quare P.. abbas, cui scribit Damianus, alteri cœnobio erat præpositus.

a *Lib. VI. epist.* 15.

b *Sec. V. p.* 866

Ann. Chr. 1049.

XXXIX. Leonis IX. epistola ad Auximanos.

NEQUAM episcopus Auximanus, de quo in epistola ad Clementem II. sub anno 1047. mentionem fecit idem Damianus [a], hoc anno fato cesserat. Dum viveret, populus terrena pressus formidine ab ecclesiæ ipsius læsione manus cohibuerat; statim vero post ipsius obitum domum episcopalem hostiliter irruens invaserat, facultates ipsius episcopatus prædonum more diripuerat, fundorum habitationes incenderat, vites & arbusta immani feritate succiderat. His admonitus Leo summus pontifex, ad clerum populumque Auximanum, manu utens Petri Damiani, literas dedit, sub pœna anathematis interdicens, ne pessima hujusmodi consuetudo in episcoporum obitu invalesceret. Indigno huic episcopo Ghislerius successor datus fuit, de quo annis sequentibus.

a *Lib. I. epist. 3.*

XL. Bonus fit abbas Gorgonensis. S. Odilo abb. obit.

BONUS, qui anno præcedenti abbatiam sancti Michaelis Pisarum malevolorum factione deseruerat, & in insulam Corsicam se receperat, transiens per alteram insulam Tyrrheni maris, Gorgonam dictam, ubi antiquissimum exsurgebat monachorum domicilium, quod jam temporibus suis extitisse memorat sanctus Augustinus, monachos illius loci tristes admodum & mœrentes invenit, ob mortem sui abbatis recens defuncti. Qui tanti hospitis præsentia aliquantulum recreati, communibus suffragiis & voluntatibus ipsum Bonum in suum postularunt abbatem. Restitit vir Dei, quantum vires suppetiere, sed demum agnoscens in hoc facto divinum consilium, obtenta prius facultate ad suos revertendi, ut extremum ipsis vale diceret, simul etiam ut ad successorem eligendum hortaretur, rediens Gorgonam, administrationem ejusdem monasterii assumpsit, quam toto vitæ suæ reliquo decursu usque ad annum 1070. retinuit, neque hoc anno 1049. ad Deum evolavit, ut decepti aliquot auctores scripsere. Electus fuit a monachis sancti Michaelis in Boni abbatis successorem Rusticus, ut ex contractibus horum temporum in dicto monasterio asservatis dignoscimus. Quem tamen ignoravit Fortunius noster, Leonem, qui Rustico suffectus fuit, immediate successisse Bono scribens. De Rustico & de Leone abbatibus aliqua dicemus suis locis.

Decessit hoc anno pietate & zelo monasticæ disciplinæ celeberrimus sanctus Odilo Cluniacensis abbas, cujus vitam rogatu Hugonis abbatis, qui illi successor datus fuit, descripsit anno 1062. Damianus in eodem Cluniacensi monasterio tunc hospes.

XLI. Bulla Leonis IX. pro monasterio Silvæ-mundano.

PERTINET ad hæc circiter tempora bulla Leonis papæ concessa monachis sancti Salvatoris Silvæ-mundæ, qui monasterium incolebant in comitatu Arretino, qua facultatem eis facit ædificandi sibi novum cœnobium, ubi tutius degere valerent, & possiderent auctoritate sua donationes & oblationes fidelium tam pro vivis, quam pro defunctis factas, atque haberent suarum rerum decimationes ex dono apostolicæ sedis, deserendo primum monasterium, ex quo abscedere coacti fuerant ob lites & bella, quæ invalescebant inter filium nobilis viri Griffi, qui monasterium primum fundaverat, & inter ejus nepotes, ut monuimus ad annum 999. Hæc patent ex altero privilegio Innocentii papæ II. [b] confirmantis anno 1135. prædecessoris sui Leonis bullam pro hujuscemodi monasterii mutatione.

b *Arch. Cam. §. Amissæ n. 209.*

XLII. Humfredi archiep. Ravennatis præceptum pro S. Severo in Classe.

HUMFREDUS archiepiscopus Ravennas Widoni abbati sancti Severi in Classe committit hoc eodem anno reformandum *monasterium sancti Thome apostoli positum foris porta sancti Laurentii non longe, sed prope ipsam portam.* Inter cetera loca juris monasterii sancti Severi vidimus Conradum imperatorem in suo præcepto anni 1029. confirmasse eidem cœnobio monasterium sancti Thomæ; quare dicendum est Humfredum vel corroborasse

se

Ann. Chr. 1049.

se donatione etiam sua abbati sancti Severi jus in eumdem locum, vel eo temporis intervallo, quod excurrit ab anno 1029. ad præsentem, alteri collegio monachorum commissum fuisse reparandum sancti Thomæ monasterium, & rursus hoc anno curam hanc demandatam fuisse cœnobitis sancti Severi. *Exceptis* itaque *his rebus, que* ipsius archiepiscopi antecessores *ad suas detinuerunt manus in Cesena*, Humfredus monasterium illud Widoni abbati sancti Severi perpetuo concedit, dans in mandatis, ut presbyteri & clerici ordinentur, *qui ibidem consistant diebus noctibusque, laudes & missas, matutina ceteraque Dei officia faciant*, & præfata ecclesia restauretur & in omnibus melioretur *sub pensione denariorum trium inferenda actoribus sancte Ravennatis ecclesie: anno pontificatus domni Leonis summi pontificis primo, itemque imperatore domno Heinrico filius quondam Chonradi imperatoris in Italia anno tertio die vigesimo octavo mensis octobris indictione tertia* inchoata a mense septembri. Humfredi paginam ex tabulario Classensi transcriptam damus in Appendice. Wido successerat in præfectura monasterii Classensis sancti Severi Bonizoni, de quo ad annum 1040.

Ann. Chr. 1050.

XLIII. Flagellorum usum tuetur Damianus.

FLAGELLORUM usus adeo invaluerat ad hæc tempora in monasterio Avellanensi, ut, Damiano & Dominico Loricato potissimis incentoribus, nullus pene eremitarum, monachorum & etiam laicorum reperiretur, qui pro modulo suo verbera sibi non infligeret in privatarum precum vel psalmorum recitatione. Displicuit hæc flagrorum consuetudo Petro cuidam monacho, cognomento Cerebroso, quem Florentinum suspicamur, & facile Theuzonis, celebris ea tempestate monachi, collegam vel discipulum; scripsit proinde Petrus hic Damiano, reprobans hujusmodi flagellorum usum, vel saltem immoderantiam usus. Damianus autem eum prius de coercendæ linguæ necessitate, & de verbis temere non effutiendis admonens, spontaneæ verborum inflictioni detrahentem graviter coarguit epistola [a], quæ tamen mutila est, scoparumque remedium non modo absurdum, ut ille dictitabat, sed pium, utile atque ad purganda peccata peridoneum validis rationibus & exemplis demonstrat. Ostendit etiam consuetudinem hanc non esse novam *in omnibus fere sanctis monasteriis*; quapropter fratres de levi qualibet offensione confessi vicenas aut etiam quinquagenas verberum plagas subire præcipiebantur, & in capitulo ex more monasteriorum fiebant disciplinæ; communis demum sancti ordinis ea erat consuetudo. Et quoad multiplicationem flagellorum, hæc subjungit: *Quomodo enim potest fieri, ut si parva disciplina purificat in conspectu Dei, multiplicata sordescat? nam si diurnum jejunium bonum est, biduanum & triduanum melius est, & unusquisque pius labor, quo prolixior est, eo propensioris mercedis gloria dignus est.* Totus demum est Damianus in laude flagellorum, ut propterea ad hanc epistolam allusisse videatur, cum scribens Florentinis clericis, & redarguens male feriatos illos, qui disciplinis corpus sponte cædendi morem tamquam noviter & temere introductum, atque sacris canonibus contrarium irridebant, conqueritur non debuisse laicorum sive etiam clericorum notitiæ prodi, quæ *de monachici ordinis exercitiis* olim scripserat, & *de scoparum præcipue disciplinis monachus monacho specialiter* miserat. Extat quidem *de laude flagellorum* ejusdem Damiani [b] opusculum ad monachos Casinates, sed de hoc dixisset Damianus: *Scripsi monachis*, non *monacho*, præterquamquod serius opusculum ad Casinates scriptum fuit a Damiano. Porro in mox relata epistola [c] ad clericos Florentinos, quos laudat, quia eos *religiosa vita sanctificat, & cœlestis sapientiæ fulgor illustrat*, insugillat *urbicos eremitas forenses*, qui *sub*

a *Lib. VI. epist.* 27.

b *Opusc.* xliii.

c *Lib. V. epist.* 8.

Ann. Chr. 1050.

sub monachicæ professionis nomine plebibus imperabant, qui in angulis constituti, tamquam in tribunalibus sive prætoriis pragmaticæ sanctionis jura promulgabant, hi demum erant rigidi censores usus spontaneæ flagellationis; contra quos, postquam pluribus exemplis voluntariam corporis castigationem vindicavit, illud etiam opponit, quod si laicis pecunia pro redimendis peccatis ab episcopis imponitur, monachis, qui omnimodæ pecuniæ in sanctæ professionis emissione nuncium remiserunt, interclusum est hoc satisfaciendi remedium; aliam propterea, disciplinarum nimirum, aperiendam esse viam ipsis pro agenda veterum peccatorum pœnitentia.

Ad eumdem Petrum Cerebrosum, ut credidit Cajetanus, nisi dicere velimus alterum fuisse Petrum monachum, aliam epistolam [a] scripsit Damianus, qua duas quæstiones sibi ab eo propositas dissolvit. Prima fuit, cur magnus Gregorius dixerit ideo divitem, qui opem Lazaro mendico negavit, ad æternos cruciatus damnatum fuisse, quia nimirum sub novo Testamento, in quo misericordia in pauperes præcipitur, natus est. Altera vero tractat de vitio curiositatis, quam late pateat.

a Lib. VI. epist. 28.

Ceterum quanta discretionis virtute in flagellis indicendis polleret Damianus erga ceteros etiam sibi subditos, agnoscitur ex [b] epistola, quam scripsit eremitis suæ congregationis. *Non ignoret*, inquit, *sancta vestra devotio, dilectissimi, quoniam disciplina ista scoparum, cui tam ferventer insistitis, sicut poterat moderata prodesse, sic agnoscitur indiscreta nocere. Propterea scilicet corpora vestra viribus effœta deficiunt, & aliquando, sicut a quibusdam creditur, tot allisionibus tabefacta languescunt, nimirum cum nonnulli vestrum unum continuum, vel etiam duo psalteria quotidie cum disciplina decurrant. Huc accedit, quia plerique fratres venire volentes ad eremum, cum hæc audiunt, perculsi formidine deterrentur. Et quia disciplina durior creditur quam sentitur, & austerioris est formidinis quam doloris, cum eam apud vos tam longam fieri fratres quique debiles audiunt, medullitus expavescunt, & ab ingressu protinus eremi revocantur. Quamobrem adhibito discretionis moderamine constituimus, ut ad disciplinam sibimet ingerendam nullus in eremo compellatur; quem vero sanctus ad hanc fervor impellit, per quadraginta psalmos in unoquoque die disciplinam sibi facere liceat, ita dumtaxat ut quadragenarium hunc psalmorum numerum non excedat. In duabus autem quadragesimis, quæ videlicet natalem Domini, vel sacrosanctum Pascha præcedunt, usque ad sexaginta psalmos cum disciplina procedere liceat; neque hanc mensuræ, quam præfigimus, regulam temeraria, quod absit, quisque præsumptione transcendat. Hoc itaque modo, non quod bonum est, tollimus, sed quod est superfluum, coercemus. Nec salutem suam fratribus invidemus, sed mensuram discretionis indicimus, citra quam licet utique, si velit, affligi, ultra vero non erit licitum progredi.*

b Epist. xxxiv. Lib. VI.

XLIV. Jejunium sextæ feriæ idem introducit.

Præter flagrorum usum, & *scoparum disciplinam*, quam [c], teste Johanne Laudensi, *cuncti* Avellanenses *in capitulo suscipiebant*, & præter alia exercitia abstinentiæ & nudipedii, de quibus occasio dicendi se præbebit anno 1061. observationem sextæ feriæ non solum in Avellanense, sed & in alia monasteria introduxit Damianus. *Sed & sextam omni tempore feriam*, prosequitur idem Johannes [d], *præter paschales vel ceteros dies sollemnes sub eadem tam disciplinæ, quam abstinentiæ norma ob reverentiam Crucis illis observandam adhibuit*. Tum subdit hujus usus receptionem a Casinatibus circa annum 1063. factam, Divinamque observationis hujusmodi approbationem ex revelationum monimentis confirmat. *Hic porro nequaquam otiosum putamus*, ait Johannes, *quædam revelationum monimenta, quæ idem ipse scripsit*, annumerare, *quibus sanctus ille totus in hac obser-*

c Cap. xviii.

d Cap. xix.

ANN. CHR. 1050.

observatione sextæ feriæ obnixe fuit solidatus. Ipsa itaque ipsius verba ponamus. In ægrotantium cella senex quidam pater erat, Leo nomine, facile Prezensis, de quo in epistola ad Teuzonem, *qui jejuniis, psalmis & orationibus insistebat attentius; & licet corporeis esset viribus effœctus, juvenili tamen fervidi spiritus erat vigore robustus. Hic proxima nocte, quo statuenda erat hæc censura jejunii, vidit per somnium magnum in ecclesia chorum consistentium fratrum, qui nempe præclaris candidis vestibus luculenter induti, dulcisona satis atque melliflua melodi concentus suavitate cantabant, illud scilicet Alleluja, quod dicitur: Dulce lignum, dulces clavos &c. Videbat etiam quod per omnes refectorii mensas panes erant appositi & specie nitidi, nectarei gustus sapore melliti. Inter fratres etiam undique discumbentes erat vir, si rite teneo, valde præclarus & insigni decore conspicuus, qui requisitus, unde tales advenissent panes, quibus videlicet similes eatenus non vidissent: Hi sunt, inquit, panes, quibus filii Israel manna percipientes e cœlo, aliti sunt in deserto. Hic quoque vir tulit mensam abbatis, quæ occidentem versus fuerat constituta, & ad orientalem posuit refectorii plagam, ubi videlicet imago Crucifixi Domini fuerat in pariete per picturam expressa. Perpende ergo mysterium & mysticæ revelationis intellige sacramentum. Quid est enim, quod laudes Crucis chorus ille psallentium melodis vocibus concrepabat, nisi quia futurum erat, ut dum in honorem Crucis sollemne jejunium instituerant, quam dulces ei laudum modulos suaviter personarent? Hymnum quippe in beatæ Crucis honore decantat, qui ea videlicet die, qua Christus in Cruce suspensus est, jejunium celebrat. Et quid est, quod melliti videbantur panes in mensa; nisi ut nimirum dulcia spiritus alimenta comederent, dum per amaritudinem carnis dulces Deo laudum modulos resonarent? Tanto quippe dulcior gustus exoritur in palato cordis, quanto major amaritudo districtionis perturbat lasciviam carnis. Quid est etiam, mensam abbatis sub Crucifixi Redemptoris pedibus ponere, nisi per jejunium sextæ feriæ, quæ dies Crucis est, totum refectorium salutiferæ Crucis signaculo dedicare? Et quid est sub Crucifixi Domini pedibus residere, nisi post ejus vestigia tendere, & per eum, quo nos præcessit, tramitem jugiter ambulare?*

Verum ad hoc arctius commendandum & illud aptissime contigit, ut sanctus quidam alius frater, Petrus nomine, dum id constitueretur, abesset; qui postea quinta quadam feria regressus, eadem nocte per somnium vidit, quod domnus Petrus illum ad prandium convocaret, secumque ipse conviva discumberet. Sequenti vero die in capitulum veniens cum ceteris fratribus disciplinam novi ritus accepit, & sic lætus & alacer factus, exultavit in Spiritu-sancto dicens: Ecce, Deo gratias, prandium, ad quod me domnus Petrus Damiani vocaverat. Nec immerito sane nostræ carnis afflictio mensa vel refectio dicitur; quoniam unde nostrum per continentiam corpus atteritur, inde spiritus supernæ gratiæ pinguedine saginatur. Cunctis itaque hujuscemodi revelationibus plane noscentibus, ea illis cœlitus tradita, quæ per os beatissimi viri noviter sibi fuerant promulgata, non solum ad ipsorum observantiam ferventius succensi sunt; verum etiam eum insuper rogaverunt, ut si quid deesse apud eos adhuc videretur, injungeret, si quid superfluum tolleret; quod vero corrigendum foret, cunctis applaudentibus, emendaret. Unde factum est inter cetera, ut projicerent copulas, quibus quasi quibusdam pileis capita contegebant, quo de cetero solis caputiis honesto essent ... monachorum more contenti. Statuerunt quoque, ut de peregrinis involucris ultra jam grandioris pretii vestimenta non emerent, sed ex rusticorum textrinis vilia potius ac vernacula compararent. Quod spectat ad copulas seu pileolos, in veteribus tabellis depictis monachorum Avellanensium, quæ in eo monasterio asser-

van-

Ann. Chr. 1050.

vantur, imagines vidimus loco capitii pileolis redimitas, ut etiam Bonannius, Heliotius & dominus de Andilly similes referunt monachorum posterioris ævi ejusdem cœnobii. Mabillonius legendum censet *cosulas*, tegmen nimirum capitis, quod vulgo dicitur *Cuffia*; retineri tamen potest etiam vox *copulas*, quæ respondet Italico nostro *Cupola*, *Cupolino*, quo nomine aliqui appellant etiam bireta.

XLV. Obitus Gaudentii Absarensis ep. inde monachi.

Gaudentius episcopus olim Absarensis, monachus deinde in recens extructo Portus-novi prope Anconam cœnobio, ut ad annum 1048 vidimus, ad superos anno 1059. jam convolaverat, teste Damiano. Scribens enim eo anno Nicolao II. ait: *A qua*, intellige urbe, *non longe post biennium feliciter obiit*. Rursus idem Damianus *familiaritatis ejus dulcedinem meruerat*, cum ipso plurima colloquia miscuerat; at habemus Damianum anno elapso Auximi constitisse, qua occasione facile fuerit ipsi sanctum virum alloqui, cum parum dissita foret urbs Auximana ab Anconitana, vel a monasterio Portus-novi. Dum itaque exploratus non est verus annus obitus Gaudentii, ad hunc circiter annum ipsum statuimus, historiamque pretiosæ ejus mortis verbis coævi scriptoris ipsius vitæ tradimus. *Cum autem placuit ei*, inquit, *qui eum segregavit ab utero matris suæ, & vocavit per gratiam suam in mundum, ad magnalia sua vocavit. Divisa de corporis ergastulo anima ipsius ascendit ad superos, & obdormivit in Domino, celebrando in ejus ascensione ..... spiritus ab ejus corpore ita evolavit, ut aromatum fumus excidisse videretur. Nunc ad ea, quæ post tumulationem corporis facta sunt in mente animus fidelium erigatur. Ad ejus nempe famam e vicinis partibus magna accurrebat multitudo non solum Anconiensium & infirmantium, sed etiam de longinquis regionibus, ut ab omnipotente intercessione sancti Gaudentii sospitatem Divino auxilio de infirmitatibus consequi possent. Et quia Deus lumen suum sub modio & in tenebris latere non permittit, sed vult suorum opera lucere, ut ipse dixit: Opera, quæ ego facio, & majora horum facietis, tanta miraculorum beneficia juxta sepulcrum beati viri facta conspiciuntur, ut conspicientibus nobis, qui adhuc supersumus, quidam Philippus, qui vocabatur, a dæmone arreptus, liberatus est; quædam mulier Humana a dæmonio arrepta liberata est, & a febribus & paralysi & ex aliis infirmitatibus & diversis morbis innumerabiles liberati sunt. Supra tumulum, ubi quotidie lampades accenduntur ipsius, multoties post earumdem extinctionem ita accensæ reperiuntur, ac si studiose ab aliquo accensæ custodirentur. Jadrenses vero sub aliquo tempore ex ecclesia, ubi corpus beati viri requiescit, minis invalescentibus extrahere contendentes linteamina & alia, quæ in apparatu basilicæ distenta fuerant & sunt, ibi percussi sunt, de ecclesia aliqui dilaniare, distrahere & rapere sive extrahere non potuerunt. Theotonici vero, qui viderunt paratam domum, magno cum exercitu ad eam descendere festinarunt, & divino spiritu quidam accessit, & liberavit domum, ad quam nullus eorum intrare potuit, & illæsa sic domus permansit. Angelorum vero chorus ibi multoties visi sunt in nocte, inter quos aspectus beati Gaudentii visibiliter apparuit, cantantes canticum Domino. Jam vero imminente die transitus ipsius, vocavit ad se fratres & discipulos totius congregationis, & Cruce in manibus suscepta, adoravit osculo oris sui, & data cunctis pace, videntibus & astantibus omnibus assumptus est ad cœlum ex corpore kalendis junii ...... ubi tumulatus est, & ibi multa præstantur beneficia; præstante Domino nostro Jesu Christo, cui sit honor & gloria in secula seculorum. Amen.* Ex hujusmodi narratione ætas scriptoris manifestatur, qui ad ea tempora vivebat. Mulier *Humana* a dæmone abrepta & liberata ex Humanatense urbe erat, parum dissita ab Anconita-

conitana. Ubi vero legitur, quod ad sancti Gaudentii tumulum accurrebat multitudo non solum *Anconiensium & infirmantium*, legi fortasse potest *Anconiensium & Firmanorum*, cum Firmum haud multum distet ab Ancona.

ANN. CHR. 1050.

De sancto Gaudentio Absarense monacho, inde patriæ suæ episcopo, & iterum monacho jejune admodum agit Godefridus Henschenius tomo I. Sanctorum [a] junii, ubi manifesto etiam errore Ferrarium exscribens Arbensem in Dalmatia episcopum ipsum facit, & cum in Petro Damiano clare haberi Absarensem episcopum Gaudentium animadvertat, subdit: „ Sedem ibi fuisse episcopalem, necdum potuimus uspiam legere, nisi jam „ citato Petri Damiani tractatu. " Verum ex Lucio, quem pariter laudat, quique plures nominat Absarenses episcopos, id apprime intelligere poterat Henschenius. Confessoris tantum titulum ei tribuit Ferrarius [b] dicens: „ Arbæ in Liburnia sancti Gaudentii confessoris; " & de ea urbe hæc habet in notis. „ Urbs est episcopalis insulæ Illiricæ, vulgo etiam „ Arbe a Senia parum distans. " In catalogis mss. ecclesiæ Absarensis Gaudentii obitus refertur ad annum 1044. & ante biennium ejus monachatus; socii quoque ei tribuuntur, Liberius quidam seu Oliverius, & Pancratius ejus frater, qui postremus etiam, ut Sanctus coli dicitur intra marmoreum sepulcrum in ecclesia Anconitana. Legitur in iisdem catalogis anno 1177. Venetis Anconam obsidentibus sublatum fuisse corpus sancti Gaudentii ex monasterio Portus-novi, atque annorum octuaginta-trium spatio sub terra tumulatum jacuisse in loco appellato Portus-bonacia prope Absarum; anno demum 1260. sollemnem indictam fuisse ipsius corporis translationem ad urbem Absarensem, & super altare princeps ecclesiæ cathedralis depositas fuisse ipsius exuvias; alii tamen referunt translationem corporis sancti viri e cœnobio Portus-novi ad aliud sancti Petri Absarensis urbis ad annum 1317. Festum sancti Gaudentii celebratur die prima junii, dies autem translationis vigesima-octava januarii, inventionis vero die trigesima julii.

a P. 134.

b Catal. SS pag. 226.

XLVI. Albizoni religioso viro privilegium concedit Leo papa IX.

Leo papa IX. hoc anno Albizonem religiosum virum ditat honorifico privilegio, quo sub apostolicæ sedis protectione recipit *monasterium beatissime matris ...... Marie situm in Aretina diecesi*. Quis fuerit hic Albizo, & quale monasterium hocce, inquiritur. Putant aliqui Albizonem fuisse eremitam illum Camaldulensem, quem consiliarium sibi adhibuit Immo episcopus Arretinus anno 1045. in distributione plebium sui episcopatus, eique traditam tunc fuisse plebem sanctæ Mariæ arbitrantur; hunc insuper defuncto Petro Dagnino anno sequenti 1051. successisse in regimen eremi Camaldulensis. Pariter monasterium sanctæ Mariæ situm in Arretina diœcesi illud creditur fuisse sanctæ Mariæ *in Gradibus*, sive *in Gradu*, vel *in Cratibus*, aut *in Graticciata*, vel *in Craticulis*, quibus variis nominibus effertur cœnobium illud in chartis hujus ævi; licet alii putaverint designari in eo privilegio vel monasterium sanctæ Mariæ in Agnano, vel aliud sanctæ Mariæ de Pratalia, aut alterum sanctæ Mariæ de Paterno, vel etiam basilicam sanctæ Mariæ plebis Arretii. Illud unum scimus, monasterium hoc, quod Leo sub tutela sanctæ sedis recipit, ecclesiam olim fuisse primitivam, quam neglectam restauraverat supralaudatus Albizo. *Non enim*, inquit Romanus pontifex, *parum tibi in Domino inde congaudemus*, *quod ecclesiam illic primitivam*, *& olim celeberrimam*, *sed peccatis exigentibus jamdiu neglectam & omnino delapsam restruere*, *aliquantulumque reparare fueris conatus*, *tam patrimonii seu beneficii tui*, *quam etiam fratrum & consanguineorum tuorum*, *aliorumque religiosorum collationibus*, *quatenus inibi Deo deserviret perpetim ordo monasticus*. Si Albizo eremita Camaldulensis fuit reparator hujus ecclesiæ, necesse est, ut dicamus hanc reparationem ab ipso procuratam fuisse, antequam

ANN. CHR. 1050.

quam Camaldulensi familiæ nomen daret, cum aperte dicatur restructam ab ipso fuisse collatione *patrimonii & beneficii* sui. Ideo vero dicitur monasterium hocce *situm in Aretina diecesi*, non urbe, quia primitiva ecclesia Arretina extra urbem fuerat ædificata, teste Carolo Calvo imperatore, qui anno 876. requirens ab episcopo Johanne, *cur domus Dei sede pollens antistitis intra civitatis menia, more ceterarum urbium, non emineret?* pro responso accepit: *Sancti Donati martyris gloriosi videtur in hoc specialiter locus electus, quod monumentis omnibus ejusdem ecclesie pariter adstipulatur*. Hinc idem Leo eamdem ecclesiam laudans, *quam utique*, inquit, *conditor noster inter alia innumera nobilitavit, & honoravit fracti calicis & resolidati miraculo, atque glorioso beati Do[na]ti pontificis martyrio*. Locus igitur martyrii sancti Donati a priscis fidelibus honoratus fuit erectione cathedralis ecclesiæ. Cathedra episcopalis ex primitiva & suburbana sanctæ Mariæ ecclesiæ ad ecclesiam sancti Donati intra mœnia videtur translata tempore episcopi Theodaldi, cum in charta anni 10[3]2. legatur: *Albertum episcopum Aretinum a fundamentis construxisse, atque ad medietatem deduxisse, Theodaldum vero perfecisse ecclesiam sancti Donati*. Etiam Guido Arretinus in epistola nuncupatoria sui Micrologi circa annum 1026. laudat eam ecclesiam *mirabili schemate* constructam a Theodaldo. Notæ chronicæ privilegii Leonis ad Albizonem sunt istæ: *Datum* IIII. *kalendas junias per manus Petri diaconi bibliothecarii, & anno domni Leonis* VIIII. *pape secundo indictione* III. quæ pertinent ad annum præsentem, quare errore typographorum facile factum fuerit, ut Lamius in notis ad Leonem Urbevetanum dixerit: „ Heic edere lubet diploma quoddam Leonis [a] hujus, quo anno M.LI. privilegium & immunitatem monasterio sanctæ Mariæ in Gradibus in Arretina diœcesi constituto concedit, cujus quidem apographon eruditioni ac liberalitati nobilis viri Marii Florii me debere profiteor. " Præter Lamium idem Leonis privilegium, curante Grandio nostro, sub hoc anno 1050. produxerunt [b] Muratorius & [c] Orlendius. Nos ipsum manu nostra descriptum ex autographo, quod in eodem Arretino nostro monasterio religiose custoditur, correctius, suppletis alicubi ceterorum lacunis, iterum edimus in Appendice.

a *Delic. eruditor. Ann.* 1737. *p.* 183.

b *Antiq. med. ævi T. V. col.* 1019.

c *Orbis Sacer P. II. Lib. III. p.* 1357.

XLVII. Chartæ Pratalienses.

RAINERIUS & Guido fratres filii Berardi refutant per fustem in manibus Dominici abbatis Pratalienfis medietatem mansi de *Frassineta*, & mansum de *Osignana*, & partes decimæ casalis *Peza cum tanta terre quantitate, quanta fuerit judicata per Callimarino & Johannem de Udeniza*; & e contra prædictus abbas refutat eis alteram medietatem de præfata sorte de *Frassineta*, quæ recta fuit per filios Ursi Gospi, & portionem terræ in casali Ajole, quam habebat per chartam Rodulfi filii Suppi. Tenetur autem Dominicus abbas eisdem dare chartam Rodulfi, & propter mutuas refutationes acceperunt pars una ab alia *launechild meritum librarum triginta*. *Actum in casali Coreza juxta ecclesiam sancti Andree in presentia Bonefantis, Rainerii & Guidi, Guinizi, Corbizi, Lapi, Paganelli &c. manu Azi notarii*. Hæc ex summariis Baroncinii.

ANN. CHR. 1051.

Damiani opusculum contra episcopum monachos ad seculum revocantem.

CIRCA hunc annum referendum censemus Damiani opusculum [d] contra quemdam episcopum, qui monachos ad seculum revocabat. Nuncupatum illud fuit Ghislerio Auximano episcopo, paullo postquam Romanæ synodo ipse Petrus Damianus interfuerat, Ghislerio minime præsente, sed infirma tunc valetudine impedito, in qua synodo cum summo pontifice Damianus colloquium tenuit de hac monachorum ad seculum defectione. De quanam tamen synodo sermonem habeat Damianus, nunc inqui-

d *Opusc. XVI.*

quirendum; non profecto de synodo Romana celebrata sub Clemente II. quia tunc Auximanam cathedram tenebat episcopus ille nequam, de quo agit ipse epistola III. libri I. ergo loquitur de alia synodo habita tempore pontificatus Leonis IX. & quidem post mortem Auximani perditi episcopi, ac tempore ipsius successoris Ghislerii, qui potuisset huic synodo interesse, sed morbo præpeditus absuerat. Verba ergo Damiani respiciunt annos 1049. aut 1050. vel 1051. quibus tres congregatæ fuere contra simoniacos synodi Romanæ, quarum ipse meminit in libro [a] *Gratissimo*, ubi etiam decretum adversus ipsos [b] recitat, atque de his agit insuper in epistola [c] contra incontinentes clericos ad Cunibertum. Neque ad annum 1059. retrahendum est opusculum hocce, ut asserere placuit Mabillonio, cum in calce [d] hujus operis Damianus se non esse *coepiscopum* clarissime confiteatur, & initio [e] hujus opusculi affirmet *ultra sui ordinis metam sacerdotis sermonibus non sacerdotalibus obviare* se compelli, & quamvis *contra episcopum loqui superbum* esse fateatur, tamen ad talia conticescere consensum esse dicat adhibere. Anno autem 1059. non solum coepiscopus fuisset Damianus, sed insuper Romanæ ecclesiæ cardinalis; ergo ad eum annum nullo modo pertinere potest præfatum opusculum. Romanus pontifex *vir sanctissimus* hic appellatus, Leo nimirum IX. de hac re admonitus a Damiano, Ghislerio Auximano episcopo literas dederat, ut hos prævaricatores monachos ad primum propositum revocaret, & rebelles, si qui forent, anathemate feriret. Sed quia in eodem concilio repererat Damianus *Guidonem Numanum episcopum*, (melius Humanum, vel Humanatensem, Auximano episcopatui vicinum, cum nulla Numana sedes in Italia reperiatur; Cumanum seu Comensem per errorem scripsit [f] Mabillonius) ipsi scilicet Guidoni dure succensuerat, qui *incitamenta præbere huic vitio dicebatur;* verum Guido *vir dignæ humilitatis & patientiæ*, & non solum sacris eloquiis, sed etiam liberalium artium studiis eruditus (hoc eum ornat elogio Petrus) Damiani correptionem patienter tulerat, sed simul Dei testimonium invocando, hanc objecti criminis calumniam disertissime a se propulsaverat, atque in Damiani opinionem, quinimmo defensionem descenderat. Sed licet Guido innocens repertus fuerit, alium tamen episcopum convincendum sibi proposuit in hoc ad Ghislerium opusculo Damianus, quem *Maurum* appellare illi libuit, & contra quem facundissime invehitur. Hæc porro defectio monachorum in ea Piceni parte contigerat ante biennium, & similiter hujusmodi nuncius Damiano [g] in *angusto cellulæ suæ latitanti* allatus fuerat. Auximi declamationem hanc scripsit sanctus vir, ut ipse asserit, atque in ea demonstrat monachum semel susceptum religionis habitum non posse propter ægritudinem, aliasve quascumque causas abjicere, contrariamque opinionem impiam, sacris canonibus & conciliorum statutis adversantem firmissimis rationibus comprobat. Ex dictis videtur corrigendus Ughellius [h] in episcopis Humanatensibus; & ante Guillielmum, qui invenitur Humanæ episcopus in diplomate Victoris papæ II. ad favorem Aprutini episcopi sub anno 1056. & pariter ante Ugonem, qui subscripsit concilio Romano anni 1059. reponendus est Guido, qui & reperitur sedisse in synodo Romana Benedicti papæ IX. anno 1044. nisi fortasse, & Guido, & Guillielmus & Ugo unus & idem sint episcopus scriptus per initialem literam V. quæ & Vidonem, & Ugonem, & Villielmum potest significare.

XLIX. Aliæ ipsius epistolæ & opuscula.

Idem Ghislerius profecto fuit episcopus ille Auximanus G. cui inscriptas habemus sequentes duas [i] Damiani epistolas. Denuntiaverat sæpius Ghislerio Damianus, ut mundi vanitatibus nuntium remitteret, & in monaste-

[a] Cap. 1.
[b] Cap. 27.
[c] Opusc. XVIII. cap. 7.
[d] Opusc. XVI. cap. 9.
[e] Cap. 1.
[f] Annal. T. IV. p. 588.
[g] Opusc. XVI. cap. 1.
[h] T. I. col. 744.
[i] Lib. IV. epist. 4. 5.

Ann. Chr. 1051.

nasterium se reciperet, eodem modo, quo idipsum egerat paucis ab hinc annis cum Adam episcopo Foro-sempronienſi; verum Ghislerius de die in diem differebat sui propositi executionem. Occasione plurium defunctorum, quos Damianus reperiit, postquam ab Auximo discesserat, & ad partes suas se receperat, persuadet ipsi, ne ulterius moras nectat; quod si prompto animo id peregerit, se servum, se filium, se vilissimum famulum, quamdiu vixerit, exhibet. Secunda autem epistola ultimum ac terribilem diem judicii describit, & ante oculos ejus ponit.

a Ibid. epist. 2.

B. episcopo gratias habet [a] Damianus ob collata sibi plura liberalitatis beneficia, monet tamen, ut quam maxime caveat, ne bonum eleemosynarum, cui operam dabat, destruatur a vitiis & a libidine. Clericos duos ad ordinem diaconatus promovendos mittit, qui se a suo episcopo facultatem accepisse fatebantur alterum episcopum adeundi, atque rogat, ut consecratio gratis, sicuti dignum est, conferatur.

b Lib. VII. epist. 15.

Non serius hoc anno data fuerit ab eodem Damiano epistola [b] ad B... hoc est ad Bonifacium ducem & marchionem Thusciæ, cum obierit Bonifacius *venenato* infixus *jaculo*, ut ait Arnulphus Mediolanensis, anno sequenti. Ipsum imprimis hortatur, ut præsentia nihili faciens ad futura dumtaxat tota mentis suæ cogitatione feratur, & post hæc enixe precatur, ut adjutricem *manum defensionis* porrigat *monasteriis*, *quæ* ei *sunt vicina*, neque permittat ipsa ab exercitus multitudine deprædari aut molestari, sed specialiter ipsi commendat suum sancti Vincentii monasterium, flagitans, ut prædia, quæ ab invasoribus detinebantur, legali jure eidem cœnobio restitui faciat. Videantur aliqua de invasionibus hujus monasterii ad annum 1064.

Ex his epistolis deducitur Damianum de episcoporum simul, & laicorum nobilium salute fuisse apprime sollicitum; verum his non contentus zeli sui affectum ad omnes, cujuscumque generis essent, personas extendebat. Adhortatur Bonum-hominem prudentissimum judicem Cæsenatem, ut dum secundarum rerum aura gaudet, non ad inania præsentis vitæ bona animum suum applicet, sed potius ad æterna mentem suam dirigat, præsertim extremi judicii diem sibi semper ante oculos constituat, eamque graphice describit [c]. Frequenter appellabantur Boni-homines illi, qui erant viri bonæ existimationis, cujus rei exempla habemus in charta apud Muratorium [d], & in altera penes nos ad annum 1036. ut proinde illud Boni-hominis attributum potius quam nomen credamus hujus Cæsenatis judicis.

c Epist. VIII. lib. 8.

d Antiquit. medii ævi T. II. col. 959.

e Epist. X. Lib. VIII.

Alterum legum doctorem Moricum nomine [e] admonet, ut a perjurio caveat; quod præstare poterit, si abstineat omnino a juramentis, quæ ab ejus corregionariis sacrilego ritu frequentabantur. Pariter ipsum inflammat ad eleemosynæ studium, cujus utilitates enumerat, & exempla affert *hesterno* die sibi relata a *viro honestæ vitæ Richardo* sui monasterii priore, nimirum Camporizani, seu sancti Bartholomæi de Campo-regio, quod positum erat in territorio Eugubino. Morici nomen videtur Camerinense.

f Lib. VIII. epist. 14.

Sorores suas Rodelindam & Sufficiam, ambas maritis orbatas, ad servandam non solum corporis, sed & mentis puritatem, cogitationesque immundas omni studio devitandas excitat [f] Damianus. Ad utramque autem munditiam obtinendam adjumento esse poterunt pœnitentia in tribulationibus, oratio numquam intermissa, frequens peccatorum expiatio, mansuetudo in persecutores, misericordia in pauperes, & demum curarum secularium perfecta ablegatio. Optima pro instituendis viduis epistola.

g Opusc. LVIII.

[g] Ad Bonifacium virum prudentissimum scribens differit de vera felicitate ac sapientia, veram prosperitatem a falsa distinguit, & humanarum

rerum

rerum scientiam inferiorem esse divina sapientia, illamque isti semper ancillari oportere optimis rationibus demonstrat.

Nullis pariter chronicis notis signata sunt [a] expositio mystica historiarum libri Geneseos, sicut nec opusculum [b] de fide catholica ad Ambrosium. Hunc Damianus appellat *sanctæ spei dilectum filium*, *notissimum sibi per unanimem fraternæ dilectionis affectum*, qui *inter nova suæ conversationis rudimenta* ab ipso expetierat *fidei fundamentum*. In calce vero habet: *Hæc itaque de fide catholica disputatio, fili carissime, satis est congrua, & mihi jam peracti fere cursus emenso, & tibi spiritualis militiæ gymnasium nuper ingresso*. Quæ verba provectiorem Damiani ætatem declarant, cum hoc opusculum conscripsit.

a *Opusc.* LX.

b *Opusc.* I.

L. Petrus Dagnigus prior Camaldulensis obit. Succedit Albizo.

Postremus hic annus fuit vitæ beati Petri Dagnini primi eremi Camaldulensis prioris, postquam triginta & novem annis ab ejus loci erectione, & viginti-quatuor ab obitu Romualdi, religiosam familiam illam sanctissime rexisset. Pia verba fratribus congregatis facta videntur potius rethoricus excursus [c] Fortunii nostri, qui ejus gloriosam dormitionem ad IV. nonas novembris refert. „ Eremitæ communi voto Albizum multa re„ ligione & observantiæ eremiticæ cultu præstantem, licet diu renitentem, „ illi suffecerunt, qui tam spirituali quam temporali sacri loci splendori & „ incremento maximopere per undecim annos incubuit, “ subdit idem Fortunius. Ni Albizo, qui fuit secundus prior Camaldulensis, fuerit etiam rector monasterii sanctæ Mariæ in diœcesi Arretina, de quo anno præcedenti verba fecimus, saltem videtur fuisse idem cum Albizone eremita Camaldulensi, cujus consiliis diximus ad annum 1045. uti consuevisse Immonem episcopum Arretinum. Hoc anno in tabulario Fontis-boni inter chartas mutilas [d] reperitur Albizonis nomen in pagina donationis prædii positi in plebe sanctæ Mariæ de Partina in casalibus *Monte* & *Sparena*, quam fecit Varinus filius Petri & Berta ejus uxor *domno Albizoni priori Campi amabilis & Fontis boni*.

c *Par.* I. *lib.* I. *cap.* 47.

d *A.* I. 5.

LI. Donatio ecclesiæ S. Michaelis de Camenza monast. Pratalienſi facta.

Plures videntur fuisse patroni ecclesiæ sancti Michaelis archangeli de Camenza, quam sub annis antecedentibus vidimus monasterio Pratalienſi oblatam fuisse a suis possessoribus juxta portionem juris-patronatus, quo gaudebant. Hoc anno Ubertus presbyter, Farolfus & Petrus fratres filii quondam Petroni tradunt *in usum & sumtum fratrum monachorum*, eidem cœnobio & Dominico abbati *integram portionem*, *que est sexta pars de eadem ecclesia, quia ex antiquis parentibus nostris edificaverunt aula oratoria & oratorium*: *Anno incarnationis millesimo quinquagesimo primo*, *Einrigo gratia Divina magnus imperator augusto anni imperii ejus quinto*, *mense octuber indictione quinta*, quæ exordium sumpserat a mense septembri. Chartam hanc ex tabulario Camaldulensi referimus in Appendice.

LII. Leonis pp. IX. privilegium concessum abbatiæ Gorgonensi.

Bonus olim sancti Michaelis in burgo Pisarum, inde monasterii in insula Gorgona abbas, amplissimum hoc eodem anno privilegium pro suo cœnobio *sancte Dei genitricis ac virginis Marie in insula Gorgona*, *ubi etiam corpus beati Gorgonii requiescit*, obtinuit a Romano pontifice Leone IX. Monasterium hoc, ut habetur in ipso diplomate, *sicut in sancti Petri privilegiis legitur*, *sub jure & ditione sancte matris Romane ecclesie* consistebat. Confirmat itaque Leo Bono abbati & ejus successoribus cœnobium una cum prædicta insula, *ut semper sint monachorum habitacula*, *ne fiat spelunca latronis*, *que prius fuit domus orationis*. Nostris temporibus pene nullum monasterii in ea insula superest vestigium; ecclesiam & bona ipsius obtinent modo patres Carthusienses prope urbem Pisarum, quorum etiam prior abbatis nomen assumit ob titulum, quo fruitur, abbatis Gorgonæ.

Ann. Chr. 1051.


gonæ. Statuit insuper idem Romanus pontifex, ut *numquam abbas in eodem cenobio ordinetur pro pretio, sed qui secundum regulam sancti Benedicti, cum fratrum consilio invenitur melior in ipso monasterio*, qui præterea *a Romano pontifice accipiat consecrationis benedictionem*. Privilegium *datum* fuit XVII. *kalendas novembris, per manus Federici diaconi sancte Romane ecclesie bibliothecarii & cancellarii vice domini Herimanni archicancellarii & Coloniensis archiepiscopi anno domni Leonis* VIIII. *pape* III. *indictione* IIII. Federicus idem est, qui postea abbas Casinensis, inde summus pontifex evasit sub nomine Stephani IX. Herimannus archiepiscopus Coloniensis, ut archicancellarius erat Henrici imperatoris, ita etiam archicancellarii officium obtinebat apud Leonem IX. Sic pariter Annonem archiepiscopum itidem Coloniensem Alexandri II. Romani pontificis archicancellarium fuisse scimus; & cancellarii ac bibliothecarii S. R. E. privilegia scribebant Romanorum pontificum ad vicem eorum archicancellariorum imperialium, sicut ad horum vicem scribebant alii cancellarii in diplomatibus imperialibus. Integrum privilegium Leonis IX. Bono concessum ex Ughellio & ex apographo bibliothecæ sancti Michaelis Pisarum damus in Appendice.

Johannes Langobardus [a] infirmus offert monasterio sanctæ Mariæ de Pratalia & ecclesiæ sancti Clementis in urbe Arretina, quæ erat eidem abbatiæ subjecta, Ildibrandulum nepotem suum, ut ad monasticum ordinem recipiatur; mansum insuper donat positum in casali *Saturno infra plebem sancte Marie in Gradis, & clausuram cum domo sita intra civitatem Aretinam prope ecclesiam sancti Andree*.

a *Arch. S. Mariæ in Gradib. n.* 5.



ANNA-




ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER QUARTUS-DECIMUS.

Ab anno CHRISTI M. LII. *ad annum* M. LVI.

ANN. CHR. 1052.

I. Damianus scribit librum, cui titulus Gratissimus.



HENRICO vice-cancellario Henrici imperatoris, qui noviter susceperat sacerdotium, scilicet per mortem Humfredi defuncti IX. kalendas septembris anni præcedentis electus fuerat archiepiscopus Ravennas, librum, cui titulus *Gratissimus*, inscribit hoc anno *vivificæ Crucis Christi humillimus servus* Damianus, qui eodem tempore in urbe Ravenna degebat, ibidem constitutus *propter Romani populi necessitates creberrimas*, ut colligitur ex ejus congressu, quem tunc habuit *cum Germanio, qui se presbyterum asserebat, atque Lupensio, qui se dicebat diaconum* [a]; hi autem asserebant, *se quidem ecclesias* in Henrici archiepiscopi *constitutas parochias tenere, sed ejus communionem non potuisse mereri, ea videlicet ratione, quia Rusticus quidam nomine iterata ordinatione presbyterium suscepisset*. Ostendit autem in hoc tractatu sanctus doctor non esse eos, qui a simoniacis episcopis una vice consecrati sunt, iterum consecrandos; quare cum hæc opinio gratissima & jucundissima futura speraretur iis, qui ordinationem simoniace susceperant, liber meruit appellari *Gratissimus*. Jam *per triennium*, inquit, *in tribus Romanis conciliis*, licet maximo calore agitata, numquam tamen decisa pependerat hæc controversia, confusa admodum atque perplexa, *& crescente fluctuationis ambiguo, eatenus fuerat processum, ut nonnullos constet episcopos ab illis ordinatos clericos simoniacos iterum consecrasse*. Pariter Leo papa IX. in postrema synodo Romana *omnes episcopos ex divina obtestatione rogaverat, quatenus Dei misericordiam in commune deposcerent, ut quid super hoc scrupuloso negotio decernendum esset, nutantibus revelaret*. Damianus, qui non erat episcopus, facultatem scribendi super hac controversia efflagitare cupiebat ab ipso summo pontifice, qui Ravennam in proximo transiturus ferebatur, sed demum fratribus quibusdam exigentibus, pontificis maximi permissionem interpretatus, sese ad opus, & ad quæstionem illustrandam accinxit. Pluribus itaque argumentis in medium productis, auctoritatibus quoque san-

a *Opusc. VI. cap.* 33.

Ann. Chr. 1052.

sanctorum Patrum allatis confirmat sententiam suam, pleraque insuper vetera & nova exempla colligens nequissimorum episcoporum, quorum tamen ratæ habitæ fuerant ordinationes. [a] Capite XVIII. per indignos etiam sacerdotes sæpe exhiberi miracula demonstrat exemplis recentibus Raimbaldi episcopi Fesulani uxorati simul & simoniaci, qui, attestatione hujusce rei sibi facta a *Rozone magistro cantorum*, *Florentinæ ecclesiæ presbytero*, *viro apprime litteralibus studiis erudito*, *in magno clericorum suorum conventu*, *præsente quoque reverendissimo domino Gerardo suo episcopo*, dæmoniacam liberaverat; præterea *Marini presbyteri patris reverendissimi atque honestissimi viri Eleuchadii abbatis monasterii beatæ Dei genitricis Mariæ juxta Faventinæ urbis mœnia*, qui aqua a se sanctificata, vermiculorum, erucarum & locustarum damna a frugibus avertebat; cum vero in iniquos usus, sine Marini cognitione, usurpata fuisset eadem aqua a Hieremia ejusdem domino, ultio statim divina in usurpatorem secuta est; quique etiam puellam a lupo asportatam fide sua ab ejus faucibus eripuerat; *presbyteri* insuper *alterius*, *fratris reverendissimi viri Gerardi abbatis monasterii sancti Donati in suburbio Imolensis oppidi*, qui a serpentibus percussos incolumes reddebat aquæ a se benedictæ virtute; tertii denique presbyteri, qui gallinam sibi ereptam ab accipite, sanam sibimetipsi restitui obtinuerat, arroganti præterea imperio facto, ut id obtineret, Sancto illi, cujus nomini dedicatam regebat ecclesiam.

[a] Ibidem pag. 54.

II. Raimbaldi ep. Fesulani historia illustratur.

Raimbaldi episcopi Fesulani memoria habetur apud [b] Ughellium ad annum 1017., quo ecclesiam sancti Martini Florentiæ constructam Tegrimo nepoti donavit, qui eam postea in jus abbatiæ Florentinæ transtulit. Ejus quoque temporibus notat idem Ughellius Fesulas penitus eversas fuisse, circa annum nimirum 1010. Nec plura de illo in Italia Ughellii, neque in ipsius illustratoribus, quos proinde supplere possumus his Raimbaldi historiis petitis ex Damiano, qui eodem capite de ipso subdit, *quod per pecuniam pontificatus culmen obtinuit*, *sed & vix aliquando gratis aut clericos aut ullas consecravit ecclesias*. *Quod præter alias unam habebat publice ac familiarius adhærentem*, *& tamquam legitimæ desponsationis uxorem*, *quorum filii & filiæ adhuc plures extant*, *& fœderati conjugio*, *& succrescentibus liberis cumulati*. Liberatio dæmoniacæ, quam Damiano narraverat Rozo, sic contigit. Ducta fuerat hæc mulier ad ecclesiam episcopatus Florentini. *Adjuratus dæmon*, *ut exiret*, *respondit*, *quia a Romulo dumtaxat deberet expelli*. *Hoc audientes miseræ mulieris comites*, *mox ad Fesulanam properant festinanter ecclesiam*, *ibique ante altare beati Romuli divinam misericordiam præstolantur*. *Sed & illic inquisitus dæmon respondit se nullatenus egredi*, *nisi Raimbaldus adveniret episcopus*. *Cumque præfatus episcopus venire satageret*, *dicebat interim dæmon*: *Veh*, *ecce episcopus*, *nunc ascendit equum*, *ecce illic in tali loco jam est*, *ecce ante illam vel illam domum modo pertransit*, *& illi notantes loca probabant cuncta sic se habere veraciter*, *sicut mendax spiritus asserebat*. *Tandem episcopus veniens*, *invocato Christi nomine*, *ab obsesso corpore malignum spiritum protinus expulit*, *& mulierem ad propria liberam incolumemque remisit*. Addit etiam Damianus, quod *cum tantæ pravitatis esset Raimbaldus*, *ut & laicus ejus frater honestæ & modestæ vitæ cum eo familiaritatem habere minime dignaretur*, *signorum tamen virtutibus adeo coruscabat*, *ut in dedicatione unius dumtaxat ecclesiæ quinque coram omni populo dæmoniacos curasse constanter a perhibentibus asseratur*, *sed quia non suis sed alienis miraculis claruit*, *ad obitum veniens*, *ultrici ante ignem igniti corporis animadversione signavit*. *Pabula siquidem perniciosæ uredinis in pede ejus pestilenter exorta*, *sic totam plantam*,

[b] T. III. col. 219.

plantam, tibiam, coxamque cum inguine simul & genitalibus comprehendit, ut usque ad vitalia serpendo procederet, & velut aridi materiam stipitis viscera ejus interna depascens, occultis eum vaporibus conflagraret, quatenus hic jam primitivus ignis accenderet, quem flamma postmodum numquam deficiens absorberet; tam quippe intolerabilis atque immanissimi languoris nimietate constrictus, nec dignam cognoscitur pœnitentiam suscepisse, nec mulierum a se contubernium, quarum etiam tunc impudenter uti ministerio non verebatur, voluit absentare.

ANN. CHR. 1052.

III. De Eleuchadio & Gerardo abbatibus. De sanctis viris a simoniacis ordinatis

De Eleuchadio abbate sanctæ Mariæ foris portam Faventiæ, quem nominat Damianus, mentio occurrit ante decennium, hoc est ad annum 1042. in charta adservata in tabulario ejusdem monasterii, qua Aimmoni abbati cœnobii sancti Adalberti in territorio Ravennate terras laborandas concedit. De ipso sanctæ Mariæ monasterio, in quo tumulata fuere postea ossa Petri Damiani, quodque Avellanensi eremo fuit deinceps donatum, aliqua imposterum occurrent dicenda in his nostris Annalibus. Monasterium vero sancti Donati erat in urbe Imolensi, ad honorem facile Donati civis Imolensis, & qui fuerat diaconus Projecti episcopi olim ejusdem urbis, dicatum, quem ut Sanctum etiam colebant, & colunt Imolenses cives. In bulla Eugenii III. anni 1151. apud Ughellium [a] inter cetera ecclesiæ Foro-corneliensis monasteria legitur: *Abbatia sancti Donati*. Hanc sub Urbano IV. cum suis juribus dono datam fuisse canonicis cathedralis ecclesiæ scribit chronici Imolensis auctor [b] apud eumdem Ughellium. Gerardus abbas hoc anno 1052. monasterii sancti Donati alius fuit a Gerardo abbate sanctæ Mariæ in Regula ejusdem urbis Corneliensis, nominato in tabulis anni 1084. a Rubeo [c], & in chartario [d] archiepiscopatus Ravennatis.

a T. II. col. 625.

b Ibid. col. 634.

c Lib. V. p. 309.

d F. 2110.

Sed ad Damiani opusculi illustrationem redeamus. Capite XXIX. exempla congerit nonnullorum venerabilium virorum a simoniacis ad ordines sacros promotorum, qui usque ad obitum offerendis indesinenter sacrificiis institerunt, miraculorum virtutibus insuper coruscantium, in quorum numerum ætate sua recensebantur *beati viri Rondaldus Camerinensis, Amicus Ramibonensis, Guido Pomposianus, Firmanus Firmensis, & quamplures alii, qui sanctæ conversationis studio floruerunt, super quorum veneranda cadavera ex sacerdotalis auctoritate concilii sacra altaria sunt erecta, ubi nimirum divina mysteria miraculis exigentibus offeruntur*. De his aliqua diximus ad annum 1032. Addit deinde, quod ab *Uberto Ariminensi reverendissimo & honestissimo præsule* didicerat; nimirum æquivocum prædecessorem ejus *Ubertum episcopum, teste provincia, in sacræ sedis acquirendæ commercio nongentas Papiensis monetæ libras appendisse, qui tamen postmodum beatum Arduinum, per quem Deus tot exhibet stupenda miracula, in presbyterum consecravit*; interrogaverat autem Ubertum II. Damianus, an *beatæ memoriæ vir* Arduinus sacra mysteria obtulisset? respondit autem Ubertus, *usque ad ultimæ decubationis articulum offerendo salutaribus hostiis sedulum insudasse*. Ubertus primus in Italia Ughellii [e] reperitur ad annum 1005. immo interfuisse existimatur anno 998. Romano concilio; vivebat etiam anno 1009. quo in templum sancti Gaudentii inferendum curavit corpus ejusdem beati Arduini. Ubertus II. successor primi, intermedio Monaldo, appellatur Humbertus ab eodem Ughellio.

e T. II. col. 419.

IV. De statutis synodalibus emanatis contra Simoniacos.

Capite XXVII. enarrat Damianus, quomodo *usque ad Henrici hujus clementissimi regis imperium, præsulatumque reverendæ memoriæ Clementis papæ, istiusque beatissimi Leonis apostolici, quo nunc videlicet præsule sancta se gubernari gratulatur ecclesia, per occidentalia regna virus simonia-*

cæ

Ann. Chr. 1052.

a Ibid. cap. 35.

cæ hæreseos lethaliter ebulliit; & quod Leo IX. [a] *synodalis vigoris auctoritate, cum omnes simoniacorum ordinationes cassasset, protinus a Romanorum multitudine sacerdotum magnæ seditionis tumultus exortus est, ita ut non solum ab ipsis, sed a plerisque diceretur episcopis omnes pene basilicas sacerdotalibus officiis destituendas, & missarum sollemnia funditus omittenda.* Tum subdit: *Quid plura? Post longa sane disceptationum hinc inde volumina, tandem suggestum est reverendæ memoriæ nuper ejusdem sedis episcopum decrevisse Clementem, ut quicumque a Simoniaco consecratus esset in ipso ordinationis suæ tempore non ignorans Simoniacum, cui se obtulerat promovendum, quadraginta nunc dierum pœnitentiam ageret, & sic in accepti ordinis officio ministraret. Quam nimirum sententiam protinus venerabilis Leo ratam percensuit, & sub hujusmodi pœnitentia omnes in acceptis officiis de cetero perseverare mandavit. Nam & nonnullos hodieque conspicitis, qui dum a talibus per diversos gradus fuerant ordinati, ab eodem summo pontifice ad episcopatus apicem sunt provecti.* Difluit deinde Damianus in Henrici imperatoris laudes, qui [b] *post Deum nos ex insatiabili ore draconis eripuit, & Simoniacæ hæreseos capita divinæ virtutis mucrone truncavit.* Sermonem demum convertens ad Henricum Ravennatem archiepiscopum, cui librum nuncupat: *Novi*, inquit, (loquitur de ecclesia Ravennate) [c] *quia ecclesia vestra ad instar apostolici senatus non tam numeroso, quam venerando ac mystico sanctorum episcoporum pollet ornata collegio, quorum videlicet studio ita rectam apostolicæ traditionis lineam servat, sic in puritate sincerissimæ fidei immobiliter perseverat, ut omni hæretica pravitate remota, novam illam, quæ sub apostolis fuerat, hodieque repræsentet ecclesiam, sive etiam sedem fidei ipsam videatur germinare Nicæam. Ex his itaque, quos visum fuerit, sanctitas vestra consciscat, & cum eis simul hoc opus, utrum catholicæ fidei, sanæque doctrinæ congruat, solerter indaget, prudenter examinet. Quod si liber hic venialiter reprehensibilis invenitur, vestra eum prudentia corrigat, & sic etiam beatissimo papæ, si per vos transierit, ut fama dispersit, ostendat* &c.

c Ibid. cap. 36.

b Ibid. cap. 38.

Henricum Ravennatem antistitem nuper promotum, atque ideo sibi ignotum, scripturarum habere scientiam putabat Damianus, qui libellum hunc ei obtulit, sed quia super hac quæstione postea sub Nicolao II. res ita expedita est, ut *hactenus a Simoniacis gratuito consecrati in adeptæ dignitatis honore persisterent, nedum vero promoti ab illis ad ordinem provehi de cetero licentiam non haberent*, modestissime hæc subdidit sanctus vir: *Proprias allegationes pervicaciter non adstruentes, sed synodalibus decretis humiliter obtemperantes, apostolicæ sedis edictum, vel quod jam promulgatum est, sequimur, vel si quid adhuc elimatius atque salubrius imposterum statuendum est, obedientiam profitemur.* Hæc verba addidit opusculo suo Damianus post Nicolai II. in concilio anni 1059. definitionem.

V. Libellus Damiani de parentelæ gradibus. Aliqua de Johanne Cæsenate ep.

d Opusc. VIII.

Referendus verisimiliter est ad hunc eumdem annum libellus sancti doctoris [d] *de parentelæ gradibus*, conscriptus rogatu Johannis Cæsenatis episcopi & D.D. archidiaconi Ravennatis; de ea enim re scripsit paullo post adventum suum Ravennam, sicut colligitur ex hoc initio: *Ravennam, ut nostis, nuper adii, quam mox periculosi erroris scrupulo turbatam vacillare cognovi; atque jam res eo usque processerat, ut sapientes civitatis in unum convenientes, sciscitantibus Florentinorum veredariis, in commune rescripserint, septimam generationem canonica auctoritate præfixam ita debere intelligi, ut numeratis ex uno generis latere quatuor gradibus, atque ex alio tribus, jure in matrimonium posse contrahi videretur.* Et quidem Damianus *nudis verbis ista dogmatizantibus* prius restitit, sed nunc supradictorum

ANN. CHR. 1052.

ctorum rogatu scriptis tradit, quod ore olim docuerat. Damianus ter hactenus Ravennam se contulerat, sub Gebehardo primum ab ipso invitatus anno 1043. sub Humphredo anno 1047. *ad procuranda lucra animarum*, & hoc demum anno 1052. *propter creberrimas populi Romani necessitates*. Licet Mabillonius [a] consignet opusculum hocce ad annum 1043. concertatio tamen de parentelæ gradibus invaluisse videtur potissimum his postremis temporibus, nam anno 1065. habitum fuit concilium Romanum sub Alexandro papa II. contra imperitos jurisconsultos, qui male numerabant gradus consanguinitatis, & finis hujuscemodi liti fuit impositus. Videndæ etiam [b] epistolæ ejusdem Alexandri ad omnes episcopos Italiæ, & ad Neapolitanos. Certe non est ulterius differenda hæc Damiani exercitatio, cum Johannes, qui ex monacho creatus fuerat anno 1042. juxta Ughellium, sed juxta chartas archiepiscopatus Ravennatis ante annum 1031. episcopus Cæsenas, locum fecerit circa annum 1057. Desiderio juxta eumdem [c] Ughellium. Anno sequenti 1053. testis fuit idem Johannes apud Ariminum consecrationis factæ per Leonem papam IX. Petri episcopi Aniciensis, & Henrici archiepiscopi Ravennatis, ut ex codice Aniciensi legitur apud Mabillonium [d]. Disceptat autem idem Damianus contra ICtos, qui gradus consanguinitatis ex latere descendentium ad septimam generationem numerabant, quos tamen canonica, & etiam divina lex in quarta generatione constituit. Addidit subinde sanctus doctor aliam dissertationem sive postulationem, ejusdem fere argumenti, scribens S.. religioso presbytero, ac ab eo exquirens, *an in cognationum generationibus numerandis una semper debeat abundare persona?*

Ejusdem Johannis Cæsenatis episcopi impulsu scripserit forte Damianus etiam vitam sancti Mauri episcopi itidem Cæsenatis. In ea [e] habetur animadversione dignum *papam Gerbertum juxta Cæsenam castrametatum fuisse, ejusque oppidum circumfusi exercitus obsidione vallasse*, & miraculum eo temporis ad beati Mauri tumulum contigisse. Maurus episcopus, cujus vitam scripsit Damianus, confundendus non est cum alio seniore ejusdem nominis, qui VII. ecclesiæ seculo ex abbate Classensi sanctorum Johannis & Stephani ad Cæsenatem sedem vocatus fuit, ut plures faciunt, inter quos Baronius; præterea Mabillonius [f] tempus sedis Mauri ignoratum fuisse a Petro Damiano asserit, cum tamen aperte centum præterpropter ante ætatem suam annis floruisse Maurum II. affirmet idem Damianus. Temporibus enim Damiani vivebat *Theuzo monachus*, *grandævus* quidem, & *ipsa canitie venerandus*, *antiquus admodum*, *& corpore marcescente jam tremulus*, *qui testabatur se vidisse hujus beati Mauri nepotem*, *Constantium videlicet nomine*, *episcopum Cæsenatis ecclesiæ*.

Ad eumdem etiam Johannem Cæsenatem facile pertinet epistola [g], quam aliquando Damianus scripsit cuidam episcopo nomine Johanni, qua aliquot suos libellos dono mittit; quem etiam ad contemptum rerum humanarum adhortatur, appetere insuper se ejus amicitiam testatur, & nonnulla ad salutem animæ utilia optat cum illo communicare, quare præfigi sibi mutuæ hujus collocutionis tempus post paschalem sollemnitatem orat. Ceterum Johannes Cæsenas anno 1042. Gebehardi Ravennatis archiepiscopi consilio, ad communem vitam clerum suum adduxerat. Mutilam chartam episcopalis seu potius synodalis decreti pro canonicorum reformatione produxit [h] Ughellius; nos autographam ipsam & integram exscripsimus ex tabulario canonicorum ejusdem ecclesiæ, quam in Appendice publici juris facimus, præsertim cum laborasset plurimum annis præcedentibus, teste Damiano, Romualdus, laboraret autem præsentibus annis Damianus, teste Johanne

a *Annal. T. IV. pag.* 448.

b *Epist. apud Labbeum Concil. T. XII. col.* 91. 97.

c *T. II. col.* 448.

d *T. IV. Annal. pag.* 743.

e *Cap.* III.

f *Annal. T. III. p.* 423.

g *Ep. VI. Lib. IV.*

h *T. II. col.* 447.

Ann. Chr. 1052.

hanne Laudensi, in canonicorum disciplina restituenda, & in Cæsenatum canonicorum reformatione partem facile habuerit idem Damianus.

VI. Ejusdem de Horis canonicis ad T.. virum clarissimum.

a *Opusc. X.*

Eadem pariter opportunitate, cum Ravennæ commoraretur Damianus, conscripsisse videtur opusculum [a] *de Horis canonicis* ad T.. virum clarissimum, cum quo collocutus fuerat in episcopali Ravennæ palatio, & post nonnulla hinc inde tradita & disceptata vivendi præcepta, tandem ad hoc processerat oratio, ut assereret Damianus *canonica septem horarum officia ab omnibus christianis fidelibus Deo quotidie quasi quoddam servitutis pensum debere persolvi*. Quod ore tunc protulerat, scripto nunc confirmat, & prius declaratis canonicarum Horarum origine & mysteriis, enumeratis etiam utilitatibus, hortatur virum clarissimum, ut aut ipse recitare non negligat, aut audire canonicas Horas non prætermittat. Officii pariter beatæ Mariæ virginis recitationem eidem magnopere commendat. In quodam exemplo, quod ibidem affert, nominat monasterium sancti Paterniani, quod in *suburbio Fanensi prope muros urbis* positum erat.

VII. Et de perfecta monachi informatione ad Marinum fratruelem.

b *Opusc. XLIX.*

Demum paullo post hoc tempus inscripserit opusculum [b] *de perfecta monachi informatione* Marino fratrueli suo, qui nuper in divinæ militiæ sacramenta juraverat, quemque ipse manibus suis sacro induerat schemate in Classensi cœnobio. Marinum adversus dæmonis insidias salutaribus armat monitis, ei mentis & corporis castitatem, sobrietatem, quæ est castitatis præsidium, mortis memoriam, corporis munditiem, temperantiam in victu, orationis studium, animi demissionem, obedientiæ virtutem commendat. Instruit, ut muliebrem conversationem fugiat, & nullis verborum fucis in congressibus utatur, silentium amet, confiteatur sæpe, ambitionem evitet, duplicitatem caveat, nobilitatem non jactet, affinium amorem moderetur, munera non ambiat, aliorum famæ non detrahat, per morbi simulationem singularem sui curam non affectet. Bonos imitetur, Scripturarum sacrarum studiis insistat, cibos esculentiores non quærat, & de rebus secularibus loqui abstineat. Occasione colloquii cum mulieribus historiam narrat monachi objurgati a sancto Romualdo, eo quod oculos fixerit ille in faciem comitissæ Sybillæ, quam historiam nos alibi attulimus. Ad ambitionem avertendam exemplum domesticum affert [c] *monachi in Classensi cœnobio sua ætate vicem prioris obtinentis, qui abbas ibidem fieri ardentissime concupivit, sed dum satagit, dum conciliabula cogit, dum fabricat, & versutiæ malleos infatigabiliter versat, in languorem decidens ad extrema perductus est, dehinc in phrenesim repente conversus, quod sciens mente conceperat, ore nesciens effluebat. Ecce, inquit, in proximo comprehendam, mihi dabitur monasterium, adest virga, accipiam & prævalebo. Inter hæc igitur verba defunctus, sinistram de se fratribus spem reliquit*. An-ne monachus hic idem est cum eo abbate Classensi, de quo Damianus loquitur in [d] vita sancti Romualdi? Melius tamen diversus est putandus, quia ille *per coemptionem simoniacæ hæreseos* abbatiam Classensem jam invaserat, hic vero, cujus meminit in præsenti opusculo, *ad abbatiam pervenire non potuit phrenesi correptus*. Ad parsimoniam ciborum Marinum allecturus Damianus, Romualdi verba & sententias producit: *Nec ineptus applices*, inquit, [e] *quod sæpe suis discipulis vir Domini Romualdus ajebat: Fratres cum in quorumlibet conventu reficitis, intentis ad cibum ceteris, in ipso refectionis initio parcite, & cum jam illis ex parte satisfactum fuerit, vos inchoate, quatenus & hypocrisis notam possitis evadere, & sobrietatis regulam sine offensione servare*. Pariter in medium adducit Martini decalvati Pomposiani monachi abstinentiæ exemplum, de quo nos ad annum 1040. Ultimo loco salvere jubet monasterii Classensis *sanctos fratres omnes* & præ-

c *Ibid. cap. VI.*

d *Vit. S. Rom. cap. XLI.*

e *Opusc. XLIX. cap. 9.*

& præcipue *Boninum* & *Petrum*, qui excelsius ceteris canebant, ad quos etiam distichon transmittit.

ANN. CHR. 1052.

VIII. Historia de Arduino claro & divite viro.

PERTINET quoque ad hunc annum, quod narrat Damianus [a] de quodam *Arduino* famosæ prudentiæ genere claro, & divitiis opulento, qui *certa devotione illi spoponderat, quod si ante non posset, saltem expleto decennio, ad monasterium beati Vincentii, quod videlicet in Urbinati constitutum est territorio, monachicum suscepturus habitum declinaret*. Porro Damianus anno 1042. incolebat monasterium illud. *Termino tandem*, prosequitur Damianus, *condictæ pactionis exacto, cum ego huic assiduus exactor insisterem, ille inde cedendo, blandiendo, verbis quidem bonum omne promitteret, ipsius autem conversionis effectum quibusdam tergiversationibus protelaret: Rector quoque jam dicti monasterii illius favebat votis, dissuadebatque converti, cujus nimirum pernecessariis sustentabatur auxiliis. Interea languore corporis irruente decubuit, peccata confessus judicio sacerdotis absolvitur, pauperibus & ecclesiis multa largitur, in tantum, ut cunctis quasi bene compositis, assistentes sibi cognatos & affines sub hac obtestatione constringeret: Obsecro, inquit, per caritatem, quæ Deus est, nemo me reddi huic mortali vitæ deposcat, ne, quod absit, imparatum postmodum mors improvisa reperiat. Aliquanto autem post ejus obitum tempore, prædicto abbati vir ille per visum nocturnæ quietis apparuit. Videbatur autem, quod in spatiosa quadam campi planitie imperator, si recte teneo, vel quælibet excelsa potestas cum totius regni primoribus, & copioso moraretur exercitu. Cumque ille stupefactus huc illucque oculos deduceret, ecce Arduinus a quibusdam tamquam custodibus celeriter ducebatur: Heus, inquit, siste gradum, fige pedem, quiesce paullisper, mihi non loqueris, Arduine? Age frater, quid tibi est? Lætaris, an pateris? adest pœna, vel gloria? Cui tristis & flebilis: Cur, ait, me de gloria consulis, qui jugibus pœnis afficior, & ne ad momentum quidem respirare permittor? Ad quem abbas: Quid tibi, inquit, beatus Vincentius, num tibi nunc in necessitate non succurrit, cui ad collaborandum suæ domus administratoribus tam sedulo decertasti? Cui mox ille subjunxit: Sanctus, ait, Vincentius diu me suum fecit sperare colloquium; sed quia dudum fatigatus hoc obtinere non merui, spem hanc, omnino jam frustratus, amisi. Ubi solerter attendendum, quam recta sit linea divinæ justitiæ, immo quam artifex apud Deum mensura vindictæ. Ille siquidem, dum adhuc viveret, convertendum se in monasterio beati martyris & promittebat, & differebat; nunc autem ad ejusdem martyris venire colloquium, & quasi ex promissione sperabat, & tamen nullatenus impetrabat. Dignumque fuit, ut abbas potissimum hanc cerneret visionem, qui ne converteretur, illi obstiterat.*

IX. Damiani opuscula de vili vestitu ecclesiasticorum ad Mainardum abb. & ad Honestum monachum.

MAINARDO fratri carissimo, qui pretiosioribus vestibus utebatur, opusculum [b] *de vili vestitu ecclesiasticorum* direxit Damianus. Mainardum hunc titulo *abbatis* decorat idem sanctus doctor alibi, idest Honesto ipsius monacho scribens; *ad epistolam*, [c] inquit, *quam venerabili abbati tuo Mainardo super hoc themate scripsi, prudentiam tuam dirigo*. Mentio cujusdam Mainardi abbatis habetur etiam in dissertatione [d] *de servanda fide Deo præstita* Attoni causidico a Damiano transmissa. Vivebat monasterii Pomposiani abbas Mainardus hoc anno [e], quo Leo papa IX. bulla sua apud Muratorium confirmavit varia ipsius cœnobii bona & jura. Nomen ejusdem Mainardi Pomposiæ abbatis occurrit in charta anno 1048. die 14. februarii indictione I. confecta, existente in tabulario monasterii sancti Benedicti Ferrariæ. Opusculum ergo Damiani probabiliter eidem Mainardo Pomposiano abbati inscriptum fuit, præsertim cum dicat: *Ego cum ceteris fratribus vilibus coram te fuimus contenti semper exuviis, dum feci prius ipse*,

a *Opusc.* XLII. *cap.* II.

b *Opusc.* XXIX.

c *Opusc.* XLVIII. *cap.* IIII.

d *Opusc.* XLII.

e *T. V. Antiq. med. ævi col.* 337.

Ann. Chr. 1052.

ipse, quod monui, quasi prius antidotum bibi, sicque te ad bibendum, quod propinaveram, provocavi; alludit nimirum ad contemptum vestium, quem exemplo proprio declaravit, cum in Pomposiano monasterio per biennium fuit conversatus, quo nimirum tempore sub Guidone abbate Mainardus erat monachus. Ceterum pluries Damianus ipsum increpaverat de vestium ambitione, scripturarum sententiis ab hujusmodi vano ornatu deterrere conatus fuerat, indumentorum nitori tartareorum ignium minas intentaverat, nunc autem circa hæc tempora ostendit, quam indecorum sit monacho speciositatem in vestibus appetere, & propositis exemplis Sanctorum, Veteris & Novi Testamenti, ac ipsius Salvatoris, leniter ad viliorem amplectendum vestitum inducit. An ad Mainardum pertinet Damiani distichon de illo, qui nutritus Arretii Pomposiæ abbas fuit:

Qui solet insipidis ventrem satiare lupinis,
Gutture nunc epulas ructat turgente marinas.

vel ad alios Mainardi in abbatia successores?

a Opusc. XLVIII.

Simili morbo laborabat Honestus Mainardi monachus [a], quem proinde invitat Damianus ad lectionem superioris opusculi, & insuper, quia nimio edacitatis & ciborum delectus studio tenebatur, ad spirituales epulas & delicias allicit, librum inscribens de *spiritualibus deliciis*. Hic videtur ex genere fuisse Honestorum Ravennæ, qui nomen dederit cœnobiticæ disciplinæ in proximo celebri Pomposiano monasterio, & Damiani suasu monasticam induerit cucullam; illi tamen hoc exprobrat sanctus vir, non ultroneum in militiæ spiritualis arma jurasse, cum nil forte, nil insigne, nil laude dignum dato nomine in tirocinii sacramento, quod professus est, gesserit. Forsan unus & idem est cum *Honesto olim clarissimo, secundum Ægypti hujus tenebras, viro*, cui *Antilogum contra Judæos* sanctus doctor inscribit [b]. Quisquis sit, Honestus postremus vocatur clarissimus vir; hic per Leonem monachum deprecatoria verba Damiano miserat, quatenus sibi aliquid in paginam exararet, quo *sæpe decertantium Judæorum ora rationabilibus argumentis obstruere* posset. At Damianus initio ipsum hortatus fuerat, ut potius contra diaboli machinamenta arma corriperet, *quam contra Judæos, qui jam pene deleti sunt de terra*. Quia tamen *inhonestum* fuisset, *ut ecclesiasticus vir his, qui foris sunt, calumniantibus per ignorantiam conticescat*, petitioni ejus æquum esse decrevit satisfacere, Trinitatem probans personarum in Deitate, & Messiæ adventum ex sacris Scripturis. Alium [c] eidem nuncupaverat dialogicum sermonem inter Judæum requirentem, & Christianum ex adverso respondentem, in quo legis Mosaicæ præcepta futurorum præsagia fuisse, & in Christo finem accepisse declaraverat. Sic autem versus finem Honestum fuerat allocutus: *Quia te*, inquit, *negotiis secularibus implicatum novi*, licet esset ecclesiasticus, *multa non posse perlegere, nolui te prolixis argumentorum distinctionibus onerare*.

b Opusc. II.

c Opusc. III.

X. Ejusdem epistola ad Ubertum ep. Sarsinatem.

d T. II. col. 655.

e Lib. IV. epist. XIII.

Cum in charta Ravennate ad annum 1056. producenda occurrat nomen Henrici episcopi Sarsinatis, immo apud Ughellium [d] eam sedem tenuisse anno præsenti 1052. legatur Martinus, epistola [e] Damiani ad V. episcopum Sarsinatem, nempe ad Ubertum eorum antecessorem, ante hunc annum necessario est statuenda. Gratias agit in ea Uberto Damianus, quod pauperculum a se illi directum, *ut gubernator pauperum & pupillorum pater*, benigne exceperit. Commendat ei insuper *dulcissimum & carissimum fratrem Henricum*, ut eum *apud se velut carissimum filium* teneat, & *amorem illi paternæ caritatis* impendat, *quatenus numquam* eum *pœniteat præconii, laudisque*,

disque eorum, quæ de episcopo Uberto, quocumque ibat, referre non cessabat Henricus. An-ne Henricus iste idem est cum Henrico ejusdem Uberti post Martinum successore in cathedra Sarsinate? Ceterum inter monumenta, quæ supersunt, postremam Uberti Sarsinatis episcopi memoriam habemus ad annum 1044. quo sedit inter episcopos synodi Romanæ in causa Gradensis patriarchatus. Ignotum autem est, quamdiu ulterius superstes fuerit.

ANN. CHR. 1052.

XI. Obitus Halinardi archiep. Lugdunensis. Charta Pratalienfis.

OBIIT hoc anno in monasterio sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe Halinardus archiepiscopus Lugdunensis, qui Leonem papam IX. comitari in suis itineribus consueverat, sed hac vice, dum Leo erat in Hungariam ad imperatorem profecturus, relictus ab ipso fuerat Romæ, concesso illi ad manendum præfato cœnobio. Dum ibidem moraretur Halinardus, *oblatus est ei piscis a quodam falso amico veneno infectus*, ex quo omnes, qui perceperunt tam ipse, quam ceteri brevi interiere. Mandaverat is supremis suis tabulis, ut corpus suum sepulturæ traderetur in dicto monasterio; verum a nobilibus Romanis celebratum fuit ejus funus ad basilicam sancti Paulli, ubi ad lævam partem ecclesiæ sub arcu super tumulum ejus erecto honorifice corpus ipsius fuit conditum, ut ait chronographus sancti Benigni Divionensis [a], ex quo hæc desumpsimus. Halinardus præter archiepiscopatum Lugdunensem abbas erat etiam sancti Benigni; in hanc abbatiam suffectus ei fuit Johannes, sive Johannelinus præsul pariter Fiscamnensis. Non diu tamen administrationem monasterii sancti Benigni, [b] ut adnotat Mabillonius, retinuit Johannes, qui hanc sarcinam rejecit in Adalberonem.

Ugo quidam filius Petroni de casali Bifurco, jacens in lecto ægrotus, mortisque periculum metuens, advocans Dominicum, quem Dominiconem appellat, abbatem Pratalienfem, Theutonem monachum, aliosque presbyteros & laicos, adjudicat integram medietatem suam de domibus, curtibus, castellis, ecclesiis, capellis & terris, quæ possidebat, simul etiam de omnibus rebus suis mobilibus eidem monasterio Pratalienfi, ut abbas recipiat eum ad ordinem monachorum. Hanc autem donationem effectum suum sortiri vult, si fato cedat; si vero supersit, decernit, ut permaneant hujusmodi bona in sua potestate. Alteram vero medietatem legat unicæ filiæ suæ, qua tamen decedente sine hæredibus, omnia spectare debeant ad supradictum monasterium Pratalienfe, apud quod ipse Ugo eligit sepulturam suam. *Anno domini millesimo quinquagesimo secundo*, *Einrigo gratia Dei magnus imperator anno ejus quinto* (melius *sexto*) *mense octuber indictione quinta*. Chartam edimus ex tabulario Fontis-boni in Appendice. Eidem monasterio Pratalienfi & ecclesiæ sancti Clementis Burga conjux Martini quondam Fusghi donat [c] quædam bona posita in comitatu Arretino infra plebem sanctæ Mariæ in Gradibus in casali *Cisciliano* in loco *alle Bute*.

a *Spicil. Dacher. T. II. p.* 394.

b *Annal. T. IV. p.* 534.

c *Arch. S. Mariæ in Grad. num.* 7.

ANN. CHR. 1053.

XII. Epistolæ Damiani de aliquibus ecclesiasticis ritibus.

EPISTOLARE commercium, licet solitudini addictus, numquam intermittebat Damianus vel ad quæsita respondens, quæ ei proponebantur, vel sanis doctrinis instruens episcopos, presbyteros, abbates & monachos, qui intima ipsius familiaritate fruebantur. Non abs re erit hoc anno & sequenti epistolas illas declarare, quæ chronica nota sunt destitutæ, quæque tamen antequam de eremo ad dignitates evocaretur, scriptæ dignoscuntur. Tales sunt epistolæ [d] ad P.. archipresbyterum de *luctuosa peccatorum egressione e corpore*; & *de detestabili clericorum intemperantia*, quarum tamen fragmenta dumtaxat ad nos pervenerunt. Ubertus quoque presbyter Damianum consuluerat [e], an *liceret in baptismatis lavacro*, *præter*

d *Epist. III. & IV. Lib. V.*

e *Epist. XVIII. Lib. V.*

Ann. Chr. 1053.

ter chrisma, vinum vel oleum immisceri? cui ex disciplina ecclesiarum, & præsertim Romanæ, ut ipsum edocuerant apostolicæ sedis æditui, atque dicerat in aliis ecclesiis, & sæpius frequentaverat, respondet Damianus non licere; *nam & illa Scriptura*, subdit, *quæ in die cœnæ Domini legitur, quæ etiam sic attitulatur*: Sermo generalis de confectione Chrismatis, *hoc videtur exprimere, ut nil præter sanctum Chrisma debeamus fonti baptismatis admiscere. Ait enim inter cetera: Oleo vero sacri Chrismatis conficitur aqua Baptismatis, & efficitur fons gratiæ cœlestis. Nam cum ille sermonis istius auctor de oleo sanctificato sufficienter superius eloquatur, quando vero ad baptisma descendit, tacito oleo, solo illud perhibet chrismate confici; patet proculdubio, quia quod nominavit, id solum voluit permisceri. Nam si vinum, vel oleum fundendum esse decerneret, nominato chrismate, hoc etiam non taceret*. Hæc scripsit Damianus *in montis cacumine* commorans. Baptismatis sacramentum ministrasse pluries Damianum, monachum licet & eremitam, liquido ex hac assertione cognoscitur. Ab eodem Uberto interrogatus insuper de quibusdam Missarum cæremoniis respondet: *De celebrandis vero Missarum sollemniis nos hanc consuetudinis regulam in disciplinatis ecclesiis & didicimus, & tenemus, ut calicem differamus in Missarum fine perfundere, si nosmetipsos eodem die sacrificium denuo speramus offerre; alioquin quandocumque sacras hostias immolamus, in fine calicem semper ex more perfundimus. Porro sive jejunamus, sive reficimur, hanc perfundendi regulam non mutamus*. Quidam enim eo tempore docebant jejunium frangi perfusione calicis & vini sumptione, quam frivolam esse & ineptam opinionem scribit Damianus. Ceterum vides Damiani etiam tempore perseverasse consuetudinem, ut celebrarentur in ecclesia plures Missæ ea ipsa die ab eodem sacerdote. Alexander II. apud Ivonem [a] rescripsit *sufficere unam Missam pro die sacerdoti celebrare; quosdam tamen pro defunctis unam facere, & alteram de die, si necesse sit; quoscumque tamen, qui pro pecuniis aut adulationibus secularium una die præsumunt facere plures Missas, non evadere condemnationem*.

a P. II. cap. lxxxi. Labb. T. XII. Concil. col. 110.

XIII. Damianus præest monasterio S. Salvatoris in diœcesi Perusina.

Intentus Damianus propagationi eremiticæ disciplinæ plura loca pro eremitarum habitaculis interea ædificabat, quorum origo est statuenda ante tempus, quo sacris dignitatibus fuit decoratus. Licet enim primis annis solitudinem quammaxime diligeret & coleret, hanc tamen ad tempus deserebat, quoties vel ecclesiarum utilitates ipsius præsentiam exposcerent, vel studium invehendæ perfectioris monasticæ vitæ ad loca condenda, vel ad jam condita reformanda pro solitariorum usu illum accenderet. *Pervenit igitur*, inquit Laudensis, *ad montem Pregium in territorio Perusino, ibique alia eremitarum fundavit habitacula, ubi videlicet cellulam quamdam invenit, in qua beatum Romualdum quondam mansisse ferebatur*. Romualdus, ut in ejus vita observavimus, in eo territorio habitaverat, aliquibus vel de novo erectis vel reformatis solitariorum mansionibus; alter eremitarum parens Petrus Damianus vestigia pressit magistri sui, quem sibi proposuerat in eo vitæ genere. Testis est etiam de se ipso Damianus præfuisse se monasterio sancti Salvatoris in Perusina diœcesi; immo cum scribens Theuzoni, asserat se *nuper* præfuisse, & epistola ad Theuzonem, ut videbimus, non sit dimovenda ab anno 1056. proxime ad hos annos etiam incolatus Perusinus Damiani est figendus. Paullo ante quam in eo monasterio degeret idem Damianus, accidit infelix mors Guinizonis monachi, quam ipsius verbis referemus ad eumdem annum 1056.

Ex Perusio Faventiam se contulit sanctus vir, si ordinem sequi malumus Laudensis: *Quo in loco*, scilicet in Perusino territorio, inquit, *aliis*

locatis

locatis fratribus ad alium rursus demigrans, in comitatu Faventino congruum reperit locum, qui nuncupatur Gamonium, ubi præparatis habitaculis alios Deo famulaturos constituit. Sed & vicinum huic loco monasterium, quod Acereta dicitur, construxit. De Gamugnensi eremo, & de Aceretensi monasterio plura simul collecta dicemus ad annum 1060.

Ann. Chr. 1053.

XIV. Dominici Loricati admirabilis pœnitentia, & flagellorum usus.

Admirabili interea pœnitentiæ, austeritati, jugi carnis flagellationi, aliisque pœnalibus exercitiis in solitudine Avellanensi totus erat addictus Dominicus, a ferrea lorica Loricati cognomen adeptus. Descripsit discipuli sui Dominici vitam ipse ejus spiritus moderator Damianus anno 1061. cum data occasione referendæ Alexandro papæ II. mortis alterius sui discipuli, Rodulphi scilicet Eugubini episcopi, qui per eos dies obierat, intermiscuit, immo superaddidit prolixiorem relationem de vita & obitu Dominici Loricati anno antecedente defuncti, quam non ex vulgi rumore, non ex aliis auctoribus mutuatus est sanctus ejus magister, sed quæ propriis oculis & auribus hausit, fidelissime scriptis mandavit, posteris illustrissimum pœnitentiæ exemplum traditurus. Ea tamen relatio bona ex parte est congeries eorum omnium, quæ in literis vel opusculis ad diversos datis de hoc sancto viro disseruerat idem Damianus, ut testatur capite VII. *Sed quia*, inquit, *nos nonnulla hujus sancti viri dicta vel facta per diversa dictatus nostri jam opuscula sparsimus, non videtur absurdum, si eadem hic, quæ tamen præ manibus habentur, eo ipso stylo, quo scripta sunt, apponamus. Sane facilioris est exitus ex dolatis lignis domum construere, quam dolando simul & construendo laboris exercitium geminare. Nam & de templo Salomonis scriptum est:* [a] *Domus autem cum ædificaretur lapidibus, de dolatis atque perfectis ædificata est, & malleus & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur. Habemus & nos juxta nostræ manus imperitiam politos lapides, quos utique sufficit nobis, ut in structura dumtaxat, ita ut inventi sunt, simpliciter ordinemus.* Hæc eadem nos referemus tum ad annum 1056. cum opusculum *de vita eremitica* ad Theuzonem eremitam in medium producemus; tum ad annum 1057. cum de Institutis congregationis Fontis-avellanæ tractabimus; demum ad annum 1059. cum agemus de opusculo ad Blancam comitissam; in iis enim uberiorem sermonem instituit de Dominico Damianus. Nunc tamen compendio hæc perstringemus, & alia insuper ex eadem Damiani relatione delibabimus, quæ fuere continua Dominici exercitia in Avellanensi eremo, vel in aliis monasteriis & eremis a Damiani disciplina dependentibus, quibus admirandæ carnis macerationes, ordo vivendi, illustriores demum sancti viri virtutes unico intuitu manifestabuntur.

a III. Reg. VI.

Sed in antecessum contra Jacobum Boilleaum in sua *Flagellantium historia* animadvertendum, neque Petrum Damianum, neque Dominicum Loricatum primos fuisse, qui usum invexerint voluntariæ verberationis, & flagellationis, & rectius propagatores & restitutores hujus consuetudinis esse appellandos. Nimirum ante ipsos, Rhegino [b] Prumiensis, ut animadvertit Mabillonius [c], plagas seu percussiones pro redemptione peccatorum non semel indicit, & de Guidone abbate Pomposiano, qui obiit anno 1046. dicitur [d], *tanta virgarum cæde corpus debile macerasse, ut excepta morte nihil tormenti amplius posset inferre nolenti persecutor crudelis, quam volenti sibimet inferebat ipse vere felix vereque Christi fidelis.* De Poppone abbate Stabulensi defuncto anno 1048. habet Everhelmus abbas Altimotensis in ejus vita cap. XLIX. apud Mabillonium [e]: *Quid vero super corporis sui dicam afflictione, superque carnis interitu & contritione? Quam in tantum jejuniis, flagellisque atterebat, ut quidquid vitiosum sua caro adversus*

b Lib. II. capp. 442. & seqq.

c T. IV. Annal. pag. 599.

d Sec. VI. Par. I. p. 451.

e Ibid. p. 519.

ANN. CHR. 1053.

versus spiritum concupisceret, ipse flagellis propria sibi manu clam illatis extergeret, & pro hoc in seipsum vindicta per seipsum procederet. Refert [a] Willelmus monachus Clusinus in vita sancti Benedicti abbatis itidem Clusini Aicium *sanctæ memoriæ priorem & ipso actu reverendum*, ut eum nominat, tempore ejusdem Benedicti viventem, initio scilicet hujus seculi, flagris proprium corpusculum solitum fuisse coercere. Et eodem tempore Sitrienses monachi sub Romualdi disciplina, immo & *ipsi monachorum famuli, ipsi quoque custodes pecorum*, usum receperant, ut *jejunarent*, *silentium tenerent*, *disciplinas inter se invicem facerent*, *& de quibuslibet verbis pœnitentiam flagitarent*, ut proinde exclamaverit Damianus: [b] *O aureum Romualdi seculum, quod etsi tormenta persecutorum non noverat, spontaneo tamen martyrio non carebat.* Ipse quoque Damianus testatur in multis monasteriis ante sua tempora, tametsi non ita frequenter, usitatam fuisse spontaneam flagellationem. In epistola enim ad Petrum Cerebrosum monachum [c] ait: *Nam & ante nos, omnibus fere sanctis monasteriis hæc disciplinæ regula nequaquam fuit incognita, & si non adeo frequentata, unde & singulos annos pœnitentiæ millenis scopis redimere consueverunt.*

a Mabill. in Append. Annal. O. S. B. T. III. p. 717.

b Cap. lxiv. Vit. S. Romual.

c Epist. XXVII. Lib. VI.

Fuit tamen pœnitentiæ centum annorum & etiam mille auctor & inventor Dominicus. Putabatur eo temporis, ut animadvertit Claudius Fleurius, strictissimum incumbere onus satisfaciendi pro peccatis juxta canonum pœnitentialium statuta, ita ut qui adulterium exempli gratia perpetrasset, septem annis pœniteret, septuaginta autem annis culpas suas defleret, qui decies in idem crimen lapsus esset. Verum cum impossibile foret, pro brevi mensura vitæ hominis, tam protensam pœnitentiam adæquare, modus adinventus fuerat ipsam commutandi in alia bona opera. Notant idem Fleurius, Morinus, & Thomassinus mulcta denariorum, & eleemosinarum erogatione consuevisse redimere peccata eos, qui illa jejuniis & pœnalibus exercitiis expiare debuissent. Reliquum ergo erat, ut monachi, qui, ut etiam observat Damianus, amore Jesu-Christi voluntariam amplexi fuerant paupertatem, psalmodia, abstinentia & cruciatibus spontaneis pro peccatis satisfacerent vel in seculo patratis, vel etiam in statu religionis. Hi, qui confessiones excipiebant, numerum præfigebant jejuniorum & psalmorum pro numero & gravitate criminum. Cartula quædam forte ad manus Dominici Loricati pervenit, ut inferius videbimus, in qua adnotatum erat, duodecim psalmos vigesies quater brachiis extensis, & elevatis in formam crucis recitatos compensare unius anni pœnitentiam. Modum hunc is, qui erat patiendi avidissimus, extemplo arripuit Dominicus, vigesies quater, vel sex, ut est in textu, quotidie canens duodecim psalmos sine ulla manuum demissione; aliquando eamdem servans brachiorum extensionem toti psalterio alterum adjungebat defunctorum, & tertium quandoque manibus semper elevatis inchoare proponebat. Altera peccatorum redemptio obtinebatur psalmorum recitatione, simulque conjuncta flagellatione. Tempus persolutionis decem psalmorum, ut videbimus ex Damiano, admittebat mille flagrorum ictus, tres autem mille recitatio triginta psalmorum, & his postremis adimplebatur unus annus pœnitentiæ. Totum proinde psalterium, quod excipiebatur quindecim mille percussionibus, satisfactio erat pro quinque annis; viginti autem psalteria compensabant pro centum annis, & tempore eorum modulationis infligebantur tercenties mille flagellorum ictus. Crebro pœnitentiam centum annorum suscipiebat Dominicus; immo aliquando sibi imponi rogabat illam quoque mille annorum. Hæc persolvebatur ducentis psalteriis, & terdecies centenis millibus percussionibus. Porro tam longum & grave supplicium quadraginta diebus complebat,

bat, satisfactionem autem centum annorum curriculo sex dierum & noctium; cum vero tot annorum cruciatum non assumebat, quotidie duo, aliquando tria, ut quadragesimarum tempore, nunc octo, & etiam novem psalteria decurrebat; una vice ad experimentum faciendum duodecim psalteria una cum adjuncta flagellatione intra unius diei & noctis spatium persolvit. Et hæc psalmorum recitatio Dominico erat opus supererogatorium, nam primum intererat cum ceteris fratribus matutinæ synaxi & horis canonicis, quæ in choro modulabantur, & culparum confessioni, quæ simul cum flagellis in capitulo fiebat. Præter flagrorum usum, qui erat irremissus in Dominico, & quidem ad aliorum differentiam, utraque manu vel scopis, vel scuticarum corrigiis armata, quando incolumitate fruebatur, centies per quoslibet quindenos psalmos genua flectebat, & millies propterea per quodlibet psalterium; millies pariter quotidie prosternebat corpus suum ad terram, nil pondere vel austeritate loricæ retardatus, & flocci faciens circulos ferreos, quibus adstringebatur, quorum duobus brachia, duobus renes, & progressu temporis aliis duobus tibias, duobusque coxas præcingebat.

Ann. Chr. 1053.

XV. Alia ejusdem pœnalia exercitia & gesta.

Quo spiritus fervore psalmi forent recitandi, & de facto ab ipso recitarentur, hæc erat Dominici sententia, quam Damiano manifestavit [a]: *Hoc mihi sæpe dicebat: In hoc psalmodia provenit cito psallenti, si cor ad verba teneat, si quod lingua loquitur, mens veraciter comprehendat; alioquin si cor vagatur, psalmorum cursus ad finem, lingua nunc fallente, nunc tepescente, tarde perducitur.* Qua vero præterea temporis hora, & corporis incommoda positione psalmos aliquando excurreret, enarrat idem Damianus [b]: *Enim vero*, inquit, *quasi quidam divinus ignis in ejus pectore jugiter æstuabat, qui nunquam permittebat eum a spiritalis exercitii labore quiescere. Aliquando namque cum ego perquirerem, sacrosancto die Paschali ceteris fratribus juxta morem meridie quiescentibus, utrum & ipse dormisset, ait: Certe, pater, dixi in corde meo, quid mihi tam longis adhuc noctibus in die dormire? extensis itaque in crucis effigiem brachiis psalterium cœpi, quo me sic stante decurso, signum protinus horæ nonæ personuit. Hoc itaque modo junxi victoriam crucis cum gloria resurrectionis.* Quantum somni esset parcissimus, immo quoties vigiles noctes duceret, erui datur ex ejus sequenti effato: [c] *Ajebat etiam, quia somnum somnus adescat, & vigiliæ vigilias pariant; nam corpus humanum, in quo paullatim prius enutritur, in hoc per incrementa postmodum roboratur.* Subdit Damianus [d]: *Aliquando cum de quotidianis, ut mos est, invicem confabularemur operibus, ait: Hac etiam nocte, quid mihi contigerit, manifesto. Nam dum solutus sopore surrexi, mox brachiis in modum crucis extensis psalterium cœpi, cumque psalmis omnibus & canticis, quæ sequuntur, hymnisque decursis eo loci jam essem, ut solo catholicæ fidei psalmo,* (idest ni fallor, ait Mabillonius, symbolo, quod sub Athanasii nomine vulgo notum est, & recte, cum Damianus enuntians additiones, quæ ex præscriptione sancti Romualdi psalterio fieri debent, hæc habeat: *His* [e] *etiam non neglectis, quæ in fine psalterii videntur adjecta, videlicet: Te Deum Laudamus; Nunc dimittis Domine servum tuum; duobus Symbolis; Gloria in excelsis Deo; Pater noster; cum* FIDE CATHOLICA, *postremo* LITANIÆ *cum orationibus hæc omnia consueto fine concludunt*) *& Litaniis*, subdit Dominicus, *deberem cuncta concludere, accidit in mentem, ut interim ista dimitterem, ac pro defunctis psalterium decantarem. Igitur brachia non deponens, ad defunctorum psalterium transii, quod juxta morem per quinquagenos psalmos trifaria lectionum interpolatione distinxi. Quo sic expleto, ad id protinus, quod omiseram, redii, atque hoc,* quod

a Cap. XI.

b Cap. X.

c Cap. XI.

d Cap. X.

e Opusc. XV. cap. IX.

Ann. Chr. 1053.

quod de primo psalterio reliquum erat, explevi. Cumque de tertio consequenter aggrediendo psalterio cogitarem, bene factum, ut ita dixerim, repente signum nocturnæ synaxis insonuit, quod me depositis ulnis officium cum fratribus celebrare coegit, & certe tunc nescio, quo anni tempore, noctes breviores erant. Et alibi [a]: Notandum autem, quia dum hæc peragere satagit, nocte vel die dormire non vacat: sed aliquando genua flectens, dum caput terræ deponit, sic nudo repente somnus obrepit, quo solo contentus est.

a Cap. IX.

Periit epistola Petri Damiani ad Johannem priorem eremi Suaviciniæ; extat tamen ipsius fragmentum in superiori relatione, quam dedit de Dominici vita Alexandro papæ [b]. In epistola etiam, inquit, ad Johannem priorem eremi, quæ juxta Suavicinium montem est constituta, cum eum ejusque subjectos ad extensionem brachiorum in orationibus exhortatorie provocarem, dixi prius de quodam ferventissimo in amore Christi fratre nostro Adam nomine, deinde Dominicum in exemplo subjeci, ita inquiens: Habemus autem quemdam juvenculum fratrem, qui mihi confessus est a capite usque ad finem psalterii elevata se brachia tenere, dum psallit, itaut laquear tabulatum cellulæ manibus sæpe contingat, hac tamen discretione servata, ut per quinquagenos psalmos ad momentum brachia remissa deponat, & protinus erigat. Habemus & alterum provectioris ætatis incurvum videlicet senem, &, ut tibi secrete confitear, hic Dominicus est. Is itaque quamdam scriptiunculam reperit, ubi dicebatur: Quia si quis duodecim illic notatos psalmos vicies quater erectis in modum crucis manibus caneret, pro uno posset anno pœnitentiæ regulariter compensare. Protinus ille in exercitium id, quod dicebatur, arripuit, & duodecim illos psalmos extensis in modum crucis brachiis, sicuti dictum est, viginti-sex vicibus, sub nullo prorsus intervallo, sed uno ductu, quotidie decantabat.

b Cap. X.

Quoad cibum, carnaliter se vivere dictitabat Dominicus, cum quintis feriis & Dominicis diebus a solito se abstinentiæ rigore laxabat; fœniculo nimirum cum pane libenter vescebatur; vini vero usum penitus abjecit postremis vitæ annis: [c] Solebat autem per intervalla, licet parcissime, vinum bibere, sed longe antequam defunctus est, decrevit ab eo penitus abstinere.

c Cap. XIII.

Quibus autem voluntariis cruciatibus sitim suam patiendi expleverit, & quomodo ad similitudinem sancti Romualdi in senium vergens adauxerit potius quam imminuerit pœnitentiæ suæ rigorem Dominicus, refert idem Damianus [d]. Aliquantis, inquit, porro ante obitum annis, quasi novum supplicii genus inveniens, virgarum scopas in corrigiarum scuticas vertit, semelque gustato, quia duriores sunt, in his verberandi se consuetudinem posuit. Hoc flagellum, si quando egrederetur ad seculum, portabat in sinu, ut ubicumque cum jacere contingeret, a verberibus non vacaret. Aliquando vero cum loci occasio non præberet, ut totum se posset exuere, per crura saltem & femora, per caput atque cervicem sese non cessabat affligere. Circulis quoque ferreis quatuor, quia sibimet præ longa consuetudine quasi jam viluerant, quatuor item superaddidit, ut duobus in coxis, duobus consequenter in cruribus stringeretur. Enimvero loricas, quibus utebatur, tamquam cilicia vel lanea quælibet indumenta, post menses, sive post spatium prolixius abluebat, ut rubiginem deponerent, & aridis ingerendam membris uredinem non haberent. Porro autem cum omnes, qui in cellulis habitamus, hoc elaboremus, ut pro muniendis a frigore pedibus, vestimenta usque ad imum defluant pavimentum, hoc etiam nobis in eo intolerabile videbatur, quia cum in eremo semper & ocreas nesciret, & calceos, vestes tamen ejus ad tibias vix medias descendebant. Nudatus autem ad suscipiendam in capitulo disciplinam, quod scilicet omittere nunquam volebat, exesis jejunio mem-

d Cap. XI.

bris,

bris, & hamatæ loricæ mole detritis Æthiopicam contraxisse nigredinem videbatur. Vestimenta vero luvida & cariosa, ut ita dixerim, videbantur vetustate consumpta.

Ann. Chr. 1053.

Omittendum non est sequens Dominici maximum obedientiæ, humilitatis, & pœnitentiæ factum, quod refert idem Damianus [a]. *Habebat*, inquit, *aliquando cellulam juxta monasterium, quod dicitur Conjunctuli. In vigilia itaque Dominicæ Nativitatis, cum tota præcedenti quadragesima mansisset inclusus, tantisque jejuniis atque laboribus esset vehementer afflictus, invitante gloria sollemnitatis egressus, abbati loci humiliter procidit, veniam petiit, actus suos & cogitationes lacrymabiliter accusavit. Ille autem ut erat juvenculus, levis moribus, & consiliis spiritualibus insuetus, cum sibi sufficeret unum psalmum vel perexiguum quid imponere, præcepit, ut pro his, quæ confessus fuerat, triginta psalteria decantaret. Qua nimirum ille sententia, velut sagitta perculsus, ad cor rediit, atque hoc provenisse ex divini dispositione judicii deputavit. Itaque regressus in cellulam nunquam prodiit, donec præfixum indictæ pœnitentiæ canonem instantissima sedulitate persolvit.* Quadragesima, qua inclusus manserat Dominicus, fuerat illa sancti Martini, quæ protendebatur ab octavis Omnium Sanctorum usque ad Natale Domini.

Maxima insuper utebatur circumspectione in loquendo Dominicus, de qua hæc habet sanctus ejus magister [b]: *Erat præterea Dominicus valde cautus in verbis, ut apte sibi congrueret illa sententia, qua Jacobus apostolus ait* [c]: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Nam si quando etiam quæreretur, quota diei hora esset, nunquam absolute dicebat, tota est, sed cum additamento semper, prope tertia hora est, prope sexta hora est. Inquisitus a me, cur semper ita diceret? In hoc, inquit, mendacium caveo; nam sive sit hora transacta, sive adhuc fortassis immineat, propinqua tamen est, quæ videlicet a momento, in quo loquimur, non elongatur.*

Enituit quoque summa Dominici humilitas, dum ob reatum Simoniæ, toto vitæ suæ tempore indignum se duxit conficiendi sacra mysteria, & Missas celebrandi, licet, ut ad annum 1025. notavimus, non certo constet partem illum habuisse in eo illegitimo pacto. Quid mirum porro, si homini tam pœnitenti & castigato creberrime fœcundæ fluerent lacrymæ, donumque collatum fuerit compunctionis, præsertim cum reclusus sub districto se silentio reprimeret? quid mirum ulterius, si elogium perpetuæ virginitatis, quam incorruptam ad mortem servavit, ei tribuerit Damianus? *Virgo* [d], inquit, *usque ad obitum fuit.* Tantus tamen vir, qualis erat Dominicus, miracula patrasse non legitur. Huic objectioni occurrit Damianus his verbis [e]: *Sed hic me quispiam fortasse redarguat, qui videlicet non tam quem vivendi ordinem vir sanctus habuerit, sed quibus miraculis in hac vita claruerit, audire festinat. Cui me breviter hoc respondere sufficiat, quoniam & Maria, & Johannes-baptista miraculum fecisse non leguntur, cum tamen eorum vita non qualibet scriptura, sed evangelio testante, narretur. Quamquam Maria in solo partu, quem edidit, omnium proculdubio Sanctorum virtutes ac signa præcellit. Hoc etiam inseram, quia uberiorem fructum præbet audientibus sanctorum virorum mirabilis vita, quam ostensa miracula. Illa siquidem exigit imitationem, ista sola ingerunt admirationem. Miracula docent, quomodo illi Sancti fuerunt, vita vero insinuat, qualiter & nunc homines fieri valeant Sancti. Præterea qui miraculum quæris, nonne tibi videtur esse mirabile, hominem fragili adhuc carne circumdatum, ut ita loquar, angelitus vivere, adeout inter quamplurima hominum millia vix unum ejus similem valeas reperire? Et certe quamplures*

[a] Cap. XII.
[b] Cap. XII.
[c] Jacob. III.
[d] Cap. VI.
[e] Cap. XI.

Ann. Chr. 1053.

hodieque sunt inferioris vitæ , per quos Deus omnipotens dignatur virtutes ostendere.

Tum enarrat Damianus prodigium vinculorum divinitus confractorum , quæ gestabat quidam adolescens eremita , quod ad Dominicum non pertinet , & nos ad annum 1061. referemus ; de ipso tamen hæc ex præfato prodigio postremo concludit: *Quid ergo magnum si per Dominicum , mirabilem videlicet virum , signum aliquod Deus voluisset ostendere , cum in ipso sui tirocinii exordio per hunc juvenculum duo miracula dignatus est exhibere , cum laudabilius sit fortia peregisse , quam nova ? Unde David cum præmisisset* [a]: *Mirabilis Deus in Sanctis suis; protinus addidit : ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ . Non ait signa sive prodigia , sed ipse dabit virtutem & fortitudinem .* Sed de Dominico Loricato alibi.

a *Ps. 67.*

XVJ. De monasterio S. Æmiliani in valle Conjunctuli.

Memoravimus superius ex Damiano monasterium Conjunctuli, juxta quod cellulam aliquando habuit idem Loricatus . Monasterium istud , quod ab abbate regebatur , videtur vel fundatum , vel certe reformatum sub Damiani disciplina ; cur enim inserviret pro domicilio monachorum Avellanensium, nisi jus aliquod in illud ad ipsos pertineret ? Nullam de eo præter nominis notitiam habuisse videtur Mabillonius , quippe qui in adnotationibus ad vitam sancti Dominici Loricati nihil profert ad illustrationem istius loci. Vallis Conjunctuli sita est in diœcesi Eugubina , & distat ab Avellanensi monasterio sex milliaribus , quinque a Saxoferrato , minus vero ab abbatia sanctæ Mariæ de Sitria. Vallis hæc undique montibus cingitur, & post se altiorem montem quemdam habet, a quo dividitur, interfluente fluviolo de Perticara appellato, qui conjungitur cum altero Sentino nuncupato , in eo propemodum loco , ubi exurgit in ipsa valle monasterium & ecclesia sancto Æmiliano episcopo sacra , quod monasterium propterea abbatiæ de Conjunctulo nomen acquirit . Lapidibus quadratis constructum visitur templum satis amplum & magnificum , cujus tantum vel vetus superest, vel postea ædificatum , navis mediæ & navis in cornu evangelii dimidium. Loco columnarum & arcuum in altera deficiente medietate vetustus attollitur paries , in quo conspiciuntur antiquæ pictæ imagines sanctorum monachorum , qui alba cuculla superinduuntur. Sub claustro in quodam semicirculo figuram observavimus alterius monachi albis vestibus amicti. In fronte exteriori ecclesiæ duo sunt ex marmore compacti lapides , super quos olim sculpti erant characteres , nunc fere exesi, ex quibus ægre leguntur hæc verba; in primo MILESI... DOC... in altero MILLESIM. CC. II. Ceteræ ecclesiæ partes officinis & stabulis animalium nunc inserviunt . Abbatia sancti Æmiliani in commendatariorum abbatum usum cessit; de ea aliquod reperiri documentum in [b] archivo secreto Eugubii ex Marcello Franciarino testatur Turchius [c] . In nostro tabulario sancti Blasii Fabriani , inter chartas spectantes ad monasterium sancti Victoris [d] extat pagina anni 1110. qua Petrus abbas monasterii sancti Benedicti de Conjunctulo, voluntate monachorum & clericorum suorum concedit Petro abbati sancti Victoris de Clusis portionem terræ in loco, qui dicitur *Varano*, & in plano de *Recereta*. Anne monasterium sancti Benedicti aliud erat ab illo sancti Æmiliani, vel duplici fruebatur sancto titulari monasterium de Conjunctulo , nempe sancto Æmiliano & sancto Benedicto , ut duplici gaudebat Victorianum , sancto nimirum Victore & sancto Benedicto ? Ceterum fallitur Jacobillius [e] , qui monasterium sancti Æmiliani ædificatum circa annum 1143. scribit, statutosque in eo affirmat monachos nigri coloris a Cœlestino papa II. quibus multa privilegia gratiasque concessas ab eodem Romano pontifice asserit ; cum luce

b *Sign. litt. O. num. 14.*

c *Vit. S. Dom. Loric. p. 137.*

d *Num. 93.*

e *T. III. SS. Umbr. pag. 313.*

clarius

Ann. Chr. 1053.

clarius ex Damiano constet antiquiorem ejusdem monasterii, saltem unius seculi, repetendam esse originem. Illud etiam dici potest monasterium de Conjunctulo, quod aliquando inhabitavit Dominicus Loricatus, fuisse illud sancti Victoris; hoc enim quoque appellatum quandoque de Conjunctulo scimus, quia in ejus viciniis fluvius Sentinus aquas suas miscet cum fluvio Castellano. *Pons de Conjunctulis* nominatur in [a] statuto Fabrianensi; *Actum apud Conjunctulos* legitur in alia charta anni 1212. tabularii sanctæ Catharinæ de Fabriano, quam paginam una cum superiori parte statuti edidit Nintoma accademicus in tertia sua epistola [b]. Abbas loci juvenculus, qui enormem Loricato pœnitentiam imposuit, potuerit in hac secunda hypothesi esse Moricus abbas sancti Victoris, melius quam Ursus ejusdem loci abbas, qui aliquo ab hinc tempore cœnobio præfuerat.

a Lib. ult. cap. 85.

b Pag. 152.

XVII. Chartæ Pratalienses & Ravennates.

Arnaldus *excellentissimus sancte Aretine ecclesie episcopus* per paginam judicati & traditionis pro Dei timore, & animæ suæ & antecessorum suorum episcoporum remedio concedit monasterio Prataliensi & Dominico ejus abbati integras decimationes de curte domnicata Biblenæ. Subscribit ipse Arnaldus *Dei gratia episcopus & comes*, ac Teuzo vicedominus *anno Dominice incarnationis millesimo quinquagesimo tertio, regnante domno Henrico felicissimo rege, anno vero imperii ejus septimo, mense aprilis indictione sexta.* Successerat Arnaldus Immoni episcopo Arretino anno præcedenti, cum donatio ab eo facta Arretinis canonicis apud Ughellium [c] ex Burralio anno 1058. indictione XI. copuletur cum sexto episcopatus ipsius anno.

c T. I. Ital. col. 416.

Henricus archiepiscopus Ravennas Johanni abbati monasterii sancti Severi in Classe confirmat bona ipsius loci; inter cetera cœnobium sanctorum Johannis & Stephani ad Titum; & insuper concedit, sive ratam habet possessionem ecclesiæ & monasterii sancti Laurentii, *quod dicitur in Castagniola* in comitatu Æsinate, ita tamen, ut abbas sancti Severi persolvere debeat abbatibus illis vel clericis, qui per tempora habuerint in beneficium supradictum monasterium sanctorum Johannis & Stephani, denarios duodecim Venetos. Superiorem ex Camaldulensi, & secundam ex Classensi archivo chartam a nobis descriptam exhibemus in Appendice, sicut & tertiam ejusdem Henrici Ravennatis archiepiscopi, depromptam ex tabulario Ravennatis archiepiscopatus, qua Aimmoni abbati sancti Adalberti in Pereo piscariam largitur *de Gaurione* prope portum Primarii. Aimmo & ad annos 1055. & 1056. reperitur abbas sancti Adalberti ex tabulis ejusdem archivi, & antea ipsum vidimus abbatem ad annum 1042. ex chartario monasterii sanctæ Mariæ foris portam Faventiæ, quo anno promittit laborare terras per libellum emphyteuticum acceptas ab Eleuchadio abbate sanctæ Mariæ.

Ann. Chr. 1054.

XVIII. Contra inscitiam & incuriam clericorum invehitur Damianus. Aliæ ejus epistolæ.

Referimus ad hoc circiter tempus opusculum Damiani [d] *contra inscitiam & incuriam clericorum*, dicatum V.. reverendissimo episcopo, cui inerat *sacerdotalis animus*, & qui erat *vita præclarus*, *doctrina conspicuus & spiritalis zeli fervore accensus*. Illud tamen in eo episcopo carpit sanctus vir, quod aliqui ipsius ecclesiæ presbyteri non modo non intelligerent, quod legebant, sed *syllabatim quoque vix ipsa decurrentis articuli elementa balbutiebant*, quos propterea indignos sacerdotalis officii, quod gerebant, declarat, eorumque similes non esse ad eam dignitatem provehendos. Increpat secundo eos presbyteros, qui vana & otiosa verba miscebant cum laicis, quique litibus insuper, & jurgiis vacabant. Tertio circa sacri altaris utensilia invehitur adversus incuriam quorumdam, qui adhibebant *stanneos, vel etiam supparis cujuscumque metalli calices*, *longo*

d Opusc. XXVI.

situ

Ann. Chr. 1054.

situ scabredinis inhorrescentes, & in squallido linteo Dominicum corpus offerebant, & involvebant, prandea sacrorum altarium conscissa & putrescentia retinebant. Prandea sive brandea erant vela & lintea, quibus vel altaria, vel divorum imagines aut reliquiæ cooperiebantur, ut observat Ducangius, qui hæc Damiani verba in medium adducit. *Codicibus* quoque utebantur aliqui presbyteri, *in quibus nimirum hæc ipsa quoque legere inoffense non possumus, quæ tenaci adhuc memoria reservamus*. *Demum nolo*, inquit, *tot eorum numerare flagitia, quæ vel in oblatione mysterii, vel inter ipsa quoque regenerationis humanæ perpetrant sacramenta, videlicet in scrutiniis, in symbolis, atque in baptismalis lavacri sacramento* [a]. *Omitto panem in salutares hostias convertendum, qui nonnumquam ante fit mucidus, quam sanctificetur oblatus, ipsum quoque mysterium non intra dies octo consumitur, sed plerumque ad omnipotentis Dei injuriam in mensem tertium reservatur. Prætereo, quod aliquando aqua vino in Eucharistia non miscetur, & sic quodammodo per errorem occulti schismatis a Christo populus separatur*. Hortatur demum episcopum, ut hujusmodi imperitos & incuriosos clericos de medio ecclesiarum tollat. Vivebant tunc Villelmus vel Vido Humanatensis, Ugo Camerinensis, & Ugo Calliensis episcopi, qui se subscripserunt in concilio Romano anni 1059. & eorum uni videtur nuncupatum hocce Damiani opusculum. Ante hos annos in vivis erat etiam Ubertus Sarsinas, sed si Uberto nuncupatum fuit præfatum opusculum, retrahendum est tempus ejus scriptionis ad annos antecedentes.

Altizoni abbati, cujus tamen monasterii ignoramus, scripsit Damianus excusans, quod ei indigenti equum suum non commodaverit. Pœnitens ergo facti rogat, ut si equum alibi non invenerit, monachum suum ad se mittat, qui de equis & de mulis eligat, quem sibi collibuerit; pallium insuper optimum dono dat, & precatur, ut conservetur epistola [b] hæc ad retinendam devotionis suæ memoriam erga Altizonis cœnobium. An-ne loco Altizonis legendum Albizonis? Plures vivebant hoc tempore Albizones, ut ad annum 1056. dicemus.

Abbas quidam, J.. nomine, conquestus cum eodem Damiano [c] fuerat, quod monachos e monasterio suo egressos contra sancti Benedicti regulam in eremum suscepisset; ostendit autem Damianus id a se contra regulam non fuisse factum, cum a sancto Benedicto non prohibeatur, ut monachus ex cœnobio ad eremum transeat, sed dumtaxat vetetur, ne ex uno monasterio egressus sine consensu abbatis sui in aliud recipiatur; quinimmo observat in regula eremiticam vitam tamquam perfectiorem a sanctissimo legislatore plurimum commendari, atque monachis ab eadem consuli.

XIX. Epistola Damiani ad M.. abbatem S. Mariæ CP.

Interrogatus aliquando Damianus super quadam quæstione a M.. abbate cœnobii sanctæ Mariæ Constantinopolis, respondit [d] se eam viva voce solvisse Petro ejusdem monasterii nuncio, neque de ipsa ulteriorem sermonem instituit, laudans dumtaxat illius loci monachos, quod in iis *regionibus peregrinæ linguæ, & inter exteras gentes* positi rectum fidei & vitæ tramitem tenerent. Alludit nimirum ad turbas Michaelis Cerularii, qui ecclesiam Græcam tunc temporis a Latina scindebat. Monachos Latinos ordinis sancti Benedicti hoc ævo non solum in CP. urbe, sed in Syria, in Ægypto & per totum orientis imperium fuisse diffusos satis clare liquet. Bononius noster Ægypti apostolus in iis regionibus *abbates & monachos ordinavit, quorum vitam secundum regulam sancti Benedicti instituit*. Leo IX. qui hoc tempore Romanam ecclesiam regebat, dure increpat eumdem Cerularium & Græcos, quod *omnes apud se Latinorum basilicas clauserint, monachis & abbatibus monasteria tulerint, donec illorum vi-*

a Ibid. cap. III.

b Epist. VII. Lib. VI.

c Epist. XII. Lib. VI.

d Lib. VI. ep. XIII.

verent

ANN. CHR. 1054.

verent institutis. Pariter ad conciliandam ecclesiam Græcam cum Latina *prudentissimos valde viros* apocrisarios suos, Fridericum cancellarium, Humbertum monachum, & episcopum Silvæ-candidæ, & Petrum archiepiscopum Amalphitanum ad imperatorem cognomento Monomachum transmisit idem Romanus pontifex; & Stephanus IX. olim Fridericus cancellarius, Desiderium abbatem Casinensem, Mainardum & Stephanum cardinalem CPolim legatos destinavit, sicut & Alphanus ad eam urbem fuit directus, antequam Salernitanus fieret abbas & archiepiscopus; quæ declarant Casinensium & Latinorum monachorum cum Græcis communicationem. Quare Oddo monachus Cantuariensis in sermone beati Benedicti ad Adam fratrem suum novitium Igniacensem, loquens de ordine Benedictino [a], ipsum per totum orbem diffusum declarat. Sic monachi Casinates in epistola ad monachos Teutonicos [b], de variis consuetudinibus monasteriorum interrogati, varietatem illam non esse improbandam respondent, si consuetudines variæ a regula non discordent. *Aliam enim*, inquiunt, *disciplinam Teutonici monachi, aliam Italici, aliam Franci, aliam alii ex ista parte maris habent complurimi. Similiter ex illa parte aliam jam CPolitani, aliam Antiocheni, aliam Alexandrini, aliam illi & illi, omnes tamen bonæ sunt & utiles*. Idipsum testatur temporibus suis [c] Petrus Mauritius venerabilis Cluniacensis abbas. Putat Ducangius [d] monasterium sanctæ Mariæ CPolis, a Damiano nominatum, illud fuisse, quod *Deiparæ seu sanctæ Mariæ Amalphitanorum de Latina* appellabatur, cujus etiam mentionem facit Alexander papa IV. in sua bulla apud Ughellium [e] in archiepiscopis Amalphitanis. Videri possunt etiam ipsius Ducangii notæ ad Alexiadem [f]. Sed forte monasterium Amalphitanorum recentius est, & Damianus de alio antiquiore est intelligendus.

a *Analect. p.* 477.

b *Ibid. p.* 154.

c *Lib. II. epist.* 44.

d *CPolis Christiana lib. IV. cap.* 11. *T. XXI. Hist. Byzant. p.* 55.

e *T. VII. col.* 222.

f *Hist. Byzant. T. XII. pag.* 62.

Guillielmus quidam monachus receperat Damiano se ingressurum eremum; verum de die in diem differebat adimplere promissa; valde enim grave sibi futurum existimabat vini potui nuncium remittere, & aquam semper bibere. Hinc Damianus ejus mollitiem epistola [g] data perstringit, quantæ sint aquæ utilitates, quanta vero damna vini enumerat, & postremo concludit armis spiritualibus vincendas esse omnes carnis tentationes juxta Apostoli præceptum.

g *Lib. VI. Epist. XXIII.*

XX. Theobaldus Gallus paternam domum deserit. Variæ ipsius peregrinationes.

THEOBALDUS Arnulfi nobilissimi Senonensis comitis filius, cujus ortum ad annum 1030. retulimus, eremiticæ vitæ amore illectus, quam a teneris annis concupierat, paternam domum hoc anno deserit; duodecim enim reliquos annos, quibus supervixit, refert Petrus Vangaticiensis abbas, sacris peregrinationibus partim, partim vero solitudinis contemplationi dicatos fuisse a Theobaldo, qui anno 1066. sanctissime in Domino requievit. Sed Petri verbis Theobaldi fugam a paterna domo referamus [h]. *Qui ut adolescentiæ attigit metam, non lasciviam sectatus est mundi, sed potius quidquid præceptorum Dei auditu poterat percipere, velut apes prudentissima in alveario memoriæ studebat convehere. Movebat animum adolescentis maxime eremitarum solitudo, quorum initium exstitit Elias & Johannes-baptista, & post eos Paullus & Antonius. Æmulabatur eorum tenuitatem in victu, asperitatem in vestitu, theoreticæ vitæ quietem, & Angelorum in solitudine contubernium. His igitur & hujusmodi facibus accensus clandestina discessione adiit quemdam eremitam in quadam insula Sequanæ latitantem, cui cordis sui aperuit ardorem, non comburentem, sed illuminantem. Cum quo consilio inito, & assumpto Waltero quodam milite suo, ascensis utique equis cum singulis armigeris, Remis civitatem pervenerunt. Deo ergo soli jam militans Theobaldus, relicta domo, patre, matre, fratribus, cognatis, mancipiis,*

h *Vit. S. Theobaldi apud Mabill. Secul. VI. p.* 167. *n.* 3.

Ann. Chr. 1054.

piis, amplissimisque prædiis, cum omnibus seculi pompis, quasi proximo Pascha accincturus militiæ cingulum, cum jam dicto socio iter arripuit. Cumque foras muros urbis Remensis apud sancti Remigii suburbium hospitaretur, prætensa occasione alloquendorum amicorum, armigeris atque equis in hospitio relictis, pedestri itinere noctu ad anteriora tentaverunt progredi, ubi inventis duobus peregrinis, exuti suis optimis ac militaribus indumentis, illorumque commutatis resarcitis & vilibus, Cæsarem exuunt, & Christum induunt, & nudis pedibus pervenerunt ad locum, qui dicitur Picingo, in Teutonicorum videlicet regno. Ibique multo tempore voluntariam paupertatem pro Christi amore sustinentes, cum multo labore victum sibi quæritabant. Codex Uticensis nomen profert, ut adnotat Mabillonius, eremitæ, quod alii codices tacent, nempe *Burchardum, qui postea effectus est monachus in monasterio sancti Petri Senonensis, quod dicitur Vivi.* Quibus operibus victum sibi cum socio procuraverit Theobaldus, enarrare pergit ipsius vitæ scriptor. *Nam sicut generaliter, non specialiter de Joseph canitur in psalmo: Manus ejus in cophino servierunt, ita isti usque ad vilissima ac laboriosissima rusticorum opera devoluti sunt, scilicet lapides ferendo, fœnum ex pratis secando, stabula curando, & maxime, ut idem beatus simpliciter postea referebat, carbones ad opera fabrilia faciendo, victum sibi cum parvo censu providebant.* Eadem tradit Guibertus de Novigento [a], qui Ebrardi Britoliensis in Ambianorum Belvacorumque confinio comitis conversionem narrans, affirmat, *adjunctis quibusdam ejusdem propositi sociis Ebrardum in exteras furtim recessisse provincias, ubi prorsus ignotus erat, & carbonibus faciendis, quos per vicos & oppida ad victus subsidium venum ferebat, operam dedisse, tunc primum summas ratus se attigisse divitias; hoc porro vitæ genus,* sequitur Guibertus, *sectatus est exemplo Teudebaldi, seu Theodebaldi Vicentini eremitæ, qui in ipso ætatis flore, spretis nobilissimi generis & secularis militiæ illecebris, nudipes domo clam elapsus, ejusmodi opificio aliquandiu vacaverat.* Quod autem scribit Guibertus Theobaldum paternam domum reliquisse *in ipso ætatis flore*, confirmat sententiam nostram, illum nimirum viginti-quatuor annos circiter natum e patrio solo aufugisse, adeoque rectius consignari a nobis ipsius nativitatem ad annum 1030. quam consignaverit Bailletus, qui ad annum 1017. Theobaldi ortum refert, ex quo anno ad præsentem triginta-septem excurrunt anni, qui numerus profecto nequit ætatis flos appellari. Quod autem ulterius scribit Guibertus *seculari militiæ* nomen jam dedisse Theobaldum, antequam extorris sponte fieret a patria, a vero non abludit, cum etiam Petrus Vangaticiensis referat ipsum & socium ejus Walterum militaria indumenta commutasse cum vilibus vestimentis duorum peregrinorum, & Cæsarem exuisse, ut Christum induerent. Sua hypothesi innixus supralaudatus Bailletus, bello præfuisse Theobaldum putat, quod Odo Campaniæ comes gessit cum Conrado imperatore ob regnum Burgundiæ, quam hic postremus suæ coronæ adjicere quærebat, tamquam hæres reginæ Burgundiæ uxoris suæ; verum cum Odo obierit anno 1037. neque juxta hypothesim nostram, neque ad mentem Petri Vangaticiensis, & Guiberti Novigenti abbatum potuit in ejus exercitu, neque in illa expeditione militare Theobaldus. Picingi autem locus, in quo substitit Theobaldus, vel Pitingi, Pitangi, aut Ptangi secundum varios codices, est, juxta Carolum Jamotte in vita sancti Theobaldi apud Henschenium, pagus prope Luxemburgum in diœcesi Trevirensi, eumque exhibent tabulæ supra fluvium Prumiam tribus leucis a Treviris distantem.

Sed ad historiam revertamur, textumque Petri abbatis prosequamur.

[a] *Lib. I. vitæ suæ cap. IX.*

mur [a]. *Contigit autem, ut ad vineas herbis inutilibus & superfluis purgandas cum sodali a patrefamilias conduceretur, qui in commissa sibi parte genibus debilitatis, dorso inclinato dolente, excruciatis quoque nudis manibus in herbarum eradicatione, pedibus itidem nudis per sentes & silices excoriatis, cum jam gravante opere deficere videretur, operariorum custos, vir profanæ mentis, accurrit, & nobilis juvenis dorsum & humeros stimulo, quem tenebat aculeato, sine misericordia cædere, ac frequenter cœpit pungere; & ita ad sociorum ordinem sine respiratione cogere. Quod videns Walterus collega ejus vehementer ingemuit, & flebilibus vocibus custodem oravit, ut juveni parceret non longo tempore operi assueto, de cujus parte, quod deficeret, suo expleto ordine, ipse perficeret. Impius autem nihilominus cædebat, alter enim alterius linguam non intelligebat. Et tamen si cor ejus pietas innata movisset, ex obortis ejus lacrymis compassionem habuisset. Vir autem miræ patientiæ pro nomine Domini vulnera cum verberibus sustinens, opus debitum, prout vires suppeditabant, exercens, cum Psalmista dicere poterat: Posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Unde suis familiaribus referre solebat, quia in hac convalle lacrymarum, dum sic cædebatur, fructus dignos pœnitentiæ faciebat.*

a Ut supra n. 5.

XXI. Rodulphus cum matre & fratribus disciplinæ Damiani se subjicit.

Juxta nostram hypothesim hoc anno Rodulphus, futurus postea sanctitate celebris Eugubinus episcopus, una cum matre, & cum duobus fratribus Damiani disciplinæ se subjicit, ad eremum Avellanensem una cum Petro fratre majore convolans, matre interea & altero fratre monasticam vestem in alio cœnobio induentibus. Damianus in epistola, quam anno 1061. Alexandro papæ de Rodulphi obitu scripsit, id ante septennium, quam scriberet, contigisse sequentibus verbis manifestat. [b] *Ante fere septennium ille cum matre & duobus fratribus se paullisper ætate præcedentibus, servis dumtaxat libertate donatis, castrum suum mihi inexpugnabili munitione vallatum cum omnibus, quæ sui juris erant, prædiis contulit, atque ad eremum veniens, habitum monasticæ professionis accepit. Monasterium plane in eorum possessione construximus, de cujus nunc sancto conventu regulariter victitante satis in Domino gratulamur, ubi matre & fratre, qui infirmior erat, constitutis, iste Rodulphus, qui postmodum ad episcopatus culmen evectus est, & Petrus primogenitus frater eremiticam vitam tam continenter, tam districte duxerunt, ut & audientibus prædicaret eos fama mirabiles, & conviventibus vita monstraret insignes.* Tum hæc peculiarius habet de Petro: [c] *Sane si de Petro vellem cuncta referre, quæ suppetunt, prius schedula fortassis ista deficeret, cum adhuc dicendi materia superesset. Nam, ut e multis unum saltem breviter referam, dum in capitulo consideremus aliquando de disciplinis regularibus disputantes, ille, ut erat novitius, unum ex seculari consuetudine inordinatum protulit verbum. Tunc ego velut ira permotus, dura satis illum invectione corripui, postque redargutionum atque correptionum longiora flagella, tamquam quæstione pulsato sententiam inferens, per quadraginta dies illum vino abstinere præcepi, ea tamen intentione, ut tantum ad præsens illum cum ceteris ab incautis sermonibus deterrerem, postmodum vero sententiam discretæ remissionis moderamine temperarem. Sed cum me contigisset diversis intentum esse negotiis, neque hoc mihi quilibet in memoriam revocasset, elapso jam præscripto dierum circulo, tandem recordatus expavi; & quid ex injuncta sibi pœnitentia Petrus egisset, attonitus exquisivi. Fratrum itaque relationibus didici pœnitentiam esse peractam. Pœnitui, fateor, prolatæ sententiæ, sed gaudens admiratus sum tantam pœnitentiam fratris, ut pro uno solo verbo inconsulte prolato tam longam pœnitentiam pertulisset, & neque per se, neque alios indulgentiam postulasset.*

b In prologo.

c Cap. 1.

Ann. Chr. 1054.

a Cap. 11.

De Rodulpho vero hæc habet [a]: *Quamvis enim Petrus idem, ut major erat ætate, nihilominus etiam in ardui propositi & districtæ vitæ semper præcederet itinere, hic tamen .... plane dum juvenilis ætatis ingruente natura, gravissimam sæpe pateretur acediam, laquearibus cellulæ funiculos innectebat, sicque ulnis insertis psalmodiæ studio pendulus insistebat. Numquam adipe, numquam ovis vel caseo vescebatur. In eisdem vero, quæ apponebantur eduliis, continens eum frugalitas cruciabat, ut discumbens non tam se reficeret, quam certaret, & intestinum potius esset gulæ bellum, quod extrinsecus videbatur esse convivium. Sæpe pugnavi, ut saltem in hyemalis inclementia frigoris, aut papyrinæ sibi storeæ stramenta supponeret, aut vestitus saltem nocte dormiret. At ille in nuda ligni tabula nudus sola contentus interula cubitabat.*

XXII. De Petro eremita fratre ejusdem Rodulphi.

Petri memoriam omisere in actis Sanctorum socii Bollandiani, nil insuper habet Jacobillius, præter ea, quæ refert ex Damiano. Hugo Menardus in Martyrologio ordinis sancti Benedicti his verbis ipsius meminit ad diem XXVI. julii: „ In eremo Fontis-avellanæ venerabilis Petri eremi„ tæ. “ Et in adnotationibus: „ Hic beatus Petrus fuit frater dicti Ro„ dulphi, monachus & eremita Fontis-avellani, & discipulus beati Petri „ Damiani. “ Ceteri silent. Distinguendus est Petrus Rodulphi frater ab alio Petro, qui de mundi rhetore factus fuerat philosophus, & teres cœnobitarum forma, ad quem & ad Albizonem Damianus anno 1065. [b] Apologeticum *de contemptu seculi* scripsit; ille enim eremiticam, hic cœnobialem vitam professus est; distinguendus quoque a Petro Nonantulano [c], qui post septuaginta monasticæ vitæ annos eremita factus fuit Avellanensis. Forte idem est cum Petro, de quo hæc scribit in epistola ad Theuzonem idem Damianus [d]. *Transeo Petrum, qui nullum cubilis in cella sua patitur superesse vestigium, sed nudum jugiter terit sive hiberno, sive æstivo tempore pavimentum.* Pauca quidem de Petro Rodulphi fratre scribit Damianus, præter factum suprarelatum moderationis, pœnitentiæ & abstinentiæ, cum esset novitius, & præter quod addit eumdem Petrum, *ut major erat ætate, nihilminus etiam in ardui propositi & districtæ vitæ semper* præcessisse *itinere* Rodulphum. Verum magni elogii vicem tenent verba illa: *Sane si de Petro vellem cuncta referre, quæ suppetunt, prius schedula fortassis ista deficeret, cum adhuc dicendi materia superesset.* Tempus ejus mortis incompertum. Facile est ipsum jam ad superos abiisse ante Rodulphum fratrem suum, & ante annum scriptionis epistolæ Damiani ad Alexandrum papam.

b Opusc. XII.

c Opusculum. XXXIII.

d Opusc. LI.

Alter Rodulphi frater, quem nomine proprio non distinguit Damianus, conjicitur ab aliquibus fuisse beatus Fortis, qui ex eadem, qua existimatur ortus Rodulphus, nobilissima Eugubina gente Gabriellia prognatus dicitur, quemque eodem seculo in Avellanensi cœnobio vitam duxisse Jacobillius, Ferrarius aliique testantur. Sed hunc Rodulphi fratrem alium fuisse a beato Forti his rationibus suademur. Beatus Fortis fuit eremita, frater vero sancti Rodulphi cœnobita; & ille quidem in Schiggiæ specu, vel etiam in Avellanensi eremo, ut vidimus, hic *in monasterio patrii solii*, teste Damiano. Beatus Fortis juxta superallatas inscriptiones decessit anno 1040. Eugubini autem episcopi Rodulphi & Petri tertius germanus frater anno dumtaxat 1054. seculo valedixit, cum illa Damiani dictio, *ante fere septennium*, non tantum Rodulphum, sed matrem, ceterosque ejus fratres amplectatur. Quare, quoadusque major lux affulgeat, occultum est nomen alterius fratris Petri & Rodulphi, quod nobis non patefecit Damianus, qui tamen, licet infirmiorem virium, monachum hunc satis laudat

dat una cum matre, dum in Domino gratulatur *in sancto* illo *conventu monasterii constructo in eorum possessione regulariter victitari*.

XXIII. Plura de monasterio S. Bartholomæi in Campo-regio.

Sartius noster fabellam explodit, quam vel de suo marte confecit, vel ab aliis mutuatam accepit Picottus scriptor Eugubinus, qui castrum a Rodulpho oblatum Damiano appellatum fuisse Campetri affirmavit, ubi etiam idem Picottus factum quoddam narrat, ex quo occasionem sumpserit Rodulphus seculi divitiis & commodis nuntium mittendi. Ne actum agere videamur, consulendus ipse Sartius [a] in suo de Eugubinis episcopis eruditissimo opere, qui dum hæc edimus, ingenio, scriptisque celebris ex congregationis nostræ cancellario ad abbatialem honorem provectus, paullopost ad divi Gregorii de Urbe monasterium regendum in comitiis publicis hujus anni 1755. designatur. Majorem veri speciem præsefert, licet id liquido nobis non constet, monasterium constructum in possessione Rodulphi fuisse illud sancti Bartholomæi in Campo-regio, seu Campo-regiano diœcesis Eugubinæ, quod ædificatum fuisse anno 1053. a Petro Damiano asseruit Jacobillius. Non una vice Damianus monasterii Campo-regiani mentionem ingerit, hocque suum monasterium appellat. In epistola [b] ad Johannem monachum sub anno 1061. Richardum nominat rectorem *monasterii, cui Camporizani vocabulum est*, & in epistola [c] ad Moricum legum doctorem eumdem Richardum appellat *priorem nostri monasterii*; *religiosæ vero vitæ, & honestæ gravitatis fratrem nostrum & commonachum Richardum* vocat in epistola [d] ad Rainerium marchionem. Hæc demonstrant Jacobillii, immo etiam Lancellotti assertionem veram esse, scilicet monasterium Campo-regianum primordia sua debere Damiano. An vero jaceret in possessione Rodulphi, non omnino exploratum; illud scimus cœnobium sancti Bartholomæi conditum fuisse apud castrum, sive arcem Campi-regii in territorio Eugubino, & Rodulphum Damiano tradidisse locum constitutum in possessione sua, sive *castrum inexpugnabili munitione vallatum*, ut inibi monasterium construeretur. Domini castri Campi-regiani totum ipsum castrum anno 1350. monasterio Avellanensi subjectum voluere. Exercebant monachi Campo-regiani monasterii seculi XIII. initio curam spiritualem proximarum sanctimonialium sanctæ Mariæ de Amodiis sive de Tribus-modiis in Monte-majori, ut patet ex instrumento Beatricis abbatissæ anni 1205. apud eumdem Jacobillium. Anno quoque 1309. unitum, atque ipsius regimini subjectum fuit alterum asceterium monialium sancti Jacobi de Monte-filiorum-hugonis. Tum caput cujusdam congregationis evasit, sub se plura monasteria & ecclesias complectens, præcipue sanctæ Crucis Perusii, sanctæ Luciæ de Collibus extra Perusium, sancti Nicolai de Virgaliano in Monte-pregio ejusdem diœcesis, sancti Vincentii de Passignano in lacu Perusino, sancti Nicolai de Monte-miniano, sancti Constantii & sancti Martini Jovis Tipherni, sanctæ Crucis & sancti Andreæ Montonis, sanctæ Luciæ de Cretio, sanctæ Mariæ de Vicinanna, sancti Bartholomæi a Monte-alto, & alia, ut constat ex comitiis monachorum Campo-regianorum habitis anno 1366. in quibus convenere priores eorumdem omnium locorum. Anno demum 1419. unitum fuit monasterio sancti Donati ad Fauces, tum alteri sancti Benedicti extra urbem, & postremo monasterio sancti Petri, omnibus diœcesis Eugubinæ, quæ variis temporibus monachis congregationis Montis-oliveti fuere concessa a summis pontificibus. Hæc nobis innotescunt [e] ex Jacobillio, immo ex ipso [f] Lancelloto, ex quo desumpsit Jacobillius.

[a] *Pag.* 33.

[b] *Lib. VI. ep.* 25.

[c] *Lib. VIII. ep* 10.

[d] *Lib. VII. ep.* 17.

[e] *T. III. p.* 306.

[f] *Lib. II. n.* 50. *p.* 307.

XXIV. Historia parthenonis S. Mariæ de Rosano.

Extabat prope fluvium Arnum in loco, qui appellabatur *Rosanum*, parthenon sub invocatione sanctæ Mariæ, de quo in consequentibus alia

Ann. Chr. 1054.

a T. LXXX. pagg. 97. 103.

sumus dicturi; membrum enim evasit seculo XII. alterius asceterii nostri sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri. Legimus in [a] miscellaneis Ferdinandi Melioris, quæ modo asservantur a Cl. V. Biscionio, collegiatæ imperialis basilicæ sancti Laurentii de Florentia canonico, super januam ecclesiæ Rosani exsculptam conspici columbam marmoream, ore præferentem trullam, quam adhibere solent fabri murarii, & in epistylio ejusdem januæ cælatam hanc quoque inscriptionem.

ANNO. DOMINI. DCC. LXXX. AEDIFICATVM. FVIT. HOC MONASTERIVM. RESTAVRATVM. AVTEM. CVM. ECCLESIA ANNO. M. D. XXIII.

Præsenti anno 1054. asceterium hoc regebat Suffia abbatissa; id liquet ex charta, per quam ipsa Læto monacho & electo abbati ecclesiæ & monasterii sancti Michaelis de Passiniano concedit in emphyteusim bona posita in loco, qui dicitur *Cagnaulo*. Paginam ex tabulario abbatiæ Passinianensis descripsit, & nobiscum humaniter communicavit Cl. V. domnus Fidelis Soldanius monachus Vallumbrosanus celebris ob Passinianensis monasterii historiam in lucem editam.

XXV. Donatio facta monasterio fundato in loco Aprognano.

Aliud virorum monasterium consurgebat in loco appellato *Aprognano* in territorio Fesulano, sub invocatione pariter sanctæ Mariæ, cui præsidebat Rainerius abbas. Ipsi, ejusque ecclesiæ & monasterio hoc anno *quinquagesimo quarto post mille, tempore Erigi gratia Dei magnus imperator augusto anni imperii ejus settimo, mense aprili indictione settima Guido comes filius quondam Alberti lege vivens Ribuaria per guasonem terre, ramum arboris, fistugum nodatum, paginam & calamario totum insimul tradidit domus, terras, vineas & ecclesiam edificatam in honorem sancte Trinitatis & sancti Egidii in vocabulo Gaviserre, in pertinentia de plebe sancte Marie sito Sta* (legendum forte *Stia*) *alias quoque terras infra casale Pratilone, ubi dicitur Pietra ficta, & in pertinentia de plebe sancti Petri sito Ormina. Actum in loco Casentino judicaria Florentina & Fesulana*. Guidonem comitem filium quondam Alberti lege viventem Ribuaria arbitramur ex genere descendisse Bonifacii marchionis Thusciæ filii similiter alterius Alberti, & lege itidem viventis Ribuaria, de quo multa effati sumus ad annum 1003. occasione injuriarum, quas idem Bonifacius marchio intulit sancto abbati Bononio; ubi etiam ex Muratorio fragmentum attulimus chartæ ad annum 981. spectantis, qua Albertus comes lege vivens Rubuaria pro animabus Bonifacii (is fuit Thusciæ marchio) Walfredi & Adelberti filiorum suorum bona tradit monasterio sancti Bartholomæi in agro Bononiensi; ex qua nimirum pagina dignoscimus Theobaldum ducem Spoleti & marchionem ex Gualdrada uxore suscepisse Adelbertum vel Albertum; Adelbertum vero ex Bertilla conjuge Bonifacium, Walfredum & Adelbertum, quem postremum credimus patrem fuisse Guidonis comitis, qui supradicta concedit monasterio Aprognani. Ecclesias oblatas cœnobio sanctæ Mariæ Aprognani videbimus ad finem hujus seculi donatas monasterio nostro sanctæ Mariæ de Poplena constituto in eadem diœcesi Fesulana. Ceterum vitiosa est consignatio anni imperii Henrici, & pro septimo legendum octavo; notarius vel exscriptor unitatem reliquit. Chartam donationis Guidonis ex authentico tabularii Fontis-boni damus in Appendice.

Jo-

ANN. CHR. 1054.

XXVI. Johannes Fiscamnensis abbas trajicit in Angliam.

JOHANNES Fiscamnensis & sancti Benigni Divionensis urbis monasteriorum abbas sub finem hujus anni in Angliam trajecit, ut rebus monasterii sui Fiscamnensis provideret. Id docet vetus historia apud Mabillonium [a], in qua Johannes appellatur *Fiscamnensis cœnobii abbas secundus, vir grandævus & a puero in Christi militia apprime exercitatus*. Rem monasticam plurimum promovit in eo regno, in quo honorifice susceptus fuit a rege Eduardo, qui ei ecclesias & terras plurimas dono concessit.

a *Annal. T.IV. p.* 547.

ANN. CHR. 1055.

XXVII. Damianus prævidet episcopum se evasurum.

DAMIANUS per visionem hoc anno præcognovit regimen sibi post triennium demandandum episcopatus Ostiensis. Rem narrat Johannes scriptor ejus vitæ, ubi postquam episcopatum Ostiensem a Stephano IX. [b] illi collatum asseruit, addit: *Episcopatu vero hoc ordine assumpto, illud illico in se agnovit impletum, quod per visionem sibi fuerat ante triennium revelatum. Porro visio talis fuerat; putabat sibi sponsam clarissimam fore dotatam, quam non contingere, nec æquo saltem intuitu valebat inspicere, cui tamen nullatenus renuntiare audebat, tamquam sibi jure conjunctæ.*

b *Cap.* XIIII.

XXVIII. Ejusdem epistola ad Almericum archidiaconum.

EODEM anno, vel 1049. vel demum alio anno, quo feria secunda celebrandum erat festum Natalis Domini, epistolam [c] scripsit Damianus ad *Almericum archidiaconum*, cum in ea petat *pisces eremitis dirigi pro Dominicæ Nativitatis gloria, quia carnes in secunda feria non comedimus*; in defunctorum scilicet suffragium. Conjecit Mabillonius [d] abstinentiam a carnibus in Nativitate Domini, ut in synodo Aquisgranensi tempore Ludovici Pii permissum fuerat, certis diebus relaxasse eremitas Avellanenses, cui sententiæ & nos subscribimus, ita ut in ea sollemnitate carnibus vescerentur, si tamen ipsa incideret in diem Dominicum, in feriam III. vel V. abstinerent autem omnino, si contingeret celebrari feria II. IIII. VI. & sabbato. Exprimit autem ea epistola Damianus, se Almericum diligere, plusquam diligeret proprios germanos fratres, excitatque, ut ad spiritualis militiæ hortum confugiat. Salutat insuper dulcissimos fratres suos *Julianum* & *Fuscardum*, & egregium philomelam dominum *Corbulonem*. Videntur hi una cum Almerico fuisse de clero ecclesiæ Ravennatis, erantque Damiani amicissimi.

c *Epist. V. lib. V.*

d *T. IIII. p.* 436. *Annal.*

XXIX. Alia ad R.. episcopum.

IDEM Damianus passus fuerat, ut episcopus Foro-semproniensis consecraret ecclesiam quamdam sitam in massa Sorbituli, & Avellanensi monasterio subjectam, cujus consecrationem R.. episcopus ad se pertinere contendebat, utpote constitutæ intra fines suæ diœcesis; ea proinde de causa postremus hic antistes divina celebrari officia in eadem ecclesia vetuerat. Excusat factum cum R.. episcopo Damianus, subditque se hoc permisisse, quia incolæ decessoris Foro-semproniensis præsulis fatebantur consuetudine, licet nova, Foro-semproniensem episcopum ecclesias jacentes in massa Sorbituli consecrasse. *Et ego quis eram*, inquit, *qui super unum possessorem sive justum, sive injustum alium superinducerem, & monachus inter duos episcopos jurgium seminarem?* Orat ergo ab interdicto liberari suam ecclesiam. Constantinus Cajetanus editor operum Damiani putavit R.. episcopum fuisse Rodulphum Eugubinum præsulem, sed credibile non videtur Rodulphum litem super hac ecclesia movisse Damiano, quem patris loco semper tenuit, nec tam demisse Rodulpho discipulo suo scripsisset Damianus; præterquamquod ad Eugubinam ecclesiam regendam evectus non fuit Rodulphus, nisi cardinale & episcopo existente Damiano, qui in hac epistola monachum dumtaxat se nominat. Facillime itaque mendum irrepsit circa literam initialem nominis hujus episcopi, & loco

R.. le-

Ann. Chr. 1055.

R.. legendum erit T.. hoc est Theodosius Senogalliensis episcopus; nam de hac eadem Sorbituli massa digladiatos fuisse inter se Foro-sempronienses & Senogalliensem antistites constat ex concilio Romano celebrato anno 1062. vel ut aliis placet, anno 1070. quo Guillielmus episcopus Senogalliensis querelam habuit coram Alexandro papa II. cum Benedicto episcopo Foro-semproniensi super ecclesiis ejusdem massæ; in qua concertatione advocatus Damianus, episcopus tunc Ostiensis, ut sententiam suam proferret, asseruit Sorbituli massam a Victore papa II. qui anno reapse præsenti 1055. Romanus pontifex fuit inauguratus, avulsam fuisse a dominio episcoporum Senogalliensium, & adjudicatam Foro-semproniensibus, ad sublevandam hujus ecclesiæ paupertatem; quare Guillielmo Senogalliensi impositum fuit de cetero silentium. Retinendo insuper literam initialem R.. episcopi, cui præfatam epistolam scripsit Damianus, ipse fuerit Rotbertus episcopus Senogalliensis, & prædecessor Theodosii, qui licet agnitus non fuerit in Senogalliensium episcoporum serie ab Ughellio, reperitur tamen apud Mabillonium in appendice ad [a] tomum quartum annalium vixisse ad annum 1053. quo Arimini interfuit consecrationi Petri Aniciensis episcopi, & Henrici archiepiscopi Ravennatis factæ a papa Leone IX. Obiit autem Rotbertus ante annum 1059. quo locum fecit Theodosio in concilio Romano ejusdem anni subscripto. Cum dicat Damianus consuetudine nova episcopos Foro-sempronienses consecrasse ecclesias massæ Sorbituli, & cum in concilio Romano anni 1062. vel 1070. testis ipse fuerit distractionem hujus massæ ab ecclesia Senogalliensi factam fuisse a Victore II. qui, ut mox diximus, hoc anno Romanam cathedram ascendit, circa hunc annum assignari debet hæc epistola, ante decretum scilicet Victoris II. Non enim, sicut consuetudinem novam usurpatam ab episcopis Foro-semproniensibus indicavit, silentio pressisset scribens R.. episcopo privilegium hocce novum Damianus. Consuetudo nova, quam sibi arrogaverat Foro-semproniensis antistes, inducta fuit vel ab Adam Foro-semproniensi episcopo, qui sub Gregorio VI. obierat, vel ab N.. archipresbytero, qui decesserat ante annum 1049. Episcopus autem Foro-semproniensis, *cum quo caritatem habere* non potuit Damianus, *ex quo* Rotbertus *in episcopatum Senogalliensem* venit, *& qui sibi eatenus fuerat devotissimus, jam non occultus, sed manifestissimus factus fuit* ei *inimicus*, videtur fuisse Benedictus, qui ab anno saltem 1049. eam ecclesiam regebat, quique post annos litem denuo super eadem massa habuit cum episcopo Senogalliensi, ut alibi videbimus.

a Pag. 743.

XXX. Donatio facta monasterio S. Petri in Campo.

Monasterii sancti Petri in *Campo*, quod situm erat in agro Senensi, quodque subinde unitum fuit eremo & monasterio sancti Petri ad Vivum, præsenti *anno millesimo quinquagesimo quinto, regnante domino nostro Enrigus gratia Dei magnus imperator augustus imperii ejus anno octavo, quinto kalendas martii indictione septima*, abbas erat Johannes, qui appellatur etiam *sancti Petri vicarius*. Ipsi & ejus monasterio *Ranerius & Petrus, qui Pepo est clamatus, & Farolfus germani comitibus filiis bone memorie Vuinigildi, qui fuit comes, pro redemptione anime genitoris sui, & Tedure genitricis eorum, sicut genitor eorum in sua egritudine, quando venit ad mortem, fieri judicavit*, donant & offerunt latifundia posita *in vocabulo sancti Pauli, in Pucanu, in Clangue, in Sandula, in Fercule, in colle Dolco & Sarcianella*, quorum bonorum possessionem ipsi abbati tradiderunt *Aper castaldius, Rusticellus & Ranieri, qui sunt scariones de predictis comitibus*. Rogatus fuit Adalbertus, vel Albertus vel Albericus judex & notarius domni imperatoris Henrici. *Actum inter abbatiam sancti Severi Urbivetere*. Hæc est antiquior, quam reperimus, mentio abbatiæ

sancti

sancti Severi in Urbe-vetere, cujus abbas per hæc tempora erat Bonizo *vir grandævus*, de quo mentionem facit Petrus Damianus opusculo IX. de *eleemosyna* ad Mainardum episcopum Urbinatem sub anno 1064. quo in vivis adhuc erat Bonizo. Chartam hujus donationis factæ monasterio sancti Petri in Campo, quam ex codice vulgo *delle Coppe* cancellariæ urbis Montis-politiani exscripsit olim Hubertus Benvoglientius, & ad Grandium transmisit, edimus in Appendice nostra. In qua tamen, notæ chronicæ corrigendæ sunt; neque enim indictio hujus anni erat septima, sed octava; annus quoque imperii Henrici nonus decurrebat mense februario, non octavus.

Similes temporariæ notæ in cujusdam refutationis pagina asservata in archivo Azzurrinio penes N. V. Savinum Taroni Faventiæ leguntur: *Anno Deo propitio pontificatus domni Victoris summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri apostoli sede anno primo*; is est præsens annus; *sicque imperante domno piissimo magno Enrigus a Deo coronato pacifico magno imperatore in Italia anno regni ejus octavo, die secundo mensis julii indictione octava* (emendandus scilicet in hac pagina annus octavus imperii Henrici, & substituendus nonus). Porro inter ceteros testes, in quorum præsentia conscriptus fuit hic refutationis libellus, nominantur *in primis domnus Hieronymus religiosissimus & Domini misericordia abbas monasterii sancti Ipoliti*, nimirum de Faventia, & *Almericus monachus ejusdem monasterii* &c. *in fundo, qui vocatur Ordianico*. De hoc cœnobio primum egimus ad annum 1022.[a]

a T. I. pag. 409.

XXXI. Alia eremo S. Nicolai in comitatu Pennensi.

AVELLANITICUM institutum in plura loca diffuderat Damianus, teste Johanne episcopo Laudense ejus vitæ scriptore. Inter cetera eremum ædificaverat in comitatu Pennensi, ubi consurgebat ecclesia, quæ exstructa erat in honorem Dei, & sanctorum Nicolai, Michaelis archangeli & Blasii *de Monte-cornu*, *in loco qui dicitur Carpenetus*, cui præerat hoc anno Bamponus prior. Ipsi enim & Hieronymo, ac eorum sociis eremitis Corellus filius quondam Cresidii & Morellus filius Samsonis *anno millesimo quinquagesimo quinto, indictione octava, decima die intrante februario*, titulo donationis offerunt sexcentos modios terræ jacentis circa ecclesiam supradictam, pro eo quod *dompnus Bamponus de voluntate ipsius domni Hieronymi & totius familiæ in ipsa ecclesia astantibus, indutus sacerdotalibus vestibus ante altare ejusdem ecclesie per librum & stolam investivit* supradictos dominos Corellum & Morellum, eorumque heredes per se suosque successores, & *participes fecit eos de omnibus orationibus, psalmodiis & sacrificiis, que apud prefatum locum ab ipsis & eorum successoribus fiunt vel deinceps facta fuerint*, & insuper *ad aumentum fidei eos ad pacis osculum recepit*. Chartam donationis damus in Appendice ex apographo domni Romualdi Blanchi Mantuani monachi nostri, existente in archivo Avellanensi. Die XXVI. aprilis anni 1539. supradictum donationis instrumentum exhibitum & præsentatum fuit per V.. priorem Avellanensem, in *causa*, *quam ipse habebat cum universitate Chriscariæ cum potestate relaxandi copiam, & recipiendi originale, presente Amico Piccinii sindico & procuratore dicte universitatis, & copiam petente cum termino competenti ad respondendum* &c. Pendet etiamnum hoc monasterium & ecclesia sancti Nicolai de Cornu ab abbatia Avellanensi, titulo gaudens prioratus.

Algozo quondam Bonhomi[b] pollicetur ecclesiæ sancti Clementis positæ in urbe Arretina, & membro monasterii Prataliensis, atque monachis ibidem viventibus manutentionem terrarum a se traditarum eidem ecclesiæ, quarum portio altera est in pleberio sanctæ Mariæ *in Gradis*, altera in ple-

b *Arch. S. Mariæ in Grad. n.* 8.

Ann. Chr. 1055.

pleberio sancti Paulli in Petriolo; recipit autem pro hujus promissionis *Launechild* libras duas.

Ann. Chr. 1056.

XXXII. Epistola Damiani ad Victorem II. Rom. pont.

OBIERAT in Germania hoc anno, autumnali tempore, quadragesimum nondum ingressus ætatis annum, Henricus III. Niger appellatus, imperator, & Victori papæ, qui fato ejus interfuerat, commendaverat Henricum filium sexennem, sub tutela quidem Agnetis matris, sed sub ecclesiæ Romanæ protectione. Hinc intelligimus, cur Damianus in epistola anni præsentis ad eumdem Victorem Romanum pontificem scripta, ipsum appellet Romano imperio vacanti jura dicentem. *Ego* [a], inquit, Christum adducit Victori loquentem, *te, ut non a principio repetam, de communi clericorum grege ad sacerdotale fastigium extuli, & de clientela episcopìi ad obtinenda episcopalis officii jura promovi; ego te quasi patrem imperatoris esse constitui*, & *cor illius ad gratiam tui præ cunctis pene mortalibus inclinavi. Ego claves totius universalis ecclesiæ meæ tuis manibus tradidi, & super eam te mihi vicarium posui, quam proprii sanguinis effusione redemi. Et si pauca sunt ista, etiam monarchias addidi, immo sublato rege de medio, totius Romani imperii vacantis tibi jura permisi.*

Fuerat enim Victor, olim Gebehardus, ex clerico ad ecclesiam Eictestensem ab eodem Henrico promotus, & post mortem Leonis IX. quæ contigerat die 19. aprilis anni 1054. inter ceteros electus fuerat anno elapso 1055. ab Hildebrando subdiacono ecclesiæ Romanæ ad hanc rem in Germaniam misso a clero populoque Romano, ad universalis ecclesiæ regimen. Zelo percitus superiora improperavit Damianus Victori Romano pontifici, utpote qui a quibusdam injuste vexari & opprimi sinebat Henricum quemdam illustrem virum, qui spretis rebus humanis & terreno seculo, cui militaverat, ad Christi militiam confugerat. Ut proinde misero jubeat sacerdotalem justitiam exhiberi invicto animo persuadet Damianus Victori. Henricum hunc, sed nullo fundamento, quod ex epistola Damiani petatur, episcopum fuisse putavit Baronius ad annum 1057.

XXXIII. Ejusdem opusculum de vita eremitica ad Theuzonem.

DIFFERENDA non est serius hoc anno Damiani epistola ad Theuzonem monachum & eremitam Florentinum inscripta *de vita eremitica*. Notissima est concertatio, quam cum Theuzone habuit Damianus, ut eum reconciliaret cum suo præsule abbate monasterii sanctæ Mariæ Florentiæ, simul etiam ut indiscretum ejus zelum, sive fastum retunderet. Verum præstat ipsum Damianum audire, rem totam a sua origine repetentem. [b] *Per longiora te ignotarum regionum loca, per præcipitia montium, per saxosa alpium prærupta quæsivimus, tandem ad januam pertingentes, post multa precum quidem nostrarum, tuarum autem volumina altercationum, cum jam lapsus pene deficeret spiritus, vix demum tamquam importuni capitis homines admissi sumus* (*dominus enim mihi tunc Albizo adhærebat*) *intenti autem & non mediocriter avidi ædificationis documenta suscipere, protinus in ipso mutuæ collocutionis exordio coacti sumus jurgiosis quibusdam contentionibus deservire; & qui gestiebamus de spirituali certamine subtilia quædam & occulta discutere, vix tandem suffecimus perplexas quæstiones atque inutiles arroganter abjectas, ineptæ videlicet litis materiam, propulsare; quippe conveneramus Eliam vel Paullum videre in eremo humiliter latitantem; citra spem reperimus quodammodo Xenocratem in gymnasio grandiloque proponentem, immo quibus mens erat imitationis gratia agnum conspicere mitem, ferocem potius taurum incurrimus cornibus immaniter ventilantem. Inter ipsas tamen quæstionum contentionumque densissimas grandines, prout licuerat, mitis ille prædicator ad memoriam recurrebat dicens: Stultas*,

a *Epist. V. lib. I.*

b *Opusc. LI. cap. 1.*

tas [a], *inquit*, & *sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites, servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Et iterum: Noli verbis contendere; nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Illud quoque non prorsus exciderat: Prophana autem & vana eloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem. Hæc & hujusmodi nobis tacite conferentibus, illud etiam cum eodem apostolo, clamoso quodam silentio, conscientia respondebat: Si quis* [b], *inquam vult contentiosus esse, nos hujusmodi consuetudinem non habemus. Quid plura? Tandem cum in arcto positi multiplicium obiectionum vallaremur angustiis, ubi ratiocinandi copia suppetere desiit, ad Sanctorum mox exempla confugimus; ut illis saltem fides habeatur, quorum auctoritas ad probationem cujuscumque negotii incunctanter admittitur. Cumque super quodam disceptationis articulo sanctus Romualdus in testimonium duceretur, præsto quæsitum est, utrum ipse Romualdus aut tunc extiterit sanctus, vel nunc sit in paradiso receptus. Et licet contra fidem totius ecclesiæ nostrarum provinciarum hæc de sancto viro quæstio moveretur, ad adstruendam tamen partis nostræ sententiam illos in testimonium sanctos adscivimus, quorum celeberrima & vetus opinio etiam apud plebejos quoslibet & ignaros nutare non possit: Leonem videlicet, atque Gregorium, clarissimos olim Romanæ sedis Antistites, quorum quidem alter authentica canonum decreta promulgat; alter ecclesiam perspicuis ac profundis cœlestis eloquentiæ fontibus irrigat* (primos scilicet hujus nominis Romanos pontifices) *Sed his nominatis tantumdem est. Nam & super his nihilominus quæstio geminatur; quo pacto quis certum teneat, utrum & isti tales fuerint, quibus sine retractatione debeat fides accommodari, sive etiam digni sint intra Sanctorum catalogum percenseri.*

a II. Tim. 2.

b II. Cor. 11.

Cumque hæc [c] & *alia plura in sermocinationis decursu impudenter effluerent, quæ non modo ullum fructum ædificationis, ad quem gliscebamus, afferrent, sed supervacuam potius interminabilium quæstionum caliginem generarent; tandem recolentes illud quod dicitur:* [d] *Verbum abbreviatum faciet Dominus, quasi de spumosi maris procellosis turbinibus emergentes, ad tuti portus sinum applicare studuimus, dum de caritate, in qua nulla quæstio videbatur, adorsi sumus. Erat quippe inter te, & abbatem tui monasterii non ferenda simultas, & inveterata discordia. Ille igitur, ut vir mitis ac simplicis animi, sponsionibus suis cuncta dignæ satisfactionis & humilitatis jura transcendit, & nos sequestri fœderis inter se, & te executores instituit. Verum nos, dum alienis amicitiis inconsulte consulimus, in implacabile odium proprii capitis devoluti sumus; quin potius in oblatrantis Charybdis latus incidimus, qui nos Scyllææ voraginis naufragium evasisse credebamus; dehinc paucis quasi rationibus irrationabiliter redditis, & cum jurgio & timore impatienter effusis, ad trabale scilicet odium non evellendum, sed enixius radicandum, tandem per semicinctia correpti violenter excludimur, & præ damnatis foribus familiare colloquium ulterius non meremur. Digna nimirum ultione mulctati, ut qui in commendandæ caritatis crimen incidimus, & quod in homicidas durum est, perpetuo digni odio censeremur. Verumtamen ne de his leviter ridere videamur, quæ piis mentibus fraterna sunt compassione legenda, inhonestæ confusionis historiam hucusque contexuisse sufficiat.*

c Ibid. cap. 11.

d Isa. x.

XXXIV. Quis Albizo Damiani socius in concertatione cum eodem Theuzone?

PUTARUNT aliqui Albizonem, quem suum nominat socium itineris Damianus, fuisse abbatem monasterii sanctæ Mariæ Florentiæ, qui hoc nomen gesserit, sed insigniter falluntur, cum apertis verbis dicat Damianus se & socium itineris sui Albizonem sequestris fœderis executores inter abbatem ejusdem monasterii sanctæ Mariæ & ipsum Theuzonem fuisse institutos, & præterea in serie abbatum ejusdem cœnobii Albizo aliquis tunc

Ann. Chr. 1056.

temporis non reperiatur, sed Petrus hujus nominis II. Existimarunt alii, inter quos [a] Grandius & [b] Muratorius Albizonem Damiani comitem fuisse celebrem illum Camaldulensem eremitam, quem in consiliis jampridem adhibuerat Immo episcopus Arretinus, ut diximus ad annum 1045. Compertissimum pariter non est, an eremita Camaldulensis, Immonis consiliarius, idem sit cum alio Albizone, qui ab anno 1051. usque ad 1063. reperitur prioratus in eremo Camaldulensi officio decoratus, ut ad eum annum diximus, vel cum altero Albizone reparatore ecclesiæ primitivæ Arretii, cui anno 1050. honorificum privilegium, ut similiter vidimus, concessit Leo IX. papa. Albizonem alterum venerabilem monachum reperimus in concilio Romano sub eodem pontifice ipso anno 1050. qui canonizationi sancti Gerardi episcopi Tullensis, quam suasione sua promovit, præsens fuit. Abbatem Tollensem prope Placentiam Albizonem per hæc tempora laudat etiam [c] Mabillonius. Albizonis abbatis monasterii sancti Januarii Campi-leonis in territorio Arretino mentionem faciemus ex chartis tabularii Camaldulensis ad annum 1065. Demum Albizo alter erat eremita Avellanensis, cui plurimum deferebat Petrus Damianus, quemque ad annum 1065. appellat *imitandum eremiticæ conversationis exemplum*; hunc postremum potius arbitramur præ ceteris itineris hujus ad Theuzonem Damiani comitem.

a *Dissert. IV. n. 5.*

b *Antiq. T. VI. col. 426.*

c *Annal. T. IV. pag. 441.*

XXXV. Quando habita hæc concertatio, & scriptum opusculum?

Præterea communiter existimatur colloquium præfatum Damiani cum Theuzone contigisse anno 1063. quo legatione apostolica in Thusciam mandante Alexandro II. functus fuit doctissimus cardinalis, cives Florentinos reconciliaturus cum ipsorum episcopo Petro simoniæ accusato. Quinimmo Mabillonius legationem hanc & colloquium prædictum retrahit ad annum 1066. Verum alibi vidimus pluries Damianum Florentiam pertransiisse etiam tempore, quo Gerardus, inde Nicolaus II. nondum Florentinus inauguratus fuerat episcopus, ex epistola VII. lib. IV. nempe ante annum 1046. primum Gerardi in ea sede; Florentiæ pariter substitit Damianus, cum idem Gerardus Florentinam ecclesiam regebat, ut colligitur ex opusculo XX. capite VII. Ulterius Dominicus Loricatus, quem Damianus scribens ad Theuzonem laudat ut adhuc viventem, anno 1063. jam in vivis esse desierat, ut alio in loco ostendemus, & in ipsa epistola aliqua demum occurrunt, quæ indicant, Damianum eam transmisisse ad Theuzonem, antequam sub finem anni sequentis e latebris Avellanensibus Romam evocaretur ad dignitatum munera: de se enim & de Dominico sermonem instituens, *certe*, inquit, *cellulis altrinsecus constitutis solo basilicæ mediantis interstitio ego illeque dividimur*. Neque verisimile redditur ab exitu anni 1057. quo Romam postulatus fuit Damianus a Stephano IX. ad autumnum anni 1060. quo spiritum Deo tradidit Dominicus, Damianum ecclesiasticis negotiis tum Romæ, tum alibi distentum Fontis-avellanæ solitudinem repetiisse, nisi ad breve tempus post Mediolanensem legationem anni 1059. ut habet in opusculo *de patientia* ad eumdem Dominicum Loricatum illis verbis: *Postmodum ad eremum rediens cellulam quidem festinus intravi* &c. si tamen nomine hujus eremi veniat Avellanensis, & non potius Gamugnensis vel alia. Verum etiamsi Avellanam rediisset eo anno Damianus, Loricatus tunc temporis non commorabatur amplius in Avellanensi eremo, sed in altera montis Suavicinii, ut ex titulo ejusdem opusculi, ac proinde eo anno non potuissent a Damiano usurpari verba illa: *Solo basilicæ mediantis interstitio ego illeque dividimur*. Reliquum ergo est, ut ipsa verba ad annum aliquem referantur, quo prioris adhuc officio in monasterio Avellanensi fungebatur Damianus, antequam ad cardinalitium

munus

Ann. Chr. 1056.

munus traheretur, & multo magis referatur ad ipsum annum vel ad antecedentem statuatur ejusdem concertatio cum Theuzone, quæ epistolam præcessit. Illud etiam superaddimus Dominicum, teste Damiano in opusculo ad Blancam, *aliquantis ante obitum annis virgarum scopas in corrigiarum scuticas* vertisse, sed in epistola ad Theuzonem de solo scoparum exercitio a Loricato usurpato fit mentio; ergo epistola hæc scripta videtur aliquantis ante Dominici obitum annis. Et hæc quidem, ut rationem redderemus, cur epistolam ad Theuzonem ad præsentem circiter annum assignaverimus. Illud etiam in ea concertatione animadvertendum, Damianum in medium produxisse testimonium sancti Romualdi. Sed quodnam testimonium? Verisimiliter Theuzoni objecit inordinatam eremiticæ, quam vivebat, vitæ rationem, quæ certe contraria erat præceptis & doctrinis sancti Romualdi, qui eremitam volebat sub obedientiæ jugo & sub abbatis disciplina solitudini vacare, cum e contra Theuzo obedientiam respuisset, immo cum abbate suo simultates, inveteratasque gereret discordias. Ceterum confirmat ad hæc tempora Damianus, quæ ante annos quatuordecim de eodem sancto Romualdo in ipsius vita affirmaverat, nimirum [a] *ex longinquis terrarum partibus toto anno, maximeque in ejus festivitate, fidelium multitudinem convenire ad ejus sepulcrum*, cum in hoc ad Theuzonem opusculo asserat, *contra fidem totius ecclesiæ nostrarum provinciarum, hanc de sancto viro quæstionem moveri, an extiterit sanctus, vel nunc sit in paradiso receptus* Romualdus.

a *In prologo*

XXXVI. Exempla humilitatis & pœnitentiæ Avellanensium eremitarum proposita a Damiano Theuzoni. Vita idiotæ eremitæ.

Exposita Damianus concertatione, quam habuerat cum Theuzone, ipsum ad mansuetudinem & christianam modestiam traducere cònatur, damnatque ipsius novum in urbibus eremitice vivendi institutum. *Nunc unde tibi*, subdit, [b] *hujus origo morbidæ tabis obrepserit, tantummodo te, si sit possibile, audire patienter, ego non gravabor exponere. Nulla siquidem disciplina, ut dicitur, monasticæ institutionis attritus, sub nulla majorum custodia maceratus, in ipso conversionis novæ tirocinio adhuc durus & rigidus, hujus propositi iter arripiens, ante cœpisti docere, quam discere, prius depromere, quam legum mandata servare. Huc accedit, quod eremiticam vitam non in eremo, sed intra populosæ urbis mœnia ducere decrevisti, ubi nimirum quidquid a tam magnifici nominis auctore præcipitur, sic arripiatur, tamquam si a sibyllino aditu vaticinii oraculum reportetur. Sed quæso, si monachus es, quid tibi cum urbibus? Si eremita, quid tibi cum civium cuneis? Quid enim cellæ vel fora strepentia, vel turrita conferunt propugnacula? Enim vero, qui tamquam deficientibus silvis, solitudinem in urbibus quærunt, quid aliud credendum est, nisi quod solitariæ vitæ non perfectionem, sed favorem potius & gloriam aucupantur? Illic igitur, captato vulgi favore, circumfluus, quid tibi mens vel improvisa dictaverit, proprio judicio lex habetur, quidquid præceps lingua decurrerit, sententia deputatur. Nec te metiris juxta testimonium propriæ conscientiæ, sed secundum opinionem potius assentatricis turbæ, apud quam videlicet venalis pallor in vultu, & auditum nomen jejunii stuporem mentibus ingerit. Vinum namque in urbe nescire, prodigium est; in eremo bibere, satis ignobile. Oleum in eremo magnæ deliciæ; in populo autem, qui saltem arvina non vescitur, abstinentiæ palma donatur. Cilicium in eremo vestimentum; in urbe spectaculum. Cruribus pedibusque nudatis incedere in eremo quidem regula, in foro autem afflictio cernitur indiscreta. In eremo stratum molle juncus est vel papyrus, inter cives applauditur centone contentus. Quod enim illic conversatio rara mirabile reddit, hic societas fraterna commune. Ac per hoc quod illic præconio laudis attollitur, hic generaliter inditum gloriam non meretur.*

b *Cap. III.*

Ann. Chr. 1056.

Tum sequentia proponit suorum præsertim Avellanensium eremitarum vitæ exempla, ut inde cognosceret Theuzo [a], quantum ab eorum conversatione ipsius vivendi ratio differret; quæ nos eo libentius in medium proferimus ipsis Damiani verbis, ut una eademque occasione rigor & pœnitentia Avellanitarum solitariorum, id quod est præcipuum institutum nostrum, nota fiant. *Sed o utinam*, inquit, *præsens adesses, & quid in his silvis ab ignotis atque despectis agatur, oculo judicante, perpenderes! Tamen ut se, si fortassis inest tumor arrogantiæ, deprimat, vel breviter aliquid te de illorum conversationibus erudire non pigeat. Nam, ut omittam de continua frugalitate, & penuria vestium, de rigore silentii, de jugi instantia orationis, nonnulli apud nos sunt, qui inter cetera districtionis impendia, tanta censura a vini perceptione se cohibent, ut jam pene per decennium, ne in Paschalibus quidem festis, de prædicto liquore gustaverint; quorum videlicet alii sunt juvenili adhuc flore vernantes, alii jam ad venerandæ senectutis maturiora vergentes; alii etiam uvis & aceto se nihilominus privant; plerique autem saginis, ovis, & caseo tamquam carnibus abstinent.* Tum aliquorum in peculiari eremitarum vitam describit plane admirabilem. *Quemdam*, [b] ait, *habemus in cellula rusticum idiotam, vix quinquaginta psalmos utcumque balbutientem, eosdem tamen per dies singulos, subjectis semper litaniis septies iterantem*; tercentos-quinquaginta scilicet quotidie psalmos percurrentem, duo nempe psalteria, & quinquaginta insuper psalmos modulantem. *Qui jam per tria ferme lustra non prodiit, sed neque capillos totondit, neque barbam rasit. Hoc siquidem & ipsi crines evidenter asserunt, qui jamjam forte prolixiores illo talotenus fluunt, quamquam nos hoc districtionis genus minime probemus. Hujus itaque continuo tenore talis est vita, ut tribus per hebdomadam diebus nil penitus comedat, tribus autem quamdam mensuram panis cum aqua percipiat; Dominicis autem & præcipuis festis non quidem pulmentum sive liquamen aliquod, sed quamdam sibi frixuram quasi edulium præparat; quam sane vidisse & non tetigisse, propemodum refectionem ducimus; gustasse autem vel etiam olfecisse, partem pœnitentiæ deputamus. Porro autem duo in ejus cellula serpentes jam per plures annos, ut fertur, familiariter spatiantur. Qui etiam, ut ipse fatetur, dum ille solo prostratus litaniarum votis insistit, circa caput ejus hinc inde blanda mites allusione discurrunt, & virosi morsus obliti, tamquam patrifamilias domus, clientelam devotæ sedulitatis impendunt. Ecce & venenatæ bestiæ inter se in exhibendo monachis obsequio concordant, cum videlicet ipsi monachi viperina invicem a se, proh dolor! immunitate resiliant. Mirum, quod tantum fœtorem eo loci numquam querulus tolerat; mirum quod lutulentam ad bibendum aquam per tot dies in dolio velut sentinam servat, mutatoria numquam lavat, vestes numquam mutat, nisi eucharistiam percepturus, quas tamen mox exuit, & ad id munus propter munditiam in tuto reponit. Nisi post solis occasum numquam accipit cibum, servata tamen diebus Dominicis reverentia, in quibus videlicet circa sextam horam unam ex his, quæ pro sacramentis fiunt, oblatiunculam percipit, & sic propter regulam jejunium solvit*; regulam scilicet sancti Benedicti, quæ comestionem ad horam sextam ea die permittit capite XLI. Juxta eamdem regulam capite XXXVIII. singulis diebus Dominicis Eucharistiæ sacramentum percipiebatur, quam piam consuetudinem prætermittere monachus hic observantissimus religioni duxisset. Potest tamen intelligi & regula eremitica, de qua agemus libro sequenti sub num. IV. Sed Damiani textum prosequamur. *Quid autem de inopinatis ejus vigiliis dixerim? Quandoquidem mihi ipse retulerit, die quidem, inquiens, nullo tempore quietem membris indul-*

a Ibid. cap. IV.

b Ibidem cap. V.

geo,

geo, vespere autem psallens & orans, tunc demum sopori viscera fatigata concedo, cum jamjam nocturnæ synaxis articulum propinquantem cognosco, quatenus mox, ut corpus sopor irruens totis viribus occupat, repente illum, quasi tintinnabulum feriens ab audacis violentiæ invasione depellat. Sæpe rogatus, ut pro necessitatibus ecclesiasticis, vel fœderanda pace procederem, cum mihi detrimentum esse pernoscerem, licet aliis proveniret, hunc fratrem ea fide consului, ut illi divina gratia dignaretur infundere, quid mihi decerneret expedire. Protinus sancta simplicitas ad id, quod propositum erat, compendiosæ responsionis clausulam fixit. Quid, inquit, candelæ prodest, si aliis luceat, dum se interim edax flamma consumat? Hoc responsum, fateor, lætus arripui, & tamquam divinitus datum, salva tantummodo caritate & obedientia, servare decrevi. Martinum Storacem appellatum fuisse prædictum Avellanensem eremitam præfert titulus capiti appositus.

XXXVII. Leonis & Lupi ac Petri eremitarum.

Postmodum de aliis eremitis hæc subdit: [a] *Sed dum in unius viri virtutibus enumerandis prolixius immoror, ab aliis vel summotenus perstringendis, longa mora prodiente, retardor; veniam autem ad dominum meum Leonem, & vere Leonem, qui antiquum draconem, caput scilicet auctoremque malitiæ, continuis ad bellum concertationibus provocat, & ab ipso impuberis adolescentiæ tirocinio usque ad provectam jam senectutem, tamquam consertis cominus armis, adversus illum infatigabiliter pugnat. Vere, inquam, Leo, qui & mundum pervigil dormit, & divinæ contemplationis quodammodo soporatus intendit. Quid ultra de hoc viro dicendum est, quam quod videmus illum, & mundo mortuum, & cruci Christo confixum? Hic nempe perfectæ mortificationis est norma, hic singularis vitæ regula, hic ad perfectionis apicem festinantibus imitabilis disciplina. Quidquid fere districtionis, quidquid continentiæ superius dictum est, in hoc viro consequenter intellige; præcipue tamen in eo caritatem, humilitatem & mansuetudinem venerare. Sermo denique ejus dulcis ad instar mellis solatur mœstos, docet inscios, concordat iratos. Quis enim correptionis illius austeritate deterritus non redire disposuit? Immo quis quantalibet ingruentium tentationum pressus caligine sine consolatione recessit? Bene siquidem currentibus blandum, delinquentibus se præbet austerum. Sed hoc modo, ut & blanditiam in auctoritatem austeritas erigat, & eamdem austeritatem blanda rursus mansuetudo compescat. Rigor autem abstinentiæ in eo tantus est, ut in ejus facie imago potius, quam viventis hominis corpulentia videatur. Percontanti olim mihi, quod possem invenire solatium, quia tamen exiguæ mensuræ panis mihi inter ipsa jejunia videretur, tale dedit præsto consilium. Aliis, inquit, diebus medietatem tibi mensuræ illius appone, die autem illa, qua relaxare aliquid de consuetæ regulæ censura volueris, totam tibi summam præfixæ quantitatis indulge, & tunc sufficiens erit raro censum, quod nunc modicum videtur indifferenter oblatum. Hoc autem in tantæ angustiæ necessitate remedium utcumque ex consulentis merito placuit, sed curiosa meæ edacitatis intentio, fateor, non quod præstolabatur, audivit. Nuper etiam mihi inter familiaria mutuæ collocutionis verba subintulit: Frater, inquit, mi faciant alii magna quædam, prout gratia illis divina præstiterit, infirmitati autem meæ non erubesco sufficere, si per dies singulos duos annos pœnitentiæ possit implere;* sexaginta psalmorum persolutione, & sex millibus flagellorum ictibus adimplebatur duorum annorum pœnitentia. *Aliquando autem, dum me tentationibus resistere prudenter instrueret, quod suum erat, alii contigisse narravit. Novi, inquit, fratrem, quem dum fornicationis spiritus graviter fatigaret, & ille crebris orationibus vehementer insisteret, tandem nocte quadam super stratum quiescenti angelus Dei cominus astitit, & arre-*

[a] *Ibid. cap.* VI.

Ann. Chr. 1056.

& arrepto ferro testiculos ejus abscidit. Cumque ille vigilare se crederet, sed numinis auctoritate pressus, quid ageretur, inquirere non auderet, tantam doloris vim in genitalibus pertulit, ac si revera materiale cisurgium partem corporis secuisset; ab eo itaque tempore frater ille non modo hujusmodi passionibus non subjacuit, sed & tamquam carne præmortua nullum ulterius in se libidinis stimulum sensit. Sciscitanti autem mihi, quis ille fuerit frater? nihil mea interesse respondit. Longe vero post, cum jam oblivio potuisset obrepere, inter cetera conveni hominem. Numquid non, inquam, mi pater, tale aliquid tibi accidisse professus es? Tunc ille ex improviso conventus, quod dixisse se credidit, negandum esse non duxit.

Sed cur ego in singulis immoror, qui tantam virorum illustrium densitatem mihi imminere contemplor? Prætereo igitur dominum meum Lupum, veræ videlicet mansuetudinis agnum. Qui profecto, & antequam se carceri, quem pro æterna libertate nunc incolit, perpetim inclusisset, per trium circiter annorum continuata curricula vinum non bibit, nullumque sibi pulmenti liquamen indulsit. Transeo Petrum, qui nullum cubilis in cella sua patitur superesse vestigium, sed nudum jugiter terit sive hiberno, sive æstivo tempore pavimentum. Leonem quoque non numero, qui lumbos suos super nudum ferrea semper catena circumdat, ne sobrietatis limitem supergressio immoderatæ refectionis excedat.

XXXVIII. Alterius Leonis itidem eremitæ.

a Ibidem cap. VII.

[a] Sed *ecce Leo rursus alius occurrit, qui jam pene emensæ senectutis oblitus annosum diu vivendo senium gerit; & licet emeritus miles divina procinctus castra tirocinali, ut ita fatear, fervore custodit. Qui nimirum inter cetera dona virtutum sic vigiliarum studio præeminet, ut nulla totius anni vel perexigua nocte prius a fratribus ad nocturnale conveniatur officium, quam ille psalterium morose habeat, decantando cum suis litaniis, impletum; postmodum vero juxta morem eremi psalterium pro defunctis exsolvit. Porro autem cum jam, ut fert opinio, centum quadraginta ætatis annos excedat, postquam se constanter inclusit, hac etiam lege constrinxit, ut quotidie se scopis gravioribus atterat; nullo etiam die nisi celebrioribus festis, circa vesperam tantum, comedendi consuetudinem solvat. In omni tamen vita sua numquam sanguinem minuit, numquam antidotum sumpsit. Illud quoque prætereundum non est, quia sic oleo lætitiæ gratia illum divina perunxit, ut nec senilis gravitas tristia sibi ora contrahere, nec vita remotior in ejus vultu potuerit rigidum quid vel asperum generare, sed semper hilaris, semper lætus, semper occurrit urbana quadam serenitate festivus.* Leo postremus ille forte erit, quem meruisse putant aliqui sub Romualdo in Sitriensi solitudine, cum centum-quadraginta ætatis annos circa hæc tempora attigisset; sicut Leo, de quo superius tanta narravit Damianus, idem erit cum Leone, qui in eremo a Maginfredo marchione excitata pluribus annis vixerat, antequam ad Avellanensem solitudinem properaret. Uterque tamen Leo Sitrienses prius monachi fuisse creduntur a multis; distinguendus nihilominus est unus ab altero, quos distinguit Damianus, & distinguendi sunt ambo a tertio Leone ferrea catena ad lumbos circumdato, quem in hoc opusculo distincte commemorat. Eremitæ, quorum pœnitentiam describit Damianus in hac ad Theuzonem epistola, partim degebant in eremo Avellanensi, partim in aliis ab ipso constructis solitudinibus, cum diversa se perlustrare loca affirmet, dum horum sanctorum virorum mentionem ingerit.

XXXIX. Dominici Loricati prodigiosa pœnitentia.

b Capp. VIII. & IX.

Demum totus est Damianus in mira Dominici Loricati pœnitentia describenda [b]. *Sed cur ego,* subjungit, *sanctos commemorando viros, diversa passim loca perlustro? Quandoquidem intra limen & præ manibus teneo, ad*

cujus

Ann. Chr. 1056.

cujus digne efferenda præconia impar viribus non assurgo. Certe cellulis altrinsecus constitutis, solo basilicæ mediantis interstitio ego, illeque dividimur, cujus si virtutibus enumerandis invigilo, ante dies elabitur, quam scribendi materia deficere posse videatur. Dominicum dico, doctorem videlicet & dominum meum, cujus quidem lingua rustica est, sed vita artificiosa satis & lepida, quæ sane vita satis utilius ad ædificationem vivis operibus prædicat, quam sterilis quorumdam lingua, quæ accurata phaleratæ urbanitatis verba inania trutinat. Longo jam annorum elabente circulo, ferrea ad carnem lorica percinctus, infœderabilem pugnam cum iniquis spiritibus conserit, semper paratus ad prælium, non solum corde, sed & corpore præmunitus, adversus hostiles acies fervidus bellator incedit. Hanc autem continuæ vitæ consuetudinem indifferenter habet, ut vix dies ulla prætereat, quin duo psalteria modulando utraque manu scopis armata nudum corpus allidat, & hoc remissiori quidem tempore. Nam quadragesimalibus quidem circulis, sive cum pœnitentiam peragendam habet (crebro enim centum annorum pœnitentiam suscipit) tunc per dies singulos, dum se scoparum tunsionibus afficit, ad minus tria psalteria meditando persolvit. Centum autem annorum pœnitentia, sicut ipso auctore didicimus, sic expletur. Porro cum tria scoparum millia unum pœnitentiæ annum apud nos regulariter expleant, decem autem psalmorum modulatio, ut sæpe probatum est, mille scopas admittat, dum centum-quinquaginta psalmis constare psalterium non ambigitur, quinque annorum pœnitentia in hujus psalterii disciplina recte supputantibus invenitur. Sed sive quinque vicies ducas, sive viginti quinquies, centum fiunt. Consequitur ergo, ut qui viginti psalteria cum disciplina decantat, centum annorum pœnitentiam se peregisse confidat. Quamquam & in hoc plerosque noster Dominicus superet, quia cum nonnulli unam manum in disciplinis agendis exerceant, iste, ut revera Beniamin filius, contra rebelles carnis illecebras utraque manu infatigabiliter pugnat. Hanc autem centum annorum pœnitentiam, ut mihi ipse professus est, facile sex diebus ex more consummat.

a Ibidem cap. IX.

[a] *Memini quoque, quia cujusdam quadragesimæ imminentis initio mille annos imponi sibi per nos ad pœnitentiam petiit, quos certe omnes ferme, antequam jejunii tempus transigeretur, explevit. Si cui autem hoc pœnitentialis disciplinæ genus, quia durum, videatur etiam fortasse superfluum, & quod ipse facere negligit, fieri etiam nolit, quid mihi peccatori super hac sententia videatur, paucis absolvam. Devotio sancta fidelium cum se pro peccatorum suorum memoria verberibus afficit, communicare se sui Redemptoris passionibus credit. Nam & ipse Salvator noster, evangelio teste, flagellis cæsus est, & apostoli in conspectu concilii verberibus sunt affecti, & Paullus quinquies quadragenas, una minus, accepit. Quod etiam innumeri martyres duris subjacuere verberibus, cui vacat eorum historias legere, non poterit ignorare. Ab illis ergo & hunc pœnitentiæ modum nos suscepisse gaudemus, a quibus nimirum omnium studiorum spiritualium instrumenta didicimus. Porro si jejunia, vigilias, nuditatem, cilicia, genuum flexiones, & cetera his similia, icciroo remedia pœnitentiæ constituimus, ut per hæc vitiorum illecebras deprimamus, & delectationibus carnis e diverso amaritudinem apponamus, quæ inter hæc congruentius dici pœnitentia potest, quam cum se peccator nudum sui judicis conspectui repræsentat, & deprehensorum more latronum, ipsam, quæ peccaverat, carnem verberando castigat? Huc accedit, quod nonnullos legimus post culpam in ecstasi ad judicium raptos hanc exsolvisse vindictam. Credendum ne ergo est, quia hunc pœnitentiæ modum, quem Deus ipse a nolentibus exigit, a devotis & ultro offerentibus*

Ann. Chr. 1056.

bus suscipere contemnit? Hæc per excessum commendandæ disciplinæ gratia dicimus, ut teneris & delicatis monachis detrahendi audaciam tolleremus. Insugillat nimirum Theuzonem, ejusque asseclas, qui hanc disciplinarum consuetudinem improbabant, deridebant, & contra ipsam linguas suas acuebant. Sequitur Damianus: *Nunc ad Dominicum, de quo cœperat, sermo recurrat. Enimvero, cum hunc jam & incurva senectus deprimat, & crebris insuper languoribus contabescat, mirum, unde illum tantus fervor incendat, ut in spiritualibus exercitiis semper invictum, semper infatigabilem se reddat. Nam, ut ipso referente cognovi, sæpe duo psalteria cum disciplinis stando continuat, itaut neque interim sedeat, neque vel ad momentum a percussionibus incredibili mentis fervore quiescat. Inquirenti mihi aliquando, utrum posset cum ferreæ vestis pondere aliquantisper genuum flexibus insudare, sub hac mihi dedit obscuritate responsum: Cum incolumitas mihi votiva respondet, quandoque per omnes totius psalterii quindenos psalmos centies genua flectere consuevi. Quod quidem tunc non diligenter attendi, postmodum vero, quod dictum fuerat, mente revolvens, a depresso homine mille metaneas in uno psalterio fieri admiratus expavi. Quadam die post vesperam cellulam meam ingressus: Magister, inquit, (hoc enim indigno vocabulo me ex humilitate compellat) hodie feci, quod hactenus me fecisse non memini, octo nempe psalteria inter diem & noctem modulanter explevi. Videbatur autem tunc totus vultus ejus ita scopis attritus, ac sulcantibus quibusdam vibicibus livefactus, tamquam si pila fuerit, ptisanarum more, contusus. Psalmodia sane illi iccirco tam facile provenit, quia non tam verba, ut ipse asserit, lingua perstrepente revolvit, quam sensum mentis vivacitate percurrit. Aliquando a me remotus habitabat, cumque ad me ingressum, quibus tunc se vitæ legibus ageret, inquisissem, respondit se carnaliter vivere, & quintis semper feriis cum Dominicis diebus a solito se abstinentiæ rigore relaxare. Requisitus, utrum pulmento quolibet, ovis vel caseo vesceretur? Negavit. Rursus si piscibus aut pomis? Pisces, ait, & poma, si qua sunt, ægrotantibus præbeo, quorum non minimam multitudinem jacere in nostris partibus ingemisco. Cumque illum durus exactor in angusto concluderem, dicens: Unde ergo illis diebus remissius vivis, si nihil eorum comedis, quæ necesse sit vel ignibus decoqui, vel in arboribus inveniri? Respondit: Fœniculo, inquit, cum pane libenter vescor. Mox nimirum perite cognovi, quam carnaliter homo viveret, qui suas delicias in fœniculo constituisset. Habet plane uberem lacrymarum gratiam, sed alternam. Cum enim reclusus sub districto se silentio reprimit, mox ut voluerit, affluenter plangit; at si colloquio frequentetur, fletum se amisisse conqueritur. Nam & ego illi sæpe penuriam meæ tarditatis impropero, dicens: Heu, inquam, mi pater, istæ tuæ lacrymæ infœcundæ sunt, quæ alias orando lacrymas parere nequeunt. Optarem namque, quod consequens est, nimirum, ut sicut tu mihi pater es, ita nihilominus & tuæ lacrymæ mearum quoque lacrymarum fierent genitrices.*

XL. Damianus Theuzonis superbiæ mederi satagit.

Reliquorum eremitarum austeritates, de quibus scribere posset, omittit Damianus, sed supradictorum disciplinam imitandam Theuzoni proponit dicens. [a] *Possem tibi adhuc multa quidem, & alia non ignobiliora de his, qui nobis noti sunt, fratribus scribere, si non magnopere luxuriantis stili fastidium devitarem ..... & ii sane, quorum superius mentionem feci, non clari, non famosi, non certe vulgi opinione notabiles, sed despicabiles & pannosi, ita se bonis omnibus inferiores judicant, ut etiam nobis se, nostrisque similibus quolibet conversionis inditio non præponant. Nobis autem scilicet convescentes non dedignantur communi mensa participare,*

a *Ibidem cap.* x.

immo

immo tamquam suppares omne nobis caritatis officium familiariter exhibent. Tu quoque si recte, si discrete, si fructuose per viam vis veræ religionis incedere, sic tibimetipsi sis austerus & rigidus, ut aliis videaris hilaris & remissus, sic intra temetipsum studeas in rectitudinis arce præcellere, ut noveris te & infirmis fratribus misericorditer inclinare, sic in tribunali mentis tuæ justitiæ fræna dispone, ut tamen delinquentibus non obdurescas, venialiter indulgendo. Sit in corde mœror, in vultu lætitia, in fratris adventu caro tua sentiat refrigerium, nec multum timeas, si solitæ servitutis non impleas pensum. Pulsante cellulam tuam fratre, protinus tristes rugæ discedant, contracta se ora resolvant, serena facies occurrat, festiva frons lætitiam præferat. Peccatum in te mortis periculum deputa, in aliis fragilitatem conditionis appella. Decerne alium ferula dignum, unde te scorpionibus arbitreris obnoxium. Non sis justior justo; & qui times peccata committere, non dubites veniam peccantibus impertire. Non est illa recta justitia, quæ in desperationis foveam mentes pertrahit alienas. Non est medicina laudabilis, quæ sic putrida resecat, ut simul etiam sana corrumpat. Noxius ignis est, qui sic nititur vepres exurere, ut insiliat etiam domos globis furentibus conflagrare. Enimvero qui aliorum vitia ex more libenter carpit, peccati maculam non evadet, quia licet zelo justitiæ ferveat, aliquando necesse est, ut in laqueos detractionis impingat. Plane nisi multum nostra nobis vita splendesceret, non tantopere nostris oculis aliena conversatio displiceret. Si districti circa nos essemus, ut dignum est, judices, non tam rigidos experiretur aliena culpa censores; in alios scilicet disciplinæ nostræ vigor extenditur, dum circa excessus proprios sola pietatis & mansuetudinis jura servantur. Sed quorsum ista? Quia diceris omnes fratres tuos tam austera, tam superciliosa dijudicare sententia, ut per totius anni circulum nonnisi semel, & tunc non a tui monasterii sacerdotibus, sed aliunde quæsitis, divina percipias sacramenta. Dico, quod dicis: Quis hunc presbyterum ordinavit? Respondetur: Ille episcopus. Et ipsum, ais, ad episcopatus officium qualiter, aut quis promovit? Papa scilicet; qualiter autem, ipsi viderint; moxque subjungis: Esto tandem, quod Papa gratis episcopum consecravit; numquid & Papa ipse ad apostolicæ sedis apicem gratis ascendit? Hac igitur in te mirabilium quæstionum perniciosa caligine, quantum in te est, seculum omne confundis; & velut mare de temetipso tempestatem generans, nec ipse quiescis, nec alios vivere in tranquillitate permittis &c.

Ann. Chr. 1056.

Tum, ut Theuzonem a superbia deterreat, casus aliquot infaustos in medium adducit, & primo exemplum cujusdam monachi, qui delirio correptus vitam violenter amisit [a]. *Vidi monachum eremitam, vitam districte satis & rigide perferentem; qui nimirum & vultu pallidus, & corpore vehementer afflictus, fixis in terram oculis, mundo mortuus videbatur, vinum quoque per undecennium non gustaverat. Sed oh terribile Dei judicium, & profundum summæ districtionis abyssum! Tædet dicere. Hic aliquando in phrenesim decidens, atque in bellunini furoris rabiem immaniter efferatus, ex manibus in diversa nitentium, & vinculis, quibus nectebatur, se repente proripuit, & ubi plurimus rotabatur vortex, in spumosi fluminis voraginem mersus interiit* &c. Subdit etiam: [b] *Et quia se occasio præbuit, terribilem nihilominus & alterius monachi casum prætereundum esse non ducimus, etsi non magnopere huic opusculo congruere videamus. In Perusino monasterio, sancti videlicet Salvatoris, cui nuper & ipse præfui, quidam monachus paullo ante fuerat, nomine Guinizo, astutus nimis & callidus, secularibus argumentis & litigiosis contentionibus vehementer intentus. Hic itaque dum & in mutandis abbatibus, & fratribus perturbandis æstuans non quiesceret,* ad

a *Ibid. cap.* XI.

b *Ibidem cap.* XII.

Ann. Chr. 1056.

ad hoc usque pervenit, ut diaboli ad superandos æmulos patrocinium quæreret, & ejus se ditioni etiam corporaliter manciparet; cui tamen seductor spiritus exigenti ante promisit, quod tertio, priusquam moreretur die, suum sibi exitum nuntiaret. Credidit infelix, & diu postmodum vivens ita sub hac deceptoria securitate permansit; tandem in ægritudine lapso adest fidejussor iniquus, & perendianum, sicut spoponderat, obitum innotescit. Protinus advocatis ille fratribus, cuncta hæc, quæ cum nequissimo pepigerat, per ordinem narrat. Cumque illi instarent, dicentes: Esto confessus, age pœnitentiam; repente ille obdormiebat, & sive pulsantibus, sive clamantibus evigilare non poterat, si non illi obticescerent, vel aliud quid præter pœnitentiam loqui vellent. Mox ille expergefactus invicem loquebatur, sed rursus audito nomine pœnitentiæ obrigescebat in sensibus, sopore correptus, donec horrendæ morti traditus, ad eum, cui deditionem fecerat, est infeliciter devolutus. Postmodum vero per plures noctes nigra canum turba non cessabat sepulturæ ejus assistere, & quasi depositum custodire, itaut non minimo videntes horrore concuterent. Heu quam perniciosa res spiritus contumax & litigiosus in monacho! hic enim, quia temporalem habere pacem cum suis fratribus noluit, æternæ pacis gaudium in tartarum demersus amisit &c.

Deinde e contra patientiam excæcati cujusdam monachi describit inquiens [a]: *Adolescentem me in Faventina urbe propter literarum studia constitutum audire contigit, quod enarro. Inter duos sibimet convicaneos obortis invicem simultatibus, alterius oculos alter effodit. Cæcus itaque postquam se mundo nimium inutilem vidit, monasterium petiit. Postmodum vero cum & ipse illator injuriæ languore correptus conversionis habitum anxie quæreret, sed ad idem monasterium deferri propter illum, quem crudeliter attrectaverat, incongruum judicaret; monachis super hac re secreto mussitantibus, tandem fama negotii ad acutiorem, videlicet non videntis, pervenit auditum. Cumque ille, quod imminebat, plenius didicisset, cœpit mox obnixe deposcere, & quibus valebat precibus instantissime flagitare, ut illum fratres cum omni caritate susciperent, semetipsum insuper custodem scilicet ac ministrum ejus obsequiis insudare juberent. Importunis sane insistens precibus tandem obtinuit; & ei, quem carnis lumine videre non poterat, perspicuo caritatis oculo ministrabat. Decumbenti itaque sedulus minister assistere, tegminibus confovere, necessaria quæque porrigere, percipiendis etiam alimentis suasorie provocare. Nam & ad digestionis occultum, ut dicebatur, sæpe se ferre, & referre gaudebat ægrotum. Sic nimirum, sic qui geminum lumen carnis amiserat, caritate simul & patientia, quasi duobus in animæ facie oculis resplendebat.* Plura erant Damiani adolescentis tempore monasteria in urbe Faventina, inter quæ monasterium sanctæ Mariæ foris portam, & cœnobium sanctorum Hippolyti & Laurentii.

Postremo concludit [b]: *Superiora tibi, Teuzo pater, ex epistola proposui, ut desinas de singularitate tumescere, istud autem ideo, ut discas juniorum fratrum etiam offensas, si forte contigerint, æquanimiter tolerare; nimirum quod moribus tuis duxi maxime necessarium, hoc in disputativæ narrationis ordine servavi consequenter extremum. Jam igitur ab illa rigida nimis & torosa mentis tuæ animositate compesce, teque in patientia cum fratribus tuis & blanda caritate compone* &c. *Non igitur eorum animos verbositatis quæstionibus pulses, non eos tamquam torvæ cervicis taurus cornubus ventiles, ne dum a te fugitur, illud in tui opprobrium jaculetur, quod de bove cornupeta antiquitus dicebatur: Fœnum habet in cornu. Tranquillum ergo te & quietum cunctis videntibus exhibe, & præcipue his, qui ex Deo sunt, omni te obedientia & humilitate substerne* &c. *Plane si pectus tuum arca Dei est,*

a Ibidem cap. XIII.

b Ibidem cap. XIV.

est, sicut profecto dignum est, non in eo sola sit virga, quæ feriat, sed & manna, quod in fraternæ mentis palato dulcescat &c. *Verum nos dum ædificationis fraternæ studio ardenter insistimus, modum epistolæ supergressi sumus* &c. *Nunc igitur, dilectissime mi pater, & domine, pedibus tuis me prostratus advolvo, fusisque lacrymis veniam humiliter peto; videlicet ut ori meo clementer indulgeas, & me, qui tibi audacter insugillare præsumpsi, a caritatis tuæ dulcedine non repellas, dummodo nempe hæc, quæ superius comprehensa sunt, salubriter admittantur. Ego non abnuo satisfactionis gratia & nudas ferulæ vestræ scapulas subdere, & de cetero paternis sanctitatis vestræ legibus reverenter obtemperare. Spero autem quod & hæc mea vobis non erit infructuosa correptio, quia dum menti vestræ tam scilicet gravi, tam maturæ, tam certe sanctæ amarum forte sapit, quod ausu junioris arguitur, in vobismetipsis liquido potestis addiscere, quid vobis dure loquentibus de alieno debeatis corde sentire. Rogo autem venerabilis pater, ut pro me peccatore semper orare digneris. Quia autem faciem vestram ulterius in hac vita visurum me esse non spero, divinam deposco clementiam, ut soluto militiæ cingulo, sic nos in mutuos repræsentet aspectus, quatenus & unum supernæ videlicet Jerusalem adscribatur emeritis municipium, & socialis in utrumque procedat recompensatio meritorum.*

ANN. CHR. 1056.

XLI. Aliqua de Theuzone; & an scriptor fuerit commentarii in regulam S. Benedicti?

PROFECISSE visus est Theuzo correptione humili, sed fervida Petri Damiani, & ad monasterium, a quo aufugerat, rediisse, vel saltem se reconciliasse cum abbate suo, ac humilitatis spiritu redemisse, quæ nimia arrogantia & animi tumore antea mente conceperat, atque manifesta verbis reddiderat & operibus. Obiit centenarius ad annum circiter 1070. ut vulgo creditur; ad annum 1071. ejus decessum refert domnus Petrus-aloysius Gallettus eruditus monachus Casinensis in ms. quam prælo promptam habet, abbatiæ Florentinæ historia, quem etiam octuagenarium ad superos abiisse existimat. Si hoc postremum verum est, sexaginta & quinque annos ætatis habebat hoc anno Theuzo, Petrus autem Damianus ipso junior erat, ut de se fatetur; quare iterum argumentum contra Henschenium desumitur, Petrum Damianum ortum non fuisse quinque annos post obitum Ottonis II. imperatoris, hoc est anno 988. senior enim hoc anno fuisset Theuzone, & sexagesimum-octavum ætatis annum attigisset. Extat adhuc inscriptio ad Theuzonis tumulum, quam refert Puccinellius, quæque videtur ipsi, non alteri Theuzoni tribuenda.

TEVZONIS. MONACHI. VENERABILIS. OSSA. QVIESCVNT PRAESENTI. IN. TVMVLO. SANCTA. QVI. VIXIT. IN. AEDE QVINQVAGINTA. ANNIS. EREMI. VELVT. INCOLA. FERVENS &c.

Distinguendus est Theuzo eremita & monachus sanctæ Mariæ de Florentia ab alio celebri & beato Teuzone sancti Johannis-gualberti discipulo, qui eodem tempore vivebat, de quo consulendi auctores Vallumbrosani. Alius pariter videtur a *Theuzone monacho & indigno sacerdote*, qui se subscribit post Petrum hujus nominis secundum abbatem sanctæ Mariæ Florentiæ in charta restaurationis cujusdam hospitalis apud [a] eumdem Puccinellium; nam Theuzo eremita verisimiliter non fuit sacerdos; *sacramenta* enim, teste Damiano, *divina per totius anni circulum nonnisi semel, & tunc non a sui monasterii sacerdotibus, sed aliunde quæsitis* percipiebat. Alius demum est a Theuzone monacho, cujus interventu Prataliense monasterium sub sua protectione recepere anno 1002. Otto III. & anno 1020. Henricus impe-

[a] *Chron. abb. Floren. pag.* 254.

Ann. Chr. 1056.

imperatores. Putatur Theuzo eremita auctor commentarii in regulam sancti patris Benedicti, quem dicavit episcopo Odelrico. Brixianus hujus nominis antistes vivebat anno 1027. & decessit anno 1048. Alter Odelricus Firmanus episcopus subscripsit concilio Romano anni 1059. cui etiam epistolam dedit circa annum 1061. Damianus. Potuit tamen ipsius commentarii auctor esse alter Theuzo monachus pariter Florentinæ abbatiæ, vel aliquis alius ejusdem nominis monachus; immo pignus daremus Theuzonem hujusce commentarii scriptorem requirendum esse inter Mediolanenses monachos. Integrum opus percurrimus, nullibique se auctor prodit aliquo indicio, nisi capite XIV. ubi inquirens, *quomodo peragendæ sint vigiliæ in natalitiis Sanctorum?* exemplum affert ecclesiæ Mediolanensis, *ubi corpora servantur & coluntur sancti Ambrosii, & sanctorum Gervasii & Protasii*; Et capite LXI. loquens de monachis peregrinis, ac exemplum adducens Formatarum epistolarum, quam scribere debent abbates episcopis, hæc verba habet: *Venerabili christicolarum vita decorato, plus cœlo, quam terræ vicino, dompno* ILL. *præsuli venerando* ILL. *Mediolanensis monasterii abbas perpetuæ felicitatis obpudia atque angelicorum synasis consortia.* Præter exemplar chartaceum hujus commentarii Theuzonis, quod asservari in abbatia Florentina sub num. LVIII. asserit Mabillonius, quodque seculo XVI. fuit conscriptum, nitidissimum alterum exemplar membranaceum seculo XIV. vel XV. exaratum servant monachi nostri sancti Mathiæ de Muriano, ex quo etiam epistolam ipsius nuncupatoriam ad Odelricum, quæ præfixa est commentario seu potius collectioni ex dictis præcedentium patrum, damus in Appendice.

XLII. Theobaldus diaboli insidias superat, & angelico fruitur solatio.

Biennio præterpropter substitit in loco Picingo cum socio Waltero Theobaldus. Quomodo autem varias susceperit peregrinationes, diaboli machinamenta eluserit, atque Angelicum meruerit ministerium, & tandem inscius, nihilque tale suspicans patrem reviserit, pluribus describit abbas Petrus in ejus vita his verbis. [a] *In præfato igitur loco Teutonicorum aliquandiu commoratus, tenuissimo nummorum collecto quæstu, ad sepulcrum sancti Jacobi in Gallicia Hispaniæ partis, nudis, ut jam diximus, pedibus, cum socio perrexit. Cumque inde reverterentur, in itinere humana specie assumpta, diabolus per obliquum in via se prosternens compulit virum Dei ruere. Illo Christi nomen invocante, crucisque signo se muniente, malignus hostis velut fumus evanuit. Nec mirum, si viro Dei præparavit casum, qui domino nostro Jesu Christo ausus est suadere dicens: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Deinde cum duobus sociis post duorum inediam dierum itinere fatigatus, fame & siti afflictus deficiebat in via. Cum autem venisset Arvernis, & comites aliquantulum præcederet, panem in via in orbita plaustri a Deo sibi præparatum invenit. Unde in Christo vehementer confortatus, primum gratias egit, dehinc sumit panem ad vescendum suavem; & quia prope erat rivulus aquæ, socios ad reficiendum invitavit. Perquirentibus illis, tamquam desperatis, quo pane vescerentur in solitudine, ubi nec villa prope erat, nec civitas: Hoc, inquit, & panem, qui sub veste latebat, ostendit. Supra modum attoniti unde panem reperisset, ad se reversi, intelligunt Angelicam administrationem fuisse, & solatium vitæ per meritum sancti Theobaldi Dominum servis suis præstitisse. Hoc pane & fonte aquæ refocillati, erectis viribus ad cetera toleranda robustiores sunt effecti.* Aliquis forsan in via se junxerat Theobaldo, & Waltero, cum plurali numero nominet Petrus ejus socios. Anne Odo, fidelis postea Theobaldi minister post Walterum?

a *Num.* 6.

XLIII. Patrem revisit.

Sed Petri historiam prosequamur. *Quo postea* [b] *dolo*, inquit, *patri primum*

b *Num.* 6.

mum fuit indicatus & ostentus, subsequens ordo perorabit. Nitens virtutum gradibus ad altiora vir bonæ voluntatis, monere cœpit jam dictum consodalem sui propositi conscium, ut inter pauperes Christi sibi clericum quæreret, qui eum literas doceret, literatos dicens ad mandata divina percipienda proniores, & melius percipiendo ad obediendum devotiores. Hunc clericum magistrum Vilermum vocant Acta apud Henschenium. *Quod collega festinare studuit, & magistrum, qui septem psalmos, quos Pœnitentiales sancta vocat simplicitas, doceret, exhibuit. Omnibus plane brevi tempore edoctis, psalterio indiguit, nec ad manum habebat, unde comparare potuisset. Ad hoc Walterus latenter simplicis viri magistro persuasit, ut ad Gallias tenderet, castrum Pruvinum perquireret, & Arnulfum patrem ejus conveniens filio psalterium transmittere intimaret. Ille festinans parere, discipulum sanctum adiit, licentiam sibi dari postulans, ut Gallias inviseret. Qua data, & mandato accepto, quod patri deferret, & matri aliisque in Christo amicis: Quid, ait, memoriale tuo patri mittis & matri? Nihil, inquit, habeo, quod mittam, præter hunc panem. Deo amabilis Theobaldus & voluntarius Christi pauper a quodam monasterio panem unum acceperat, caritatis munus, quem acceptum magister ejus Walterus parentibus pro benedictione detulit. Qui de tanti filii vita inquisita Deo gratias agentes, panem transmissum pro summis donis receperunt; & confitendo de Christi misericordia, & de filii merito experti sunt, quia quicumque de pane illo comederunt, quasi medicamento salutis æternæ, ab omni genere febrium sanati sunt.*

Ann. Chr. 1056.

Hæc panis prodigiosa virtus, sicut & superior altera, Angelorum ministerio, panis præparatio ansam forsan dedit pictoribus exhibendi divum Theobaldum in sinistra manu panem tenentem. In cathedrali ecclesia Vicetina exstat sancti Theobaldi imago seculum XV. redolens, quæ in sacrario adservabatur temporibus Sylvii Trissini anno 1660. nunc vero in laterali facie sacelli virgini & martyri Margaritæ dicati reposita, quam sequentibus verbis, ex italico in latinum sermonem a nobis translatis, ita descripsit noster Severus Senesius. " In sacello sanctæ Margaritæ, inquit, " conspicitur tabula duodecim fere pedes altitudinis habens, & antiquissimam picturam exhibens sancti Theobaldi, quinquaginta ætatis annos " præseferentis, cum barba coloris phœnicei, baculum manu dextera, panem sinistra gestantis propter miraculum superius relatum; caput ejus " cooperitur bireto coloris medii inter nigrum & violaceum; corpus vero " tegitur atra talari veste, supra quam altera alba & brevior imponitur, " & tertia demum pariter alba, ut exprimantur & ejus peregrinationes, " & ipsius monachatus. Pedes induuntur tibialibus candidis, & calceis " nigris. Subtus effigiem legitur. SANCTI. THEOBALDI. CONFESSORIS. Visitur in angulo tabulæ corona ad pedes rejecta, & stemma " gentilitium trium leopardorum, triumque liliorum. " Ita Senesius in sua Vangaticiensi ms. historia [a], qui de his omnibus exactissime instructus fuit a Francisco Sandrio Montanianense parocho sancti Petri Vicetiæ. Obiter hic monemus monumentum hocce vindicare a negligentiæ nota Vicetinos, eorumque majores, apud quos Theobaldi nomen & memoria post fere quadringentos annos adhuc vivida perdurabant, ut adnotavit Franciscus-Fortunatus Vinea in [b] Præliminari ad Historiam Vicetinam. Quare Mabillonii & Germani querimonia ": [c] Apud Vincentinos nulla Theobaldi " superest notitia saltem apud viros doctos, quos de illo percontati sumus, quo minus mirandum est antiquarum rerum notitias ex hominum " memoria jam evanuisse; " querimoniam hæc scilicet explicanda erit de actis uberioribus, vel de amplioribus notitiis, quas doctissimi Benedictini haurire

a *Pag.* 40.

b *Pag.* XI.

c *Iter Ital. p.* 26.

ANN. CHR. 1056.

haurire sperabant ab ecclesia Vicetina, præter ejus incolatum Salanicensem, qui satis abunde cuilibet Vicetino erat compertus.

Tunc patrem desiderio filium videndi tabescentem Treveris deduxit clericus ille, eumque extra civitatem sub ulmo, ubi propter importunitatem supervenientium sanctus Theobaldus legere consueverat, abscondit. Postea columbinæ simplicitatis discipulum hac pia arte delusit. Monet eum ad locum consuetum ire, & meditationi suæ opportunum, prætendens se velle audire, quid interim profecerat in lectione. Qui dum iret, multotiens substitit. Noverat enim prophetali spiritu, & prædicebat, quia quod nollet, hoc in itinere videret. Invitus tamen & renitens ad locum pervenit, patrem cum militibus jacendo frena tenentibus offendit. Tristis vehementer effectus: Tradidistis me, iniqui, tradidistis me, duces mei. Concito gradu sic loquendo revertebatur. Quod videns pater, lacrymis prosequebatur: O carissime fili, quem fugis, & cur fugis, patrem fugis, non hostem. Nolo, fili, a desiderio tuo revocare te, nolo, fili, a bono proposito fraudare te; liceat, fili, vel semel videre te, ore ad os loqui, & totiens desideratum vidisse filium mœstæ parenti renuntiare me. Movebant enim patris affectum nudi pedes filii, & plantæ excruciatæ. Cui ille inter eundum: Noli domine, inquit, (patrem enim non vocavit sibi, ex quo eum reliquit, quia didicerat: Nolite vocare vobis patrem super terram. Unus est enim pater vester, qui in cœlis est.) Noli, domine, inquietare me, vade in pace, & me in Christo pacem habere permitte. Ad quæ pater: Tu, inquit, fili, omnibus indiges, nos multa possidemus. Si saltem propter parentum memoriam aliquid placeret, libenter ministraremus. Cui filius: Si, inquit, quod semel dimisi propter Deum, iterum assumam, canis ero reversus ad vomitum. His dictis, patris visum & colloquium evasit. Socius autem ejus paullulum subsistens indicavit patri, ut filio psalterium perquireret, quia hoc s lo indigeret. Dedit pater lætus & tristis, satur & jejunus visu & allocutione filii.

Verum, ne a semel concepto peregrinandi proposito diverteretur Theobaldus, patri valedicens, denuo se itineri commisit, visitaturus Romanam urbem, & sacra Jerosolymorum loca. [a] *Præcavens igitur in futurum venerabilis confessor Theobaldus, ne parentum aut amicorum importunitatem amplius pateretur, notato a patre loco, hac devotione Romam abiit, ut longiorem aggrederetur peregrinationem* &c. Sed de ea anno sequenti.

a *Num.* 8.

XLIV. De Victore II. Rom. pont. duce & marchione.

EXSTAT in archivo sancti Blasii de Fabriano pagina donationis factæ monasterio sancti Victoris, his temporariis characteribus signata: *Ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi sunt anni mille quinquaginta octo, & regnantes domnu Enrigo imperatore & papa Victore dux & marchio, & die mense octuber indiccio decima.* Quæ notæ nullo profecto modo componi queunt cum anno 1058. quo jam in vivis esse desierant tum Henricus III. imperator, tum Victor II. Romanus pontifex. Quare arbitraremur legendum potius anno 1056. quo anno mense octobri adhuc vivebat Victor II. & si obierat Henricus imperator, vivebat Henricus filius Henrici III. imperatoris, appellatus a notario per anticipationem imperator, licet eo anno tantum esset Germaniæ rex, quo demum anno indictio x. incœperat a mense septembri, continuanda per totum annum 1057. ea indictione signatum. Quod Victor II. papa appelletur *dux & marchio*, alia exempla prostant apud [b] Ughellium, quem laudat etiam Muratorius [c] in dissertatione *de Marchionibus*, afferentem placita habita in urbe Pinnensi & in urbe Marsorum. Henricus enim III. imperator in Germaniam ex Italia transiens anno 1056. marchiam Camerini & ducatum Spoletanum regenda commiserat amicissimo suo Romano pontifici Victori, quem adeo dile-

b T. I. *col.* 353.
c T. I. *col.* 287.

Ann. Chr. 1056.

dilexerat, ut ex simplici clerico, quod superius diximus, episcopum & supremum ecclesiæ hierarcham constitueret, inter cujus etiam manus spiritum Deo reddidit, cuique commendaverat quinquennem filium suum Henricum. Potuit etiam notarius sub nomine Henrici imperatoris intelligere patrem Henrici IV. tunc regis Germaniæ, Henricum nimirum III. cujus licet defuncti nomen perdurare vellet in publicis tabulis usque ad electionem novi regis Italiæ, sicut alia consimilia exempla produximus in his etiam nostris Annalibus. Charta autem hæc, quam edimus in Appendice, continet donationem factam a Raimbaldo presbytero, filio Rainaldi, monasterio sancti Victoris in loco Victoriano, & Murico ipsius abbati. Muricus electus fuerat abbas ejusdem cœnobii in locum Ursi, de quo egimus annis præcedentibus.

XLV. Chartæ ad varia monasteria spectantes.

Oblationes duas memorat Baroncinius in suis summariis tabularii Camaldulensis, quas fecerunt hoc anno Hieronymo abbati sanctæ Mariæ de Pratalia Urso [a] quondam Gisonis, & Guillelmus quondam Beni, ac Brunellus filius Donati in casali *Nibbiano*, & *Ajole* una cum ecclesia. In eadem villa Ajole existens Hieronymus abbas locavit [b] mense augusto Tedaldo filio quondam Berardi res illas sui monasterii, quæ erant positæ in plebatu sanctæ Mariæ *sito Majano*, idest partem curtis & castelli, quod vocatur *Pergine*, simul cum ecclesia sancti Michaelis archangeli, & cum muris, fossis & carbonariis. Puccinellius etiam in historia abbatiæ Florentinæ [c] meminit alterius chartæ spectantis ad abbatiam Berardingæ scriptæ: *Anno Dominice incarnationis* M. LVI. *regnante Enrico felicissimo rege anno ejus decimo, mense octuber indictione nona*, (Henrico scilicet III. imperatore, cujus mors nondum innotuerat in Italia) Hac pagina Ildebrandus Salicus filius bonæ memoriæ Berardi ex genere Francorum confitetur sibi numeratos fuisse a Petro abbate monasterii sancti Salvatoris de Fonte-bona *solidos quadraginta finitum pretium pro integra medietate de due petie de terra* &c. Successerat Petrus Uberto abbati, de quo diximus ad annum 1037. ipsiusque Petri nomen occurrit pariter ad annos [d] 1053. & [e] 1054. in contractibus ejusdem abbatiæ juxta Benvoglientii seriem & animadversiones, quem etiam Petronem vocatum fuisse observat. Hoc eodem anno in claustro monasterii sancti Hilari de Galeata habitus fuit conventus præclarissimorum virorum, inter quos Ohelricus Corneliensis, & Einricus Sarsenatensis ecclesiarum episcopi, Fulco presbyter & monachus atque abbas ipsius cœnobii Galeatensis, Ubertus comes, Bonus-homo judex, Paullus de Traversaria, Amizo, Frogerius, Mainardus, Almericus Dux, Ugo de Saso, Ugo de Epo, Allegritus, Ubertus, qui vocabatur Bulgaro, Gandulfus filius quondam Guadi, Johannes, qui vocabatur Signorello, Andreas Ravennas, Johannes de Constantino, Theobaldus Bobiensis aliique, in quorum præsentia Henricus archiepiscopus Ravennas emphyteuticum libellum conscripsit de bis mille tornaturiis terræ positæ in curte, quæ vocatur *Casamurata*, Amizoni, qui vices agebat Ugonis comitis, & Imildæ comitissæ ejus uxoris, cum ea conditione, ut archiepiscopus castellum vel turrim non ædificet, vel ædificari non sinat in *Monte-majori*; alias comes, & comitissa atque eorum successores in possessionem introeant prædictarum terrarum. Ugo comes in hac charta nominatus alius erat ab Ugone comite Brittonorii, cujus postremas tabulas attulimus ad annum 1039. Rubeus [f] Bulconem vocat abbatem Galeatensem. Libellum hunc in Appendice producimus ex tabulario archiepiscopali Ravennæ.

a §. *Donat. A.* 1. 26. 32.

b §. *Locatio* 29.


c *Pag.* 203.

d *Num.* 123.

e *Num.* 434. 487. 488. 710.

f *Lib. V. pag.* 290.

ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER QUINTUS-DECIMUS.

Ab anno CHRISTI M. LVII. *ad annum* M. LVIII.

ANN. CHR. 1057.

I. Damianus gravissimo morbo laborans mirabiliter sanatur.



UONAM tempore Damianus gravissimo morbo laboraverit per septuaginta dies, & mixtum flegmati sanguinem spuerit, itaut a medicis ejus desperaretur salus, & funereæ interim ipsi pararentur exequiæ, atque sacrati olei delibutione perunctus, in cineris & cilicii strato tamquam illic emoriturus depositus fuerit, ignoratur; id tamen accidisse, cum adhuc officio fungeretur prioris monasterii Fontis-Avellanæ & aliorum eremorum, colligitur ex narratione [a] sequenti, quam de se fecit idem Damianus, & in qua etiam prodigiosus refertur recuperatæ ipsius salutis modus. *Frater quidam, Leo nomine, erat in eremo, grandævus quidem ætate, sed venerabilior districtæ conversationis studio, & simplicis animi puritate. Huic itaque per visum vir splendidus ac præclarus apparuit, eumque quid ageret, inquisivit. Cui se frater ille dormire quidem, sed tristem nimis esse de imminenti prioris sui morte perhibuit. Et ille: Dic, inquit, Petro Damiano, de quo loqueris, nullam in medicis spem ponat; centum tantummodo pauperes pascat, & protinus se convalescere de languore, quem patitur, non diffidat. Cui cum ille de meliori utique vita sollicitus diceret: Habebit ille, domine, paradisum? Respondit: In paradiso quidem quantocius est; sed dic illi, quia mox ut pauperibus alimenta contulerit, resumpta protinus incolumitate, gaudebit. Evigilans itaque continuo frater ad ecclesiam pergit, quam dum ingredi, conticinio noctis abnuente, non potuit, visione tamen attonitus ad cellulam non redivit. Quid plura? Visionem frater fratribus retulit, eleemosynam indigentibus ardenti desiderio fraterna caritas ministravit; quibus etiam ex abundanti nummos adhibuit, & sic ego die altero valetudine recedente convalui. Reparatio itaque sanitatis fidem præbuit visioni.* Bona valetudine recuperata *fratres cœperunt importunis precibus vehementer insistere, ut saltem triduo esum carnium indulgeret* Damianus suo *effœto corpori*, parati pœnitentiam ipsi pro eo supplere. Renuit autem sanctus vir, ipsis historiam narrans cujusdam monachi

a *Lib. VI. epist.* XIX.

Ann. Chr. 1057.

chi a Pharulpho comite illusi, quam alibi attulimus. *Tertio die postquam hæc dicta sunt, & a Guidone Corneliensium comite & ex Faventina urbe tot mihi delati sunt*, subdit, *pisces, ut eorum mihi per plurimos dies edulium non deesset*. Ex qua narratione conjici etiam illud potest, Gamugni potius, vel Aceretæ, quæ erant monasteria posita in territorio Faventino, Damianum infirmatum fuisse, ut totam malæ valetudinis suæ & sospitatis historiam proinde exposuerit in epistola ad Ariprandum & Rodulphum monachos Avellanenses, quos *complices*, & *amicos* suos, atque *uterinos fratres* præ amore appellat, quibusve ad calcem epistolæ quemdam filium suum in eorum *post Deum fiducia* destinat. *Leo grandævus*, qui visione suprarelata donatus fuit, facile fuit senex ille, qui centum & quadraginta exæquabat ætatis annos, de quo miranda ex eodem Damiano attulimus anno antecedenti. Guido vero comes Corneliensis is fuisse videtur, cujus meminit Rubeus [a] occasione epistolæ, quam ad eum scripsit Gregorius papa VII. cum accepisset Wibertum Ravennatem archiepiscopum compellere Foro-cornelianos ad sacramenta sibi dicenda, mandans, ne id in fraudem fieri ecclesiæ pateretur. Extat epistola Gregorii data *Rome kalendis junii indictione undecima*, hoc est anno 1073. in tomo XII. [b] conciliorum. Guido facile successit Alerardo vel Gerardo Imolensi comiti filio Ugonis Imolensis, qui interfuit anno 1015. conventui in vico, cui nomen erat *Caput-de-Rheda* apud [c] eumdem Rubeum.

a *Lib. V. p.* 298.

b *Col.* 241.

c *Ibid. p.* 290.

II. Ejusdem epistola ad B.. monachum.

Occasione pœnitentiæ, cui se exhibuerunt monachi pro Damiano infirmo, aliam ipsius epistolam subjungimus B.. monacho scriptam, cui præsens sæpius ille inculcaverat, nunc absens scribit, ut non suscipiat facile inordinata caritate obligationem peragendi pœnitentias eorum, qui per se valeant implere; quam tamen, si susceperit, monet, ut instantissime persolvat, & exemplo sequenti eum deterret a nimia pro aliis indiscriminatim satisfaciendi voluntate. [d] *Dominus*, ait, *plane Martinus, qui in Camaldulensi eremo commoratur, vir videlicet diversis virtutibus adornatus, & præcipue jugibus lacrymarum fluentis irriguus, mihi retulit, quod narro. Monachus erat, inquit, in maritimi territorii cœnobio, quod dicitur ad Pinum, multis peccatorum nexibus involutus, cui cum juxta quantitatem lapsuum, austerior, ac longa nimirum pœnitentia fuisset indicta, ille fratri cuidam, cui complex in amicitia familiarius adhærebat, ad comportandum pœnitentiæ pondus auxilium petiit. Quod frater ille devote suscipiens, condictam pœnitentiæ partem tulit, atque persolvendo hujus debiti canone securum manere præcepit. Sed dum ille partito levigatus onere a districtioris vitæ censura remittitur, iste ad solutionem debiti prolixioris sibi vitæ spatium pollicetur, aliquanto post in ægritudinem cecidit, atque subito mortem, quam procul esse sperabat, incurrit. Fuerat autem ille frater, quantum ad se, irreprehensibilis vitæ, & opinionis inter fratres honestæ; non multis vero postmodum diebus pœnitenti monacho in somnis apparuit, quem ille protinus inquisivit. Quid erga te, frater, agitur? quomodo tibi est? Male, inquit, & dure, sed propter te. Nam liber a propriis, quia tuis me vinculis innodavi, & alienæ cautioni obnoxius non reddidi, nec persolvi, flagellis atteror, & amara satis animadversione coarctor; unde quæso te, & qua valeo, supplicatione deposco, ut vigiles pro te, ac liberes me. Vade itaque, & sanctum hujus loci precare conventum, ut debita meæ sponsionis a me neglecta persolvant, sicque me, quæ præsto sunt, suppliciis eruant. Expergefactus ille fratribus, quod viderat, retulit, quod audierat, intimavit, preces exposuit, efficaciter impetravit. Porro autem, cum jam fratres præfixam illius pœnitentiæ quantitatem diversis argumentorum specialium exercitiis explevissent*,

d *Lib. VI. epist.* XX.

Ann. Chr. 1057.

sent, præfato monacho frater ille per visum rursus apparuit, eique festivitatem sereni satis & alacris vultus ostendit. Interrogatus iterum quid haberet? respondit, se per orationes fratrum, non modo pœnalibus incommodis erutum, sed etiam ad electorum sortem mirabili dexteræ excelsi immutatione nuper translatum. Martinus successione quintus prior Camaldulensis reperitur dumtaxat ad annum 1089. post Rodulphum; quare ratione temporis probabile est Martinum Camaldulensem, de quo Damianus tam celebre sanctitatis & virtutum testimonium profert in hac epistola & alibi, diversum fuisse ab illo. Monasterium ad Pinum sub titulo sancti Martini extitisse in territorio Arretino scimus, cujus etiam abbas Theuzo [a] reperitur ad annum 1045. quare de eo cœnobio facilem habere poterat notitiam Martinus Camaldulensis in eadem diœcesi degens; verum cum *maritimum* appelletur a Damiano, & territorium Arretinum nulla ex parte mari alluatur, credibilius redditur hocce factum contigisse in alio monasterio, quod adjunctum illud *ad Pinum* ferret, sito forte in diœcesi Ravennate, in qua novimus fuisse *monasterium sancti Stephani ad Titum, quod rustici*, ait Agnellus, *appellant ad Pinum*. Duobus pariter milliaribus ab urbe nova Cerviensi ecclesia visitur, quæ titulum habet ad hodiernam diem *sanctæ Mariæ ad Pinum*. Hanc seculo elapso Carmelitæ incolebant, quam tamen suppressit Innocentius papa X. & cathedralis ecclesiæ Cerviensis mensæ adjunxit.

a *Apud Murator. T. VI. antiq. med. ævi col. 425.*

III. Altera ad archipresbyteros Andream, V.. & C..

Tempore, quo supradicta infirmitate detinebatur Damianus, non inverisimiliter fuit scripta ab ipso altera epistola [b] ad archipresbyteros Andream, V.. & C.. Ait enim: *Dum ego non minimo languore depressus in lectulo jaceam, & quod dicto, alter frater excipiat.* Asseruerat jampridem Damianus in quodam sermone, quem habuerat ad populum de beato Stephano, animas hominum, quales ex hoc seculo egrediuntur, sisti tales ante divinum judicem; in invidiam adducebantur hæc Damiani verba, & carpebantur a malevolis; sed in ea epistola ostendit se a magno Gregorio sententiam hanc deduxisse, eamque divinæ Scripturæ esse apprime consonam. Eadem occasione invehitur contra maledicos, imperitosque homines, qui in malam partem hanc suam opinionem detorquebant, perinde ac docuisset orationes & sacrificia, quæ pro defunctorum animabus offeruntur, nullius esse pretii, meriti & profectus pro iisdem. In calce epistolæ orat ipsos, ut commendent domino Drudro, & fratri ejus, & vicecomiti, cæterisque nobilibus viris monasterium suum & eremum. Sarsinatis, aut Eugubinæ, aut demum alterius ecclesiæ, in cujus diœcesi eremum aliquam, fortasse Ocrensem in Sarsinate positam, habebat Damianus, archipresbyteri erant supradicti Andreas, aliique, ad quos scripsit præfatam epistolam.

b *Epist. I. Lib. V.*

IV. Ipsius opusculum de suæ congregationis institutis.

Opusculum [c] pariter de suæ congregationis institutis circa hæc tempora confectum a Damiano videtur, ante mortem nimirum Dominici Loricati, cujus pœnitentiam ibidem prædicat, & tempore, quo adhuc ipse Damianus prioris Avellanensis munere fungebatur. Editum fuit similiter, postquam Suaviciniam eremum fundaverat. Occasionem huic scriptioni præbuerat quidam Stephanus monachus, qui *monasterialem latitudinem fugiens, & fervido spiritu cellulæ carceralibus angustiis inclusus*, eremiticæ vitæ regula postulaverat a Damiano informari. Damianus vero apte de eremitica vita scribere diffidens, e re sua facturum putavit, si quod in congregatione Avellanensi actitabatur, & ipse expertus fuerat, simpliciter exponeret. Quas nos Avellanenses consuetudines libenter his nostris Annalibus inserimus, ut Damiani verbis usus & exercitia illius monasterii & eremi lectoribus exhibeamus.

c *Opusc. XV.*

V. Ubi agit de regula jejunii.

Praemissa itaque laude vitæ eremiticæ, origine etiam atque distin-

ctione

ctione anachoretarum, qui per eremum spatiando discurrunt, ab eremitis, qui cellulis contenti sunt; docens insuper, qua diligentia resistendum sit carnis & diaboli tentationibus, incipit ab expositione regulæ jejunii, quæ in cœnobio Fontis-avellanæ tenebatur. *Ab idibus* [a], *inquit*, *septembris usque ad Resurrectionem Dominicam, quinque per hebdomadam diebus tenetur hic ex more jejunium. Ab octavis autem Paschalis festivitatis usque ad sextum diem Pentecostes, quatuor tantum per hebdomadam diebus jejunium celebratur. Hac videlicet discretione servata, ut præter Dominicum diem, de cujus speciali reverentia nullus addubitat, etiam tertia & quinta feria bis in die reficiant fratres. Illo enim tempore licet aliquanto remissius vivere, tametsi minime prohibeantur monachi auctoritate sacrorum canonum jejunare. Ab octava vero Pentecostes usque ad nativitatem beati Johannis tertia quidem feria pulmentum fratribus hora nona tribuitur, quinta vero feria refectio iteratur. Porro a festivitate sancti Johannis usque ad idus Septembris, tertia & quinta feria bina refectio in die teneatur; reliquis vero quatuor diebus jejunium ex more servetur. Salvo videlicet eo, quod si quis inter fratres infirmari conspicitur, mox illi, prout necesse fuerit, misericorditer subvenitur. In festivitatibus duodecim lectionum, quæcumque veniunt ab idibus Septembris usque ad Resurrectionem Domini, semel tantum reficiant fratres; exceptis videlicet his sollemnitatibus: Omnium Sanctorum, sancti Martini & sancti Andreæ, hebdomada Natalis Domini, & uno die Epiphaniæ, & Hypapanti; quibus nimirum diebus iteratur pro more refectio: in ceteris autem festivitatibus una tantummodo sint refectione contenti. Notandum autem, quia non omnes, quæ in monasterio, etiam in eremo celebrantur festivitates. Et hæ, quæ illic fiunt, plerumque transmutantur, ut aut in tertia, aut in quinta feria celebrentur; exceptis nimirum præcipuis festivitatibus, quæ ob reverentiam dignitatis mutari non possunt. Plerasque autem festivitates, quæ non adeo sunt præcipuæ, sive in quadragesimali tempore, sive per totius anni curriculum, cellerarius cum his, qui juxta ecclesiam commorantur, cum duodecim celebrent lectionibus, atque si priori videtur, aliqua illis, rarissime tamen, misericordia refectionis impendatur. Ceterum ii, qui per diversas sunt cellulas constituti, dum foris minime prodeant, trina lectione contenti, jejunium ex more conservent. Jejunare autem illos dicimus, qui panem cum sale & aqua percipiunt. Ubi præter hæc aliud quid additur, in eremo jejunium non vocatur. Duabus autem illis quadragesimis, quæ vel Natale Domini, vel sanctum Pascha præcedunt, nonnulli fratres hic sunt, qui totam hebdomadam jejunando transcurrunt; & quotidie, exceptis Dominicis diebus, in pane & aqua vivunt. Quidam etiam fratres in utriusque Quadragesimæ non solum quibusque festivitatibus, sed & Dominicis diebus coquinatibus abstinent, quod nos in Dominicis diebus primo quidem propter excellentiam sanctæ Resurrectionis curavimus prohibere, sed rursus coacti sumus fraterna supplicatione permittere. Vescuntur autem pomis & herbarum radicibus, ac leguminibus infusis, vel etiam elixis.*

Nec illud plane silenter omittimus, quod in Quadragesimæ utriusque principio omnes monachi, necnon & laici triduanum jejunium districte conservant; itaut, qui a percipiendis alimentis omnino se compescere nequeunt, solo tamen pane simul & aqua contenti vivant. Est autem consuetudo fratribus omni tempore, duo in Dominicis diebus habere pulmenta, præter duas scilicet Quadragesimas superius nominatas, in quibus per omnes & Dominicas videlicet & Sanctorum festivitates, uno dumtaxat probantur esse contenti. Ceteris autem diebus, quibus nimirum temperato jejunio remissius vivunt, si bis in die comedunt, duo illis pulmenta fiunt, prandentibus unum, cœnaturis

a Ibid. cap. VI.

Ann. Chr. 1057.

ris alterum exhibendum. Sin autem una ſit refectio tantum, unum ſit nihilominus & pulmentum. Quod autem in Dominicis diebus duo hic fieri ſolere pulmenta meminimus, conſtat extra eremiticam regulam iccirco fuiſſe permiſſum, quia perraro huc ab extraneis oblationum deferatur exenium. Ceterum ubi locus frequentatur devotione fidelium, ceſſat proculdubio geminatio pulmentorum. Unde fit, ut in illa eremo, quam auctore Deo in latere Suavicinii montis ipſi conſtruximus, pulmentum, præter unum, cunctis æque temporibus penitus ignoretur. A vino autem aliquanto tempore continuimus, itaut neque laici, neque extrinſecus venientes, vel etiam in Paſcha Domini aliquid hic præter aquam biberent; neque vinum hic, niſi pro ſacrificio haberetur. Sed quoniam & hic manentes cœperunt ægrotando deficere, & quidam ad eremiticam vitam tranſire cupientes, hujus rigoris obſervantiam videbantur penitus abhorrere, fraternæ, ſive, ut verius dicam, communi imbecillitati diſpenſatorie condeſcendentes indulſimus, ut vinum ſervato ſobrietatis moderamine biberetur. Ut quod cum Johanne non poſſumus ex toto relinquere, ſaltem [a] *cum Timotheo Paulli diſcipulo meminerimus infirmo ſtomacho parce & humiliter miniſtrare; & qui prorſus abſtemii eſſe non poſſumus, eſſe ſaltem ſobrii ſtudeamus. Verumtamen in prædictis duabus Quadrageſimis conſuetudo tenuit, ut neque monachis, neque laicis vini vel etiam piſcis perceptio concedatur, exceptis his quatuor feſtivitatibus, ſancti ſcilicet Andreæ, beati Benedicti, & Dominica palmarum, & Cœna Domini; quibus nimirum ſacratiſſimis diebus piſces & vinum, excellentium ſollemnitatum lætitia invitante, percipiunt. In Sabbato autem ſancto, necnon & vigilia Natalis Domini, ut labor eccleſiaſtici relevetur officii, totum panem, qui voluerint, comedunt, alium vero cibum ſive laici, ſive monachi penitus non admittunt. Tres autem ſolummodo octavæ per annum ita celebrantur, ut jejunare hic nemo cogatur, id eſt, Dominicæ Reſurrectionis & ſanctæ Pentecoſtes, atque Natalis Domini. Sed quibuſdam, quia propter deſuetudinem grave eſt totius hebdomadæ binam continuare refectionem, quoniam quidem hoc humiliter expetunt, jejunare aliquantulum pro miſericordia conceduntur; quamquam in octavis Pentecoſtes, & eccleſiaſtica traditio, & Patrum decernat auctoritas jejunandum. In reliquis vero octavis quarumlibet feſtivitatum, eccleſiaſticum quidem, prout regularis ordo poſtulat, tenemus officium, tenorem vero conſueti jejunii non mutamus.*

Neque a jejunandi regula exempti erant ſervi, qui inſuper regularem diſciplinam etiam in ceteris exercitiis ſervabant. *Famuli quoque*, ait idem Damianus [b], *qui huic loco deſerviunt, ab aſſignato ſibi vivendi ordine non recedunt, qui nimirum per totius annalis ſpatii curſum tribus per hebdomadam diebus tenent ex more jejunium. In illis autem duabus Quadrageſimis quatuor dies jejunio dedicant, exceptis his, qui in viam longius diriguntur. Porro quocumque prodeant, omni tempore carnibus non veſcuntur; proprium etiam aliquid habere nihilominus, ſicut & monachi, prohibentur. Nonnulli quoque ad audiendi pſalterii vigilias maturius ſurgunt, cum his videlicet fratribus, qui apud eccleſiam commorantur.* Tum deſcribit formulam, qua hujus generis homines profeſſionem emittebant. *Promiſſionem autem ingredientes hanc faciunt.* Ego frater N. promitto obedientiam & perſeverantiam omnibus diebus vitæ meæ in hac eremo, quæ eſt ædificata ad honorem Dei, & ſanctæ Crucis, pro timore Domini noſtri Jeſu Chriſti & remedio animæ meæ. Quod ſi aliquo umquam tempore hinc fugere vel abire tentavero, liceat ſervis Dei, qui hic fuerint, me plena ſui juris auctoritate requirere, & coarcte ac violenter in ſuum ſervitium revocare. *Scriptæ ergo huic promiſſioni ſignum Crucis ipſi præfigunt, & ab*

aliquo

a Luc. 1. Timoth. 1.

b Ibid. cap. VII.

aliquo fratre coram omnibus lectam ponunt ſuper altare. Monachi autem nullam promiſſionem faciunt, præter eam tantum, quæ in monaſteriis fieri conſuevit, ſolo dumtaxat eremi nomine permutato. Enimvero & monachis, & laicis introire volentibus omnia dura & aſpera proponuntur; videlicet extremitas vel etiam nuditas veſtium, penuria ciborum, propriæ voluntatis averſio, duriſſimæ correptionis aſperitas, contumeliæ, reprehenſionum, laboris, & aſſiduæ fatigationis inſtantia; juxta normam nimirum regulæ ſancti patris Benedicti, qui hoc præcipit capite 58.

Panis etiam menſuram, ceteraque ſpiritualia exercitia, quæ in eremo agebantur, exponit. [a] *Panis autem eadem in eremo, quæ & in monaſterio eſt menſura, hac tamen diſcretione ſervata, ut in diebus quidem refectionis ſive ſingulæ, ſive binæ, ſi totum vult frater comedere, reprehenſioni non cogitur ſubjacere. In diebus vero jejunii, quia unuſquiſque frater lances habet in cella, illis ſemper librat, quod ſibimet cœnaturus apponat. Menſura autem illa hunc habet modum, ut ſuperaddito quadræ dimidio, dimidium bucellæ totius appendat, quadra videlicet remanente integra ſemis. Et ut nulla dubietas ſuper hujuſmodi menſura remaneat, novem ornicum, vel tria anſerum ova libratis lancibus tantumdem penſant. Et de jejuniis quidem, & de menſura ciborum iſta ſufficiant. In ceteris autem ſpiritualis exercitiis ſtudii, quæ ſit hic continui fervoris inſtantia, quæ ſollicitudo, quam vigil & operoſa frequentia, timeo ſcribere; ne & meipſum forſitan eis cohabitantem, etſi non cooperantem, vana videar elatione jactare. Hoc tantum mihi dicere liceat, quia non parva hic diligentia eſt in flexionibus genuum, in diſciplinis ſcoparum, & in ceteris hujuſmodi; quæ nimirum, frater cariſſime, quia eorumdem hæc ſatagentium vivis vocibus clarius potes addiſcere, non expedit hic omnia literis adnotare.*

a Ibid. cap. VIII.

VI. De ordine pſalmodiæ.

Deinde ordinem pſalmodiæ, ſilentii rigorem, nuditatem pedum, ceteraſque proſequitur monaſticas obſervationes his verbis: [b] *De pſalmodia vero hæc conſuetudo eſt, ut cum duo ſimul commorantur in cella, duo perſolvant in die pſalteria; unum pro vivis, alterum pro defunctis. Et illud quidem, quod eſt vivorum, cum illis dicitur additamentis, quæ beatus Romualdus apponit, quæ etiam nos non gravemur inſerere, ne nos conqueratur forte novitius, quæ ſibi magnopere noſcenda ſunt, præteriiſſe. Decurſis plane quinque pſalmis, protinus ſubinfertur*: Gloria tibi Trinitas, æqualis una Deitas, & ante omne ſeculum, & nunc, & in perpetuum. Orate pro nobis omnes ſancti Dei, ut digni efficiamur promiſſionibus Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti. Pater noſter. *His expletis, mox ſubditur*: Adjutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. *Et evolutis aliis quinque Pſalmis, tunc dicitur*: Te Deum patrem ingenitum, te filium unigenitum, te ſpiritum ſanctum paracletum, ſanctam & individuam Trinitatem, toto corde & ore confitemur, laudamus atque benedicimus, tibi gloria in ſecula. Amen. Domine Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina. Confundantur & revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. Adjutor meus & liberator meus eſto, Domine, ne tardaveris. Gloria patri, & filio & ſpiritui ſancto. *Quo finito rurſus dicitur*: Adjutorium noſtrum in nomine Domini. *Hæc igitur per quinquenos pſalmos alternatim ſemper adduntur, donec pſalterium cum tribus Dominicalibus, necnon & totius hebdomadæ canticis expleatur. His etiam non neglectis, quæ in fine pſalterii videntur adjecta, videlicet*: Te Deum laudamus; Nunc dimittis Domine ſervum tuum; duobus Symbolis; Gloria in excelſis Deo; Pater noſter, cum fide Catholica. *Poſtremo litaniæ cum orationibus hæc omnia conſueto fine concludunt. Pſalterium vero pro defunctis cum novem lectionibus* dicitur,

b Ibidem cap. IX.

Ann. Chr. 1057.

dicitur, tribus nimirum per quinquagenos psalmos. Qui autem solus moratur frater, psalterium quidem vivorum totum per singulos dies adimplet; defunctorum autem sive medium, sive totum, juxta quod virium possibilitas administrat. Horarum autem psalmodia Canonica omnino, sicut fit in monasterio, ita hic per ordinem nihilominus tota persolvitur.

VII. De silentio.

a Ibid. cap. x.

Hæc vero de silentii rigore, & de aliis eremiticæ institutionis observationibus tradit Damianus [a]. *Hoc autem inter cetera prætermittendum non est, quia in cellulis continuum tenetur, sicut revera in oratorio, ex more silentium, nec permittitur, ut illic alter alterum vel pro confessione loquatur; excepto si priori visum fuerit, ut novitiis, eorumque institutoribus ad tempus aliquantulum loquendi licentia concedatur. Si quid autem loqui indigent, ad ecclesiam prodeuntes, quæque sunt necessaria, manifestant. Est enim revera, ut experimento cognovimus, animarum magna destructio, ubi passim fieri colloquium in cella permittitur. Nam dum infirmi quique fratres, qui sub confessionis specie se invicem visitant, breviter explent, quod cœperant, ad alia se mox frivola & otiosa, data semel procaci linguæ libertate, dilatant, & obliti repente, quare convenerint, mox fratribus suis, vel etiam prioribus detrahunt; & quos amare sinceriter & pure debuerant, dente, ut ita loquar, livido mordaciter rodunt. Deinde ad secularia transeunt, & quidquid est, quod in urbibus agitur, de eo in cellula disputatur. Necdum id ad aures vulgi fama pertulit, unde plerumque montium jam secreta complevit. Adde, quod absentibus arbitris, quanto reprehensionis securiores sunt, tanto quidquid linguæ confluxerit, liberius fundunt. Sicque fit, ut qui purgandi sese causa convenerant, cumulato linguæ contagio a se invicem sordidiores abscedant.*

VIII. De nudipedio.

b Ibid. cap. xi.

Illud *etiam non minima pars pœnitentiæ est, quod omni tempore sive æstate, sive hyeme, non calceis, non ocreis utuntur in cellulis, sed nudis semper cruribus & pedibus consuetudo est permanere, exceptis his, qui graviori molestia infirmitatis urgentur. Regulare autem est monasteriis, ut ii, qui in viam diriguntur, foris non comedant, si eo die sperant reverti;* id a sancto patre Benedicto præscriptum in Regula capite 51. *Cui videlicet observantiæ illud etiam apud nos additur, ut sive ipso, sive alio die fuerit quis egressus, exceptis præcipuis festivitatibus, jejunus semper ad eremum revertatur; sin alias, pœnitentia non deerit. De ceteris vero monasticæ institutionis observationibus, quidquid in regulari & districto monasterio tenetur, idem etiam hic caute & solerter nihilominus custoditur; videlicet de promptissima obedientia, ut quodcumque præcipitur, humiliter & ferventissime peragatur; de non dando vel accipiendo sine jussione prioris; de proprio non habendo; ut dum sunt in claustro, quod est juxta ecclesiam, sive in festis diebus, sive omnibus incompetentibus horis silentium teneant; ut in capitulo, in oratorio, in refectorio regularem consuetudinem non postponant; ut cum hospitibus non loquantur; atque ideo a cellulis usque ad ecclesiam sive venientes, sive redeuntes, a censura silentii non recedant.* Totidem capitibus idipsum præcipit in sua Regula idem pater sanctus Benedictus.

IX. De pietate erga defunctos.

Ibidem cap. xii.

Ulterius pietatem erga defunctos, quæ in Avellanensi cœnobio observabatur, sequentibus verbis commendat. [c] *Illud etiam silentio præteriri dignum esse non ducimus, quia cum frater quispiam ex nostris obierit, qui videlicet nobiscum degunt, pro eo unusquisque septem dies jejunat, septem disciplinas cum millenis scoparum ictibus accipit, septingentas metanæas facit, triginta insuper psalteria ex more decantat, & unusquisque sacerdos septem Missas illi pro sua persona persolvit, salvo eo, quod continuis quoque triginta diebus pro eo Missarum sollemnia in conventu*

tu

tu communiter celebrantur. Hæc igitur hujus loci regula nulla voti varietate postponitur; hæc consuetudo circa defunctos districta prorsus & inviolabili semper observatione tenetur. Si autem quis fortasse novitius, vel quolibet modo injunctam pœnitentiam morte præventus consumare non potuit, mox ut ad fratrum notitiam res patefacta pervenerit, cum magno fervore tota pœnitentia, parili facta inter eos divisione, suscipitur; & quantalibet sit, brevi spatio per diversos afflictionis modos ovanter expletur.

ANN. CHR. 1057.

X. De rigidiori vivendi genere aliquorum monachorum Avellanitarum.

QUIA vero arctiori vivendi generi aliqui fratres se in eremo Avellanensi obstrinxerant, operæ pretium putat superaddere, quæ a rigidioribus ipsorum servabantur. *Inter nos* [a], inquit, *nonnulli fratres sunt, qui longe alia, quam hic scriptum est, via conversationis incedunt, & arctiori se non minimum vivendi lege constringunt. Alii siquidem nullo umquam tempore vinum bibunt, vel acetum quomodolibet hauriunt; alii vero ovis, lacte simul & caseo, suina quoque pinguedine non vescuntur; plerique mattarum velut mollia strata despiciunt, & papyrinis ad quiescendum contenti sunt storeis, itaut palearum quoque stramenta subjici prorsus abhorreant; alii asperrima quæque cilicia tamquam mollia ac delicata indumenta contemnunt, & loricis ad carnem ferreis induuntur. Non deest, qui totius anni tempore per singulos non modo communes, sed etiam festivos, atque Dominicos dies dimidio sit pane contentus. Hic idem frater per integrum & dimidium circiter annum quinque diebus hebdomadæ cibum non tetigit, solis autem Dominica & quinta feria comedere contentus fuit. Nunc etiam Dominicis diebus & quinta feria post horam videlicet nonam sic uno pulmento reficitur, ut secundum prorsus ignoret. Est etiam, qui continentiæ & sobrietatis amore non modo pomis, sed & cæpis & porris, cunctis videlicet herbarum acuminibus se decreverit abstinere. Est, qui utroque quadragesimali tempore singulis quibusque diebus aliis geminato pugillo ciceris vivat, quinta vero feria semper, tertia autem raro panem solummodo comedat. Hic etiam lumbos suos ferrea semper catena circumdat, ne quando modum sobriæ refectionis excedat. Confessus est mihi quidam de senioribus nostris, quia cum solus in cella comederet, non sibi juxta pruritum famis alimenta citius indulgeret, sed remorando ac protrahendo, raro videlicet atque minutius micas potius, quam frusta panis in os mitteret, & sic se inter ipsa corporis alimenta durius per inopiam cruciaret; ut ipse etiam cibus non tam resolveret, quam puniret, & refectio potius videretur esse dicenda defectio, dum non delectando reficeret, sed affligendo potius castigaret. Corripui adolescentem nostrum indolis adhuc ephebæ, acriori insuper verbere castigavi, quia cantabricii panis quadra vivebat in die, & ita vix demum, ut ad medium usque relaxaretur, obtinui; qui nimirum tunc ferrea loricatus interula a Dominico die usque in quintam feriam nullum penitus cibum sumpserat, tribus vero reliquis hebdomadæ diebus solo pane vivebat. Habemus inter nos fratrem adhuc & ætate juvenculum, & conversione novitium, qui totum implere psalterium extensis in altum brachiis consuevit, per quinquagenos videlicet psalmos brachia fatigata deponens, sed antequam vel unum productiorem psalmum decurrere valeat, iterum subrigens. Habemus & alium incurvum jam senem, qui duo psalteria sub una brachiorum extensione decantat; unum videlicet cum canticis & litaniis, multisque orationibus; alterum vero pro defunctis cum novem lectionibus. Dicam; sed quis sciat, utrum fides assertioni fidelissimæ præbeatur? Sed parvipendendum est, si humana temeritas arguat, quem summa veritas falsitatis excusat. Idem senex, Dominicus nomine, nonnumquam uno die continuato cum nocte, novem psalteria meditando decurrit, & interim pene semper utraque manu scopis armata nudum corpus afficit:*

a Ibid. cap. XIV.

Ann. Chr. 1057.

afficit. Notandum autem, quia dum peragere satagit, nocte vel die sibi dormire non vacat, sed aliquando genua flectens, dum caput terræ deponit, sic nudo repente somnus obrepit, quo videlicet solo contentus est. Hic mihi aliquando fraterna familiaritate conquestus est, quia cum novem sic psalteria sæpe modulando perficeret, ad decimum numquam potuerit pervenire. Novi fratrem, qui se fateretur toties psallendo genua flectere, quot in se versus totum psalterium contineret; cum videlicet psalterium quatuor fere millia versuum habere dicatur, sicut asserunt, qui supputandis operam dederunt. Horum fratrum nomina, præter illud Dominici Loricati, ignota nobis voluit Damianus, contentus eorum mirabilem, fidemque pene excedentem prædicasse austeritatem & pœnitentiam.

XI. Rursus de eremitarum jejunio.

Rursus Damianus de eremitarum Avellanensium jejunio differit. *Credimus*, ait, [a] *unumquemque fratrum in cellula commorantem, nisi omnino ægrotus sit, ita ut decumbat quidem in lectulo, toto anni tempore, sive æstate videlicet, sive hieme, tribus per hebdomadam diebus jejunare in pane & aqua cum Dei adjutorio facillime posse; & quoniam sabbato jejunare etiam canonicæ traditionis authenticum est, non grave videatur fratri etiam sabbato refectionem ad nonam horam usque differre; ut semel quidem ipso die reficiatur, sed tamen vinum atque pulmentum percipere ex hujus nostræ institutionis indulgentia non vetetur. Et hoc quidem æstate. Nam ab idibus septembris usque ad Paschale gaudium, quatuor per hebdomadam diebus noverit jejunandum; sed etsi aliquando tanta debilitas acciderit, hiberno etiam tempore die sabbati aut leguminibus infusis, aut herbarum radicibus, sive etiam pomis solitum licebit aliquantisper temperare jejunium. Ita tamen, ut si unumquodlibet horum sumat, aliud, nisi veræ necessitatis causa dictaverit, non adjiciat. Postremo tamen propter pusillanimes, si hic necessitas omnino poposcerit, quæ fieri permissa est in æstate, eadem sabbatorum discretio servetur in hieme. De festivitatibus quoque, quæ hiemali tempore celebrantur, in quibus nos asseruimus semel in die solere comedere, liceat geminare cibum, sicut mos est cœnobitarum. Porro in duabus quadragesimis, videlicet, quæ Dominicam Nativitatem, Resurrectionemque præcedunt, tertia quidem feria & quinta pulmentum sumat; Dominicis autem diebus & præcipuis festivitatibus, addita insuper quinta feria, etiam vinum bibat. Pulmento autem uno quadragesimali tempore contenti sint fratres, quando semel reficiunt; quando vero refectionem geminant, alterum prandentes, alterum cœnantes accipiant. Reliquo autem anni tempore duo semper habeant. Dominicis quoque diebus & majoribus festivitatibus, si facultas affuerit, etiam tertium non negamus.*

[a] lb. cap. xv.

Juxta tamen sanctorum patrum Benedicti & Romualdi æquissimos canones, [b] *debilium discretionem* ait *in prioris arbitrio* positam, *nimirum ut ipse possibilitatem uniuscujusque consideret, & prout cuique viderit expedire, pie illis alimenta dispenset. Nam & nos approbamus, quod suis sæpe discipulis beatus Romualdus dixisse perhibetur: Dummodo, inquit, frater quilibet cellam non deserat, etiam carnes permittatur ex discretione comedere, si tam inevitabilis videatur necessitas imminere. Addebat insuper: Tale enim propemodum est de eremo ad monasterium reverti, quale de monasteriali ordine ad seculum asportari. Unde necesse est, ut quicumque eremiticæ præest fraternitati, robur cujusque diligenter examinet, & juxta virium facultatem necessaria subministret. Et quidem si omnes sub unius regulæ mensura vivere prævalent, optimum est; alioquin si unus, aut fortasse plures indigent, quod ii, qui incolumes sunt, necesse non habent, clam videlicet & occulte sic infirmis pia exhibeatur humanitas, ut valentes sine invidiæ*

[b] lb. cap. xvi.

stimulo

stimulo in sui rigoris permaneat disciplina. Neque enim necesse est, quod uni casus irrogat, illico regulare omnibus fiat; cum & idem frater, qui hodie subveniri sibi per humanitatem postulat, secunda fortassis confortatus hebdomada, ejusdem humanitatis impendia non requirat. Nam & idem beatus Romualdus, ut sui consueverunt referre discipuli, sic æstivi temporis hebdomadas alternabat, ut una quidem a Dominica in Dominicam in pane & aqua jejunando transigeret; alterius vero hebdomadæ pulmentum quinta feria manducaret. De conversis quoque quantum jejunent, ejusdem prioris provideat diligentia.

XII. De somni ratione.

Tum de somni ratione loquitur [a]. *De somno quoque non tam dura quibusdam districtio, quam modesta discretio necessaria est. Melius quippe est somnum carni temperata quadam dispensatione concedere, & ferventer postmodum in Dei laudibus excubare, quam summotenus soporatum dissolutis tota die labiis oscitare. Enimvero nuperrimis etiam prædecessoribus nostris consuetudo non erat, ut aliquo tempore dormirent in die; nos autem æstivis diebus dormimus quidem, sed, ut indubitanter experti sumus, quidquid provectus in die dormientes amittimus, hoc & maturius nocte surgentes, & expeditius divinis insistentes obsequiis compensamus. Notandum autem, quia ante nocturnæ synaxis officium, si vel profundior adhuc nox, vel quolibet modo graves videntur esse vigiliæ, repetere accubitum licet, post nocturnum autem omnino non licet.* Id vetabat districte discipulis suis etiam sanctus Romualdus, qui post nocturnum cubile repetentes a sacris mysteriis peragendis arcebat die sequenti. *Unde nos, ut hæc regularis observantia posset facilius custodiri, hoc instituimus, ut quotidie signum primitus ad vigilias sonet, deinde expleto ex more psalterio, vel quantum ratio temporis considerata permittit, sonante iterum signo, nocturnale peragatur officium, ut, juxta diluculum, quo videlicet tempore gravius incumbit acidia, stantes nos & canonicis inveniat occupatos officiis. Absit enim tunc nos sopori, vel ignaviæ cedere, qua videlicet hora constat Redemptorem nostrum destructo mortis imperio surrexisse; ne si tunc dormiamus, quando oriente sole corporeo, etiam interior noster homo lucem debet inocciduam exspectare, quod absit, irrisio nobis videatur illa congruere: Discipuli ejus nocte venerunt, & nobis dormientibus furati sunt eum. Cavendum est autem, ne somno quis vel ad momentum quidem incompetentibus horis assentiat. Nam si sedenti quidem, vel etiam stanti frequenter obrepserit, postmodum cum dormire voluerit, ab ejus oculis sopor abscedit. Sic nimirum dormitatio vigiliam, & vigilia dormitationem parit, cum & qui dormitat, invitus postmodum vigilet, & rursus, qui diutius vigilat, ex necessitate dormitet. Cui simile etiam indiscrete comedentibus sæpe contingit. Hinc namque est, quod nonnulli ridicule delirantes, superfluo conqueruntur se cœnare non posse, quod certe ex immoderati ingluvie prandii manifestum est provenire. Nam si frugalitatis metam in prandio non excederent, vespertinam mensam non tantopere fastidirent. Ut ergo cœnare quis valeat, ac mox quiescenti sopor incumbat, & sobrie prandeat, & dormitationis ignaviam non admittat. Nonnulli autem, quod prætereundum non est, ut nocte securius dormiant, & usque ad satietatem longis profundi soporis stertitionibus intumescant, dum adhuc dies est, psalmodiam anticipare festinant, quibus nimirum districte prohibendum est, ne, antequam suo tempore Completorium dicant, psalmos incipiant.*

XIII. De psalmodia privata.

Inde vero de psalmodia privata, aliisque eremitarum exercitiis hæc habet [b]: *Psalterium unusquisque frater quotidie unum decantet, si vero pro defunctis vult addere vel totum psalterium, vel medium, sive saltem ter-*

a Ibid. cap. XVII.

b Ibid. cap. XVIII.

Ann. Chr. 1057.

tiam partem, aut ex toto dimittere, ejusdem fratris relinquatur arbitrio; dum tamen meminerit omnem psalmodiæ ordinem, viventium scilicet & mortuorum, sicut in monasteriis actitatur, explere. Quatuor autem illis diebus, quibus jejunandum esse censuimus, silentium teneat, nisi forte necessitas superveniens aliter imperaverit. In ipsis autem cellulis numquam loquantur alicui, nisi forte aut omnino morentur inclusi, aut etiam sint juxta monasterium constituti. Sed nec alius cum alio fratre, sive de proprio conventu, sive cum extraneo præsumat aliquando simul in cella comedere, vel ad comedendum alios invitare, ubi nimirum non licet etiam confessionem cum alio fratre verbis vulgaribus agere. Si duo simul fratres in cella cohabitant, unus semper præsit, & alter obediat, juxta communis videlicet prioris imperium; quod si uterlibet eorum novitius est, semel aut bis in hebdomada post vesperam colloquendi licentiam habeant; at postquam novitius esse desierit, a mutua deinceps collocutione cessabunt. A cellulis venientes, vel ad easdem redeuntes, sicut superius dictum est, semper silentium teneant. Cum signum sonuerit ad congregandos fratres, quicumque intellexerit, non habeat licentiam, dum se præparat, remorandi in cellula, ultra quam quinque psalmos valeat decantare. Caveat autem utilis frater, ne res suis necessitatibus deputatas, seu quælibet utensilia deterere præsumat, vel incaute tractare, utpote vestes, ferramenta, vasa, vel his similia. Præsertim libros sanctos ita custodiat, ut numquam manum super literas teneat, numquam fumo nigrescere, vel ignis odorem sentire permittat. Ponat autem juxta se quæque sibi sunt familiarius necessaria, ut cum usum horum necessitas postulat, ipse ad exhibendum sibi frequentius surgat. Tantopere quippe vagatio est vitanda, ut nec per ipsam cellulam spatiari inaniter liceat. Porro si voluerit, calceis utatur in cellula. Super metanæis vero, disciplinis atque palmatis, sive etiam brachiis extendendis in orationibus, ceterisque sancti fervoris exercitiis nulla fratrem lege constringimus, quin potius suæ committenda provisionis arbitrio judicamus. Sunt enim, quibus horum aliqua non conveniunt, atque ideo tutum videtur atque liberius, ut in talibus magis optio proponatur, quam definitiva regulæ sententia præscribatur. Radant autem caput per menses singulos, exceptis quadragesimis duabus, quæ nimirum sine lavacro capitum transigendæ sunt. Balneis vero, si fuerint incolumes, non utantur. Hæc itaque nos remoto omni austeritatis rigore, ideo sub tam modestæ discretionis libramine constituimus, ut frater, qui de sua est salute sollicitus, institutionem salutiferam non abhorreat, & tamen si hæc fecerit, plenissime de omnipotentis Dei miseratione confidat. Verumtamen hæc regula post nostrum teneat obitum; nam dum vivimus, assuetum minui, Deo largiente, non patimur institutum. Illud plane summopere est cavendum, ne sub colore quis eremiticæ vitæ jugum detrectet obedientiæ, immo se tanto arctiori obedientiæ lege constringat, quanto hanc institutionem superexcedere cœnobitarum regulam non ignorat. Sæpe enim frater de cella ad cellam jubetur habitaturus abscedere, nec aliquod utensilium, quæ suo etiam ipse labore paraverat, permittitur asportare. Sæpe optantes in remotione quiescere, ad peragendum opus compelluntur exire. Aliquando claves cellarum foribus subtrahuntur, & quam longo tempore nisi per singulos dies Dominicos non redduntur. Aliquando districtam sibi victus continentiam indicentes coguntur remissius vivere, volentesque reficere, compelluntur e contrario jejunare. Sæpe post sagmarios frater procul ire præcipitur, sæpe distrahendi vel coemendi gratia ad nundinas destinatur. Sed hæc & alia quæcumque a priore mandantur, ita patienter & humiliter sunt servanda, ac si fuerint divinitus imperata.

XIV. De exercitiis spiritualibus.

POSTQUAM exteriorum operum disciplinam, quam servabant Avellanen-

nenses, & servare debent ceteri eremitæ, tradidit Damianus, ad illam interiorum actionum transitum faciens, Stephanum erudit [a], quomodo cogitationes vanæ & noxiæ non sint suscipiendæ, sed expellendæ, quo pacto gulæ illecebræ sint fugiendæ, vilitas pariter & paupertas in vestibus & in lectis amanda; docet in omnibus Dei voluntatem faciendam, cordis & cogitationum custodiam semper habendam, vincendas decantatione psalmorum tentationes, mortis & sepulturæ memoria passiones omnes esse coercendas. Tum quomodo confiteri debeat idem Stephanus, quando aut cogitatione, aut opere offenderit, informat. Animadvertit insuper lacrymarum & contemplationis studium, cui assuescit vita eremitica, maxime levare pondus austeritatis & pœnitentiæ, ac quomodo lacrymarum & compunctionis gratia obtineri queat, instruit. Demum perseverantiam in proposito semel arrepto necessariam omnino ostendit.

ANN. CHR. 1057.

a *Ibid. cap. XIX. & seqq.*

XV. Præcepta pro priore eremi.

INFORMATO eremita, eremitarum priori præcepta tradit Damianus [b], atque inter cetera jubet priorem eremi eligi non e cœtu monachorum, prudentem licet, doctum & regularibus disciplinis instructum, sed ex collegio eremitarum, & hunc debere exemplo in omnibus præire ceteris, virtutesque excolere, & eremi consuetudines sequi. Venientes e seculo statuit, ut prior non ad monasteria statim amandet, sed mox ad eremos. *Eo quippe* [c], *ut lugens loquar*, inquit, *pleraque devoluta sunt monasteria, ut vitiosiores reperiantur ab eis egressi, quam ii, qui nuper sunt de mundani naufragii fluctibus eruti*. Novitius autem eremita *cellulam ingressus non statim omnem consuetudinis regulam permittatur implere, sed diu quærat, quod difficulter inventum carius teneat. Postmodum vero processu temporis omnes sancto desiderio relaxentur habenæ* &c. Qui vero *de regula monasterii ad eremum properat*, a priore initio ejus conversionis sobrie moneatur, ut majori in pretio habeat eremiticam, quam cœnobiticam disciplinam. Aliquo autem elapso tempore, tunc *cœnobiorum sunt efferenda præconia, & quæcumque in eorum disciplinis aguntur, ad Dei gloriam referenda* &c. Ceterum quæcumque hactenus de eremitica vita disseruit Damianus, conversationis hujuscemodi ut leviora quædam habenda esse principia, non autem ut perfecta & consumata eremiticæ vitæ instituta, præfatum Stephanum docet, ad instar sancti patris Benedicti, qui regulam pro incipientibus, non pro perfectis se dictasse affirmat.

b *Cap.* 28.

c *Cap.* 29.

XVI. Brevior Damiani regula de ordine eremitarum.

EXTAT brevior *de ordine eremitarum* [d] Damiani ad suos fratres *regula*, in qua perstrictim eadem habet, quæ fusius tradiderat in opusculo ad Stephanum. Ipsa quoque scripta videtur, antequam ad ecclesiasticas curas raperetur, cum dicat se *immensas Deo creatori gratias* referre, *qui se indignum ministerii locum habere voluit in conventu non multorum, sed bonorum, quos sibi necesse sit ad patriam redeundo præcedere*. Potuit tamen hæc regula conscribi a Damiano sene, tunc temporis, quando valedicens dignitatibus, eremi iterato assumpsit administrationem, cum in calce habeat: *Ecce fratres mei fui, quod estis, & emensus sum, quod transitis. Præsto vobis sunt, quæ deserui, propinquum est, quo perveni;* quibus verbis grandiorem ætatem suam amplificat. In hac porro breviori regula sic alloquitur fratres suos. [e] *Volo autem fratres mei de vestræ conversationis ordine pauca perstringere, ut quod in vestris nunc vivis operibus legitur, etiam apicibus traditum ad eorum, qui nobis in hoc loco successuri sunt, notitiam transferatur; quatenus & si non contigerit eos ad altiora conscendere, eamdem saltem vivendi regulam, quam vos tenuisse didicerint, & ipsi studeant fideliter observare, ut qui habitationis fuerint successores; sint nihilominus & conversationis hæredes, & quod de regulari observantia sui loci viderint* specia-

d *Opusc. XIV.*

e *Ibidem.*

Ann. Chr. 1057.

specialiter scriptum, pudeat, si de sua fuerit aliquando imitatione deletum. In hoc nempe loco, qui Fons-avellani dicitur, plerumque viginti plus minus monachi per cellulas, sive in assignata cuique obedientia degimus, ut omnes simul cum conversis & famulis tricenarium quinarium numerum, aut vix, aut breviter excedamus. Vivendi autem regula hoc nostro tempore talis est &c. Tum de jejunio, abstinentia vini, psalmodia, nudipedio, vestium asperitate, erga defunctos caritate differit. Successorem precatur, ne unquam ab hujus observatione regulæ dispensando cum his, qui sibi subditi sunt, declinet. Postremo quæ beneficia huic loco ipse contulerit, quos codices comparaverit, quæ ædificia construxerit, enumerat. De his Damiani beneficiis nos ad annum 1043.

XVII. De celebrandis vigiliis festivitatum opusculum.

Eosdem fratres in eremo constitutos alio opusculo adhortatur ad celebrandas octo festivitatum vigilias, quas per abusum a plerisque suo tempore negligi conqueritur [a], diluens frivolas rationes excusationum ab hominibus parum piis allatarum. Vigiliæ sive jejunia, quæ spernebantur a ceteris, a Damiano vero inculcantur, pertinent ad dies præcedentes festum Assumptionis beatæ Mariæ virginis, festa Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Resurrectionis Dominicæ, sollemnitates sanctorum apostolorum Jacobi & Philippi, sancti Jacobi-majoris, sancti Bartholomæi, & natalitium sancti Johannis-baptistæ, ac diem Litaniæ majoris. Plures ad vocem mulcendam, & ut melius canerent, vel ipsi monachi, jejunia hujuscemodi, potissimum in vigilia Natalis Domini, frangebant. Quid acciderit abbati cuidam in vigilia sancti Bartholomæi etiam enarrat [b]. *Quo die aliquando abbas quidam, non infimis comitantibus viris de longinquis finibus ad nos in eremo degentes pransus & cœnaturus advenit; alia vero die, festivitatis scilicet Apostolicæ, rogatus ut digressurus jentaculum caperet, renuit, nullisque precibus acquievit. Sed o digna restituens divina sententia! sive in cœnobium sanctimonialium, quod tunc visitavit, sive apud aliquem secularium ad quoscumque transmisit, per totam illam diem ne vini quidem vestigium potuit invenire; sicque divina dispensatione coactus est jejunii debitum in ipsa festivitate persolvere, cujus non timuit vigilias contra ecclesiasticæ institutionis regulam temerare, & ut ita loquar, luit in festo, quod deliquerat in profesto.* Postremo differit de jejunio Sabbatorum, qua occasione sequentem visionem affert a Johanne seniore fratre suo habitam. [c] *Mox ut ista conscripseram, quid mihi casu, vel potius divino nutu nosse contigerit, non celabo. Senior quidam frater, qui jam a triginta fere annis eremitica cellula usus fuerat, ad me venit, & soli visionem, quæ sibi acciderat, patefecit. Sæpe, inquit, magister, in te simultatis & iræ stimulum pertuli, quia diem sabbati tantopere ut jejunaretur, instabas; interea concupivi Hierosolymam pergere, cumque hoc in dies desiderio ferventius æstuarem, dormienti mihi Dominica nocte, constitit in visione splendidus quidam clericus, & dixit: Frater Johannes, sic enim vocabatur, vis venire Hierosolymam? Cui cum velle me respondissem, protinus me illuc per somnium duxit, multaque Sanctorum sepulchra circumiens, quodque cujus esset, specialiter designavit; tandem ad sepulcrum Domini, eodem duce, perveni; & ecce post sepulcrum stabat quidam clericus serena facie & pulcher aspectu, cervice tenus stola candida decenter ornatus, qui dixit mihi: Tu nudius tertius vivificam Crucem, hesterno quoque die sepulturam Dominicam, dum jejunasti, veraciter adorasti. Ex hoc, remoto omni scrupulo dubietatis, agnosce, quia & sexta feria Crucem, & sabbato sepulcrum Christi verissime celebras & adoras, si prædictos dies orando & psallendo jejunas. Quo videlicet instructus oraculo, & scandalum quod adversum te, pater habueram, perdidi, &*

dein-

a Opusc. LV.

b Ibid. cap. VII.

c Ibid. cap. V.

deinceps sabbatum non minori devotione quam sextam feriam, si facultas suppetat, jejunabo. Hæc mihi sanctus frater retulit, cum hæc, quæ scribimus, & tunc omnino nesciret, & adhuc prorsus ignoret.

Ann. Chr. 1057.

XVIII. De jejuniis sabbati alterum.

POST [a] prædictum opusculum & facile paucis annis ante obitum suum, aliud scripsit Damianus de jejuniis sabbati, nam in hoc secundo primum illud laudat. Inscriptum est autem sanctis fratribus in Gamugni eremo constitutis, quos excitat ad hilariter & devote jejunandum die sabbati, in sepulturæ Christi honorem, sicut tribus aliis per hebdomadam diebus jejunare solebant, plura de utilitate & merito ejus diei abstinentiæ ob eorum oculos ponens. Ostendit hanc regulam a patribus institutam, ubi alludere videtur ad id, quod decreverat etiam sanctus Romualdus, ut in ejus vita ipse Damianus refert; & insuper ait disciplinam istam a Gamugnensibus per longa jam tempora custoditam. Eruitur ergo post aliquod tempus ab ædificatione hujus eremi, epistolam hanc Gamugnensibus suis a sancto ipsius fundatore conscriptam fuisse.

a *Opusc. LIIII.*

XIX. Damianus de dignitate sacerdotii scribit.

EODEM anno Alphano, qui ex Casinensi monacho abbas sancti Benedicti apud Salernum prius, deinde Salernitanus expostulatus fuerat archiepiscopus a Gisulfo principe, ac a Romano pontifice Stephano IX. consecratus, scripsit [b] opusculum de dignitate Sacerdotii Damianus, pluribus liberalitatis signis ab ipso decoratus. Indicat autem se scripsisse opusculum, paullo post quam Alphanus ad archiepiscopatus honorem fuerat promotus, cum dicat. *Quanta vobis, hoc est summis ecclesiæ sacerdotibus, est dignitas prærogata, ut benedictionem non modo vobis exhibitam possidere, sed possitis etiam aliis tradere? Et non qualemcumque, sed etiam episcopalem, per quam scilicet vestri juris est ordinare pontificem*; ubi indicare vult privilegium, quod Alphano concessit Stephanus, nominandi, eligendi, & consecrandi undecim episcopos suos suffraganeos, ut apud Ughellium [c] tradit Gaspar Musca, sed simul declarat scripsisse se opusculum hocce nondum cardinalitio & episcopali munere insignitum, nam si etiam ipse tunc temporis episcopus fuisset, dixisset potius, se quoque includendo, *quanta nobis dignitas est prærogata, ut possimus benedictionem possidere* &c.

b *Opusc. XXV.*

c *T. VII. col.* 382.

XX. Ejusdem epistola ad Damianum fratrem.

DAMIANO fratri archipresbytero Ravennati epistola [d] a Petro Damiano scripta fuit ante annum 1062. eo enim anno archipresbyter Damianus jam monachum induerat; rursus ante præsentem annum non videtur consignanda, ut vera esse possint, quæ de se ipse Petrus scribit, *longævos nimirum enumerare annos, spargi se canis, & in quocumque conventu hominum se positum omnes pene infra suam ætatem esse considerare, & postpositis curis omnibus de sola morte cogitare*. Hinc magno animi dolore peccata sua accusat, propensionem suam potissimum ad risum enuntiat, urbanitatem suam tamquam scurrilitatem describit, pro qua funditus eliminanda ipsius preces implorat. Præclara profecto modestiæ, & humilitatis Damiani confessio; qui tamen quinquagesimum vix excedebat ætatis suæ annum, sed laboriosæ & pœnitenti ejus vitæ adscribenda est longævitatis, quam facit, exaggeratio.

d *Epist. II. Lib. V.*

XXI. Stephanus IX. Rom. pont. Damianum cardinalem & ep. Ostiensem creat.

DESINENTE hoc ipso anno Stephanus papa IX. eductum a sua Avellanensi solitudine Damianum, S. R. E. Cardinalem & episcopum Ostiensem creat. Ita in annalibus Muratorius [e]. Rubeus tamen [f] & Fortunius noster [g] id contigisse volunt initio quadragesimæ & sabbato IV. temporum anni sequentis, qua die primam cardinalium promotionem factam a Stephano existimat etiam Ciacconius [h]. Verum cum anno 1058. Pascha celebratum fuerit die XIX. aprilis, & sabbatum IV. temporum quadragesimæ contigerit die XIV. martii, verisimile non videtur Stephanum tunc adversa

e *T. VI. p.* 180.

f *Lib. V. pag.* 291.

g *P. I. Lib. V. cap. 9. pag.* 216.

h *T. I. col.* 813.

ANN. CHR. 1057.

sa valetudine laborantem, & in itinere forte constitutum Florentiam versus, ubi etiam post quindecim dumtaxat dies, hoc est XXIX. ejusdem mensis obiit, cogitasse de cardinalibus creandis, quos proinde eligere commodius potuerit mensibus præcedentibus. Nulla temporis nota signat, quod neque facit de ceteris Damiani gestis, hujus honoris collationem vitæ ipsius auctor Johannes Laudensis, qui de ea, & de Damiani reluctantis molestia & humilitate hæc tantummodo scripta reliquit.

Cum tantæ [a] *igitur ipsius sanctitatis & prudentiæ jam latere fama non posset, ad aures sanctæ Romanæ ecclesiæ clara defertur; & quoniam vir tantus sacerdotio censetur idoneus, atque negotiis ecclesiasticis quam maxime necessarius, perductus ad summum pontificem, tunc Stephanum videlicet IX. ad suscipiendam episcopalem cathedram tam ab episcopis ceteris, ecclesiasticis viris, quam ab ipso quoque summo pontifice compellitur. Ipse vero non immemor solitariæ quietis, in qua divinæ lectioni, ac contemplationi suaviter vacare consueverat, eam amittere, civilemque strepitum repetere nimium perhorrescens, summo & omni conamine eorum compellationibus resistebat. Qui porro cernentes nil suis prorsus cohortationibus, nil precibus proficere, jam ei cœperunt excommunicationis sententiam, si obstinate resistere ultra decerneret, intentare. Quid plura? Dominus tandem Apostolicus unum superaddere studuit, quod ab eo contemni prorsus nequivit. Sub obedientiæ namque sibi præcepit imperio, ut obtemperans fratribus, placide, quod jubebatur, assumeret; moxque ipsius arripiens dexteram, annulo simul dotavit & virga, quibus videlicet arrhis Ostiensem sibi copulavit ecclesiam.*

a Cap. XIV.

XXII. Qui statim scribit ad cardinales confratres.

CONSPICUA cardinalatus dignitate auctus Damianus, primum zeli sui vigorem declaravit, ut quandoquidem coactus fuerat ipse quoque *particeps utcumque esse stantium pro castris militiæ ecclesiasticæ*, venerabiles sanctos episcopos Lateranensis ecclesiæ cardinales, quos *fratres* appellat, & quibus seipsum *audenter* interserit, hortaretur, ut in tanta vivendi solutione, sic vitam componerent, quatenus ceteris tamquam morum exemplaria insertas virent. Hinc quanta episcopis, præsertim probitatis, indicta esset necessitas, ostendit; [b] *non enim constat episcopatus in turritis Gebellinorum, transmarinarumve ferarum pileis, non in flammantibus Martorum submentalibus rosis, non in bractearum circumfluentium phaleris, non denique in glomeratis constipantium militum cuneis, neque in frementibus ac spumantia fræna mandentibus equis, sed in honestate morum, & sanctarum exercitatione virtutum.* Totus postremo est in cardinalitia auctoritate atque excellentia demonstranda, & in Lateranensis ecclesiæ dignitate pariter extollenda.

b Epist. I. Lib. II.

XXIII. Ejusdem epistola ad Bonifacium ep. Albanensem.

PAULLO post scripsit ad Bonifacium S. R. E. cardinalem Albanensem [c] opusculum contra *clericos aulicos*, in quo supradictæ epistolæ mentionem facit. Docet clericos aulicos non esse a Simonia immunes, dum seipsos vendunt, ut ad dignitates provehantur, & ut sacerdotia acquirant. Principibus quoque cavendum esse ait, ne dum improbis hominibus ecclesiarum gubernacula committunt, aliena peccata in seipsos transferant, quod pluribus exaggerat, multisque rationibus confirmat. Historiam ibi subnectit [d] de *Bononiensi episcopo curiali*, qui suis temporibus vixit, quique *postquam latissima ecclesiastici juris prædia in suburbio constituta distraxit, subsequenter obmutuit, sicque fere per septennium, donec advixit, paralyticus & elinguis elanguit.* Illud autem ad calcem epistolæ subnectit, ut *deinceps, sicut ii, qui ecclesiæ militando promoti sunt, vocantur ex more pontifices, ita qui famulando principibus fiunt, dicantur a curia curiales.* Bonifacius de Comitibus a Leone papa IX. cardinalis & episcopus Albanensis creatus fuerat. Ipsius memoria extat usque ad annos 1066. & 1067. quibus

c Opusc. XXII.

d Ibid. cap. III.

bus subscripsit Alexandri II. bullis pro monasteriis San-dionysiano & Casinate. Episcopus autem Bononiensis, de quo Damianus, videtur fuisse potius Furgerius, quam ejus successor Adelfredus, cui nonnulli [a] apud Ughelium tribuunt hanc bonorum ecclesiasticorum dilapidationem; constat enim Adelfredum anno 1045. clerum Bononiensem ad puriores mores traduxisse, canonicosque illius ecclesiæ certo numero definiisse, tertia parte decimarum & oblationum eisdem attributa, alia itidem bona suis canonicis anno 1059. dilargitum fuisse, & anno 1060. Lambertum in episcopali munere coadiutorem accepisse. Furgerius e contra episcopale officium volens dimisit anno 1034. & episcopus, de quo loquitur Damianus in epistola ad Bonifacium, e vivis excesserat; id, quod Furgerio rectius accommodari potest, quam Adelfredo, attentione habita temporis, quo epistolam hanc scribere potuit Damianus.

a T. II. col. 16.

XXIV. Sollicitudo Damiani in episcopatu.

Quantum vero pro animarum salute esset sollicitus, cum episcopatum suscepit Damianus, prosequitur Laudensis his verbis [b]: *Cum se igitur perpendisset istiusmodi jugis nexibus taliter mancipatum, nec jam sibi licere solitæ contemplationi libere deservire, arbitratus est præteritorum dispendia lucris fore sequentium compensanda, quo Rachelis venustati Liæ posset fœcunditas comparari. Ut fidelis igitur servus ac prudens, Dominicæ se familiæ procuratorem constitutum cognoscens, cœpit solerter procurare, quatenus susceptum ministerium taliter sibi commissum impenderet, ut adventum Dominicum posset intrepidus exspectare, tamque plenam & perfectam annonæ mensuram suis exhibere conservis, quo veniente Domino mereretur audire: Euge serve bone, intra in gaudium Domini tui. Nec hoc tamen sibi sufficere judicans, si erga unius tantum ecclesiæ plebem, cui videlicet præerat, administrationis suæ curam prætenderet, dum se cunctis sciret obnoxium conservis in una secum familia conscriptis, se sollicitum exhibebat, omnesque lucrari Deo cupiens, tamquam sagax rimator piscosi gurgitis solerter investigabat, sicubi pro qualibet sollemnitate populi multitudo conflueret, quatenus divini verbi lina submittens, plures capere, & quasi de mundani æquoris profundo ad superni amoris alta sustollere posset. Hujuscemodi namque lucri gratia, longe diurnam lucem multoties eum prævenire conspeximus, si talis conventus longiuscule fieret, ne competens sermocinandi sibi hora transiret. Sæpenumero quoque illum novimus acribus febribus nocte confectum, mox orto Sole, ingressum ecclesiam, Missarum incboasse sollemnia, & usque sextam fere horam edita voce in aures totius plebis protrahendo sermonem, non parvum nobis ex se præbuisse miraculum, cum & robustiorem viribus & clariorem eloquio cerneremus, quem jam pene defecturum suspicabamur. Quo plane daretur intelligi, non alium ipsius ore concionari, quam illum, qui discipulos suos docens ajebat: Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Cujus videlicet eloquia, velut e largissima fontis vena redundantia singulorum capacitati congrua propinabat. Quæ nimirum, etsi aliquando fierent prolixiora, nulli tamen esse poterant onerosa. Quæ nempe onerositas in illius esse posset sermonibus, quibus erectis auribus, tamquam divinis affectibus ab omnibus intendebatur? aut infructuosa ejus esse poterant verba, cui sancti cooperabatur Spiritus gratia? Minime. Hinc namque est, quod dies Crucis ab innumeris fidelibus hac tota provincia ob reverentiam Dominicæ passionis in abstinentia celebratur. Quam videlicet observantiam idem passim omnibus prædicans, hortabatur. Hinc nihilominus constat, quod omnium horarum officia in honore almæ Dei genitricis in pluribus ecclesiis instantia maxima gestum parte dignoscitur.* Laus hæc potissimum debetur Damiano, quod instituerit, vel restituerit jejunium

b Cap. xv.

Ann. Chr. 1057.

nium sextæ feriæ in honorem sanctæ Crucis, ac preces horarias decreverit persolvendas in cultum beatæ Virginis. Fingunt plures ejus vitæ scriptores Gregorium VII. summum pontificem ex eremo Avellanensi Damianum evocasse, ut legatus de latere totam lustraret Italiam, & promulgaret decreta de dicendo officio beatæ Mariæ virginis, atque abstinentiam sextæ feriæ indiceret. Verum id falsum esse alibi videbimus, cum ad tempora Gregorii VII. non pervenerit Damianus. Has autem pias consuetudines introduxit sub pontificibus anterioribus tam in sua eremo, quam in aliis a se fundatis, & in monasteriis ac in ecclesiis studio suo reformatis, ejusque instituta sectantibus.

XXV. Et pietatis officia in pauperes.

Damiani jam episcopi alia pietatis & liberalitatis exercitia in pauperes ac religiosos viros fuse describit idem Johannes ipsius vitæ auctor [a]. *Circa misericordiæ quoque opera*, inquit, *qualis, quantusque fuerit, quis digne loquatur? Quis sane in eleemosynarum studio propensior? Quis in abluendis pauperum pedibus devotior? Quis in vestiendis nudis, in reficiendis egenis, in visitandis ægrotis promptior illo potuit esse unquam? Ab istiusmodi namque operibus nulla pene illi dies vacabat, ubicumque hoc fieri temporis aut loci congruentia permittebat, & dum ista ubivis locorum agere non desisteret, quid putandum, cum apud episcopium maneret? Ubi siquidem turba pauperum episcopalia limina quotidie frequentante, alii dapibus appositis reficiebantur, alii accepta stipe revertebantur, ex quibus assumptis duodecim eorum, assidue pedes lavabat. Præterea in suis conviviolis, quæ semper ex more cum hospitibus communicabat, si qui egeni circumquaque per regionem lectulis decumbebant, oblivisci ab eo minime poterant, dum quemlibet suorum, quem timere Deum arctius sciret, ad horum ministerium specialiter deputatum semper haberet. Hujusmodi quippe studiis assidua exercitatione persistens, talibus gratulabatur latioribus facultates ecclesiæ thesauris infercire cœlestibus, quos scilicet in propriis summopere devitabat assumere sumptibus. Ajebat enim se Dominicarum rerum constitutum fore ministrum, non dominum, dispensatorem, non possessorem. Ut autem suorum quoque clientium ad hæc fideliter exercenda devotas mentes accenderet, hujuscemodi eos sermonibus satagebat commonere frequenter: Noveritis filii, omnia ista sacra esse & peccatorum pretia; unde summopere cavendum, ne quid horum avaritia, seu qualibet negligentiæ injuria Christi pauperibus subtrahatur, quibus nostra residua omnia illibata debentur. Cum nobis itaque suppetant, quibus egeni & miseri valeant refoveri, diligenter exquisite, pie considerate, qui vicinis in regionibus ægrotent, qui vel esuriei, vel penuriæ cujuslibet angore laborent; quatenus hujusmodi pie compatiendo necessaria ministrantes, æternæ mercedis fructum nobis, vobisque communem in cœlestibus acquiratis. Quoniam quidem si modo in seminando fideles nobis cooperatores extiteritis, de communi proculdubio nobiscum fructu beata in retributione gaudebitis. Hujuscemodi quippe monitis pius pater suos contubernales ad misericordiæ opera instigabat. Hinc sane pensandum est, qualis in exhibendis confratrum necessariis fuisse credatur, qui tantæ benignitatis erga universos extitisse dignoscitur. Verum quid de cohærentibus sibi memorem? Quandoquidem erga cunctos Dei famulos in sacræ militiæ proposito constitutos, eo dilectionis vinciebatur affectu, quo eorum amplius, quam proprio, gratulabatur solatio.*

[a] Cap. XVII.

XXVI. Auctoritas consiliorum ipsius in tota Romana curia.

Hæc etiam alia subjungit Laudensis, quæ ad Damiani gloriam pertinent. *Quo denique modo*, inquit [b], *ego illius acta queam singillatim exprimere, qui numquam in sancta ecclesia desistebat, quidquid pravum, quidquid insolens emergebat evertere, quidquid vero pium ac religiosum adver-*

[b] Cap. XVI.

tebatur,

tebatur, ad Christi gloriam instituere? In quibus sane operandis non parva eum facultas divinitus comitabatur, cum ipsius auctoritatis censura penderet, quid in ea admittendum, quidve agendum canonicis sanctionibus foret. Huic quidem assertioni tota Romanæ urbis attestatur ecclesia, quæ quodam doctrinæ illius splendore illustrata, ejusque auctoritate subnixa, ipsius abscessu & ab exhortationis verbo se pene obmutuisse, & inrecompensabilis auctoritatis munimine caruisse deploret. Illius nempe auctoritas omnes confutabat errores, vacillantesque confirmans, ambigua stabiliebat, litigantium ora refrænans, superborum colla premebat, mentesque humilium animans roborabat.

XXVII. Theobaldus Salanicę substitit.

Theobaldus, dum post Romanam peregrinationem iter suum prosequeretur sacra Palestinæ loca veneraturus, divina dispositione hoc anno in agro Vicetino substitit, atque, ut sub ejus imagine apposuere Johannes & Raphael Sadelerii cebeberrimi cælatores [a]:

a Lib. II. SS. Erem.

Venis in Italiam Senonum Theobaldus ab oris,
Et Vicentinis incola mansit agris.
Mente super stellas atriis habitabat in amplis;
Sic docuit multos, silvaque ludus erat.

Eoque in loco domicilium fixit, ubi ante centum annos vitam solitariam duxerat, eremumque condiderat sanctus Romualdus. Locus appellabatur Salanica, Sallanica, Sallavica, Sallaniga juxta variantes codices, vulgo *Sajanega*, octo milliaribus circiter distans ab urbe Vicetia versus meridiem, in quo loco Theobaldus præter eremum satis amplam ecclesiam reperit, sanctis Hermacoræ & Fortunato sacram. Lapsus profecto est Henschenius, dum pro Hermacora & Fortunato, ut legitur in vita sancti Theobaldi, hæc habet in notis: „ Hermogenes lector & Fortunatus diaconus marty-„ rio coronati Singidoni XXIII. augusti quiescunt Aquilejæ; “ cum diversus ab Hermogene lectore sit Hermacoras episcopus primus Aquilejensis, qui una cum Fortunato diacono passus est IV. idus julii, & in quorum honorem plura extabant templa & oratoria consecrata in Veneta ditione. Locus hujus eremi culturam modo patitur, mediusque visitur inter Sossanum & Campiliam.

XXVIII. Ejus vitæ & pœnitentiæ institutum.

Sed de Theobaldi adventu in Vicetinam regionem Petrum abbatem præstat audire, qui insuper vitæ ipsius rationem in novo ab eo assumpto instituto describit sequentibus verbis [b]. *Dei clementia medicum ad exemplum sanctæ conversationis nostris partibus reservabat. Nam impie & misere cæsus per tota membra transire non potuit, & propter multa incommoda Roma regressus desiderio visendi sepulcrum filii Dei, Venetiam, quasi mare transiturus, expetiit. Qui in hac intentione fines Italiæ percurrens, tandem pervenit ad locum, cui vetustas Sallaniga nomen indidit. Perlustrato vero loco, & divina, ut credimus, dispositione adamato, reperit saltum adeo spatiosum, & ruinas quasi veteris ecclesiæ, ubi post longinqui itineris fatigationem resedit, Waltero collega suo jam deficiente, tot & tam gravissimis laboribus ætate refragante. Qui ultra progredi cum denegaret, cum sancti viri assensu Veronensem civitatem expetiit, & dominum loci perquirens, qui sint, quid velint, aperuit, scilicet peregrinos se esse, Deo in solitudine velle deservire, si locum permittat in possessione sua, quem Dei misericordia elegerant. Hoc itaque impetrato, vir Dei Theobaldus, compacto parvo tugurio, confidenter ibidem habitare cœpit, & angelicam vitam in terris actitare inchoavit. Primum a carne & omni pinguedine se abstinuit, demum vero pane hordeaceo & aqua tantummodo usus est, ad postremum a pane & omni potu abstinens, fructibus tantum & herbis, earumque radicibus aliquantis*

b Num. 8.

ANN. CHR. 1057.

a Num 9.

tis vixit annis, semper usus cilicio. Hæc eadem iisdem fere verbis apud Reinerum. [a] *Jam vero quis digne explicet*, prosequitur Petrus, *quas cruces corpori suo sævus persecutor induxerit? Sciens enim, quia caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, multifido flagello ex corio facto, corpus sæpius flagellabat, & carnem tribulando sine misericordia prosequebatur & affligebat. Sic crucis mortificationem in membris suis portans, die in fame & siti, in verberibus plurimis corpus contristavit; nocte vero, quæ omnibus requiei data est, toto quinquennio, ut fideles ejus familiares testantur, numquam jacendo, sed sedendo somnum cœpit, & hoc tanta peregit cautela, ut quasi tota nocte in somno mansurus, diligenter pannis a familiari ministro operiretur. Post abscessum vero ministri sui statim exsurgens, conticinii tempora in precibus & Dei laudibus extensis manibus continuabat. Hora vero surgendi ad matutinos hymnos, ut suos lateret, ad stratum proprium regrediebatur. Illud autem stratum primo quidem quædam arca æqualis superficiei exstitit, substrato quodam lineo linteolo, & durissimo trunco pro cervicali capiti admoto, superapposito laneo pileo suæ peregrinationis ab æstu defensore. Demum vero cum omnia corporis membra, ut ita fatear, cilicio armasset, supradicto lineo linteolo supposuit cilicium, & pro arca usus est quodam lato & dolatili ligno*. Qui hæc legit, & confert cum iis pœnalibus exercitiis, quæ eodem tempore Dominicus Loricatus, ceterique eremitæ in Avellanensi cœnobio voluntarie subibant, quæque Romualdi ævo in usu erant apud Perenses & Sitrienses monachos, & post sancti patris obitum apud Camaldulenses eremitas, facile in animum suum inducet, Theobaldum ab initio sui Salanicensis incolatus Romualdi & discipulorum ejus, qui quondam fuerunt ejus loci habitatores, vestigia pressisse, vel saltem a Petro Vangaticiense abbate didicisse, quænam forent solitariæ vitæ a Romualdo invectæ oblectamenta.

XXIX. Chartæ Pisanæ & Pratalienses.

BONO abbati sancti Michaelis in burgo Pisarum successerat Rusticus, ut diximus ad annum 1049. Hic *anno mille quinquagesimo-octavo, decimo kalendas januarii indictione undecima* (nempe incœpta a mense septembri anni 1057. & stylo Pisano) qui juxta Romanum est 1057. libellum conscripsit emphyteusis Bonio filio Ermingardæ; similiter *anno mille quinquagesimo hoctavo, sexto idus januarii indictione undecima* alium libellum confecit ad favorem Widonis filii Gherardi, de terra posita *foras civitate Pisa* prope dictum monasterium. Addimus tertiam chartam *anno mille quinquagesimo hoctavo, quarto nonas septembris indictione duodecima*, qua Gerardus filius Folcherii & Benedicta jugales offerunt *ex pars ecclesia, & monasterio domini & sancti Michaelis, quod est fundato & edificato foras civitate Pisa prope porta, que dicitur Samuel, ubi nunc domnus Rusticus abbas preesse videtur*, terras existentes *prope supradictum monasterium, & prope ecclesia sancti Petri, que dicitur a Vincule*. Series ergo abbatum hujus monasterii, quam disposuit Fortunius, manca est & supplenda, ut etiam alibi innuimus, ope harum chartarum archivi ejusdem cœnobii, quas exhibemus in Appendice.

b §. Promissio. II. A. 1. 27.

[b] Ugo quondam Griffoni & Ardingus ejus filius promittunt Hieronymo abbati Prataliensi nullam se litem intentaturos, vel molestiam aliquam allaturos deinceps ratione terrarum & domorum, quæ fuerant Bunici, & erant posita in plebatu sancti Eleutherii in plano Arretii; & id sub pœna *denariorum Pavensium solidorum* CC. pro qua promissione manu Petri notarii dantis pro dicto monasterio receperunt solidos CCC. *Actum in castro Talla*. Ex summariis Baroncinii.

SE-

Ann. Chr. 1057.

XXX. Cunegundis uxor Azonis marchionis Estensis sepulta in Vangaticia ecclesiæ.

Severus Senesius noster refert sub hoc anno obitum Cunegundis uxoris Azonis marchionis Estensis, quæ sepulcri honorem obtinuit in Vangaticiensi basilica sanctæ Mariæ. Anno M. CCC. XXXIIII. mense augusto, dum in eodem templo artifices vel de novo quid ædificarent, vel ædificium aliquod repararent, inventum & apertum fuit monumentum, in quo duo jacebant corpora junctim posita, sed ita ut unius caput reclinatum esset, ubi alterius pedes, ibique vestigia adhuc supererant panni aureis sericisque filis contexti. *Hoc fuit tempore domni Severi Dei & apostolica gratia venerabilis abbatis monasterii sancte Marie de Vangadicia*, uti legitur in veteri quodam documento ejusdem Vangaticiensis monasterii. Marmori inscripta erat memoria Cunegundis ibidem humatæ cum sequenti epitaphio, quod ex eodem antiquo documento Muratorio [a] transcripsit Grandius noster. Nos ipsum ex Senesio, qui marmor album, sub quo tumulata fuit Cunegundis, vidit, & epigraphen legit sculptam super coctos lapides, iterum edimus aliquantulum correctius:

[a] *Antiq. med. ævi T. IV. col.* 607.

ORTA. GVNIGVLDIS. REGALI. STEMMATE. FVLSI
INDOLE. NOBILIOR. NVLLVS. IN. ORBE. FVIT.
GERMINE VELFONTIS. MAGNI. SVM. NATA. GERMANA
INDVPERATORVM. ISTE. FVIT. TITVLVS.
VIR. MEVS. EGREGIVS. POPVLVS. LOCVPLETIOR. VLLVS
HAVD. MANET. ITALIA. HAVD. SIMILE. PEPERIT.
AZO. VIR. PRVDENS. MAGNVSQVE. MARCHIO. FVLGET
QVEM. CREDO. MEMOREM. SEMPER. ADESSE. MEI.
IN. TERRA. COELVM. SOBOLEM. CONCESSIT. VTRISQVE
QVI. VELFONS. DICTVS. DVXQVE. POTENSQVE. PIVS.
HVNC. VIOLARE. NEFAS. LOCVLVM. NEC. INDE. RECEDAM
DONEC. IN. VERA. CARNE. RESVRGAM. AMEN.

Welfonis scilicet ducis Carinthiæ & marchiæ Veronensis domini, atque Ermengardæ filia fuit Cunegundis, soror ducis Welfi III. uxor Alberti Azonis II. marchionis Estensis, & demum mater Welfi IV qui anno 1071. dux electus est Bavariæ, regiamque domum Brunsvicensem constituit. In charta donationis factæ anno 1073. monasterio Vangaticiensi, quam ad eum annum afferemus, idem Welfo filius jampridem defunctam matrem indicat, quam *Cunizam* appellat. Utroque enim modo efferebantur Cunegundæ & Cunizæ, Cononis & Conradi, Azonis & Alberti, & similium nomina, ut pluribus probat Muratorius.

Ann. Chr. 1058.

XXXI. Damianus apologeticum scribit pro monachis.

Promotioni Damiani parum supervixit Stephanus IX. qui hoc anno mense martio die vigesima-nona Florentiæ immatura morte post breve pontificatus regimen decessit. Proxime ab ejus obitu [b] *Apologeticum monachorum adversus canonicos* adornavit Damianus; capite enim secundo ait: *Stephanum Romanum pontificem nuper defunctum ex monachis fuisse, qui apostolicam sedem gloriosissime gubernarunt*; fuerat nempe abbas Montis-Casini, & pontifex summus electus eamdem abbatiam retinuerat. Conqueruntur in hoc Apologetico monachi, quod a cœtu totius ecclesiæ per canonicos

[b] *Opusc.* XXVIII.

Ann. Chr. 1058.

nonicos exclusi fuerint, cum tamen monachi ab apostolis, immo ab ipsis prophetis suam repetant originem. Severe Damiani calamo quemdam (facile episcopum) redarguunt, qui ausus fuerat dicere, *a monachis nullo modo recipiendam esse communionem*. Is excommunicaverat insuper homines sacramenta sumentes ab illis, & recommunicare præceperat. Exemplis Basilii, Augustini, Hieronymi, Athanasii & aliorum patrum, decreto quoque Bonifacii papæ IV. probat sanctus cardinalis æqua ligandi atque solvendi potestate gaudere monachos, qua gaudent ceteri ecclesiastici.

Electo hoc anno ex abbate Fuldensi in Moguntinum episcopum Sigifrido, Agnes imperatrix, quæ jam ab anno 1056. post mortem Henrici viri sui imperium obtinebat, habens sub tutela impuberem filium Henricum, petierat per literas, sede Romana tunc vacante, ut Roma pallium recens creato episcopo transmitteretur. Rescribunt Humbertus archiepiscopus, & Bonifacius Albanensis cum ceteris cardinalibus & episcopis, Petro Damiano a secretis [a], non solere ecclesiam Romanam cuiquam antistiti absenti, nisi prius a Romano pontifice, vel ab ejus legato examinetur, pallium concedere. Oportere idcirco, ut Sigifridus Moguntinus *electus vester ad apostolorum limina venire non differat, sicque perfectio suæ dignitatis canonice & ordinabiliter fiat.*

a Lib. VII. epist. 4.

XXXII. Idem se tuetur a calumniis scribens Hildebrando. Aliqua de comitibus Guidiis.

Missus fuerat Hildebrandus archidiaconus cardinalis ad eamdem Agnetem imperatricem temporibus his calamitosis pro ecclesiæ tranquillitate procuranda, atque in sua legatione Germanica bonum ubique nomen Damiano fecerat; quare hic uberes Hildebrando agit gratias. Redux tamen idem cardinalis a Germania, cum Florentiæ commoraretur hoc anno pro electione novi Romani antistitis, querelas audiverat [b] de Damiano ab asseclis comitis Guidonis, quod nimirum *cænobium* construxisset *ex his prædiis, quæ in clientelæ suæ stipendium ex herili dudum liberalitate concesserant.* Expostulat proinde Damianus cum Hildebrando, quod nimium faciles aures præbuerit suis malevolis, perinde ac *Tethgrimus Guidonis patruus, qui sine liberis obierat, de tot agris & villis perexigua saltem, quæ videbantur esse contermina monasterio, legare non potuerit, & de sui juris allodio conferre* nequiverit. Guido comes nepos Tetgrimi comitis, quorum utrumque nominat in hac epistola Damianus, filius erat alterius Guidonis comitis, qui una cum eodem fratre Tetgrimo ex alio pariter Guidone comite natus erat. De Guidone I. comite mentio occurrit [c] apud Admiratum & [d] Lamium. Is ex Tetgrimo seniore & ex Gisla, filia marchionis Ubaldi, procreatus tabulas donationum conscripsit annis 1017. & 1029. pro monasterio sancti Fidelis de Strumi; interfuit etiam cuidam conventui habito a Gebehardo archiepiscopo Ravennate eodem anno 1029. apud [e] Rubeum. Vir fuit Imildæ, ex qua Tetgrimum comitem & Guidonem II. suscepit. Tetgrimus vel cœlebs fuit, vel saltem sine liberis decessit, teste Damiano. Anno 1043. bona [f] obtulisse legitur Tetgrimus monasterio sancti Salvatoris de Fonte-thaonis. Ex Guidone vero II. fratre Tetgrimi ortus est Guido III. comes, quem fortasse confundit Admiratus cum Guidone secundo. Guido enim III. potius quam secundus videtur matrimonio copulatus cum Ermellina filia marchionis Alberti, una cum qua [g] anno 1068. locum, *Taborra* appellatum, Johanni abbati sanctæ Mariæ de Aqua-bella (scilicet Gualberto abbati Vallis-umbrosæ) offert, & ad preces Oberti abbatis monasterii sancti Miniatis ecclesiam in prædicti Sancti honorem ædificare cogitat; & antea, anno nimirum 1060. vel 1061. ut videbimus, beneficus fuit erga Petrum Damianum, ejusque eremum Gamugnensem, vixitque saltem

b Lib. II. epist. 9.

c Storia della famiglia de' Co. Guidi p. 1. 2.

d Delic. erud. anni 1737. pagg. 78. 80.

e Lib. V. p. 278.

f Lamius ibid. p. 82.

g Ibid. p. 84.

saltem usque ad annum 1086. ut constat [a] ex archivo Camaldulensi. Incertum est, an ad Guidonem II. vel ad III. pertineat [b] donatio facta anno 1056. monasterio sancti Salvatoris de Fonte-thaonis apud Lamium, ut etiam incertum, ad quem spectet subtractio Empolis a dominatu Pisanorum, quæ contigit tempore Gerardi episcopi Florentini post annum nimirum 1046. de qua loquitur Ubertus archiepiscopus Pisanus [c] apud Ughellium. Cum de Guidone comite, nepote Tetgrimi, certe sermonem habeat Damianus in hac ad Hildebrandum epistola, Guido ibi nominatus erit non II. sed Guido III. ad quem etiam referendæ erunt chartæ in annis sequentibus Guidonis comitis nomine signatæ, sicut & frater erit Guidonis II. Tetgrimus, qui hoc anno, quo data est suprarelata Damiani epistola, in vivis esse desierat.

a §. Recordation. n. 9.
b Lamius p. 83.
c T. III. col. 355.

XXXIII. Damianus obsistit electioni Benedicti X. antipapæ.

Interea dum Hildebrandus Florentiæ degeret, & ageret pro electione novi pontificis, Romæ turbæ plurimæ exortæ fuerant [d]. *Piæ memoriæ Stephanus papa*, eodem Damiano teste, *congregatis intra ecclesiam episcopis, civibusque Romanis, clero & populo, hoc sub districti anathematis excommunicatione statuerat, ut si eum de hoc seculo migrare contingeret, antequam Hildebrandus S. R. E. subdiaconus, qui cum communi omnium consilio mittebatur, ab imperatrice rediret, papam nullus eligeret, sed sedes apostolica usque ad illius reditum intacta vacaret. Verum Gregorius de Alberico Lateranensis & Tusculanensis comes*, [e] testimonio Leonis Ostiensis, *comperto Romani pontificis obitu, sociato sibi Gerardo de Galera & Romanorum potentium aliquot nocturno tempore cum armatorum turbis ecclesiæ jura pervadunt, & Johannem Velitrensem episcopum, Mincium postea cognominatum, papam constituunt. Benedicti nomine illi imposito. Quod cum Petrus Damiani, vir valde religiosus, quem eo tempore Stephanus papa districtum ab eremo in Ostiensi ecclesia episcopum fecerat, comperisset, una cum cardinalibus cœpit obsistere, reclamare, atque anathematizare*. Prosequitur Damianus, [f] *nobis omnibus ejusdem urbis cardinalibus episcopis reclamantibus, obsistentibus, & terribiliter anathematizantibus, nocturno tempore, cum armatorum turbis undique tumultuantibus, & furentibus intronizatus est. De hinc ad marsupiorum patrocinia funesta* Simoniacus papa *concurrit, pecunia per regiones, andronas, vel angiportus in populos erogatur, beati Petri venerabilis arca pervaditur, sicque per totam urbem velut officinam malle fabricantis Simonis factam, vix aliud, quam, ut ita loquar, malleorum atque incudinum tinnitus auditur;* & post pauca: *Quod autem ille crimen hoc palliat, & tractum se vique coactum, quibus potest verbis, excusat, hoc ego licet ad liquidum nesciam, tamen & ipse non usquequaque diffiteor. Ita quippe est homo stolidus, deses, ac nullius ingenii, ut credi possit nescisse per se talia machinari. Ut autem & de ista ejus promotione lacrymosa, ut ajunt, verba non protraham, nobis episcopis per diversa latibula fugientibus, presbyter Ostiensis ecclesiæ, qui utinam syllabatim nosset vel unam paginam rite percurrere, ut eum ad Apostolatus culmen proveheret, raptus a satellitibus Satanæ, & violenter attractus est.* Ita turbas istas describit Damianus in epistola ad Henricum Ravennatem archiepiscopum, qui per literas ab ipso inquisierat, *an qui in apostolica sede nunc præsidet, an qui ejusdem sedis electus esse videtur*, verus esset pontifex? De electo autem, nempe de Gerardo episcopo Florentino, quem Senis creandum curaverat Hildebrandus, quique nomen assumpserat Nicolai II. hæc breviter addit Damianus: *Bene literatus est, & vivacis ingenii, sine suspicione castus, in erogandis eleemosinis pius. Mincius autem non quidem psalmi, vel homiliæ unum versiculum non valens exponere*. Constantinus Cajetanus putavit sermo-

d Epist. IV. Lib. III.
e Lib. II. c. 101.
f Ibidem.

Ann. Chr. 1058.

sermonem haberi in hac epistola de schismate Cadaloi, & de electione Alexandri II. sed patenter hallucinatus est, cujus errorem agnovit etiam Godefridus Henschenius in commentario prævio de beato Petro Damiano,[a] & ante Henschenium Baronius. De Stephano IX. Florentiæ defuncto, & de Gerardo Florentino episcopo in ejus locum electo Romano pontifice hæc lusit Damianus.

a §. IV.

Parva virum magnæ debet Florentia Romæ
Quæ tenet extinctum cogatur reddere vivum.

XXXIV. Damiani familiaritas cum Desiderio abb. Casinense, & epistolæ.

Maxima fuit ab his deinceps temporibus necessitudo Damianum inter & Desiderium, qui hoc anno electus fuit abbas Montis-casini post mortem Stephani, qui una cum Romano pontificatu regimen etiam Casinensis monasterii retinere voluerat; idem Desiderius quadragesima anni sequentis etiam ad S. R. E. cardinalatum fuit promotus. Plures extant Damiani ad Desiderium amoris plenæ epistolæ, quibus saluberrima dat monita ad recte ferendum regiminis assumpti onus; ea sunt [b], ut sua errata semper ob oculos habeat, virtutes post tergum; ut aliorum objurgationes moleste non ferat, sed amplectatur; ut pro officio suo subditorum culpas non negligat, verum potius corrigat, absentibus non detrahat, sed in faciem increpet, jejunium diligat, & denique juge Christi passionis sacrificium quotidie offerat. Altera [c] epistola adhortatur, ut monasterii sibi commissi curam indefesse gerat, assentationes fugiat, abjecte de se sentiat, monachos simpliciores præsertim ad viam perfectionis dirigat, & seipsum ad contemplationis culmen erigat. Obedientiæ singulare exemplum affert *Johannis monachi Classensis, qui pridie dum sol ad occasum vergeret*, ad se venerat, *& miraculum celebri memoria dignum sibi dudum contigisse* narraverat. *Cum, inquit,* (Johannes scilicet, qui verba fecerat Damiano) *in Classense monasterio degerem, & commissam mihi sacrorum exedram custodirem, quadam die post Completorium libros ecclesiæ in archivo congessi, deinde clavem imprimens, ut quotidie consueveram, obserravi: sed, ut post liquido patuit, de cereo, quem ferebam, nesciente me, vapor emicuit, & linteum, quo liber operiebatur, afflavit. Mane autem facto cum arcam aperirem, ut libros tollerem, repente mihi in vultum fumus, & igneus vapor occurrit. Stupefactus illico atque perterritus, si forte de libris adhuc aliquid superesset, cœpi curiose perquirere; sed ob incomprehensibilis divinæ virtutis effectus! cum omnes lintei viginti circiter exusti essent, in cineremque redacti, quibus nimirum codices fuerant involuti, ipsi codices omnino servabantur illæsi. Porro arcam ignis penetraverat, & largum combustionis orbem in ejus fundo reliquerat. Hoc itaque comperto, fratres divinam laudavere potentiam, quoniam in Chaldaico camino Hebræos custodierat pueros, nunc in arcæ flagrantis incendio suos etiam servaverat libros. Est autem frater ille, qui mihi ista narravit, idiota quidem, sed tam ferventis obedientiæ, tam piæ vitæ, ut nequaquam videatur indignum, quod Deus per eum dignaretur exhibere prodigium.* Johannes ex Classensi sancti Apollinaris monasterio, cujus erat cœnobita, transierat forte ad Avellanensem solitudinem, majoris perfectionis gratia, cum multa communicatio temporibus istis cederet inter utrumque monasterium. Tertia sua epistola [d], quæ de dignitatibus abjiciendis differit, data occasione permulta sacræ Scripturæ loca ex libris Regum mystice Desiderio Damianus explicat. Scripserat sæpius sanctus doctor Desiderio, qui etiam pollicitus fuerat *notarium mittere*, qui *saltem ea, quæ ipsi specialiter direxerat, in sui sumptus pergamena transferret*, sed supersedentem Desiderium penitus *vel scribenti rescribere, vel notarium,*

b Ep. XI. Lib. II.

c Ep. XII. Lib. II.

d Ep. XIII. Lib. II.

ut

ut spoponderat, *destinare*, Damianus superioribus epistolis excitat & vellicat ad epistolare commercium.

Ann. Chr. 1058.

XXXV. Ejusdem opusculum de Quadragesima ad Hildebrandum.

Circa hæc eadem tempora *reverentissimo fratri Hildebrando* opusculum [a] conscripsit Damianus de *Quadragesima*, *& de quadraginta duabus Hebræorum mansionibus*. *Vicaria nuper interlocutione* de hac re contulerant inter se Damianus & Hildebrandus, & ille dixerat, *nosse se servum Dei*, *qui præter illas Quadragesimas*, *quæ scilicet a patribus institutæ*, *suisque limitibus per anni circulum sunt præfixæ*, *alias occulte carinas seu quadragesimas* jejunii *celebrabat*; *modo* enim *per quadraginta dierum spatium* abstinebat a *piscibus*, modo a *pomis* vel *oleribus*, aliquando a *primitiis cerasorum*, *peponum*, *ficuum*, *uvarum*, respondendo interrogantibus fratribus, hunc vel alium cibum esse *infirmitatibus suis noxium*. Confessus quoque fuerat Hildebrandus Damiano *funditus se compescere a porrorum seu ceparum perceptione*, *quia his acuminibus uberius delectabatur*. Occasione ergo quadragesimalis abstinentiæ a cibis, mystice interpretatur Damianus quadraginta duas Hebræorum mansiones. Concludit vero [b]: *Tu venerabilis frater optime potes templum Dei construere*, *qui mutuatus es ab Ægyptiis aurea vasa & argentea cum vestibus pretiosis*. *Thesaurum quippe tollit Ægyptiis*, *unde Deo tabernaculum construat*, *qui poetas ac philosophos legit*, *quibus ad penetranda mysteria cœlestis eloquii subtilius convalescat*. Hinc eruitur Hildebrandum poetarum & philosophorum lectioni primis annis incubuisse, & insuper cognoscitur, quanta ipsum inter & Damianum intercederet familiaritatis, & amoris conjunctio.

a Opusc. XXXII.

b Ibid. cap. IX.

XXXVI. Rodulphus præficitur ecclesiæ Eugubinæ. Ejus vitæ ratio in episcopatu.

Rodulphus, de cujus conversione abunde egimus ad annum 1054. quadriennium auspicatus fuerat suæ solitudinis Avellanensis & durissimæ pœnitentiæ, quando Damiano, ut videtur, curante, ad Eugubinæ ecclesiæ regimen promotus fuit. Id certe contigit post mensem julium anni præcedentis, quo eidem ecclesiæ adhuc præsidebat Guido, cujus nomen legitur ex chartario Ebredunensi apud Galliæ Christianæ auctores tomo III. pag. 178. in appendice, & apud Cl. V. Mansium [c] in privilegio a Victore papa II. concesso Winimanno archiepiscopo Ebredunensi, & dato ... *nonas julii anno tertio pontificatus domini pape Victoris secundi indictione decima*, hoc est anno 1057. in ipso enim post plures alios episcopos subscriptus apparet *Guido Egobinensis episcopus*. Guidone eodem anno vel sequenti defuncto sedes Eugubina concredita fuit Petro Damiano cardinalitia jam dignitate fulgenti. Verum Damianus Romanis negotiis distentus, neque Ostiensem, neque Velitrensem, neque Eugubinam ecclesiam præsentia sua regere poterat; administratoribus itaque coepiscopis indigebat, qui cathedras illas coram verbo & exemplo tenerent, & sicut aliorum episcoporum opera usus fuit in ecclesiis Ostiensi & Velitrensi, ita Eugubinæ sedis administrationem exhibuit Rodulpho sibi notissimo & conjunctissimo, sanctissimo insuper viro. Guidonem sive Vidonem non superfuisse ad annum 1059. & epistolam Damiani ad V.. episcopum, qua eum reprehendit ob ecclesiæ suæ prædia alienata & distracta, scriptam post quinquennium a celebratione concilii plenarii Florentini habiti anno M. LV. non pertinere ad Guidonem episcopum Eugubinum, alibi videbimus.

c T. I. Concil. col. 1314.

Ceterum Rodulphus episcopatus honore insignitus, novumque vitæ institutum arripiens nihil remisit suæ pristinæ austeritatis: *Hic tamen*, de eo sic loquitur sanctus ejus magister, *ad sacerdotalis officii jura promotus*, *quod in eremo didicit*, *in ecclesia non omisit*, *eisdem quippe terebat semper membra ciliciis*, *eisdem contentus erat perexiguis admodum ac despicabilibus indumentis* ..... *ecclesiam porro deputabat hospitium*, *solitudinis autem cellam* *habi-*

Ann. Chr. 1058.

habitaculum decernebat. Inconditi siquidem mores populi & indisciplinatæ cervices leve jugum Domini nequaquam sibi patiebantur imponi; sed muneribus terrenis intenti, non ex ore pontificis Dei verbo, sed tamquam de manibus præsidis, commodis inhiabant. Hæc enim regio, quo magis invenitur aliena divitiis, eo copiosius exuberat vitiis. Ab egeno siquidem denominari videtur Eugubium, vel egens bono. Vix susceperat illius ecclesiæ administrationem, cum amore solitudinis, quam amiserat, vel zelo honoris Dei, quem a populo sibi subjecto injurii lacessiri quammaxime dolebat, licet quotidiana instantia, & verbi Dei prædicatione nullam non omitteret operam, ut vitia de medio tollerentur, suscepto regimine se abdicare desideravit; verum Damiano cogente, in vocatione, ad quam coacte assumptus fuerat, perseveravit; sic tamen ut frequentius ad fervoris spiritum resumendum, in parum dissitam eremum Avellanensem, habitationem olim suam, se reciperet. *Me vim ingerente* [a] *coactus ecclesiam, quam dimiserat voto, retinebat officio; in eremo tamen perseverantius habitabat*; verba sunt Damiani, qui ejus vitam monachalem simul & episcopalem sequentibus etiam notitiis illustrat [b]. *Quandocumque impetrare poterat, ut hujusmodi panis in eremo fieret, edebat panem, non fratrum, non denique puerorum, sed eum, qui vel ex puro fieret hordeo, vel ex cantabro potius, quod projiciendum canibus de puerorum panibus remansisset. Et licet præter celebriores dies hoc esset quotidie pane contentus, mensuram tamen attentius æquitatis lancibus appendebat. Unde mihi quandoque conquestus est, quia si sibi mensura concederetur, hunc eumdem panem prurienti gulæ largius indulgeret. Tanta quippe juvenculum hominem castigabat inedia, ut undecumque solatium alimenti perciperet, vacuo ventre stomachus non curaret. Aliquando vero etiam diebus Dominicis pulmentum nesciens, pomis tantum & pane cum aqua vivebat. Ferreo circa pectus circulo jugiter cingebatur, quem tamen circulum sub ilia dimersum, dum coram fratribus nudaretur, diligentius occultabat. Numquam scilicet capitulo confessor intererat, in quo non acciperet disciplinam; & tunc festivus exultabat, si non ab uno tantum, sed a duobus flagellari fratribus juberetur. Sæpe pœnitentiam centum suscipiebat annorum, quam scilicet per viginti dies allisione scoparum, ceterisque pœnitentiæ remediis persolvebat. Psalterium quotidie, cum duo non posset, unum saltem non negligebat implere. Quod nimirum cum esset in cellula constitutus, armata scopis utraque manu, totum cum disciplina continuare consueverat. Porro autem cum in expeditione esset aliqua constitutus, quantalibet intempestæ noctis profunditate consurgeret, nudis semper cruribus & pedibus usque dum dilucesceret, psallere non cessabat. Quam videlicet consuetudinem, dum in cella consisteret, diebus ac noctibus sine cessatione servabat. Quamlibet gravis bruma rigesceret, simplicibus soccis muniebat pedes, cum tamen frater ejus solis calceis contentus esset. Sæpe me per clementiam Christi terribiliter adjurabat, ut si quando fortassis excederet, nequaquam me ab ejus correptione subducerem; sed omnem in eo disciplinæ modum, qui monachis debebatur, implerem. Ita plane & regulam monachi, & auctoritatem episcopi laudabiliter observabat.*

a *Ibidem.*

b *Vit. S. Rodulph. cap. III.*

XXXVII. Chartæ Pratalienses & Volaterranæ.

Consecrata fuit hoc *anno millesimo quinquagesimo octavo indictione nona*, sed legendum *undecima*, *mense novembris die secundo* ab episcopo Azone ecclesia in loco nuncupato Soci, in honorem sancti Prosperi, & sanctæ Mariæ, & sancti Clementis & sancti Nicolai; ea opportunitate coram episcopo, multisque aliis hominibus Fuscherius filius Feralmi terram cum vinea positam in casale, appellato *Contra*, pro redemptione animæ suæ obtulit & donavit Hieronymo abbati sanctæ Mariæ de Pratalia, ut ex charta tabularii Fontis-boni, quæ datur in Appendice. Azonem alibi dixi-

ANN. CHR. 1058.

diximus facile fuisse coadjutorem Arnaldi episcopi Arretini, in cujus territorio erat castrum Soci.

Raimberto primo abbati monasterii sanctorum Justi & Clementis de Volaterris, de quo egimus sub annis 1030. & 1034. successerat in regimine Andreas; ipsi hoc anno Guido episcopus Volaterranus concedit quatuordecim jugera terrarum in monte Nibio; Andreas quoque comparat prædia in Ruciano. Hæc ex Fortunio nostro, qui chartas asservatas in tabulario ejusdem monasterii legere commode potuit.

a P. II. lib. II. cap. 6.

XXXVIII. Origo monasterii S. Petri de Puteolis prope Lucam.

ORIGINES placet subnectere alterius illustrioris monasterii nostri in territorio Lucano. „ Anselmus episcopus Lucensis Taiberto, Homiccio & „ Bonitio presbyteris, eorumque confratribus, qui imposterum cum ipsis „ erunt, & commorabuntur vitam communem simul agentes in ecclesia „ sancti Petri apostoli, de jure & dominio sui episcopatus, quæque hactenus sub potestate laicorum fuerat in loco, qui dicebatur Puteoli prope „ Rioverum, aliumque rivum, qui vocabatur Tattula, & prope padulem, concedit & dilargitur eamdem ecclesiam cum eo terræ situ, super quam ædificata est, cujus fines sunt rivus Tattula, rivus Teupascius, via quæ dicitur Romea, & padulis. Item donat aliam terræ „ portionem conterminam præfatis rivis Tattulæ, & Teupascio, ac viæ „ appellatæ Verasiæ prope cerrum Rosatorum, atque viæ Romeæ. Aliam „ pariter terram silvatam, & vocatam Carpinoccho, quæ fines habet cum „ terra ecclesiæ & monasterii domini Salvatoris de Sexto. Demum terram dictam padulem terminos habentem cum via Carraria, cum rivo „ nigro & cum padule. Quam ecclesiam cum bonis suis, & cum oblationibus vivorum, ac judiciis defunctorum prædictis Taiberto, Homiccio & Bonitio presbyteris, eorumque successoribus largitur, ea apposita obligatione, ut officium Dei persolvant, & pro obedientia numerent „ quotannis duos solidos bonorum denariorum monetæ Lucensis sibi episcopo, suisque successoribus, ac dictam ecclesiam sartam tectam teneant. „ Actum Lucæ per manus Benedicti notarii anno M. LVIII. Subscribit ipse „ his verbis: *Anselmus divina misericordia Lucensis episcopus in hac institutionis pagina a me facta, ut inviolabilis perpetuo permaneat, volens ss.* “ Hoc donationis breviarium reperitur in quadam collectione ms. ad capitulum Lucense spectante, quod perbenigne ad nos transmisit eruditus & nobilis vir Martius Michaelius canonicus cathedralis ecclesiæ Lucensis, qui insuper nos monuit autographum se reperiisse paginæ hujusmodi institutionis in archivo capitulari, sed ita lacerum & temporis injurias passum, ut nequiverit ipsum nobis exscribere. Ex ipsa tamen synopsi primordia intelligimus monasterii hujus Lucensis, quod triginta & septem post annos, ut Camaldulensi eremo aggregatum, exprimitur in bulla Urbani II. anni 1095. cedentibus verisimiliter iisdem presbyteris, vel recipientibus Camaldulenses leges & institutum. Idem Anselmus factus Romanus pontifex sub nomine Alexandri II. in privilegio concesso anno 1073. Rustico Camaldulensi priori, inter cetera loca, præfatæ eremo subjecta, monasterium Puteolense non enumerat; ex quo deducimus hujuscemodi unionem contigisse post eum annum. Confundendum non est monasterium sancti Petri de Puteolis cum *ecclesia sancti Petri in loco Puteolis*, quam Lethaldus miles dedit anno 1006. Willelmo abbati Divionensi, *ut ibi monachi instituantur*, quod constat ex charta, quam affert Perardus, ut nos docet in suis annalibus Mabillonius. Nostrum enim erat ædificatum in territorio Lucensi; ecclesia autem sancti Petri in loco Puteolis sita erat in comitatu Belnensi, secus fluvium, qui dicitur Duina, quam a Lethaldo vel Letbal-

Ann. Chr. 1058.


do milite donatam sancto Benigno, & Willelmo abbati confirmat Rotbertus rex Galliarum, interventu Ottonis comitis & Walterii episcopi Augustodunensis, diplomate, quod affert idem Perardus & laudat ipse Mabillonius [a]. Loci Puteoli in agro Lucensi vetus mentio fit apud Puccinellium [b] in charta anni 952. qua Hubertus marchio vendit Theudimundo filio b. m. Fraolmi *in finibus Pozeoli ad Porcari* &c. Nescimus, an Taibertus, Homiccius & Bonitius presbyteri, & vitam communem degentes iidem sint, vel aliquis eorum sit idem cum *Alberto*, *Martino atque Omicio presbyteris* pariter, *canonico ordine secundum sanctam regulam a sanctis patribus editam, cum aliis fratribus eumdem habitum habentibus, & communem vitam, abjectaque alicujus vel minime regule proprietate aut ambitione vivere desiderantibus*, quibus Johannes hujus nominis II. episcopus Senensis anno 1056. assignat & tradit *ecclesiam & plebem beatissime sancte Agnetis virginis & martyris sita loco Tarciano*, quod documentum ex archivo nosocomii Senensis proferunt Ughellii [c] continuator, & V. Cl. eques [d] Peccius. Videntur tamen ad eumdem religiosorum hominum cœtum saltem pertinuisse.

a Annal. T. IV. p. 185.


b Chron. abb. Flor. p. 194.

c T. III. col. 538.

d Storia Vescov. di Siena pag. 316.



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER SEXTUS-DECIMUS.

Ab anno CHRISTI M. LIX. *ad annum* M. LX.

Ann. Chr. 1059.

I. Damianus Velitrensi episcopatu decoratur. Legatione fungitur apud Mediolanenses.



LECTUS Senis sub finem anni antecedentis Gerardus episcopus Florentinus in Romanum pontificem, Hildebrandi archidiaconi potissimum opera, contra apostolicæ sedis usurpatorem Benedictum X. Romæ intrusum, ab Henrico IV. Germaniæ rege, vel melius ab Agnete imperatrice fuerat approbatus; is tamen nonnisi initio præsentis anni Florentiam linquens Romam versus movit, militia Gothifredi Thusciæ ducis vallatus. Verum, antequam Romanam urbem ingrederetur, Sutrii constitit, ibique complurium episcoporum habito conventu, actum fuit de pellendo Romani pontificatus invasore; sed Benedictus judicium præveniens, sponte depositis pontificiis insignibus, pacificam sedem legitimo antistiti permisit, qui in urbem propterea lætanter admissus sollemni ritu inauguratus fuit, appellatusque Nicolaus II. Paullo post ad genua procidenti anti-papæ veniam ipse indulsit; quem tamen gradu movit, ablato exercitio ordinum episcopalis & sacerdotalis, atque vacantis ecclesiæ Velitrensis, quam olim Benedictus obtinuerat, cura & visitatione demandata Petro Damiano.

Eodem insuper tempore ipsum Damianum Nicolaus ad sedandas turbas Mediolanenses legatum apostolicum destinavit, una cum Anselmo viro *prudentia & sanctitate conspicuo*, quem civibus Lucensibus episcopum dederat anno præcedenti Stephanus IX. Muratorius [a] nomen Guidonis archiepiscopi Mediolanensis legens in synodo Romana mensis aprilis hujus anni, existimat Mediolanensem legationem hanc innixam fuisse Damiano sub finem anni elapsi; re enim vera reperitur Guidonis nomen in fragmento ejusdem concilii, quod in Appendice monumentorum ad volumen IV. suorum annalium refert Mabillonius [b]; nihilominus probabilius est Nicolaum hos legatos creasse tantummodo post suam consecrationem; & bene potuit mense januario Damianus Roma discedere Mediolanum versus, Guidonemque archiepiscopum ibidem convenire de abusibus ipsius ecclesiæ, & Romam iterato redire mense aprili, quo interfuit celebri centum & tredecim episcopo-

a *Annal.* T. VI. *p.* 189.

b *Pag.* 748.

Ann. Chr. 1059.

episcoporum concilio una cum eodem Guidone, ipso nimirum modo, quo mense januario Romæ consecratus Nicolaus profectus fuit initio quadragesimæ Camerinum, inde Spoletum, tum Auximum, & tamen mense aprili interfuit, immo præfuit, supradicto Romano concilio.

II. Occasio hujus legationis, & quam laudabiliter in ea se gesserit.

Legationis Mediolanensis occasio ea fuit. Inter clerum & populum Mediolanensem, propter hæresim Simoniacam & Nicolaiticam, turbulenta vigebat seditio. Clerici enim non tantum feminis admiscebantur, sed hanc pestiferam doctrinam velut ex auctoritate defendebant; venalis insuper erat quorumcumque ordinum ecclesiasticorum collatio. Perrexit itaque Mediolanum Damianus, legationisque suæ literas protulit; sed adnitentibus clericis die altera plebis animi commoventur; dicebant enim insigne præjudicium Ambrosianæ ecclesiæ intentari, quæ eatenus Romanis legibus non fuerit subjecta. Conveniunt itaque omnes ad episcopale palatium; æreæ tubæ civitatis insonant, & furentes postulant & sitiunt Damiani sanguinem, omnia horroris & mortis sunt plena. Accusabatur insuper Damianus, quod in medium residens archiepiscopum Mediolanensem ad sinistram, ad dexteram autem Anselmum Lucensem episcopum legationis socium statuisset. Sedato vix populi tumultu, sermonem ad ipsum habuit Damianus, & prærogativa atque principatu apostolicæ sedis super omnes ecclesias, etiam super Mediolanensem, declaratis, populum sibi benevolentiorem reddidit; deinde canonibus perpensis, sed singulari utens œconomica providentia in morbo tam universaliter ecclesiasticum ordinem maculante, contentus fuit, ut de cetero sacramentis se adstringerent omnes, quod deinceps utramque Simoniacam & incestuosam pestem devitarent. Guido a Velate, qui jam ab anno 1045. archiepiscopalem Mediolanensem cathedram obtinebat, primus omnium spopondit & juravit, juravere & ceteri clerici; pœnitentia archiepiscopo inflicta centum annorum, & alii ecclesiastici, habita proportione, emendati & expiati, impositis etiam peregrinationibus vel Romam, vel Turonos ad sanctum Martinum, vel ad beati Jacobi sepulcrum in Hispania. Hæc excerpsimus ab ipsis Damiani operibus, quæ fusius describuntur a Johanne Laudensi his verbis: *In Simoniaca quoque labe & hæresi, ac Nicolaitarum evellendis non minimum laboravit, quæ videlicet pestes tam perniciosa consuetudine prævaluerant, tamque impune totam ferme ecclesiam in omni Romano orbe fœdaverant, ut vix jam reprehensorem, tamquam licitæ, formidarent. Quas, ob bone Jesu, jam nos per hunc tuum egregium bellatorem, ceterosque paucos sibi adhærentes, eliminatas esse, te cooperante, gaudemus, prostratisque hilares insultamus. Ob quas nimirum ex Ambrosiana quoque ecclesia propulsandas, quanto se discrimini immerserit, nequaquam silentio prætereundum putamus. Denique, ut idem in quodam suo libro, quem ipse super hoc speciali negotio edidit, cui vocabulum* [a], Actus Mediolani, *juxta sui proprietatem indidit, luculenter expressit, propter has geminas hæreses, Simoniacam scilicet & Nicolaitarum inter præfatæ ecclesiæ populum & clerum non parva fuerat oborta seditio. Quoniam quidem hæc gemina pestis execrabilis ita apud illos inoleverat, tantamque libertatem assumpserat, ut ad fœditatis suæ nequitiam peragendam, nequaquam jam latibulum quæreret, sed velut licita honestaque negotia publice exerceret. Nam si quis ad quemlibet ecclesiasticum erat ordinem promovendus, nullatenus absque venalitatis commercio ad consecrantis, immo contaminantis, manus valebat accedere. Alterius vero fœditas eatenus se impudenter effuderat, ut nuptiæ presbyterorum nil discrepare viderentur ab ambitione secularium. Unde divino instinctu tactus zelus fidelium laicorum adversus detestabiles illas labes, pio contigit fervore succendi, ut pro tantis*

a Opusc. V. T. III.

sce-

sceleribus diluendis apostolicæ sedis suffragium requisissent. Ad quod itaque peragendum summus pontifex Nicolaus II. hunc, quem tam sapientiæ, quam sanctitatis auctoritate præditum noverat, destinare curavit. Qui cum profectus fuisset, condignaque sibi atque apostolicæ sedi prorsus veneratione susceptus, causam sui apocrisariatus totius ecclesiæ auribus intimavit. Quo factum est, ut mox post diem alterum factione clericorum, repente in populo murmur exoriretur, non debere Ambrosianam ecclesiam Romanis legibus subjacere, nullumque judicandi vel disponendi jus Romano pontifici in illa sede competere. Nimis indignum, inquiunt, ut quæ sub progenitoribus nostris semper extitit libera, ad nostræ confusionis opprobrium nunc alteri sit, quod absit, ecclesiæ subjecta. Postremo tumultuantium clamor attollitur, ad episcopale palatium undique convenitur, deinde tintinnabula perstrepunt, tubarum clangoribus tota civitas intonat. Intentabant, ut ita loquar, ei omnia mortem; & sibi a quibusdam suis dilectoribus, & compatiendo mœrentibus suggerebatur, quod nonnulli ejus sitiebant cruorem. Congregato itaque in ecclesia clero & populo ascendit pulpitum. Quo vix tandem sedato, his verbis exorsus est. Noverit caritas vestra, dilectissimi, non me pro Romanæ huc ecclesiæ honore venisse, sed vestram prorsus gloriam quærere, ac vobis salutem & gratiam, quæ est in Christo Jesu, cum ejus auxilio, si permittitis, procurare. Quo enim pacto honore indiget parvuli hominis, quæ laudum præconia ex ipsius ore sortita est Salvatoris? Quæ autem provincia per omnia regna terrarum ab ejus ditione extranea reperitur, cujus arbitrio ipsum quoque cœlum & ligatur, & solvitur? Ceteras quippe ecclesias cujuscumque dignitatis sive rex, sive cujuslibet conditionis homo purus instituit, & prout voluntas erat aut facultas specialium prærogativarum, ejus jura præfixit; Romanam autem ecclesiam solus ille fundavit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato cœli clavigero Petro terreni simul & cœlestis imperii jura commisit. Illius ergo privilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur. Unde non dubium, quod quisquis cuilibet ecclesiæ jus suum detrahit, injustitiam facit; qui autem Romanæ ecclesiæ privilegium ab ipso summo ecclesiarum omnium capite traditum auferre conatur, hic profecto in hæresim labitur. Fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quæ mater est fidei; & illius contumax invenitur, qui eam cunctis ecclesiis prætulisse cognoscitur. His itaque aliisque quampluribus rationibus de prærogativa & primatu sedis apostolicæ redditis, populus omnino benevolus redditur, seseque executurum, quidquid injungere placuisset, unanimiter pollicetur. Quid multis immoror? Adest clericorum perplurimus ille conventus, qui ex omni Ambrosiana parochia, quasi ad synodum, fuerat convocatus. Communiter ergo & singillatim quisque perquiritur, & vix e tanto numero quispiam promotus ad ordines sine pretio reperitur. Hic itaque quot curis afflictus, quot sit cogitationum stimulis tœdiatus quis explicet? Tam latæ siquidem diœcesis, tam nobilis urbis omnes ecclesias, ut verbis utar ipsius, sacris mysteriis quodammodo prophanare, christianæ videbatur religionis eversio. Sed & litigiosum erat indulgere paucis, cum fere omnium esset culpa communis, nec legitimum videbatur diversam in eos prodire sententiam, cum esset una omnibus causa. Hoc etiam suas augmentabat angustias. Quia nisi qualemcumque decisionis calculum causa ista susciperet, nisi cum magna hominum strage furentis populi se jurgia non sedarent. In arcto itaque positus, quia non poterat mala illius ecclesiæ mera canonum auctoritate corrigere, studuit saltem perversis ejus usibus finem imponere, ac gratuito promotionis ordinem futuris temporibus providere. Exegit itaque non solum ab archiepiscopo, verum etiam a cunctis ejus officialibus, ad quos pertinere videbatur, inviola-

Ann. Chr. 1059.

bilem sponsionem per monimenta literarum, per sacræ manus attactum, postremo per evangelicum sacramentum, de Simoniaca labe & Nicolaitarum hæresi ex tunc & deinceps delenda, funditusque pro suis viribus fideliter extirpanda. His vero ita gestis, plurimorum sanctorum patrum canonum auctoritas exquiritur, quibus consideratis, necessariæ discretionis moderamine visum est, ut omnes illi clerici accepta pœnitentia, inter Missarum sollemnia reconciliarentur, ornamenta de manu episcopi ex auctoritate Toletani concilii recipientes. Eis itaque taliter reconciliatis, decretum est, ut non mox passim omnibus redderetur officium, sed his dumtaxat, qui essent & literis eruditi & casti, & morum gravitate honesti viderentur. Ceteris autem sufficeret, quod sanctæ ecclesiæ per divinam gratiam essent rursus inserti, a qua eatenus fuerant divinæ scientiæ falce præcisi. Illi autem episcopi, quibus administrandi licentia redditur, non ex male mercata veteri ordinatione ad amissum reparantur officium, sed illa potius beati apostolorum principis efficacissima auctoritate, qua in beatum Apollinarem repente usus est, dicens: Surge, accipe Spiritum-sanctum, simulque pontificatum. Hæc autem succincte perstringere curavi, ut cetera ipsius gesta horum inspectione possint adverti.

Ita feliciter legationem suam explevit Damianus, qui antequam Romam repeteret, *Actus* suos *Mediolanenses* Hildebrando archidiacono nuncupavit, commissionis suæ rationem redditurus; ipsosque libentius Hildebrando inscripsit, quo hic a Damiano olim expostulaverat, ut Romanorum pontificum decreta & gesta percurrens excerperet, quidquid apostolicæ auctoritati specialiter competere videretur. *Ecce omnem*, inquit, *discretionis illius ordinem apud Mediolanensem urbem habitum breviter exposuimus, adhuc tamen, utrum sedis apostolicæ judicio placeat, ignoravimus*. In constitutionibus [a], quas Mainardus Silvæ-candidæ cardinalis episcopus, & Johannes cardinalis presbyter legati apostolici Alexandri papæ II. anno 1067. Mediolanensibus observandas præscripserunt, fit mentio eorum, quæ olim in ea urbe fuere correcta *per confratrem nostrum Petrum Ostiensem episcopum reverendæ sanctitatis virum*.

III. Ejusdem opusculum de fide Deo obstricta non fallenda.

Tempore, quo Mediolani sanctus doctor ad ecclesiæ illius corrigenda clericorum vitia apostolicæ sedis legatus morabatur, adhærebat ejus lateribus præcipuus adjutor vir quidam, senatorii generis, & peritiæ literalis nitore conspicuus, Landulphus. Videtur hic fuisse idem cum sodali sancti Arialdi, & fratre Herlembaldi ducis, paucisque post annis obiisse; nam anno 1067. quo Arialdus Romam venit sub Alexandro papa II. Landulphus defunctus jam erat, teste Syro presbytero in vita sancti Arialdi. Landulphus ad rem ex sententia perficiendam, non mediocre studium, validamque auctoritatem Damiano præstiterat Mediolani, concitataque a clericis populari seditione, una cum eodem Damiano a furentibus plebis animis ad exitium conclamatus fuerat; quare voverat se, ubi primum ex tam atroci tempestate evasisset, valere jussis rebus humanis, sacri ordinis arrepturum institutum, licet Damianus, ne pro mortis timore hujusmodi voto se constringeret, plurimum institisset. Sedato tamen dexteritate & facundia sancti doctoris populi tumultu, liber deinceps a quocumque metu, suique juris effectus adimplere negligebat Landulphus sponsionem suam. Scribit ei proinde Damianus vel adhuc Mediolani commorans, vel paullo postquam recesserat, opusculum [b] *de fide Deo obstricta non fallenda*, multisque exemplis productis eorum, qui graves Deo non observatæ fidei pœnas luerunt, hortatur, ut promissum non homini, sed Deo factum prætermire omnimodis reformidet. Arduini [c] nimirum exempla affert, de quo nos ad annum 1052. & cujusdam civis Ravennatis, de quo egimus ad

a Concil. T. XII. col. 77.

b Opusc. XLII.

c Ibid. cap. 2.

annum

ANN. CHR. 1059.

annum 1034. Johannis etiam [a] Comaclensis episcopi, cujus mentionem fecimus anno 1044. & Adami Foro-sempronienfis præsulis [b], quod pariter memoravimus ad eumdem annum. Subnectit & sequens Clusini episcopi [c]. *Hac occasione*, inquit, *quid etiam Clusino episcopo contigerit, scribere provocamur. In ipsa plane quarta feria, quæ initium quadragesimæ dicitur, fecit convivium sumptuosis dapibus instrui, & balneum præparari, accitisque militibus, & obsequentium turbis, lautum diem deduxit, & velut advenienti nuptæ quadragesimæ cum nuptiali convivio gratulabundus occurrit. Ubi hoc tantum dissonabat a regula, quia cum adhuc livescerent in capitibus cineres, æstuabant ingurgitati mero, & distenti dapibus ventres. Sed ob vigilans super nos divina clementia! Incolumis tunc atque vegeti vultum episcopi paralysis repente corripuit, ejusque faciem inhonestam visu atque ora distorsit, per plures etiam annos, quibus postmodum supervixit, hoc in se divinæ animadversionis insigne portavit.* Credidit Ughellius [d] episcopum Clusinum, de quo historiam hanc narrat Damianus, fuisse Petrum; verum cum Petrus vixerit saltem usque ad annum 1068. & opusculum Damiani, in quo refertur jam defunctus episcopus Clusinus, pertineat ad annum 1059. hæc historia competet potius Widoni episcopo, cujus mentionem fecimus ad annum 1037. vel Arialdo Widonis antecessori. Aliam etiam historiam narrat Damianus, quam sibi retulerat [e] *Guarimpotus senex, vir honestissimus, apprime literis eruditus ac medicus.* Alteram [f] *Pambonis, qui in uno secum versabatur hospitio, cum Henricus piæ memoriæ rex coronam suscepit imperii.* Et tertiam [g] *clerici Zeuzolini, cum apud Parmense oppidum liberalium artium studiis* Damianus *insisteret*, de qua nos ad annum 1030. *Sed ut ad reos*, subdit [h], *redeam, qui conversionem suam & pollicentur, & fallunt, presbyter quidam Maurus nomine ante annos paucos se mihi devote commisit, meque certum, quia monachus in eremo fieret, reddidit; paullo post mutatum est cor ejus, ac fœdus quod prope cum Deo pepigerat, violavit. Sed ut cæcitas mentis erumperet in superficiem carnis, & caligo, quæ latebat, liquido pingeretur in fronte, in ejus oculo repente vulnus oboritur, quod eum, donec advixit, inhonesta deformitate fœdavit. Postmodum vero dum orationis studio Romam pergeret, amnemque tenuis admodum gurgitis transvadaret, cum ceteri omnes vadum illæsi transmearent, solus equus illius subito sine sessore repertus est. Requirentes igitur eum, dum per alveum fluminis huc illucque discurrunt, undis hunc obrutum exanime cadaver inveniunt. Hoc itaque modo, dum sancto proposito vagationis suæ quisquilias prætulit, utriusque laboris meritum delusus amisit.*

Inter eos, qui suum signum apposuerunt post juramentum archiepiscopi Guidonis, reperitur quidam Landulphus subdiaconus; an is est, cui Damianus opusculum hocce inscripsit, cum ipsum nuncupetur *Landulpho clerico* ex genere tamen senatorio? quo casu sacri ordinis arreptio instituti, quam ab eo exegit Damianus, intelligi deberet de susceptione ordinis monastici. Alia tamen ex parte plures Mediolani poterant hoc Landulphi nomine appellari. Quidquid sit, noster talis erat, ut insigne hoc elogium non dubitaverit ei Damianus tribuere; *unum* nempe *scio, quia si a mundi vanitatibus ulla posses ratione converti, fieres proculdubio os Dei, præco Christi, tuba cœlestis eloquii, destructor diaboli, ædificii fundator æterni, esses postremo lumen ecclesiæ, ac murus inexpugnabilis militiæ christianæ.* Dixerat superius mentem ipsius *armarium* esse, *ubi plurimæ conduntur paginæ Scripturarum*. Nobilissimum profecto Landulphi elogium.

IV. Aliud ipsius argumenti.

EJUSDEM argumenti dissertationem scripsit aliquando [i] sanctus doctor Attoni cuidam viro illustri, professione jurisconsulto, qui Mainardi abbatis,

a Ibid. cap. 3.
b Ibid. cap. 4.
c Ibid. cap. 3.
d T. III. col. 626.
e Opusc. XLII. cap. 5.
f Cap. 6.
g Cap. 7.
h Ibidem.
i Ibidem.

ANN. CHR. 1059.

tis, forsan Pomposiani, manibus sponte commissus pro cœlesti desiderio monasticum devoverat propositum, tunc autem mente mutata non modo votum violare disponebat, sed & id fieri posse per multas argumentorum versutias cavillabatur, immo ab abbate expetierat authenticæ scripturæ sententiam, qua se monasticæ regulæ obnoxium jure cognosceret.

V. Ejusdem epistola ad Mediolanenses concertatores contra Simoniacam hæresim.

MEDIOLANENSI eadem legatione fungens Damianus amicitiam contraxerat pariter cum *Vitali & Rodulpho*, *Arialdo*, *Erlembaldo ceterisque pro castris Christi invicta fide certantibus, cum quibus simul collaborantibus* Nicolaitarum hæresim de medio tollere curavit. Celebria sunt horum nomina in ecclesia Mediolanensi, & historicorum monumentis illustratus est ipsorum zelus, quo contra clericos & etiam contra archiepiscopos pugnarunt pro puritate doctrinæ & morum conservanda in eadem ecclesia. Ad hos aliquanto post, & forte post Cadaloiticum schisma epistolas dedit [a], quibus gratulatur de eorum fide & fortitudine, excitatque, ut quandoquidem ii, qui Simoniacæ & Nicolaitarum hæreseos laqueis tenebantur, nunc ad perditionis suæ cumulum sunt etiam violato sacramento perjuri, ipsi e contra in ea, quam semel accepere, inviolata veritate persistant, & in apostolicæ fidei petra fundati, cunctis pravorum dogmatum erroribus insuperabiliter se opponant.

a *Lib. V. epp. XIV. & XV.*

Ex iis Vitalis & Rodulphus presbyteri, quos elogio *Mosis & Aaronis* ornat Damianus [b], duces erant etiam sanctimonialium feminarum, quæ spreta seculi pompa, innocuam sanctamque vitam Mediolani ducebant, inter quas *Blanca* eminebat ex *comitissa, tunc cœlesti sponso juncta*, cui post suum e Mediolano discessum opusculum misit fortasse ex Fonte-avellana, potiusquam ex Gamugno sanctus doctor, si quod aliud, aptissimum ad Christi sponsam efformandam. Blanca rejectis uberrimis proventibus, turrium atque castrorum propugnaculis, propinquorum pariter ac vernaculorum affectibus, & unico etiam relicto filio ephebo & impubere, in angulo monasterii cum pauperibus Spiritus-sancti mulieribus delitescebat, atque spretis silligineis pollinibus ac ferculis dapibus refertis, ad libræ pensilem mensuram panis cibarii se cohibebat (alludit Damianus ad illud regulæ sancti patris Benedicti [c]) pro carbasinis lanea, pro purpureis atque nitidulis pulla, ac despicabilia elegerat indumenta, & primo adolescentiæ suæ flore viro obeunte relicta, claris & magnificis procis amandatis, soli jam Christo victura, mortuam se mundo exhibuerat. Huic ergo prudentissima salutis monita dat Damianus, & primo hortatur, ut afflictiones & angustias, quibus Deus se diligentes experitur, constanti animo subeat, ad Dei amorem pervenire contendat, & in cœlestis sponsi amplexibus semper requiescat; cauta præterea sit, atque semper contra Diaboli tentationes sit accincta, diem mortis & extremi judicii ante oculos indefesse teneat; caveat, ne sub pietatis colore ad seculum revertatur sub ipso sacræ professionis habitu, ut filium regat & domum; sciat proinde hanc diaboli technam evitare, ac hujus dæmoniacæ astutiæ artem exemplo domestico confirmat [d]: *Quod nobis*, ait, *ante paucos dies contigit, referre congruum judicamus. Monachus quidam simplicis naturæ, humilisque modestiæ nobis aliquando cohabitaturus adhæsit, ac per octennium fere nobiscum in eremo non solum caste, sed juxta fratrum quoque omnium testimonium laudabiliter vixit; & quoniam scribendi peritus extitit, non pauca nobis librorum volumina pollucibiliter exaravit. Nuper autem cum obeso vegetus corpore, ac robustior solito videretur, cœpit obstinate deposcere, ut ad suum permitteretur monasterium remeare. Quod nimirum malignus cordi ejus intulit adversarius, ut perspicue postmodum ipsius rei declaravit eventus. Nam*

b *Opusc. L.*

c *Cap. XXXIX.*

d *Ibid. cap. IX.*

mox,

mox, ut juxta petitionem ad suum monasterium est reversus, cum alio quodam monacho, dierum malorum sene, literis æque perito atque librario, per femoralis fluxus egestionem cecidit; sicque omne quod mundus diutius vixerat, repentina sceleratissimi criminis contagione fœdavit; neve sine vindicta tam plectibilis culpa transiret, ægritudine mox irruente, decubuit; paucisque deinceps diebus ex hac vita confessus & confusus exivit. Suadet ulterius, ne cibos appetat delicatiores, & carni, quæ esca futura erit vermium, & putrefacta gravem exhalat fœtorem, subtrahat gulæ irritamenta [a]. *Sophiæ, duorum marchionum, Uguzonis sororis, & Rainerii filiæ* exemplum affert, quæ ante fere sexennium, dum sana adhuc esset & incolumis, abbatem monasterii sancti Christophori martyris, ut sibi sepulturam construeret, petiit, illoque renitente, eamque delirare perhibente, difficilius impetravit. Factum intra monachorum claustra sepulcrum mox ut ingressa conspexit, nescio quo judicio in ægritudinem corruit, ac paullo post abortiit & obiit, cujus profecto tumulus licet gypseus & communitus præ ceteris aliis, per anni continui circulum tantam fœtoris illuviem exhalavit, ut tolerari vix posset, nec fratres in illa claustri parte quiescere permitteret, ut Damiano retulerant illius cœnobii monachi. Aliud subdit [b] de Veneti ducis uxore cive Constantinopolitana, quæ superstitione exquisitissima vivens, demum toto corpore computruit. Ipsa fuit uxor, non Dominici Sylvii, ut Dandulus existimavit ad annum 1071. quod & Damiani temporibus non congruit, sed Johannis filii Petri Urseoli II. Maria scilicet neptis Basilii imperatoris, filia Argyri, & soror Romani, qui postea Græcorum fuit imperator, quæ Johanni Urseolo nupserat anno *999.* ut animadvertunt Cangius & Muratorius [c]. Blancam insuper admonet, ut damnatorum supplicia attenta consideratione die noctuque mente revolvat, & in sanctæ disciplinæ laboribus se vigilanter exerceat. Deinde Dominicum Loricatum summopere laudat, qui [d] *a tribus jam circiter annorum lustris lorica ferrea vestitur ad carnem, duobus autem ferreis circulis in corpore cingitur, duobus item per brachiorum armos arctatur. Sed quia de illo in aliis nostris opusculis jam plura digessimus, nunc quod vix ante sex dies ad nos veniens retulit, proferamus.* Venerat fortasse Avellanam visitaturus Damianum reducem ex sua Mediolanensi legatione Dominicus, ad parvum tempus deserens eremum Suaviciniam, in qua constat hoc anno domicilium suum statuisse. *Ait itaque: contigit me nosse, quod scripseris, novem me uno die psalteria decantasse cum corporalibus disciplinis; quod certe cum audivi tremefactus expavi, & conscientia remordente congemui: væ, inquam, mihi, ecce hoc de me, nesciente me, scriptum est, & tamen utrum hoc a me fieri potuisset, ignoro. Ergo rursus experiar, & an hoc implere potuerim, indubitanter agnoscam. Quarta igitur feria me vestibus exui, & armata scopis utraque manu, totam noctem ducendo pervigilem, psallere, ac me verberare non destiti, donec die altero, decursis duodecim ex more psalteriis, de tertio decimo ad psalmum: Beati quorum &c. usque reptavi.* Quare triginta & unum, non tredecim tantum psalmos de tertio-decimo psalterio recitavit Dominicus, ut inconsiderate excidit Turchio [e]. *Porro*, sequitur Damianus, *quod nobis durum sæpe videtur & asperum, quam ille puerile deputet ac despectum, uno doceamus exemplo. Frater quidam cum se scoparum ictibus nimis abhorreret atterere, atque ut ipse sibimet plagas inferret atque perferret, gravissimum judicaret, tandem tamen domni Dominici crebrius insistentis adhortationibus acquievit, ac per modulationem totius psalterii, & insuper quinquaginta psalmorum, sibimet disciplinam inferre propriis manibus non cessavit.* Ex hac Dominici adhortatione argumentum desumit idem

ANN. CHR. 1059.

a *Ibid. cap.* x

b *Ibid. cap.* XI.

c *Famil. Aug. n.* XXIV. *Annal. T. VI. pag.* 27.

d *Cap.* XIIII

e *Pag.* 116.

ANN. CHR. 1059.

Turchius prælationis officium exercuisse in eremo Suavicinia Dominicum. Verum privatus etiam & simplex monachus poterat alteri monacho pusillanimi stimulos addere. *Erat autem nox illa*, subdit Damianus, *præcedens dominicam diem & beati Michaelis festivitatem. Cumque facto mane ad prædictum senem frater ille venisset, timensque, ne indiscretionis redargueretur, quod egerat per ordinem retulisset, hac ille voce respondit: Noli, frater, pusillanimus esse, vel pro hac tua, quæ nunc est, infirmitate diffidere; potens est etiam Deus ex imis te ad altiora provehere, & tamquam lacteolæ tuæ conversationis infantiam ad juvenilis roboris incrementa firmare. Et adjiciens ait: Nos etiam primo pedetentim cœpimus, sensimque ad quod nos divina pietas perducere voluit, licet imbecilles ac fragiles educti sumus. Sicque factum est, ut non eum de immoderato fervore, sicut ille timebat, argueret, sed ne desperationi succumberet, tamquam qui minimum quid egerit, animum refoveret.* Quod autem animadvertit Damianus id contigisse dominica die, quæ erat festivitas beati Michaelis, deducitur id accidisse annis vel 1045. vel 1051. aut demum 1056. quibus festum sancti Michaelis celebratum fuit die dominico; quare si insuper eo tempore Loricatus præfecturam obtinebat eremi Suaviciniæ, hoc potuit evenire non tantum anno 1051. ut existimat Turchius, sed & anno 1056. utroque enim anno decurrebat litera dominicalis F. & quidem anno 1051. simplex F. anno vero 1056. propter bissextum duplex G.F. neque paschalis sollemnitas incidit eo anno in diem XVII. aprilis, ut per errorem notatur in tabulis apud Ughellium & Calmetium. Demum observat Damianus Loricati exemplo ab omnibus disciplinarum usum fuisse ubique receptum: *Hujus sancti senis*, Dominici, inquit, *exemplo faciendæ disciplinæ mos adeo in nostris partibus inolevit, ut non modo viri, sed & nobiles mulieres hoc purgatorii genus inhianter arriperent. Nam & relicta Tethbaldi, sublimis utique generis & non infimæ dignitatis, mihi aliquando retulit, per præfixam hujus disciplinæ regulam centum annorum se pœnitentiam peregisse.* Quis fuerit Tethbaldus, & quæ ipsius uxor, ignoramus. „ Cechaldi uxorem magnam mulierem dignitate " appellat [a] Rubeus. Hæc Damianus ad Blancam, eam ad voluntariam sui corporis macerationem exemplis invitans, atque ad vitæ beatæ meditationem & spem confortans.

a *Lib. V. p.* 293.

VII. Aliud de novissimis, & de anti-christo ad Adam monachum.

POST epistolam ad Blancam comitissam opusculum inscripsit Damianus Adæ *dilecto fratri* [b] *de novissimis & anti-christo*, cum Adam amandet ad testimonia Scripturarum de die judicii allata in epistola, quam ad Blancam exaraverat, ostendit vero in hoc opusculo, quam difficile sit loqui de rebus, quæ novissimæ erunt: utilem tamen esse eam meditationem ad humanas vanitates despiciendas; disputat quoque de regno anti-christi & de ejus morte, denique de quindecim signis, quæ ex divo Hieronymo præcedent diem extremam judicii. Similem totidem verbis epistolam [c] misit aliquando ad sororem suam Damianus.

b *Opusc. LIX.*

c *Lib. VIII. epist.* 13.

VIII. Quam alienus fuerit Damianus a munerum receptione.

GUIDO archiepiscopus Mediolanensis dono dederat Damiano tempore legationis duas stolas; hic data epistola [d] gratias iterato ei reddit, & donum ejus se compensasse scribit, eo quod in pluribus non modo suis, sed etiam extraneis ac longinquis monasteriis nomen illius adscribi fecerit. Consuetudo scilicet ea erat, ut benefactorum & donatorum nomina conscriberentur in necrologiis & matriculis monasteriorum, quod pluribus in locis etiam ex Damiano colligitur. De cetero redargui se subdit a conscientia propria, quod eas invicto animo non recusaverit; illa nihilominus ratione tunc acquievisse & acquiescere nunc se, *quia nonnulla sibi tunc temporis munera sunt oblata, quæ tamen apud se susceptionis aditu non re-*

d *Lib. III. epist.* 7.

perto,

perto, ad eos qui miserant, sub omni sunt celeritate remissa. Nimirum Damianus plura dona respuerat sibi Mediolani oblata.

ANN. CHR. 1059.

Majorem conscientiæ latratum expertus fuerat sanctus doctor ob vasculum argenteum sibi dono datum in eadem urbe ab abbate sancti Simpliciani. Rem totam fuse enarrat ipse in [a] opusculo *de patientia ad Dominicum* sequentibus verbis: *Dico vobis, quid mihi nuper acciderit. Mediolanensem urbem domni Nicolai papæ legatione functus adivi; ibi dum essem, abbas sancti Simpliciani vasculum mihi argenteum loco muneris misit, quod dum oblatum repente vidissem, primo quidem aspernatus abhorrui, & cur ille mihi munus offerret, subtiliter inquisivi. Suspicatus quippe sum, ne ille negotium fortassis haberet, atque ideo me anticipando præveniens, muneribus occuparet. Mos quippe est apud nos, ministros videlicet Apostolicæ sedis, ab his, quorum adhuc negotium pendet, nihil prorsus accipere; ab his autem, qui omnino quieti sunt, si dare voluerint, non abjicere; & hæc regula non nostrum omnium, sed illorum dumtaxat est, qui meliuscule se ab aviditate custodiunt. Quid plura? Convenitur ad commune colloquium, cur donum sit largitus, inquiritur; utrum causam habeat, sciscitatur. Undique quietus ex omni reperitur parte securus, ita ut re ipsa respondere videretur: In medio populi mei habito; adhuc tamen quæsivi, utrum, dum ad ecclesiasticos gradus ascenderet, sive cum monasterii regimen suscepisset, venalitatis forte commercium irrepsisse cognosceret. Cumque hæc omnia ille funditus abnegasset, & non pro talibus se dedisse munus astrueret, sed ob hoc solum, ut in nostram amicitiam aditum sibi reperiret; respondi, ut, quod suum erat, tollens, amicitiam nostram non more secularium mercede redimeret, sed quod inter fratres est legitimum, gratuito possideret. Inter hæc tamen, ut vobis in aure loquar, mens mea talis erat, ut post quam districte requirens, nihil in eo noxium reperi, si ille mihi ad ingerendum munus importunus existeret, ejus mihi violentia nullatenus displiceret. Volebam siquidem vim mihi fieri, & velut invitus ad vota compelli. Cumque ille ad recipiendum, quod semel dederat, se prorsus averteret, & ne aurem quidem petitionibus inclinaret, ego jam securus & audacior factus, durius, ut sua reciperet, ingerebam. Interea dies elabitur. Cumque peculiaribus psalmis nocturnus meditator insisterem, cœpit me conscientia acrius remordere, & quasi sub quodam ratiocinio convenire. Si ille, ut videtur, bonus est vir, tu innocenti homini suam voluisti pecuniam tollere, cum illi capitulum non obsistat, in quo tuum necesse sit auxilium expectare. Porro si negotium habet, indignum est te sancto fratri linguam tuam venalem facere, quæ tamquam utriusque communis sibi quoque debet, ut tibi, gratuito ministrare. Cumque hæc adversum me pugna perseveranter ingrueret, jamque ego clamorem cogitationum remordentium non perferrem, decedente crepusculo, mox ad hominem properans, manicavi, eique tabescentis conscientiæ vulnus aperui. Cumque uterque nostrum hinc inde invicem confligerent, & ille se, quod semel dederat, non recipere, ego me assererem non tenere, tandem amicæ contentioni hunc ego terminum posui: Duo, inquam, mihi nova sunt monasteria, unum ad calcem jam, Deo auxiliante, perductum; alterum vero necdum episcopali dedicatione firmatum. Sanctorum itaque locorum, si placet, participium suscipe, atque ut tibi libet, quod animæ tuæ proficere debeat, donum pro benedictione transmitte. Hoc igitur argumento cupiditatis meæ turpitudinem palliavi, & tamquam non accipiens, astutus accepi; postmodum vero ad eremum rediens, cellulam quidem festinus intravi, sed per memetipsum intrare vix potui, & qui extra me inordinate sum fusus, justo judicio in me sum postmodum, ut ita loquar, satis difficulter ingressus.*

[a] *Opusc.* LIII. *cap.* IV.

Ann. Chr. 1059.

ſus. Inter cetera vero, tanta animum meum muneris illius caligo confudit, & tamquam vermis ſcatens mea corrodere viſcera non ceſſavit, ut teſte conſcientia, mallem me lepra percuſſum, quam illo munere ſauciatum. Attendebam porro illinc tantam fratris liberalitatem, quæ mihi nihil debebat, & obtulit; hinc meam avaritiam, quæ, quod per officium non merebatur, accepit &c.

IX. Epiſtola ejuſdem ad Dominicum Loricatum, armantis illum & ſuos ad patientiam.

Porro Dominicus, cui hæc ſcribit, ipſe eſt Loricatus, qui in Suavicinii montis eremo tunc morabatur cum aliis fratribus. [a] Verum *tantus perverſorum & violentorum hominum livor eos infeſtabat, ut loco cedendum, aliumque, qui rapinis non foret obnoxius, quærendum* cogitarent. Eorum puſillanimitatem confortat Damianus tum ſacræ Scripturæ præceptis, tum Sanctorum exemplis, & eos opuſculo prædicto ad *patientiam in inſectatione improborum* armat.

a *Ibid. cap.* I.

Forſitan hoc tempore accidit, quod ſcribit idem Damianus eidem Dominico Auximana in urbe contigiſſe, ubi pro tuenda quadam poſſeſſione eremi Dominicus confugerat, ut ſibi juſtitia redderetur. Hiſtoriam hanc habemus in ea relatione, quam miſit Alexandro papæ II. ſanctus doctor. *Cum Romanus quidam* [b], ait, *Stephanus nomine, judex ſacri palatii ſummam præſidatus adminiſtraret Auximi, exigente cauſa, Dominicus ad eum venit, eumque ſuper quadam eremi poſſeſſione, quam ex jure ſedis Apoſtolicæ detinebat, obnixe rogavit. Quem ille, utpote nulla veſtium compoſitione feſtivum, deſpiciens ſprevit; eique nil eorum, quæ poſcebat, indulſit. Cumque ſibi a circumſtantibus diceretur: Noli eum tam dure ſuſcipere; ſanctus enim vir eſt. Ille tamquam fel evomens ait: Sit ſanctus ut vultis, ſed beatus Petrus certe ſanctior eſt, cujus ego cauſam in hac adminiſtratione defendo. Igitur impos cœpti Dominicus redit ad cellulam; ille quoque poſt paullulum reverſus eſt Romam. Porro puer quidam deſpicabilis, qui ad exequendum quodcumque negotium in adminiſtratione remanſit* (miniſter ſcilicet inferioris ordinis) *quidquid Dominicus petierat a judice, cuncta reverenter implevit. Judex autem non diu poſtquam ad propria repedavit, hoſtilibus gladiis perfoſſus interiit, multaſque divitias, quia ſobolem non habebat, extraneis hæredibus dereliquit.*

b *Vit. S. Dominici Loricati cap.* XII.

Illud etiam hic loci monemus Jacobillium, Mabillonium, Macchiarellium, Grandium, & qui ceteris facem prætulit, Conſtantinum Cajetanum in editione Romana operum Petri Damiani, quam initio ſeculi præteriti curavit, in ea fuiſſe opinione Dominicum Loricatum non Suaviciniæ eremi incolam, aut etiam præfectum fuiſſe hoc anno, ſed Sitrienſis eremi vel monaſterii priorem; immo Jacobillius exiſtimat Damianum circiter annum 1054. Dominicum ad Sitrienſes monachos priorem deſtinaſſe, ut eos ad obſervantiæ regularis, a qua nonnihil deſciverant, viam reduceret. Opinionem propriam fulciri ſibi plauſerunt prædicti ſcriptores auctoritate ſupra-relati opuſculi *de Patientia*, de quo mox verba fecimus, quodque titulum ſequentem juxta ipſos præfert: *Ad Dominicum Loricatum priorem ſanctæ Mariæ Sitriæ*; verum in codicibus Romanis non legitur hujuſmodi titulus, quem de ſuo marte primus forſan epiſtolæ affinxit Cajetanus. Alteram erroris occaſionem tribuit ipſa Damiani ſalutatio: *Domno Dominico & ceteris fratribus, qui in ſua vicini montis eremo commorantur, Petrus peccator monachus ultimam ſervitutem in Domino*. Quæ enim alia eremus montis vicini eremo Avellanæ, niſi Sitrienſis, duobus tantum milliaribus ab illa diſtans? Sed inferius probabimus, non disjuncta legi debere verba illa *ſua vicini montis eremo*, ſed unica dictione *Suavicini montis eremo*.

TRADUNT Flavius Blondus [a], Sigonius [b], & Capreolus [c] jussu ejusdem Nicolai papæ Damianum tempore suæ legationis Mediolanensis Brixiensem quoque urbem adiisse, ibique clerum incontinentiæ & simoniæ morbis maculatum reformasse. An id sub Adalmanno, vel Odalrico ejus successore Brixiensibus episcopis factum fuerit, pendet ab assignatione anni obitus Adalmanni. Ughellius [d] ex actis mss. Nicolai papæ penes se existentibus Adalmannum in vivis fuisse anno 1061. asseruit; Galeardus in notis ad Ughellium [e], cujus auctoritatis ea acta forent dubius, nullum tulit judicium. Alibi [f] idem Galeardus Damiani legationem sub Adalmanno sanctioris vitæ præsule adversus simoniacos & concubinarios sacerdotes inverisimilem adstruit; verum antistitis pietas non excludit ipsius clericorum incontinentiam, & etiam sub *Taurinensis ecclesiæ venerabili patre episcopo Cuniberto inter nonnullos virtutum flores, quibus ejus sanctitatis vernabat ingenium, quique sibi vigilabat* (sic enim ipsum laudat Damianus) vivebant clerici inhonesti [g]; si vero Nicolaus II. Romanus pontifex post biennium eamdem provinciam cleri Brixiensis in viam revocandi, & honestis moribus instituendi, ut a pluribus creditur, denuo tradidit, deducitur eam ecclesiam circa hæc & antecedentia tempora revera indiguisse visitatione & reformatione legati apostolici. At demum vel statuenda sit Damiani legatio sub Adalmanno, vel sub Odalrico, qui indubius fuit schismaticorum fautor, ipsa tamen non est in controversiam revocanda, sicut etiam cum Grandio nostro in schedis ejus mss. ad annum 1062. non est retrahenda; eo enim anno pluribus aliis ecclesiasticis negotiis alibi erat distractus animus & zelus Damiani. Ceterum Nicolaum Romanum pontificem Damiano non solius Mediolanensis ecclesiæ indixisse hoc anno purgationem, evincitur ex eodem ipsius sancti cardinalis opusculo ad Cunibertum Taurinensem episcopum circa annum 1063. scripto, in quo refert, aliquando [h] *tauros pingues ecclesiæ Laudensis, armata conspiratione eum vallasse, ac furioso strepitu vitulos multos tumultuantes infrenduisse*, & ad incontinentiam suam vindicandam auctoritatem sibi opposuisse concilii Triburiensis; ita ut legatio apostolica Damiani hujus anni Insubrica, & totius ejus Italiæ regionis tractus, potius quam dumtaxat Mediolanensis, jure optimo queat appellari. Episcopus Laudensis per hæc tempora erat Obizo, quem Gregorius VII. de zelo pietatis plurimum commendat.

ANN. CHR. 1059.

X. Legatio Damiani potius Insubrica, quam Mediolanensis appellanda.

COMMORANTE ipso sancto doctore in eadem Laudensi urbe occasionem sumpserit, ejusdemque præsentia commotus fuerit, ut cogitaret de seculo valedicendo Johannes Laudensis, Grammaticus communiter dictus, eremita postea Fontis-avellanæ, & Damiani intimus comes, inde ejus loci prior, demum episcopus Eugubinus, sanctimonia & doctrina insignis, qui *ab ipsa pueritia*, ut ait monachus Avellanensis auctor synchronus, & ipsius vitæ scriptor a Sartio nostro in lucem primum productus [i], *vixit laudabilis, Christique tirunculus jam tum indole agonizabat, ne a regenerantis gratiæ degeneraret prosapia. Cum enim illa ætas per morum lubrica infrænis soleat diffluere, jam ille, ut a Deo doctus auriga carnalium suorum equorum sensum per arctam cœlestis disciplinæ semitam cogebat incedere, & ante eremi forte notitiam jam vitam imitabat eremiticam*. Multa subinde prædicat idem anonymus Johannis innocentiæ & pœnitentiæ specimina ab ipsis teneris annis, quæ referre non incongruum erit verbis ipsius scriptoris, licet salebrosis: *Dum per temporalem*, inquit [k], *vix pubesceret ætatem, immaculatam per vitam quamdam præferebat spetialem canitiem, meritoque sibi poterat congruere, quod per Sapientiam dicitur de Sapiente: cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Nempe cum literarum januam*,

XI. Primæ actiones Johannis Laudensis.

a *Lib. III. Dec. II.*

b *Lib. IX. de regno Ital.*

c *Lib. V. Histor. Brixien. p.* 129.

d *T. IIII. col.* 548.

e *Ibidem.*

f *In præfat. ad Adalman. pag.* 406. *Collect. veter. PP. eccl. Brixian.*

g *Opusc. XVIII. cap.* I.

h *Ibid. cap.* III.

i *Cap.* I.

k *Ibidem.*

Ann. Chr. 1059.

nuam, acris ut puta ingenii puer, transmeasset, atque ad floribundos liberalium artium dumos pervenisset, quos incaute contrectando multa, proh dolor! hominum millia non modo vulnerata, sed ad gehennam usque irremediabiliter sunt demersa; ille ut cœleste animal intus, & undique oculatus, tam circumspecte a noxiis secernebat utilia, ut nulla, Domino custode, animam sauciaret lepura. Hæc vox desideratur in Cangio & in doctissimis auctoribus supplementi ad ejus glossarium; significat autem, ut liquet ex sensu, *vitium*, *maculam*, nisi legendum sit *lepra*. *Sensus quippe dictionum, vires sententiarum, genera casusque mentis armario recondebat. Ubi vero lascива, impudica, animæque damnosa obviarent, quasi scyllæum Ulisses melos, cruci Christi annexus surda aure transibat. Nec tamen carpere omittebat thimum, dum virosum tantopere contemnebat aconitum. Jamque illud Christi sponsæ epithalamium, quod nec dum forte legerat, ruminans ructabat in opere: ego, inquiens, dormio, & cor meum vigilat; dormiebat enim frivolis, cum vigilare non intermitteret seriis. Unde cognito condiscipuli tam miro, tamque inaudito illius proposito, ludum sibi super eo aliquotiens exhibebant, dum ad turpia illa atque histrionica, quibus illi abundant libri, perventum erat. Dicebant enim alter ad alterum: si hoc a Johannis ore potes verbum elicere, tale te scias a me pretium reportare. Quibusdam ergo ambagibus ad id proferendum quasi retibus ambiebatur; sed omnes ille accessus, ac si alter Argus, circumspiciens frustrabatur, nec erat ad immunditiæ fæcem labilis, cujus supra petram jam Dominus pedes statuerat mentis. Quippe cum Lot proposuerat contendere ad montana, dedignabatur cum uxore respicere Sodomam: parvipendens a consodalibus ob hoc illudi, vel despici, gaudens vero Apostolorum jam sequax pro Christo contumeliam pati. Illis imo jam noverat condolere, atque ut Christo eos lucrifaceret, sanctæ exhortationis manum porrigere. Quos enim eorum per mundi obscæna volutari didicisset, nunc hunc, nunc illum seorsim conveniebat, sanctisque eos stimulis a vitiorum cœno sejungere, ac Domino satagebat unire; magnumque se futurum bovem Christi præsagiebat areæ, qui tantillus jam bosculus ceperat triturare. Quid enim aliud triturans agit, quam ut grana secernat a paleis? Spiritualia vero grana sunt animæ cœlestibus horreis recondendæ, quas ille nimirum a paleis sequestrat, qui ab indignis earum iniquitatum involucris separat. Hinc enim per Prophetam a Domino dicitur: si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Vilis enim est mundus, quia quid nisi quædam est hominis peregrinantis domus? At pretiosæ Domino sunt animæ, quia ipsæ, lapides scilicet vivi in cœlestis Jerusalem ædificio sunt locandæ. Qui ergo a vili mundo pretiosas animas sancta prædicatione dividit, os Domini fit, quia id operis perpetrat, quod ipse per utrumque Testamentum, ut fiat, clamat. Hoc namque opus se Apostoli per mundum acturos jam præsignabantur, quando per sata Dominum sequentes spicas manibus famelici confricabant. Et quod profecto opus est omnium Christum, Christique Apostolos non ficte imitantium, hoc iste vir sanctus jam præfigurabat se operaturum, & prius in Prioratu, & postea in Episcopatu. Sed quisquis eum audis jam tunc spiritualibus inhiantem, nequaquam eum circa corporalia etiam pietatis officia æstimes negligentem. Cum enim quemquam didicisset ægrotare, mox eum curabat invisere, & si cura indigeret, ei assistere, atque ad ejus nutum pendere, piæque matris sollicitudinem, fidelisque clientis obsequium adhibere studebat. Qui autem scire vult in quanta jam tum victus, in quanta tegumenti vixerit extremitate, quomodoque jam mundanum mare calcans, jam quasi alter Petrus Christum fuerit imitatus, id non difficul-*

ANN. CHR. 1059.

ficulter poterit conjicere, si solius lecti ejus struem non pigeat nosse. Cuidam enim ex nostris quidam juxta parvulam basilicam & locum monstravit & stratum: hoc inquiens sub stemnio Laudensis ille Johannes solebat decumbere. Hæc pariter vox *stemnium* deficit in eodem glossario. *Hoc cervicem pulvillo fulcire, & humum videlicet ostendens & lapidem. Qui ergo pro cervicali saxo, nudaque humo utebatur pro fulcro, quantæ in amictu vilitati, quantæ in victu studuisse putandus est frugalitati! Hæc exigua de ejus ante sacrum habitum vita, & mihi narrasse, & vobis, carissimi, sufficerit didicisse.* Quam tamen animo conceperat piam voluntatem seculi fugiendi Johannes, nonnisi aliquanto post opere complevit, & quidem circa annum 1065. ut ad eumdem annum statuemus.

XII. Damianus scribit de cœlibatu sacerdotum.

REDUX ex legatione sua Damianus Romam [a] de cœlibatu sacerdotum Nicolao Romano pontifici tractatum a se scriptum exhibuit; acceperat enim ab ipso in mandatis, ut hac super re familiarem cum episcopis collocutionem haberet. *Nuper*, inquit, *habens cum nonnullis episcopis ex vestræ majestatis auctoritate colloquium, sanctis eorum femoribus volui seras apponere, tentavi genitalibus sacerdotum continentiæ fibulas adhibere. Sed quoniam hæc est secta, cui ubique contradicitur*, aliud proponit contra clericorum & præcipue episcoporum intemperantiam remedium. In synodis Romanis anteactis de ceteris quidem ecclesiasticæ disciplinæ studiis examen movebatur, de clericorum autem libidine propter metum insultationis secularium dispensatorie tacebatur. Exhortatur itaque summum pontificem Damianus, ut in episcopos fornicarios canonicum exerat vigorem, & ne segnis sit in iis coercendis, ac quod *publice vociferatur in mundo* de eorum inhonestate, *non supprimatur in synodo*. Reapse hoc ipso anno congregatum fuit a Nicolao celebre Romanum concilium mense aprili centum & tredecim patrum frequentia honoratum, quo, Damiano præcipue incentore, quique inter ceteros subscripsit, damnati fuere omnes clerici concubinarii & intemperantes.

a Opusc. XVII.

XIII. Aliæ ipsius epistolæ hujus anni.

HOC ipso anno eumdem Nicolaum papam deprecatur [b] Damianus pro Anconitanis, qui a catholica communione submoti fuerant, atque ipsum orat, ut quandoquidem ii postulaverant se Romano pontifici subjicere, & urbem suam tradere, sed exauditi non fuerant, orat nimirum pontificem, ut adsciris in consilium gravissimis viris *Hildebrando, sanctissimi & purissimi consilii viro, reverendissimis etiam Humberto & Bonifacio episcopis, qui acutissimi & perspicaces vestri sunt oculi*, mitius cum illis agat, eosque in communionem recipiat.

b Epist. VII. Lib. I.

Nomine ejusdem Nicolai, Annæ, quæ *fecunditatis donum divinitus meruerat*, Henrici regis Galliarum uxori, & Philippi item regis matri scribit [c] Damianus, laudans ejus pietatem, & in pauperes beneficentiam; hortatur, ut ad extremum vitæ retineat tam laudabile institutum, simulque suadet, ut virum suum ad ecclesiam tuendam inflammet. Porro hoc eodem anno, vel sequenti, ut mavult Mabillonius, obiit maritus ejus Henricus, cui successit filius Philippus in regno, qui tamen fuerat in regem coronatus ante Henrici mortem.

c Epist. IX. Lib. VII.

Cuidam Alberto episcopo, paterni vigoris auctoritate, discipulo forte suo ante sacrum episcopatus ordinem, scribit idem Damianus, ut in administratione episcopatus nihil avare, nihil cupide agat, verum ita se innocenter gerere studeat, ut ex ejus vita & moribus non infamia, sed gloria ad utrumque redundet; & superius dixerat [d]: *Nobis animæ sunt commissæ, quæ sicut a Deo mihi, sic a me commendatæ sunt tibi, Deo tamen soli rationem sumus uterque procul dubio reddituri; studeat ergo fraternitas tua*

d Epist. I. Lib. IV.

Ann. Chr. 1059.

tua & religiosam ducere vitam, & honestam habere famam, vitam pro te, famam pro te & me, immo non tam pro nobis, quam pro iis etiam, qui commissi sunt nobis. Vult insuper eum cavere, ne *cum decimas vel qualibet oblata fidelium per ecclesias dividit, de consacerdotum suorum præsumat aliquid ratione minuere; ne panes & alia donata ecclesiis congerantur distribuenda aliis pauperibus, sed concedantur iis, qui ecclesias illas, quibus fuere oblata, frequentant; ne reatus demum sacerdotum pecunia mulctet.* Arbitramur Albertum hunc coadjutorem fuisse Damiani in episcopatu Ostiensi aut Velitrensi, sicut in Eugubino erat Rodulphus, eumque loco sui statuisse, vel tunc cum Mediolanum profectus est, vel etiam quando relictis urbibus, sed retentis episcopatibus, iterum se recepit in eremum. De hoc Alberto silet omnino Ughellius.

Theodosium episcopum Senogalliensem, & Rodulphum episcopum Eugubinum, quorum uterque fuisse creditur monachus Avellanensis, sed indubitanter Rodulphus, qui Damiani erat discipulus, censores instituit suorum librorum, quos ipse tum ad iners otium fugiendum, tum quia operibus manuum insudare non poterat, conscripserat, eosque precatur, ut si quid invenerint in iis catholicæ regulæ dissonum, vel sacrarum Scripturarum auctoritati contrarium, aut protinus abscindant, aut ad sanum intellectum revocent. Subscripsit uterque hic episcopus concilio Romano hujus anni, sed loco Theodosii legitur *Visodonus* in indiculo Possini apud [a] Labbeum; nomen profecto corruptum & omnino ignotum in ecclesia Senogalliensi. Minus male in chronico Farfensi [b] penes Muratorium appellatur *Teodicus*. Post annum 1053. Theodosius Senogalliensem regendam suscepit ecclesiam, cum illo, ut vidimus, anno interfuerit Arimini consecrationi Petri Aniciensis episcopi Rotbertus ejus prædecessor Ughellio etiam ipse incognitus, sed nobis patefactus a Mabillonio in appendice ad [c] tomum IV. Annalium.

a Concil. T. XII. col. 52.

b Rer. Ital. T. II. P. II. col. 647.

c Pag. 743.

Fortasse hoc eodem anno, præcipue si post ipsius tantummodo initium Mediolanum versus profectus fuerit Damianus, cum mense januario adhuc Romæ moraretur, & in ecclesia beati Petri apostolorum principis die sollemni epiphaniæ concionem haberet ad populum, videtur Cinthius, qui præfectus erat Urbi, resumpsisse Damiani sermonem, & verba ad eumdem populum fecisse. Hac captata occasione [d], epistolam Damianus ad eumdem dedit, in qua de officio concionatoris disserens, asserit sibi quidem per sacerdotalis ordinis gradum injunctum esse prædicationis officium, quod tamen ægre præstare possit, eo quod raucedini & vocis incommodo sit obnoxius. Ipsum hortatur, ut Mosis & Aaronis vestigia sectando, tum judiciaria potestate, tum sanctis exhortationibus populum regere perseveret, pauperes quoque ac ecclesiæ facultates tueatur. Altera vero epistola [e] orationis studio nimium deditum, & commisso sibi populo in juredicundo propterea segnem eumdem Cinthium redarguit, munusque illius non assiduitatem precum, sed justitiæ officia esse ostendit, exemplumque affert recte administratæ justitiæ a Gothifredo seniore Lotharingiæ duce, quod exceperat ex ore alterius Gothifredi excellentissimi ducis & ipsius nepotis. Ricardus pariter abbas Virdunensis inducitur pœnas post obitum patiens, *anxius, sollicitus & velut excelsas machinas erigens, construens munita castrorum propugnacula, quia vivens hoc morbo laboraverat in extruendis inaniter ædificiis, & plurimis facultatibus ecclesiæ in frivolis hujusmodi næniis profligandis.* Ricardus tamen ob res pie gestas insignis describitur ab ipsius vitæ auctoribus, & *Gratia Dei* cognomen obtinuerat; obierat anno 1046. miraculis quoque post mortem claruerat & clarebat; quare

d Lib. VIII. epist. 1.

e Ibid. epist. 2.

ANN. CHR. 1059.

quare de piacularibus tantum pœnis intelligendus est Damianus, vel Gothifredus dux fabellam narraverat Damiano a Galliis longe posito, qui relator, non auctor est hujuscemodi historiæ. Videatur etiam [a] Mabillonius. Cinthius prefectus Urbi confundendus non est cum Cinthio illo, qui anno 1063. Cadaloum anti-papam recepit, cuique arcem sancti Angeli ad se tuendum concessit, neque cum patre hujus Cinthii, qui appellabatur Stephanus, nisi forte Stephanus fuerit ejus nomen, & Cinthius cognomen, nimirum de nobilissima Romana familia Cinthia.

a *Annal. T. IV. p.* 474.

Damianus aliquando Beneventum adiit, & quidem ante sequentes annos. Facile post concilium Romanum hujus anni comitem se adjunxit Nicolao Romano pontifici, qui reapse se contulit Melphiam, ubi synodum habuit:

Præsulibus centum jus ad synodale vocatis.

inde Beneventum, ubi alteram celebravit. Potuit tamen & cum Henrico imperatore anno 1047. & sub Leone IX. anno 1050. Beneventum se conferre Damianus; hoc enim postremo anno mense aprili Leo ad Montem-casinum, Montem-garganum, & ad Beneventanam urbem equitavit, ubi populum imperatori rebellem excommunicationis pœna mulctavit. Rursus anno 1051. & sequentibus ibidem se contulit idem supremus ecclesiæ hierarcha; scimusque Damianum frequenter adhibitum fuisse in negotiis maximi momenti ab eodem sancto pontifice. Diximus propterea ante sequentes annos; nam in Apologetico [b] ad Alexandrum II. anno 1061. confecto narrat Damianus historiam, quam audire sibi contigit in *Beneventana olim urbe constituto*; in ea nimirum urbe monachum vidit nomine Madelmum (an-ne in monasterio sanctæ Sophiæ, in quo reperiuntur Madelmi plures, qui vixerunt hoc seculo?) *Madelmus hic juxta monasterium degens in cellula inclusus & solitarius* vixerat, miraculorum insuper fuerat patrator; sed *in luxuriæ postea voraginem corruens, qui eatenus in magna reverentia principi ac civibus fuerat habitus, publice virgis cæsus, & sub inhonesto ludibrio turpiter asseritur decalvatus.*

b *Opusc. XX. cap.* 6.

Subscripsit etiam hoc anno 1059. *secundo idus octobris* Damianus privilegio [c] Nicolai papæ II. concesso Bonizoni abbati monasterii sancti Petri prope Perusinam urbem his verbis: *Ego Petrus dictus episcopus Ostiensis ss.*

c *Bullar. Casin. T. II. pag.* 94.

XIV. Theobaldi fama undique diffunditur.

SUPREMUM diem obiit hoc anno Walterius, Theobaldi eremitæ comes peregrinationis & Vicetini incolatus; Theobaldi vero fama magis inclarescebat apud finitimos populos. *Biennio autem expleto*, ait Petrus ejus vitæ scriptor [d], *ex quo vir Dei jam dictum cœperat incolere locum, socius ejus Walterius in sancta religione cum bona confessione naturæ solvit debitum, &, ut credimus, conjunctus est numero fidelium. Quo tempore contigit Mediolanenses aliquot ad sanctum Marcum* (Venetias nimirum, ubi ab eo jam tempore communis ferebat opinio corpus sancti Evangelistæ custodiri) *orationis gratia euntes, audita fama sancti viri odorifera ad eumdem locum, sicut ex diversis partibus ad eum confluebant, accedere. Omnibus primum interius verbo Dei sufficienter refectis, deinde exterius carnis refectionem sumentibus, sicut mos erat viro caritatis, nihil habenti, & omnia possidenti, præcepit cuidam diacono, nomine Dionysio, qui eum literas docebat, potum administrari. Qui mandatis sancti patris non parebat, quia unde propinaret hospitibus, vinum non habebat. Ipse enim nocte præcedente vasculum, ubi vinum fuerat, totum, cum sitiret, everterat, & unde alii ministraretur, non dimiserat. Tunc bis & ter admonitus, propter improbi-*

d *Num.* x.

Ann. Chr. 1059.

tatem, patris obediens præceptis ad vasculum accessit, & ex toto plenum invenit, quod vacuum ex toto reliquerat. Ad quod incautius, utpote inscius, accedens, vino cum impetu saliente, gremium totum respersit. Tanto miraculo stupefactus, cum timore hospitibus ministravit. Unde peregrini plene refecti sunt, & fratres de reliquo per tres hebdomadas vixerunt.

Hæc postrema verba indicant Theobaldi fama & sanctitate motos plures cœpisse ad eum confluere, ut sub ejus magisterio viverent, & licet nondum monastico seu eremitico schemate indutum, quod suscepit ultimo vitæ suæ anno, omnes ipsum coluisse, ut patrem. Fratres hic habemus per tres hebdomadas victitantes de vino, quod prodigiose ex vase vacuo prodiit; *Dionysius diaconus* inducitur, qui *mandatis patris*, hoc est Theobaldi, *non parebat*; & paullo post de eodem dicitur: *Tunc bis & ter admonitus propter improbitatem, patris obediens præceptis &c.* Confirmatur hæc nostra sententia ex his, quæ inferius in ejus vita leguntur; nominantur enim ibi conceptis verbis *fratres eremi; veraces ejus familiares; fideles ministri, creduli ejus fratres*. Silentii regula in ea eremo servabatur. *Conticinii tempora* Theobaldus, inquit Petrus, *in precibus & Dei laudibus extensis manibus continuabat*. Præfixa erat fratribus hora recitandi divinas laudes: *Hora vero*, de eodem dicit, *surgendi ad matutinos hymnos, ut suos lateret, ad stratum proprium regrediebatur*. Et infra: *Malignus spiritus.... affuit, & virum Dei ad nocturnales hymnos nominatim compellans surgere hortabatur*. Petrus ipse auctor vitæ eam scripsit *ex assertionibus matris ejusdem beati, & veracium familiarium ejus relatione*. Demum moriturus Theobaldus commendavit Petro magistro suo matrem, filiosque suos spirituales, cum totius eremi cura. Agnovit hanc regularem eremitarum in solitudine Salanicensi congregationem etiam auctor primæ ejus corporis translationis, dum narrat fratrum mæstitiam ob direptionem sancti corporis factam a Vicetinis. *Quantum dolorem*, inquit, *matri suæ & abbati, ceterisque fratribus injecerint, injuriamque contulerint, præsens stylus evolveret, nisi* &c. Et statim: *Præfatus igitur Petrus abbas cum prædicto Odone custode ejus & matre, cunctoque collegio ejusdem cœnobii*. In effossione pariter sacri corporis, Odone curante, *fratres, qui cum eo erant, quotidie ejusdem urbis*, Vicetinæ nimirum, *ecclesias nudis pedibus circuibant, eadem oratione instantes*. Effosso demum corpore *ambo*, hoc est Petrus & Odo, *cum suo collegio in orationibus perstiterunt, die noctuque Dominum deprecantes, quo perferri sanctum corpus vellet, ostendere dignaretur*. Hæc simul congessimus, ne ab ullo revocetur unquam in dubium, an Theobaldus eremiticam vitam duxerit, & non qualemcumque, sed excellentiorem, & regularem illam a sancto Romualdo institutam, sub obedientia nimirum præsulis, & cum consortio ceterorum fratrum.

XV. Vexationes patitur a dæmonibus.

Narrat subinde idem Petrus vexationes, quas a dæmonibus patiebatur Theobaldus, ut minor non esset etiam in hoc certamine suo magistro Romualdo, cujus vestigia premebat, & sanctificatum locum incolebat. *Beato igitur Theobaldo*, ait [a], *non defuere tentamenta antiqui hostis, ne videretur expers illius beatitudinis, de qua Jacobus Apostolus ait: Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nempe quadam nocte ipso in strato recumbente, nec tamen dormiente, malignus spiritus magna vi quatiens parietem affuit, & virum Dei ad nocturnales hymnos nominatim compellens, surgere hortabatur. Cumque ille motus his clamoribus, quemdam ex fratribus se vocare putaret, ad cellulam ejus properavit, huncque quiescentem obserato ostio invenit. Diabolica igitur cognita illusione, Trinitatem*

a *Num.* XI.

sanctam invocavit, hostem muniendo se crucis signo fugavit, & eum quasi rusticorum multitudinem securibus silvam prosternentium discedere audivit [a]. *Quodam tempore Sancto legationem pacis agente, dum in plaustro sedens apud Leonicum castrum* (XIV. milliaribus distat a Vicetia, vulgo *Lonigo* dictum) *flumen Novum* (appellatur modo la Gua) *transiret, nam prae defectione pedum non valebat longius progredi, diabolus eum in flumine conatus est praecipitare; una enim ex rotis plaustri subito nusquam comparuit. Tamen non praevaluit inimicus, ut virum sanctum aliquatenus humectaret, sed ita a voragine fluminis, ac si levis pluma, sine birota inhumectatus exsilivit.*

ANN. CHR. 1059.

a *Num.* XII.

Sed si Theobaldo infernus bellum indixerat, cœlum auxilio servum suum non deserebat. *Hactenus,* [b] inquit supralaudatus Petrus, *in nocte laborum vel tentationum narrationis iter direximus, nunc ad ea, quae plena sunt gaudiis, sicut in die honeste ambulantes, succingamur. Saepe & frequentius, ut veraces & cauti ejus familiares Christo teste affirmant, visione angelica hic beatus meruit visitari, & aliquando in specie columbae, aliquando in specie viri, & in aliis schematibus, quae ipse solus noverat, supernorum spirituum affatibus dignus fuit mulceri. Unde divina dispositione actum est, ut proficientibus meritis omnes ecclesiasticos gradus usque ad sacerdotium in Vicentina ecclesia adipisceretur; praesidente ejusdem ecclesiae cathedrae Liuticherico praesule, viro in ecclesiasticis & secularibus negotiis strenuissimo.* Liutichericus Vicetinus antistes Sindicherius appellatur in actis apud Henschenium, & ab Ughellio [c], a quo postremo laudatur tamquam cœnobii sancti Petri monialium ordinis sancti Benedicti in eadem Urbe Vicetina restaurator. Ante annum 1067. obiit, quo jam successerat ipsi in eodem episcopatu Bernardus, qui eo anno cum Ottone episcopo Novariensi cancellario, & Emeardo judice Henrici imperatoris in Aprutinam provinciam nuntius missus, inter Petrum episcopum, alterumque Petrum sancti Salvatoris abbatem, composuit ad favorem episcopi litem de castro Civitellae & de monasterio de Bellino.

b *Num.* XIII.

c T. *V. col.* 1042.

Eadem narrat Reinerus, qui Vicetinum praesulem Liudecherium virum spectabilem appellat. Quae vero subdit, quaeque non reperiuntur in Petri Vangaticiensis historia de Theobaldo, ad Theobaldum non pertinent, sed potius ad sacerdotem illum, a quo Reinerus ipsa audivit, suntque quoddam auctoris parergon ad demonstrandam puriorum animarum dulcedinem in offerendis sacris hostiis. Ita & capite IV. occasione sanctae mortis Walterii, socii Theobaldi, obitum refert cujusdam fratris; & capite II. libri II. extranea a vita Theobaldi memorat, quae frater familiaris sibi patefecerat; ut proinde verum sit, quod asseruit Pezius in dissertatione isagogica in tomum IV. Thesauri anecdotorum, Reinerum „ elengatiori „ oratione Petri opus convestivisse, ac singularibus quibusdam sui tempo„ ris eventis, pro more suo, telam distinxisse. “

Ex superius narratis liquido agnoscimus, quanta esset Theobaldi existimatio, ut nimirum, licet solitariam vitam duceret, & ab hominum commercio remotam, advocaretur tamen ut sequester ad paces componendas inter dissidentes, & insuper sacerdotio dignus judicatus fuerit. Narrationem infestationis daemonis, quam mox attulimus, refert & Reinerus, ex quo etiam intelligimus, quomodo explicanda sit illa Vangaticiensis abbatis dictio, quod *sine birota inhumectatus exilivit;* ait enim: *Dum apud castrum Leonicum flumen vocabulo novum transiret, plaustroque tunc sedebat, quod prae defectione pedes ambulare non valebat, ex vehiculi subito rotis una disparuit, quod vir Dei praecipitatus interiret submergio. Verum custodivit*

Ann. Chr. 1059.

Dominus diligentem se, & humili suo factus est in salutem. Sola siquidem evectus rota transiit illæsus, ne tenuiter quidem humectatus. Quare non est legendum *sive birota*, ut habent codices Henschenii, sed *sine birota*, ut apud Mabillonium, vel *sine rota* ut legitur in ms. reginæ Sueciæ, hoc est sine duplici rota, vel sine una ex rotis.

XVI. Quando Dominicus Loricatus prior fuerit eremi Suaviciniæ?

Existimat Turchius Dominicum Loricatum regimen eremi Suaviciniæ, si non ab ipsa hujus eremi fundatione, saltem quamprimum a Damiano magistro suo obtinuisse: posteriori autem vitæ suæ tempore, ut puta anno 1056. suffecto in ejus locum Johanne priore, ad quem epistolam scripsit Damianus, Dominicum Avellanam regressum fuisse, in quo monasterio partim, partim & in illo Conjunctuli vixerit; demum ingravescente ætate denuo eremum Suaviciniam petiisse, ubi Deo sanctum reddiderit spiritum. Administrationem eremi Suaviciniæ recepisse Dominicum annis antecedentibus annum 1056. vel 1057. probare nititur idem auctor ex facto superius a nobis relato fratris pusilli animi, quem adhortatus fuit, ne immodice flagellorum dolorem metueret, & ex ipsius, quem supra adduximus, congressu cum judice, qui Auximi præsidebat, pro vindicandis juribus prædictæ eremi; verum hoc postremum factum potuit contingere anno tantummodo 1059. quo certo certius constat Dominicum eremum montis Suavicinii incoluisse. Insuper, licet etiam Dominici commoratio in eremo ejus montis ante annum 1056. valeret aliquo modo ex Damiano inferri, ex eo quia dicat iste in epistola ad Teuzonem, aliquando a se remotum habitasse Loricatum, (quod tamen quis vetat explicari æque de ipsius commoratione in monasterio Conjunctuli) potuit Dominicus judicem Auximanum interpellare, quin eremi Suaviciniæ præsulatum gereret, hocce negotium ei ceteris fratribus committentibus, illectis ea spe, quod ob ejus nominis venerationem facilius concederetur, quod petebatur. E contra habemus validius argumentum constituendi Dominicum fuisse præsidem illius eremi anno præsenti, quo Damianus Suavicinienses ad patientiam adhortatus, *Dominico* scripsit & *ceteris fratribus, qui in Suavicini montis eremo commorantur*. Ubi dum Dominicum a ceteris fratribus distinctum singulariter nominat, id se non alia ratione fecisse tacite innuit, nisi quia loci illius regimen haberet. Sed in his quæstionibus non multum immmorandum.

XVII. Historia eremi Suaviciniæ.

Quandoquidem de eremo montis Suavicinii a Damiano fundata pluries occurrit mentio in ipsius operibus, fusiores de ea notitias, quas habemus, ope potissimum ejusdem doctissimi canonici Turchii, in medium proferre non erit inopportunum. Sed prius Johannem Laudensem scriptorem vitæ Damiani audiamus. *In Camerinensi itaque diœcesi*, inquit [a], *aptum quemdam ad eremitarum habitacula locum juxta Suavicinam rupem curiosus indagator invenit* (Damianus), *ibique congregatis fratribus, oratorio fundato, ordinatoque priore, sub quo famulari Deo deberent, rursum ad alium locum investigandum processit*. Ita in duobus codicibus mss. Vaticanis legi testimonio clarissimi viri Petri Pollidorii asserit Turchius, qui & Sartium nostrum in eam rem laudat; quapropter errore amanuensium, vel eorum, qui editiones procurarunt, male legitur *juxta suam vicinam rupem*, minusque adhuc recte invertit verba Fortunius legens *juxta vicinam suam rupem*, perinde ac eremus Suavicinia non multum distaret ab eremo Fontis-avellanæ, vel de alia eremo Avellanensi proxima esset ibi sermo. Sic pariter legendus est titulus epistolæ nuncupatæ *Dominico & ceteris fratribus, qui in Suavicini montis eremo commorantur*, non *in sua vicini montis eremo*, ut habetur in editis; primusque erro-

a Cap. VII.

errorem tituli hujus epistolæ detexit abbas noster Andreas Vallemanius, ut liquet ex adnotatione, quam sua manu scriptam conspeximus in exemplari operum Damiani existente in bibliotheca Classensi. Meminit eremi Suaviciniæ Damianus in opusculo [a] *de institutis suæ congregationis* dicens: *In illa eremo, quam auctore Deo in latere Suavicini montis ipsi construximus* &c. In epistola [b] pariter ad Alexandrum papam II. laudat aliam epistolam suam ad Johannem priorem *eremi, quæ juxta Suavicinium montem est constituta*. In ea habitabat hoc anno 1059. quod superius vidimus, vel ut monachus eremita, vel ut prior, noster Dominicus Loricatus. Nescimus, an de ea eremo intelligendus sit Damianus, cum in superiori epistola *de patientia* ad Loricatum dicit: *Duo mihi nova sunt monasteria, unum ad calcem jam Deo auxiliante perductum, alterum vero nedum episcopali dedicatione firmatum*. Sed de alia sive eremi, sive monasterii constructione prorsus existimamus esse alia Damiani verba accipienda, dum ad capellanos Gothifredi ducis scribit [c]: *Nunc autem in prærupti montis atque nivalis cacumine constitutus, dum monasterialis ædificii fabricam construere gestio, non modo librorum paginis, quæ procul absunt, insistere nequeo, sed & cæmentariorum ac latomorum perstrepentium clamore depressus* &c. Gothifredus enim dux Lotharingiæ Beatrici nupsit anno tantum 1054. & capellanorum ipsius impia asserta pariter ad tempora Alexandri papæ II. videntur retrahenda; cum e contra fundatio eremi Suaviciniæ, prima in ordine relata a Johanne Laudensi, videatur præcessisse ceteras eremorum constructiones a Damiano factas, neque ad ea tempora queat reduci. Ipsam proinde circa annum 1048. erectam non improbabiliter conjicimus, ut ad eum annum innuimus. Hæc eremus in chartis archivi prioralis & publici castri Apiri appellatur *monasterium eremi*; sic pariter nominatur in bullis pontificiis, sed aliquando pro *Suavicinio* legitur *de Sancto Vicino*. Chartam vidit Turchius seculo XII. scriptam, & extantem in archivo San-severinate, vocem *Suavicinio* indubie præferentem. Distat ipsa eremus uno milliario a castro modo diruto Frontalis, in valle per quam fluit torrens ad radicem montis Suavicinii exoriens, qui recta per angustum callem ducit ad prædictum cœnobium. Ab abbatia autem Valle-castrensi dissita est duobus milliaribus, quinque ab Apiro, in cujus territorio continetur, octo a Cingulo, decem a Fabriano, & totidem ab urbe Sancti-severini, cujus diœcesi tributum fuit castrum Frontalis una cum eremo præfata, separatum cum aliis terris a diœcesi Camerinensi, postquam oppidum Sancti-severini, olim Septempeda, episcopali honore fuit decoratum anno 1586. sub Sixto papa V. Visuntur hodiedum antiqui monasterii parietes, & vetus claustrum; superest etiam capitulum, ubi primum tumulatus fuit sanctus Dominicus Loricatus ad dexterum latus januæ, per quam patet ingressus in claustrum, in quo detecta fuere non multis ab hinc annis plura defunctorum ossa, modoque capitulum inservit pro habitatione colonorum loci. Monasterium, ut ex vestigiis apparet, undequaque muris cingebatur ex parte montem respiciente. Antiqui eremi ecclesia in honorem sanctissimæ Trinitatis fuerat constructa; [d] id a Fontaninio didicit Philippus senator Bonarotius in suo diptyco sacro monasterii Rambonæ, sed & ex pluribus chartis archivi Apiri idipsum liquet, quarum una annum 1275. profert; hujus ecclesiæ nulla hodie supersunt vestigia. Propter antiquæ ecclesiæ vetustatem & modicitatem nova, quæ exsurgit a dextera parte claustri, ædificata fuit tempore Bonifacii papæ VIII. ecclesia, in quam ex veteri capitulo translatum fuit & depositum corpus sancti Dominici Loricati, ut colligitur ex sequen-

ANN. CHR. 1059.

a Opusc. XV. cap. 7.

b Lib. I. epist. XIX. cap. 10.

c Lib. V. epist. XIII.

d Vetri antichi &c. p. 280.

Ann. Chr. 1059.

sequenti inscriptione relata a patre Johanne-baptista Cancelloti S. J. in [a] historia urbis Sancti-severini apud Turchium [b].

a Lib. IV. cap. xv.

b P. 127.

SVB. ANNO. DOMINI. MILLESIMO TRECENTESIMO. SECVNDO. TEMPORE DNI. BONIFACII. PAPAE. OCTAVI MENSE. FEBRVARII. DIE. VNDECIMA TRANSLATVM. EST. CORPVS. BEATI DOMINICI.

Exinde relicta veteri nomenclatura appellari consuevit ecclesia sancti Dominici Loricati. In ea duo altaria erecta fuere, quorum princeps ornatur pictura beatissimam virginem Mariam exhibente, ad cujus latera adstant sanctus Dominicus Loricatus, & alter sanctus Dominicus ordinis patrum Prædicatorum institutor; aliud altare situm inter duas januas ecclesiæ dicatum est sancto Dominico Loricato, cujus corpus super aram quiescit in urna compacta in pariete.

Eremi Suaviciniæ consuetudines non aliæ fuere a consuetudinibus eremi Fontis-avellanæ, ut in opusculo *de institutis suæ congregationis* enarrat [c] Damianus. Illud unum notat sanctus earum promulgator cunctis æque temporibus unicum mensis eremitarum Suaviciniensium pulmentum ingestum, cum eremitis cœnobii Avellanensis dominicis diebus duo ministrarentur; id quod tribui debet devotioni fidelium, qui deferebant oblationum exenia eremo Suaviciniæ, magis quam Avellanensi, quodque eruitur ex his verbis: *Ceterum, ubi locus frequentatur devotione fidelium, cessat proculdubio geminatio pulmentorum, unde fit, ut in illa eremo, quam auctore Deo in latere Suavicinii montis ipsi construximus, pulmentum præter unum cunctis æque temporibus penitus ignoretur*. Licet tamen usibus & instituto ad instar eremi Avellanensis regerentur Suavicinii eremitæ, non erant tamen post mortem Damiani obnoxii jurisdictioni prioris Avellanæ, sive eremus illa ab ista non pendebat. In bullis enim veteribus, & etiam in illa Innocentii papæ II. anni 1139., in qua nominatim recensentur ecclesiæ monasterio sanctæ Crucis Fontis-avellanæ subjectæ, numquam legitur eremus Suavicinia. Inter Suavicinienses eremitas pariter & Valle-castrenses monachos magna intercedebat familiaritas; in horum instrumentis & paginis præsentes sæpius & testes leguntur monachi eremi Suaviciniæ, ut ex archivo priorali communis Apiri observavit Turchius [d]. Quo tempore animarum curam susceperint monachi Suavicinienses, incassum perquisivit idem Turchius in tabulario episcopali Camerini. Ex bulla tamen Urbani VI. quam refert, evincitur ipsos ante multum tempus eam exercuisse, quia tunc decimas pignoraverant iidem monachi. Seculo decimo-tertio & decimo-quarto eremus sanctæ Trinitatis montis Suavicinii in plures ecclesias jus suum extendebat, in illam nimirum sanctæ Mariæ dictam *Collepitturæ*, nunc *Col di Buttano* in territorio modo Apirensi, in illam sanctæ Annæ, ubi modo residet parochus Frontalis, & in alias sanctæ Crucis, & sanctæ Helenæ in eodem Frontalis castro. Ecclesia quoque sancti Salvatoris extra muros Apiri memoratur in inventario Nicolai rectoris ipsius ecclesiæ tradito post ejus obitum domno Johanni priori eremi die 8. aprilis anni 1393. In bulla Honorii papæ III. pontificatus sui anno II. data apud sanctam Sabinam, VII. kalend. martii, & inscripta abbatissæ mona-

c Opusc. XV. cap. VII.

d Pag. 95.

naste-

Ann. Chr. 1059.

nasterii sanctæ Catharinæ de Cingulo, deputatur Philippus prior sanctorum quatuor Coronatorum judex in controversia, quæ vertebat inter priorem & eremum Suavicinii montis, ac inter abbatissam & monasterium prædictum sanctæ Catharinæ super jus ecclesiæ sancti Salvatoris montis Alvelli, qui mons extat in territorio Apirensi, ecclesia autem in Cingulano. Sententiam pronunciatam facile fuisse pro monialibus deducimus ex eo, quod vicarium parochum perpetuum hodierna die in ea constituant moniales. Aderat pariter ex fundatione Attonis episcopi Camerinensis facta anno 1218. super viam, quæ ex Apiro Cingulum deducit, ecclesia sancti Bartholomæi vulgo *del Buraco*, cui adjunctum erat hospitale ad servitium Leprosorum. Eremus Suavicinia anno 1227. supplicem libellum obtulit eidem Honorio papæ exponens Ramaldum presbyterum, & quosdam alios Camerinensis & Æsinensis diœcesum laicos hospitale de Buraco ad præfatam eremum pertinentem contra justitiam detinere, qui pontifex priori sancti Severini, atque Thomæ & Doriberto canonicis Auximanis mandavit hujuscemodi causæ cognitionem. Anno tamen 1230. amicis mediatoribus eremus cessit jura sua supra dictum hospitale fratri Silvio rectori. Alia bulla extat Clementis papæ IV. anni 1268. circa quasdam lites suscitatas inter eremum Suaviciniam, & moniales sanctæ Catharinæ de Cingulo, cujus executio commissa fuit episcopo Auximano & M.. Veronensi electo, Marchiæque Anconitanæ rectori. Postremo alia Urbani VI. anni 1380. pro recuperandis monasterii bonis vel alienatis, vel distractis. Hæ bullæ legi possunt apud Turchium in vita sancti Dominici Loricati [a] ex quo fere omnes has notitias hausimus. In tabulario [b] monasterii sanctæ Catharinæ de Fabriano ad annum 1368. XIX. maji reperimus „ domnum „ Stephanum Stephanucii de Piro monachum eremi sancti Vicini Camerinensis diœcesis & syndicum, consentiente domno Johanne Lippi de „ Santo-severino priore dicti loci, vendidisse quamdam domum Fabriani, „ & pretium ejus convertisse in erectionem & opus ecclesiæ *sancti Johan- „ nis de Monte sancte Marie in Carsiano membri dicti monasterii*. “ In historia Auximana Martorellii [c] alia legitur ecclesia ejus urbis appellata *Aquæ-vivæ*, spectans ad eremum Suaviciniam. Demum in *balia* Burrani districtus Fabriani & Camerinensis diœcesis ecclesiam reperimus sub titulo sancti Savini pro dimidia parte membrum fuisse monasterii eremi sanctæ Trinitatis, quam idem Johannes Lippi prior dicti monasterii contulit anno 1401. Collatio hujusmodi legitur in tertia epistola Nintomæ Academici [d]. An-ne ecclesia sancti Savini eadem erat, quam anno 1040. cœnobio sancti Victoris de Clusis, & Urso abbati donavit Petrus filius Actonis, de qua donatione egimus sub eo anno?

Progressu temporis defecerunt omnino eremitæ & monachi in ecclesia sancti Dominici; & sub anno 1431. *degens in dicto monasterio* nominatur *frater Amatus de Civitate-castelli eremitanus sub habitu sancti Francisci* in quodam instrumento archivi Apiri, cujus fragmentum edidit idem Turchius, qui statuit locum sancti Dominici fuisse a monachis derelictum post annum 1414. quo Gregorii XII. Romani pontificis bulla indicantur monachi in eo loco adhuc existentes, & quidem ordinis Camaldulensis, de qua re suo tempore agemus; verum, ut subdit, derelictum fuit ante annum 1431. quo supradictus eremita tertii ordinis sancti Francisci legitur monasterium incoluisse. Per centumexinde annos nil expiscari potuit Turchius de statu & fortuna hujus eremi, & ad annum 1541. locum jam translatum primo reperiit ad regimen clericorum secularium sive commendatariorum sub

a Pag. 154. & seqq.
b Caps. 2.
c Pag. 226.
d Pag. 117.

Ann. Chr. 1059.

sub titulo prioratus, quorum etiam indicem ab eo anno usque ad tempora nostra multa cum diligentia texuit.

XVIII. Rodulphi Eugubini cura episcopalis.

Rodulphus Eugubinus episcopus, qui hoc anno legitur inter ceteros patres sedisse in synodo Romana, ut alibi fusius demonstrabimus, non minus sollicitus erat in administratione concreditæ sibi ecclesiæ, vel abusus, qui irrepserant, tollendo, vel decreta pro clericorum disciplina edendo. Annue synodum suæ diœcesis congregabat, ab omnibus muneribus, quæ suspectissima apprime habebat, manus innoxias servabat, canonicasque sanctiones sartas tectas custodire in se & in aliis summopere satagens. *Congregans*, inquit [a] Damianus, *annualiter synodum, nullum assuetæ oblationis vel xeniorum canonem a clericis exigi permittebat, sed ne a lapsis quidem commodum aliquod præter solam pœnitentiam requirebat: Absit, inquiens, ut synodum vendam, lapsos etiam prorsus erigam, quam ex eorum cadaveribus corvino more pinguescam.*

a Cap. IV.

XIX. Donatio ecclesiæ S. Petri in Cerreto eremo Camaldulensi.

Bonica filia Petronillæ cum licentia Reinti filii sui, *in cujus mundium esse* videbatur, offert hoc anno *ecclesie & monasterio seu eremitorio beati sancti Salvatori & sancti Donati, qui est constructa & edificata in loco & finibus, ubi dicitur Campo Amabilis*, suam portionem de *ecclesia illa, cui vocabulum est beati sancti Petri, qui est constructa & dificata in loco Cerrito* cum sua portione terrarum, vinearum &c. *Anni ab incarnationis ejus millesimo quinquagesimo nono, undecimo kalendas novembris indictione tertiadecima. Actum ad ecclesia & monasterio beati sancti Sepulcri, qua est posita a fonte Pintiagia*; indictio decimatertia inceperat a mense septembri. Eadem die eodemque in loco, idest in *ecclesia monasterii sancti Sepulcri infra ipsa clostra que dicitur fonte Pintiagia*, Willelmus & Rolandus germani filii Vinitti offerunt & ipsi portionem suam, quam de dicta ecclesia sancti Petri habebant. Fortunius [b] „ Bonizam filiam facit Petri Rulle honestissimam mulierem, quæ se suaque omnia Deo & Albizoni Priori tradidit, & præcipue portionem suam cœnobii sancti Petri Cerreti Vallis-elsæ prope Certaldum, cui donationi Vilielmus & Rolandus fratres astipulati, obtulerunt & ipsi sacræ eremo reliquam integram portionem ejusdem cœnobii. “ Quod autem ait Fortunius donationem hujus cœnobii factam fuisse Albizoni priori, falsitatis convincitur ex chartulario Fontis-boni, ex quo liquet jam a mense majo hujus anni priorem Camaldulensem fuisse Rusticum electum in locum defuncti Albizonis. Rustici enim nomen legitur eo mense in quadam permutationis charta. Multominus componi potest cum paginis ejusdem tabularii quod idem historicus noster asserit Albizonem regimen obtinuisse usque ad annum 1062. nam etiam anno 1061. mense decembri Rusticus prior Camaldulensis reperitur in tabulis ejusdem loci. Cœnobium sancti Petri Cerreti aggregatum Camaldulensi eremo est in diœcesi Volaterrana. De eo aliquando occurret sermo in his nostris Annalibus. Interim ex tabulario Fontis-boni integras binas suprarelatas tabulas in Appendicem referimus, ad quam etiam sequentem rejicimus donationem.

b Lib. I. cap. 48. pag. 110.

Anni ab incarnationis ejus millesimo quinquagesimo nono mense setember indictione duodecima Brunellus filius Bonate tradit pro remedio animæ Guidi filii Guiniti & Burgæ jugalis Hieronymo abbati monasterii sanctæ Mariæ de Pratalia integras res suas, quæ sunt in comitatu Arretino, & plebe sanctæ Mariæ in Partina in Casali *Ajole* cum casis, terris, vineis ecclesiis &c. Teuzone notario.

In tabulario archiepiscopii Ravennatis legimus sub hoc anno Henricum archie-

archiepiſcopum Ravennatem conſecraſſe in eccleſia ſancti Laurentii *a ſummo vico* foris Ravennam altare in honorem ſancti Adalberti & aliorum Sanctorum. Eruitur ex aliis paginis eccleſiam hanc fuiſſe *foris portam poſterule ſancti Zenonis de Ravenna*, ipſiuſque abbatiſſam, ſicut etiam ſancti Andreæ, hoc anno fuiſſe Luizam. Cultus, qui eidem ſancto martyri in inſula Perei apprime exhibebatur, propagabatur in alias Ravennatis urbis & territorii eccleſias.

ANN. CHR. 1059.

ANN. CHR. 1060.

XX. Damianus Florentiæ ſubſcribit privilegiis Nicolai II.

DAMIANUS januario menſe hujus anni erat Florentiæ una cum Nicolao papa, ubi ſubſcripſit privilegio [a] conceſſo ab eodem Romano pontifice parthenoni ſanctæ Felicitatis, dato VI. *idus januarii anni* M. LIX. Florentino more, & Romano initio anni 1060. *anno primo Nicolai papæ* II. ex quo pariter colligitur ipſius Romani antiſtitis conſecrationem factam fuiſſe poſt diem octavam januarii anni præcedentis, immo poſt diem vigeſimam ejuſdem menſis, cum aliud exſcripſerimus ex tabulario canonicorum baſilicæ ſancti Laurentii de Florentia autographum privilegium, datum Giſoni rectori ejuſdem eccleſiæ *decimo tertio kalendas februarii, anno primo pontificatus domni pape Nicolai* II. *indictione* XIII. *anno ab incarnatione Domini milleſimo* LVIIII. Subſcriptio autem Damiani in utroque hæc eſt: *Petrus peccator monachus ss.* quo titulo potiſſimum gloriabatur. Diploma conceſſum Giſoni, quia ineditum eſt, atque plurimum illuſtrat alterum datum monaſterio ſanctæ Felicitatis, de quo dubitare videtur Muratorius, publici juris facimus in Appendice noſtra. Obiter animadvertimus in apographo antiquiſſimo aſceterii ſanctæ Felicitatis poſt verba illa: *Cui etiam ſicut dignum nobis videtur, quia incuria Florentinorum epiſcoporum ſua predia nequiter ſunt diſtracta, & ſacrilegorum quorumdam temeritate invaſa* &c. legi ſequentia: *maneat venerabilis locus noſtra tutela firmatus in ſancto propoſito, nullique alii ſit obnoxius niſi Florentino prepoſito, qui memor* &c., dum e contra Baronius & Ughellius, qui privilegium hocce ediderunt, legunt: *niſi Florentino epiſcopo*. Subjicimus etiam ipſius Damiani ſubſcriptionem autographam ære impreſſam ex diplomate pontificio conceſſo Giſoni rectori.

a T. III. Ital. ſac. col. 71.

Ego petrus peccator monachus ss

XXI. De epiſcopatu deponendo cogitat.

PAULLO poſt hæc tempora id, quod Damiano *pro beneficio datum fuerat*, ablatum illi fuit, *ipſo quoque ſacerdotali ornatu* vidit ſe privatum. *Monaſterium* inſuper ejus reformationi commiſſum *hoſpitando & confiſcando muneribus* ſubreptum, *de epiſcopatu quoque quidquid proventus inveniri poterat*, conſumptum. Signa hæc certa intellexit ſanctus cardinalis, quod etiam *epiſcopalis in proximo dignitas* ſibi *funditus adimeretur*; quare eam occaſionem nactus epiſtolam [b] ſcripſit ad Nicolaum papam, & ad Hildebrandum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalem archidiaconum, quibus firmum apud ſe eſſe, & jam ſtatuiſſe ſcribit, ut etiam *epiſcopatus & monaſteria in* eorum *uſus cedant, ne de cetero inane ſibi beneficii nomen quis objiciat. Noverit*, ait, *itaque veſtra utriuſque benignitas, quia hæc vobis ita irrevocabiliter reddo, quod donec vita comes fuerit, ulterius non tenebo.*

b Lib. I. epiſt. 8.

XXII. Exempla epiſcoporum, qui ſe regimine abdicarunt.

IMMO quandoquidem obedientia adactus ſub Stephano IX. quem *perſecutorem* ſuum appellat, epiſcopalis officii curæ ſe ſubjecerat, ſtatim eo defuncto nil intentatum reliquit, ut ſub ejus ſucceſſore hoc pondus tamquam nimis grave ab humeris ſuis abjiceret; & niſi caritas, quam erga Nicolaum jam-

Ann. Chr. 1060.

jamdudum habuerat, cum episcopus Florentinus erat, invitasset ad munus prosequendum, episcopatum sibi *non canonice traditum*, ut ipse ajebat, *sed violenter injectum*, in integrum resignasset; de cetero querelas fere quotidie, gemitus, suspiria, lacrymas profundebat, missionem tamen non obtinebat; varia quinimmo pro ecclesia Dei implicitus fuit hactenus negotiorum mole. Nunc vero reddita pace ecclesiæ sub Nicolai pontificatu, *canis* suis, & *grandævæ jamjam senectuti* requiem precatur, & ne verbis tantum id flagitare credatur, scripto libello [a], *ob remissionem peccatorum suorum, quæ nequiter perpetravit, cedit juri episcopatus, & per annulum*, virga enim ei ablata fuerat, *desperata deinceps omni repetendi querela, renuntiat; utrumque etiam monasterium sibi commissum reddit, & ut quiescendi municipium veterano & emerito militi* sibi *permittatur*, implorat.

Verum ne sibi objiceretur, semel acceptum dimitti regimen non licere, in facti vindicationem exempla congerit quamplurium tum veterum, tum recentiorum episcoporum, qui cathedras suas viventes reliquerunt; *Valerii* nimirum *Hipponensis episcopi*, *Lucidi Ficoclensis* seu *Ficodensis*, *Adalberti Pragensis*, *Genebaldi Laudunensis* ante septennium, *Laurentii Sabinensis conditoris monasterii Farfensis*, *Boniti Arvernorum episcopi*, *Gaudentii Apsarensis*, & solitarii postea Anconitani, *Paulini Nolani*, *Martyrii Antiocheni*, *Justi Lugdunensis* ex relatione *servi Dei domni Stephani*, *qui Nicolai assistebat aspectibus*, nempe monachi Cluniacensis & cardinalis, *Petri archiepiscopi Ravennatis*, *cui superstiti primo Ottone habenas imperii gubernante successit Honestus*, *Gregorii Nazianzeni*, innominati *episcopi Caprearum*, qui circa annum 1024. *Benedictum* VIII. *fratrem Johannis papæ equo nigro insidentem videns episcopalis sarcinæ pondus mox abjecit, & monachum induit*. Prosequitur Damianus in medium afferre alios episcopos regimine se sponte exuentes; nimirum *Silvanum Philippopolensem*, *Milesium martyrem*, *Arnulfum Mettensem*, *Farnulphum Cisternensem*, de quo quandoquidem nullum verbum, sicut nec de Cisterna civitate extat apud Ughellium, placet hic loci referre, quæ narrat Damianus. *Præterea*, inquit [b], *vix quindecim emensi sunt dies, ex quo vidi Farnulphum venerabilem virum sponte sua ecclesiastici regiminis administratione nudatum. In Cisterna siquidem Apula civitate cathedram obtinuerat, quam reliquit, ac duobus ferreis circulis non parvi ponderis pectus, ventremque constrinxit, quibus affligi fere jam a septennio non cessavit. Vino vel numquam, vel raro utitur, crebris quoque jejuniis maceratur. Hic tantus vir ad abrenuntiationem episcopatus non me minus exhortatus est verbo, quam provocabat exemplo*. Demum adducit *Hildulfum Treverensem*, *Deodatum* pariter *Treverensem*, *Gundebertum Senonensem*, *Lambertum venerandæ memoriæ tertium* ante Nicolaum II. olim Gerardum, cui scribit, *Florentinæ ecclesiæ præsulem*, *beatum Nonnum martyrem*, & suis temporibus *Pennensem episcopum*, cujus obedientiam & subjectionis humilitatem prædicavit ipsi Damiano ejus in cathedra episcopali successor. Ille fuit Johannes [c] Felertanus, monachus cœnobii sancti Liberati, cui suffectus fuit Pambo relator hujus facti Damiano. *Liutulfum Calliensem* denique *episcopum*, cujus successor adhuc supervivebat. Præteriit autem, longioris styli fastidium devitaturus, *Athanasium Alexandrinum*, *Martinum Turonensem*, *Gaudiosum Abitunensem*, & [d] *Sergium Damascenum*, *qui reperiens beatorum Bonifacii & Alexii basilicam Romæ sacerdotalibus officiis destitutam*, *Benedictum Romanæ sedis antistitem adiit*, *atque ut se monasterialem ibi permitteret regulam constituere*, *precibus impetravit*. Beati quoque Gregorii factum affert, qui liberam facultatem dedit tribus episcopis, *primæ* scilicet *Justinianæ*, *Ariminensi*, &

tertio

a *Opusc. XIX.*

b *Ibidem cap. VII.*

c *Ughell. T. I. col. 1115.*

d *Ut supra cap. X.*

tertio cuidam ob solam capitis ægritudinem, suas deserendi ecclesias. Addit [a] *Benedictum papam* IX. qui se culminis apostolici administratione privavit, successoremque sibi Gregorium, qui *Gratianus* dicebatur, in Romana sede instituit, *super quibus* tamen *cum præsente Henrico imperatore, disceptaret postmodum Synodale concilium*, hoc est Sutrinum, *quia venalitas intervenerat, depositus est, qui suscepit, non excommunicatus est, qui deseruit*. Scilicet comperiit temporis processu Damianus Gregorium VI. cathedram conscendisse Romanam simoniace, quod ignorabat, cum illi epistolam scripsit eo tempore, quo exhilaratus est de illius exaltatione. Ultimo tandem *beatissimum patrem Benedictum*, & duos *Leones* memorat, primum *Nonantulanum abbatem*, secundum vero *Ravennatem archiepiscopum*, qui deposito munere ob paralysim, *privatus fere quadriennio supervixit*, *cui non inopes, quibus aleretur, possessiones ecclesiæ delegavit Fredericus ejus successor*, *Ottone* III. *imperante*.

a *Ibid. cap.* XI.

XXIII. Vindicantur facta a Damiano relata.

Ceterum facta quædam, quæ huic opusculo insuper admiscet Damianus, non ea ipse procudit, sed ex aliorum relatione in medium adduxit. [b] Quod animæ gehennæ suppliciis traditæ dominicis diebus refrigerium experiantur, & designentur per aves, quæ Puteolis die dominico repente consurgunt, & per aera exspatiantur, ceteris autem diebus aquis se immergentes delitescunt, id proponit ex narratione sibi facta ab *Humberto archiepiscopo*, *summæ auctoritatis viro*, *cum a finibus reverteretur Apuliæ*. Deridebat hæc ut fabulosa, & *funditus abnegabat rem sic esse Desiderius Casinensis abbas*; Humbertus e contra ab accolis eadem audivisse testabatur. Damianus vero, *quoniam personæ istæ Desiderius & Humbertus tantæ auctoritatis sunt*, quod scripserat, procaciter non affirmabat, *sed utrum verum esset, nec ne, legentium inquisitioni relinquendum* esse decernit. Ab eodem Humberto historiam suprarelatam didicerat Benedicti IX. licet auctor vitæ sancti Bartholomæi abbatis de Crypta-ferrata asserat Benedictum hortatu ejusdem sancti viri pontificatum deposuisse, monachumque factum pœnitentiæ agendæ reliquos vitæ suæ annos dedicasse. Non est ergo, cur Muratorius [c] Damianum dumtaxat simul cum Bennone schismatico carpat, quod supradicta narraverint de Benedicto, cum & Humbertus, immo ipse Leo IX. Romanus pontifex ante suum obitum, qui contigit anno 1054. de æterna Benedicti IX. salute plurimum dubitaverint.

b *Ibid. cap.* III.

c *Annal. T.* V. *p.* 135.

XXIV. Quæcumque narrat, a gravibus viris hauserat.

Sed & aliam ab ipso Humberto mutuatus est Damianus historiam monachi degentis in Urbinate sancti Silvestri cœnobio, quam utpote monasticam hic subjicere non erit incongruum: *In monasterio*, inquit, *beati Silvestri, quod in Urbinate constitutum est territorio, quidam monachus obiit, & ab incipiente gallicinii nocturnalis articulo usque ad secundam diei horam cadaver examine, lotum juxta morem atque constrictum, fratribus circumquaque psallentibus in feretro jacuit. Cumque transactis jam Missarum ex majori parte sollemniis, Agnus Dei juxta regulam diceretur, ecce repente, qui mortuus jacebat in medio, anima redeunte, surrexit. Stupefacti sunt fratres, & nova nimis admiratione perterriti, nimirum quem funeris officium persolventes extulerant, nunc vitalem spiritum recepisse videbant. At cum propius accessissent, verbaque ex ore illius audire avidius inhiarent: ab scelus! ille maledicta & contumelias in Deum cœpit effundere, benedictum Salvatoris nomen impie blasphemare, vivificæ Crucis signum, ut oscularetur, oblatum sacrilego ore conspuere, intemeratam quoque Dei genitricem ignominiosis non timebat opprobriis lacerare. Ut quid, inquiens, pro me psallitis, vel sacrificiorum hostias offerre tentatis? Ego enim in ipsa flammantis tartari profunda descendi, ibique me meus magister & dominus Lucifer irrevoca-*

d *Cap.* IV. *Opusc.* XIX.

Ann. Chr. 1060.

vocabiliter deputavit, coronam plane suam æream inextinguibili semper ardore candentem mihi in capite posuit, ejusdem quoque metalli clamyde me, qua induebatur ipse, vestivit. Erat autem clamys tam longa, ut talo tenus flueret, tam ferventer ignita, ut liquefactas guttas emittere videretur. Cumque fratres eum, ut pœnitentiam ageret, atque ut occulta sua in medium proferret, unanimiter hortarentur, ille anathematizabat & blasphemabat, & non solum pœnitentiæ remedium, sed & omnia redemptionis nostræ mysteria ore rabido atque sacrilego condemnabat. Monachi vero ad semper victricia orationis arma pio studio recurrentes, cœperunt, abjectis indumentis, corpora sua scopis allidere, pugnis pectora tundere, psalmodiæ, atque omnium, quibus valebant, precum generibus insudare. Cunctis itaque fratribus in luctuosis orationibus & jejunio constitutis, ac sub divinæ pietatis exspectatione suspensis, tandem supernæ virtutis splendor emicuit. Ecce enim desperatus ille, & voragine maris hiantis absorptus ad superficiem rediit: Dei quippe Salvatoris omnipotentiam laudat, nequissimis satanæ ludificationibus abrenuntiat, Crucem adorat, pœnitentiam flagitat. Confessus est autem, quia post renuntiationem seculi in fornicationem cecidit, quam tamen eatenus nulli penitus per confessionis indicium patefecit. Laudans igitur & benedicens Deum usque in diem alterum vixit, sicque creatori suo mirabiliter restitutus, in sancta de hoc seculo confessione migravit. Sic sic nimirum fraternæ orationis fructus effloruit, quæ videlicet oratio ex ipsis gehennæ visceribus prædam rapuit, & de flammarum stipula in structura supernæ Hierusalem lapidem vivum posuit. Post quæ subdit: *Hæc mihi Humbertus archiepiscopus retulit, cujus nimirum verba velut apostolica videntur veritate fundata.*

Capite vero sexto producit, quæ sibi contigisse narraverat *Hildebrandus, cum ad Gallias destinatus apocrisarius a Victore papa, & subdiaconatus dumtaxat fungens officio, synodum congregavit, in qua sex episcopos diversis criminibus involutos ex apostolicæ sedis auctoritate deposuit;* illa insuper, quæ *in Nicolai præsentiam concionando in Arretina ecclesia de prædiis ecclesiarum injuste possessis attulerat idem Hildebrandus.*

Capite octavo fida fratrum relatione aliqua, quæ in monasterio sancti Gregorii de Urbe occurrere, recenset. Ea nos, quoniam pertinent ad illius cœnobii historiam, hic consulto in medium afferimus.

Non abs re est, inquit, *si quod fida fratrum relatione cognovimus, hic etiam breviter inseramus. In monasterio namque, quod Clivus Scauri dicitur, quodque beatus Gregorius infra Romanæ urbis mœnia condidit, puer quidam a parentibus, ut Deo deinceps militaret, oblatus est. Qui postmodum cum jam adolesceret, de monasterio egressus ad seculum rediit, uxoremque sibi nuptiali fœdere copulavit: deinde cum jam ad juvenilem pervenisset ætatem, divina sententia repente est percussus in gutture, cœpitque ingravescente languoris molestia morti propinquare; tandem male fugitivus, ut ad monasterium reportaretur, expetiit: ibique pœnitudinem de suis pravitatibus, habitumque monachatus accepit. Cumque uxor ejus cum nonnullis aliis lecto jacentis assisteret, cœpit ille graviter gemere, ululatus emittere, & tamquam phrenesim pateretur, inordinata vociferatione garrire. Percontantibus autem eis, cur non ille quiesceret: Nonne, inquit, cernitis beatum Andream apostolum, sanctumque Gregorium acerrimis me suis verberibus unanimiter flagellantes? Ululans itaque rursus, ac flebiles voces emittens, paululum respirabat, atque dicebat: Modo me verberaverunt, propterea quia monasterium dimisi, uxoremque suscepi. Iterumque post fletus, atque rugitus ad momentum quiescens, ajebat: Modo me castigaverunt, quia pauperibus mendicantibus, maximeque Scotigenis, non modo nihil dedi, sed eos etiam,*

quod

quod flagitiosum est, frequenter irrisi. Rursus ingeminans stridores, & gemitus, asserebat, quoniam sex nummos a quadam vidua paupercula mutuos accepi, & reddere nolui; quot pedum passibus illa laboravit, dum eos ad me veniendo requireret, tot ergo nunc ictus de Sanctorum manibus pertuli, dum me pariter verberarent. Ut sciatis autem, quia non mentior, perendie hora sexta de hoc sæculo migraturus sum. Erat porro tunc sexta feria, nocte vero, qua dominicus illucescebat dies, qui dicitur de Ramis palmarum, de lecto, cunctis mirantibus, non segnis exiliens, scapulare, atque cilicium, quæ juxta se erant, repente corripuit, moxque ecclesiam beati Andreæ attonitus, ac festinus intravit, ubi strato compositus, his, qui aderant, fratribus ait: Ecce Sanctorum verberibus flagellatus, ita de corpore purificatus egredior, sicut ex fonte baptismatis mundus exivi. Inter Missarum igitur sacrosancta sollemnia, Dominica vix passione perlecta, hora, qua prædixerat, Deo spiritum reddidit. Nudato autem ad lavandum ex more cadavere, sic vibices, ac stigmata in ejus membris undique videbantur, ac si corpus ejus materi libus fuisset virgis allisum. Sed quid mirum, si Sancti Dei, qui judicaturi sunt mundum, in homine, qui rationis erat capax, insecuti sunt culpam, quandoquidem, & de bruto animali, ut ibidem didicimus, expetiere vindictam. Nam in eodem monasterio crypta est, quæ B. Gregorii dicitur, ubi videlicet, & fons ejus perspicuis, ac frigidis redundat aquis, unde bibebat, & lapideum cubile adhuc cernitur, ubi æstivo tempore quiescebat. Quam aliquando cryptam prægnans canicula casu ingressa est, sive ut æstuans biberet, sive potius ut eo loci parturiret. Sed necdum ad aquas usque pertingens, mox ut præfato lectulo propinquavit, moriens corruit. Quanta ergo formidine pensanda sunt homini divina judicia, quando & in animalia ratione carentia tam terribilem Deus exerit disciplinam? Si enim ne simplicem quidem aquam hujus sancti loci noluit omnipotens Deus, ut insons canicula tangeret, qua putamus molestia tolerat, cum perversus quilibet ad percipiendum corpus ejus, & sanguinem sacris altaribus appropinquat? Sed cum pravus quisque Deum reprobis suis actibus exacerbat, & stimulat, non illi protinus irrogat patientia divina vindictam, quem tamen perpetuam reservat ad pœnam.

Capite demum IX. & X. quæ de Neapolitanis rebus differit, enarrata ipsi fuerant a Desiderio abbate Casinensi; ut ex his omnibus videas Damianum vel testibus semper fulcire, quæ narrat, vel si nimium credulus fuit, vitium hoc non solius Damiani, sed & præstantiorum virorum ejus seculi fuisse.

XXV. Cum Johanne monacho tuetur consilium deponendi episcopatum.

Præsentiens autem quidam monachus, Johannes nomine, Damianum velle episcopatum relinquere, ipsum de ea intentione redarguerat; at sanctus vir *tot causarum secularium tenebris obvolutus, intimi luminis claritatem videre* gestiens, propositum suum defendit, & tuetur exemplo abbatis monasterii sancti Petri in Perusino suburbio constituti, qui *ante septennium commissi sibi regiminis curam spreverat, rectoremque loci sibimet ex apostolicæ sedis auctoritate substituerat*. Is videtur esse Bonizo subscriptus in conciliis Romanis annorum 1050. & 1051. qui proinde abbatialem sarcinam deposuerit anno 1053. De eodem abbate *Rainerius judex vir insignis & facundiæ lepore conspicuus* sequentia Damiano retulerat. *Abbas*,[a] *inquit ille, postquam a depositi regiminis administratione cessavit, quotidie Missas gemino celebrabat officio, cui pater meus jam veteranus, quem ille dudum monachum fecerat, in divini cultus assidue ministrabat obsequiis; quadam itaque die dum, perlecto Evangelio, cœlestes ille victimas immolaturus esset, pater meus agnum juxta altare videt assistere, quem cum voluisset*

repen-

[a] Epist. XXV, Lib. VI.

Ann. Chr. 1060.

repente corripere, tremefactus expavit, manumque in eum extendere non præsumpsit. Cumque ad id perventum esset, ut corpus Dominicum frangeretur, præfatum agnum super mensam altaris vidit, quem dum fixis obtutibus denuo miraretur, repente disparuit. Quod dum venerabilis abbas ex relatione illius, qui hoc viderat, agnovisset, occultandum esse præcepit, atque ut ne cui diceretur, donec quidem abbas adviveret, omnino prohibuit. Qui paullo post sanctæ conversationis studio deditus obiit, nec longo post intervallo is quoque, cui visio facta fuerat, ad Dominum ex hac luce migravit.

Dicere cogimur Bonizonem abbatem sancti Petri Perusii hoc anno ad Deum evolasse, vel si epistola Damiani ad Johannem monachum pertinet ad annum sequentem, quo Alexandro II. querimoniam suam renovavit, precesque iterum obtulit pro deponenda episcopali sarcina, obitus Bonizonis abbatis differri poterit ad annum sequentem. Ita tamen cesserat regimini monasterii Bonizo, ut in rebus majoris momenti ipsius curam gereret, quandoquidem sub ipsius nomine confirmata fuere cœnobii sancti Petri privilegia, vel certe regimen resumere paullo post abdicationem fuit compulsus. In vivis certe erat Bonizo anno 1059. eo enim anno [a] a Nicolao papa II. confirmationem bonorum sui monasterii obtinuit, ut constat ex archivo ejusdem cœnobii, in quo vidimus simul collecta privilegia annorum 1045. a Gregorio VI. 1047. ab Henrico III. imperatore, 1053. a Leone IX. 1057. a Stephano IX. & 1059. a Nicolao II. Romanis pontificibus eidem Bonizoni concessa, cujus etiam memoria habetur ab anno 1037. quo a Benedicto IX. annuente concilio Romano, cessionem juris, quod in Perusinum monasterium prætendebat, Bonizoni facere coactus fuit Andreas Perusinus episcopus. Anno 1065. reperitur abbas sancti Petri Perusii Rainerius, qui eo ipso anno apostolico privilegio decoratus fuit ab Alexandro II. Aliud exemplum Johanni monacho Damianus enarrat, quod ab ore exceperat Richardi rectoris monasterii, *cui Camporizani vocabulum est*. De Richardo, ut etiam de Camporizano cœnobio, verba fecimus ad annum 1054. Epistolæ hujus finis desideratur.

a *Arch. S. Petri Perus. n. 9.*

XXVI. Epistola ad V.. episcopum contra alienationes bonorum ecclesiæ.

Redarguit V.. episcopum Damianus [b], eo quod bona & prædia ecclesiæ suæ alienaret, cum hujusmodi alienationes sub censura excommunicationis prohibuisset ante fere quinquennium Victor apostolicæ sedis episcopus in concilio plenario Florentiæ celebrato, cui & Henricus imperator interfuerat. Convenerat sæpe hunc episcopum Damianus, ac super his, qua licebat auctoritate, alias corripuerat, sed se excusaverat episcopus, quod parvæ res essent, quas alienasset; cui excusationi respondet, ex multis parvis alienationibus aliquid tandem magni momenti coalescere, & quamlibet ecclesiastici juris hæreditatem etiam minimam donatam fuisse a piis viris ad pauperum sustentationem. *Sed quid*, prosequitur, *de venditione loquimur? cum non modo ea, quæ emphyteoseos sunt locata contractu, vel jure proveniunt, sive etiam quæ libellario nomine pensitantur; sed illa quoque, quæ sub nudo beneficii vocabulo seculares accipiunt, revocari de cetero atque restitui ecclesiis nullo modo possunt? Ita quippe manus diripientium diabolicæ tenaciæ glutinis inviscantur, ut quolibet modo semel acceperint, ecclesiis reddere sua bona nullatenus acquiescant, & non modo ipsi, dum vivunt, proprietario quasi jure possideant, sed in posteros sui germinis eminus possidenda transmittant. Petunt tibi seculares ecclesiastica prædia, importunos se ingerunt, supplicantes insistunt, & non sub astipulationibus monimenti, sed tantum sorte nomine beneficii, quod utique tantumdem est, ac si adamantino stylo tabulis æreis scriberentur*; ut jam ex iis judicari possit, qua de causa tot ecclesiarum & monasteriorum prædia per hæc secu-

b *Epist. XII. Lib. IV.*

la

la ad manus laicorum, sublata quacumque spe postliminii, devenirent. Subdit autem Damianus: *Cum a pœnitentibus terras accipimus, juxta mensuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus*; hinc etiam discimus, cur alia ex parte ecclesiæ & monasteria brevi tempore ditescerent, quia nimirum ad expiandas peccatorum maculas fundi terrarum pro mensura culparum a divitibus laicis tradebantur sacris locis. Damiani opera promotus fuerat præsul iste ad episcopatum; ideo epistolam concludit: *Nam quia nostro studio te provectum ad episcopatus apicem non ignoras, dignum est, ut sicut provehentem, ita nihilo minus & redarguentem aliquando æquanimiter feras*. Quare ea epistola hoc anno scripta, quinquennio scilicet post concilium Florentinum, cui interfuit Henricus imperator, celebratum a Victore II. anno 1055. pentecostes tempore, ex continuatore chronici Hermanni Contracti, pertinere nequit ad Ubertum Sarsinatem episcopum jampridem defunctum, ut monuimus ad annum 1052 neque ad Vidonem episcopum Eugubinum, qui saltem anno præcedenti locum fecerat Rodulpho, neque ad Ugonem episcopum itidem Eugubinum, qui ante annum 1061. ad summum in Rodulphi locum non fuit electus, sed scripta potius videtur vel Ugoni Calliensi episcopo, vel Ugoni Camerinensi, vel Ugoni Humanatensi, quorum nomina inter patres concilii Romani anni præcedentis 1059. reperiuntur.

ANN CHR. 1060.

XXVII. Aliæ diversi argumenti.

EUMDEM vel alterum V.. episcopum & sanctos ecclesiæ ipsius canonicos admonet Damianus [a], ut arctissimæ disciplinæ custodia coerceant quinque corporis sensus, quibus neglectis in turpissima scelera homines prolabi necesse sit, sed præ ceteris episcopum hortatur, ut non modo hoc ipse in se præstet, sed alios, qui curæ suæ sunt commissi, idipsum exequi compellat, & presbyteros ac sacerdotes potissimum, si quando peccent, severissime puniat.

[a] Lib. IV. epist. 15.

Altera epistola [b] ad eosdem missa octavam nativitatis sancti Johannis-baptistæ eodem cultu prosequendam, quo ipsam ejus sancti præcursoris nativitatem, contendit; octavas enim sancti Johannis celebrabant canonici ii, contenti trium lectionum brevitate; differit deinde de octo Novi Testamenti festivitatibus, quas ad evangelicæ fidei normam allegorica interpretatione accommodatas explicat.

[b] Ibid. epist. 16.

XXVIII. Subscribit Damianus privilegio Nicolai II. concesso monasterio sancti Thomæ ad Aposellam

NICOLAUS papa II. hoc anno, *per intercessionem domni Petri Damiani Hostiensis episcopi confratris nostri*, ut eum appellat, confirmat *Petro venerabili abbati monasterii sancti Thome apostoli positi in comitatu Pensaurensi juxta fluvium Aposellam omnem ipsam terram cum capellis suis & pertinentiis, quam domnus papa Clemens, qui ibi hobiit, obtulit predicto monasterio pro remedio anime sue & restauratione ecclesie*. Subscribit ipse Petrus Damianus: *Ego Petrus peccator monachus & episcopus ss.* Clemens II. qui in eodem monasterio tumulatus fuit VIII. *kalendas octobris indictione prima*, hoc est anno 1047. dum ibidem graviter infirmus decumberet, terram de jure sancti Petri eidem loco donaverat. Viget adhuc traditio Romanum aliquem pontificem obiisse, & sepulcri honore donatum fuisse in ecclesia sancti Thomæ, ut nos admonuit Cl. V. Hannibal de Abbatibus Oliverius Pisaurensis patritius, qui historiam ejusdem monasterii eruditissime confecit. Nicolai bullam damus in Appendice ex autographo, quod vidimus & transcripsimus ex tabulario canonicorum regularium Portuensium Ravennæ, quamque novissime suo de episcopis Eugubinis operi inseruit Sartius.

XXIX. Obit Dominicus Loricatus.

OBIIT hoc anno magnus ille austeritatis vir & pœnitentiæ miraculum Dominicus Loricatus in eremo Suavicinii montis. Mense octobri, iisdem

nimi-

Ann. Chr. 1060.

nimirum diebus, quibus sanctus eremita defunctus est, Romæ erat Damianus, fluctuans & agens incassum cum Romano pontifice Nicolao pro abdicatione sui episcopatus & cardinalitiæ dignitatis, cum quidam frater somniatus est de illo, quod lumen *oculorum amiserit. Quod dum Damianus Hildebrando venerabili ecclesiæ Romanæ archidiacono in Lateranensi palatio retulisset* [a]*: Nequaquam*, inquit, *ut times, hoc tibi propinquæ est mortis inditium, sed familiaris tibi aliquis extinguetur, qui tibi & carus sit, sicut oculus, & lumen tuum, ac splendor in bonis operibus videatur*. Discessit post hæc verba Roma Damianus, & *ob verum*, ait, *sed amarius omni felle præsagium! Tertio die postquam Romanis mœnibus sum egressus, ecce mihi relatio crudelis occurrit, quæ mihi nihil minus opinanti cæcatum me remansisse perhibuit; dominum scilicet & illuminatorem meum Dominicum ex hoc seculo nuper egressum. Illico mihi liquido patuit, dum ille periit lucis auctorem, in tenebrarum me remansisse caligine*. Hujus sancti viri pretiosam mortem paullo ante describit sequentibus verbis [b]. *Ut autem ad obitum veniamus, patiebatur gravedinem stomachi, crebris insuper capitis doloribus cruciabatur. Et quoniam alterum sæpe procedit ex altero, proposuit ad purgandum stomachum antidoti sumere poculum. Sexta igitur feria per continuum diem vix desiit, vel modulandis psalmis insistere, vel corrigiarum se ictibus flagellare. Nocte vero sopore deposito, suscepit antidotum, deinde cœpit angustiari, & de stomachi dolore graviter conqueri. Post decursum itaque nocturnæ synaxis officium, post matutinos hymnos, cum prima jam hora sibi a fratribus, qui aderant, cantaretur, sanctum Deo spiritum reddidit. Invenerunt autem & alteram loricam, præter eam, qua indutus erat, lateribus ejus, sindonis more, substratam; unde suspicati sunt fratres, hoc sibi præter consuetudinem nullatenus accidisse, & quia se sub eam sanus tenere consueverat, super quam videlicet & in infirmitate jacebat*. Narrat subinde ipsius funus, suique adventum ad eremum [c]. *Fratres autem corpus ejus, ne a vicinis monachis eorum raperetur e manibus, in eadem, in qua defunctus est, cellula, defossa humo, celeriter obruerunt*. Forsan Valle-castrenses duobus milliaribus dissiti ab eremo Montis-suavicinii erant monachi illi proxime degentes, a quibus timebant eremitæ Suavicinienses, ne raperetur corpus sancti Dominici. Valle-castrensibus addit Turchius etiam monachos Vallis-lucinæ, sancti Urbani Asinantis, & sancti Clementis, qui omnes haud procul a Monte-suavicinio cœnobia incolebant. Mabillonius tamen existimat Dominicum non in Suavicinia, sed in Avellanensi eremo obiisse, dum scribit Petrum Damianum paullo post ex cellula, in qua mortuus fuerat, curasse in Fontis-avellanæ capitulum Dominici corpus transferri. Jacobillius nulla auctoritate fretus Sitrienses monachos se contulisse autumat ad visitationem sancti viri in extremis agentis. Sed textum Damiani prosequamur. *Nos autem ipso die dominico, quo eremum ingressi sumus, sanctum corpus inde sublatum reverenter, ut dignum erat, in capitulo sepelivimus. Et cum nonus esset depositionis ejus dies, prædictum corpus sanum illibatumque reperimus. Eant nunc, qui carnis suæ delectantur illecebris, medullas obsorbeant voluptatum, & occisionis victimæ ad æternum nutriantur incendium, in superbiæ se cornibus efferant, ventilent innocentes, ad votum molliter vivant, ut eorum viscera postmodum pœnis semper ultricibus amarescant. Nunc velut infrænes equi, per voluptatum suarum prata discurrant, ut post eorum manus & brachia districtionis extremæ lora cohibeant. Dominicus autem noster stigmata Jesu portavit in corpore, & vexillum crucis non tantum in fronte depinxit, sed cunctis etiam undique membris impressit. Exustus & aridus ab humore calami & junci, uberibus*

a De Vita SS. Rodulphi & Dominici. cap. XIII.

b Ibid.

c Ibidem.

ribus cœlestis gratiæ meruit imbribus irrigari. Hic ferrea lorica præcingitur, illic niveis Angelicæ gloriæ vestibus decoratur. Hic duritia cubilis atteritur, illic molli patriarcharum gremio confovetur. Tota hæc vita facta est sibi parasceve Crucis, illic autem festivus & splendidus æternam celebrat gloriam resurrectionis. Nunc inter ignitos supernæ Hierusalem lapides emicat, nunc ornatus victoriarum suarum titulis æterna laude triumphat, atque in illa beatorum civium jucunda societate conjubilat. Obiit autem beatus Dominicus pridie idus octobris regnante domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat in secula seculorum amen. Liceat autem nobis hic cum Mabillonio [a] ex Gregorio Nazianzeno exclamare de Dominico Loricato: „ *Parce Christe piis animis* „ *ultra modum rigidis, & in se ipsos sævientibus, quos animi fervor sic* „ *abripit, ut eos intra curriculum fræni vis retinere nequeat*. Ita Grego- „ rius in carmine ad Julianum, in quo monachorum quorumdam immo- „ dicos excessus commemorat. At quam pauci sunt, qui de cavendis piis „ ejusmodi excessibus admoneri opus habeant! “ Ex Dominici porro Loricati exemplo, nec non Romualdi & Petri Damiani hortatu constitutæ fuere per Italiam sodalitates piorum hominum, qui pœnitentiæ causa verberibus se afficientes, & scuticis, virgis, flagellis ad hoc idoneis se cruentantes, vulgo *disciplinanti* appellati fuere, ut post Thiersium [b] observat Paciaudius in suis *de cultu sancti Johannis-baptistæ antiquitatibus christianis*.

Assignandum autem esse ad præsentem annum Dominici Loricati obitum pluribus erudite probat Octavius Turchius canonicus Apiranus in vita ejusdem sancti, quam paucis ab hinc annis in lucem emisit, hujus nos vestigia prementes, aliqua insuper de penu nostro in ejusdem sententiæ confirmationem in medium adducemus. Nil imprimis nos moratur Ferrarii opinio, qui contra omnem auctoritatem statuit ipsius mortem ad annum 1050. Putavit secundo Baronius Dominicum e vivis excessisse anno 1061. [c] „ Hoc anno, inquit, pridie idus octobris migravit ex hac vi- „ ta mirificus ille magnæ abstinentiæ ac austeritatis vir Dominicus, Lo- „ ricatus cognomento dictus, cujus res præclare gestas scribit Petrus Da- „ miani ad Alexandrum papam. “ Ibidem addit, „ post annum ab obi- „ tu Rodulphi Eugubini episcopi Dominicum esse defunctum, “ quod tamen corrigendum est & dicendum, “ post annum ab ejus obitu Rodulphum Eugubinum episcopum esse defunctum, juxta exemplar annalium, quod propria manu auctor ipse emendavit. „ Plane ad præsentem annum „ 1061. sequitur Baronius, rejiciendus est ejus ad Deum transitus, quem „ magno animi sui dolore idem Petrus Damianus post tres dies, ex quo „ Romam se contulit (etiam hic se correxit diligentissimus cardinalis, ob- „ literans quæ scripserat, & dicens: post tres dies, ex quo Roma Florentiam „ se contulit) se recepisse testatur jam prænuntiatum ab Hildebrando. “ Baronium secuti fuere Jacobillius [d], Laderchius [e], & quotquot vitam Dominici ex epistola Damiani transcripsere. Tertio Mabillonius [f], cujus opinionem sectatur [g] Fleurius, existimat ad superos abiisse Dominicum anno 1062. ea tantum ratione ductus, ut videtur, quia Rodulphum Eugubinum episcopum defunctum fuisse anno 1063. suspicatus fuit, anno nimirum, quo Petrus Damianus legatus ad Florentinos fuit destinatus, ex quorum urbe conjicit literas ipsum dedisse de utriusque obitu ad papam Alexandrum. Melius opinatus est idem Mabillonius in annalibus [h] dicens: „ De anno, quo mortuus est Dominicus, non levis est difficultas. Petrus „ ait, eum *ante annum* defunctum esse, quam ipse vitam Rodulphi Eugu- „ bini episcopi scriberet, quem anno 1063. decessisse paullo post videbi-

a *Annal.* T. IV. p. 632.

b *Pag.* 23.

c *Annal. ad* 1061.

d T. II. SS. Umb.

e *Vit. S. Petr. Dam. Lib.* II c. xxiv. *Lib.* III. c. v.

f *Sec.* VI. *par.* II. p. 149.

g *In Histor.*

h T. IV. p. 632.

Ann. Chr. 1060.

„ mus. Atqui Dominicus ex eodem Petro e vita migravit pridie idus
„ octobris, & quidem, ut ex eodem intelligitur, die sabbati, cum Pri-
„ mæ horæ officium recitaretur, quod nonnisi anno 1060. vel 1066. con-
„ venire potest. Certe hoc anno 1062. dies pridianus iduum octobris in
„ feriam secundam incidebat. " Eodem anno, quo e typis Gallicis prodiit quartus tomus Annalium Mabillonii, atque in eo hæc ipse protulerat, Dissertationes suas Camaldulenses in lucem emisit Grandius noster, qui in Dissertationis quartæ Appendice [a] diligentius examinavit, an vere anno 1061. sanctus Dominicus Loricatus obiisse dicendus sit; „ Si id, inquit,
„ anno 1061. contigisset, quo cyclus Solis erat 6. adeoque litera domini-
„ calis in vetere calendario illi respondens erat G. utique die dominico
„ in cœlum migrasset; litera enim hæc ipsimet diei XIV. octobris apposi-
„ ta deprehenditur; & nonus depositionis dies, nempe XXII. ejusdem men-
„ sis dies lunæ, seu feria secunda fuisset, quæ litera A. consignatur; quo-
„ rum utrumque falsum est. Dominicum enim die sabbati ab humanis
„ excessisse testatur sanctus doctor, ut & diem depositionis nonum domi-
„ nicum fuisse. " Et Damiani loca in medium afferens; " Unde perspi-
„ cue patet, " sequitur, „ vel ad annum 1060. vel ad 1066. Dominici
„ Loricati mortem esse referendam, ut invicem hæ circumstantiæ cohæ-
„ reant, nempe ut dies XIV. octobris sabbato, & dies XXII. dominico
„ diei conveniant. Sed anno 1060. id aliunde contingere non potuit,
„ nam &c. Superest ergo, ut Dominici Loricati obitus anno 1066. adeo-
„ que sancti Rodulphi mors anno 1067. evenisse dicatur. " Et sic se stare pro anno 1066. profitetur quarto loco Grandius.

a Num. VII.

Ut ergo aliquid, quod certius sit, a nobis proferatur, cognitio anni emortualis Dominici dependet potissimum a notitia anni postremi Rodulphi episcopi Eugubini; ita etiam vicissim innotescente anno obitus Dominici in cognitionem venimus anni, quo ad superos evolavit Rodulphus: scimus enim ex Damiano Dominicum decessisse uno anno ante Rodulphum. Porro constat primo loco fato functum Rodulphum anno 1061. ergo Dominicus excessit e vita anno 1060. Id nobis ex nullo tutiore fonte compertum sit, quam ex utriusque sancti vita ad Alexandrum II. transmissa ab eodem Petro Damiano. Acceperat in mandatis Damianus ab ipso Romano pontifice discedens, *ut numquam ei literas mitteret, quæ leve quid & oblivione dignum ac frivolum continerent, quas scilicet mox ut lector transiliendo percurrerit, edax flamma consumit, sed tale semper aliquid scriberet, quod & ad ædificationem legentium suscipi, & inter scripturas mereretur authenticas reservari*. At hocce Alexandri præceptum spectat ad initia ejus pontificatus, & ad id temporis, quo post secutam Romani pontificis electionem Damianus commeatum ab ipso petiit, copiamque obtinuit revisendæ suæ solitudinis. Frustra enim, si retraheretur ad annum 1066. vel 1067. hujusmodi mandatum factum fuisset Damiano; cum liqueat ab anno 1061. ad annos 1066. & 1067. plures eidem Romano pontifici epistolas dedisse e sua solitudine Damianum, & quidem gravissimas, quæque ad ædificationem legentium suscipi merebantur; simplicitatem e contra naturamque magis redolet, ut prima vice Damiano discedenti ab Alexandro sibi conjunctissimo ejusmodi præceptum fieret.

Neque evincunt epistolam hanc, in qua Damianus agit de Dominico & de Rodulpho, scriptam fuisse provectiori tempore pontificatus Alexandri verba illa, quæ usurpat Damianus de Loricato loquens: *Dominicus*, inquit, *cum esset in seculo clericus, quia tunc Simoniaca vigebat hæresis, quæ & nunc utinam prorsus esset extincta* &c. quæ verba indicare videntur pe-

stem

ſtem Simoniacam, licet nondum extinctam, aliquid tamen de priſtino furore remiſiſſe; id quod, ait Sartius noſter, optime congruit annis 1066. vel 1067. quibus jam effluxerat quinquennium illud, de quo loquitur idem Alexander in epiſtola ad Gervaſium epiſcopum Remenſem, quo eccleſia Romana, *nunc callida tergiverſatione*, *nunc hoſtili invaſione* fuit *oppreſſa*, minime vero quadrat primordiis pontificatus ejuſdem Alexandri cruentatis diro ſchiſmate Cadaloi. Cui reſpondemus ex iis quinimmo verbis Damiani argumentum deſumere licere epiſtolam ſcriptam fuiſſe ipſis initiis pontificatus Alexandri, quibus tum opera præteritorum Romanorum pontificum Clementis II. Leonis IX. Stephani IX. Nicolai II. tum opera etiam ipſius Damiani & cardinalis Hildebrandi nonnihil reſederat peſtiferum Simoniæ virus. Alia etiam ex parte, cum hæc ſcripſit Damianus, nondum Cadalous electus fuerat antipapa, vel nondum pervenerat notitia ejus electionis, quæ contigit in Germania die vigeſima-octava octobris anni 1061. in feſtivitate ſanctorum apoſtolorum Simonis & Judæ, *quam*, inquit idem Damianus in ipſa epiſtola, *nuperrime celebravimus*, neque omiſiſſet, attento more ſuo, aliquid de hujuſmodi ſchiſmate illi etiam epiſtolæ inſerere, ſi annis 1066. vel 1067. fuiſſet ab eo exarata.

Nuper itaque egreſſus Damianus ab Alexandro, *cum Florentinæ urbis mœnia* ſubiret, *nuntius* ipſi *mox repentinus occurrit*, *qui diem medium in tenebras vertit*, *omniumque* ejus *viſcerum venas amariſſimæ legationis felle* complevit, *epiſcopum ſcilicet Eugubinum eſſe defunctum*. Electio Alexandri contigerat die prima octobris anni 1061. poſt paucos dies Damianus ab ipſo diſceſſit, & Florentiam perveniens Rodulphi obitus notitiam habuit. Per eos proinde dies ſecuta eſt mors Rodulphi, qui cum ſeptennium partim monachus, partim epiſcopus Eugubinus ſub Damiano vixerit, conſequenter ad Deum converſus fuerit anno 1054. ut ſuperius ſtatuimus.

In hac noſtra hypotheſi, dummodo epiſtola data a Damiano vel ex eremo Gamugni, vel ex monaſterio Aceretæ ad Rodulphum & Ariprandum monachos de reſtituta ſibi prodigioſa valetudine, de qua verba fecimus ad annum 1057. ſpectet ad Rodulphum noſtrum, ut aliqui conjiciunt, intelligimus, cur in ea Damianus decoretur titulo tantummodo prioris. Narratur enim in ipſa Leonem grandævum ſenem eremitam *triſtem nimis fuiſſe de imminenti prioris ſui morte*, hoc eſt Damiani. Hujus tituli uſurpatio tempus indicat anterius anno 1057. vel ſaltem tempus ejuſdem anni, quo dimiſſo prioratu ad epiſcopatum & cardinalatum provectus fuerat Damianus; indicat quoque eo anno Rodulphum monaſticum ſchema jam induiſſe, quem nedum induiſſet, ſi poſt ſeptennium ab aſſumptione monaſticæ vitæ obiiſſet anno 1066. vel 1067. Juxta eamdem hypotheſim nulla ſupereſt amplius cauſa ſollicitandi ſubſcriptionem Rodulphi epiſcopi Eugubini inter patres concilii Romani anni 1059. cujus nomen legitur tum in indiculo Poſſini ex codice Vaticano conceptis verbis: *Rodulphus epiſcopus Eugubinus*, tum in Floreſienſi vetuſtiſſimo codice [a] apud Martene. Verum quidem eſt in chronico Farfenſi apud [b] Muratorium legi: *Rodulphus Gubinus*, ſed ipſe Rodulphus Gubinus idem eſt ac Rodulphus epiſcopus Eugubinus, cum eum locum teneat inter patres in chronico Farfenſi, quem tenet in indiculo Poſſini, & in codice Floreſienſi. Rofredus autem, qui a quibuſdam comminiſcitur eo anno epiſcopus Eugubinus auctoritate chronici Farfenſis, omnino ex albo epiſcoporum Eugubinorum eſt expungendus, cum idem ſit, qui Nofredus epiſcopus Senenſis appellatur in indiculo Poſſini, & Rofredus epiſcopus Ateſtenſis in codice Floreſienſi, forte Aſtenſis, ait [c] Manſius in notis ad concilium Romanum

a *Veter. Scriptor. T. VII. col. 61.*

b *T. II. P. II. rer. Italicar.*

c *Suppl. Concil. T. I. col. 1340.*

ANN. CHR. 1060.

manum hujus anni. Sed neque Senensis episcopus erat Nofredus vel Rofredus Possini, cum apud Muratorium in chronico Farfensi & in codice Floresiensi apud Martene & Dominicum Mansium, Senensis eo anno episcopus esset, & appellaretur Johannes. Quare etiam recidit, doctum licet, excogitatum Sartii nostri [a] putantis hoc anno 1059. Rofredum fuisse episcopum Eugubinum, Rodulphum autem fuisse episcopum Gabinum vel Gabinensem, errore dictum Gubinum vel Eugubinum. Quamvis enim ipsi concesserimus non omnino defecisse hoc seculo ecclesiam Gabinam, quam Ughellius ejusque illustrator Coletus [b], & in sua dissertatione de cathedra Setina Dominicus Georgius [c] extinctam existimarunt in Leone, assidente anno 879. in Romana synodo, ubi actum fuit de restitutione Photii ad sedem CP. & licet Petrum Gabinensem episcopum nobis exhibeat supralaudatum diploma Nicolai papæ II. XVI. kalendas maji hujus anni 1060. datum in gratiam monasterii sancti Thomæ Aposellæ siti in Pisaurensi territorio, ubi subscriptus legitur *Petrus Gabinensis episcopus*, qui etiam subscribit sententiæ contra Johannem de Crescentio, qui multa damna intulerat monasterio Farfensi prolatæ ab eodem Nicolao papa supradicto anno & mense, die autem vigesima-octava; cujus pariter nomen reperitur post mensem julium ejusdem anni, & diem sextam, qua invitatus Nicolaus Romanus pontifex a Berardo abbate, Farfæ monasterium adiens nova ipsius ecclesiæ altaria consecravit; ad hæc in raptores & invasores bonorum monasterii decretum anathematis protulit, ejusque privilegia & immunitates confirmavit, inde Romam reversus antiquam ejusdem loci libertatem denuo asseruit, missis eo suis legatis Humberto archiepiscopo, Agilardo episcopo & abbate sancti Paulli, atque *Petro Agubino*, hoc est Gabino vel Gabinensi; quæ constant [d] ex Mabillonio, quarumque rerum omnium monumenta refert etiam Muratorius [e] legens *Petrum episcopum Eugubinum*, & in subscriptione: *Petrus episcopus Augubinus*. Quamvis scilicet hæc omnia Sartio concesserimus Petrum Gabinensem fuisse episcopum, male confusum in documentis apud Mabillonium & Muratorium cum Eugubino & Augubino, neque Sartii opinionem præfatam convellat alter amicissimus noster Turchius [f] legendum conjiciens loco Gabinensis *Sabinensis*, cum certo sciamus, Sabinensem episcopum tunc non fuisse Petrum, sed Johannem, id quod & ex chronico Farfensi & ex indiculo Possini, ac ex codice Floresiensi liquet, non tamen evincitur Rodulphum Gubinum episcopum subscriptum in concilio Romano anni 1059. Gabinensem cathedram tenuisse, sicut e contra aliis argumentis liquidum est ipsum Eugubinæ præfuisse ecclesiæ, neque alium fuisse quam Rodulphum nostrum per hæc tempora Eugubinum episcopum.

Alio monumento olim suadebatur Rodulphum ad Deum evolasse anno 1061. quandoquidem anno 1062. Eugubinam ecclesiam regebat Hugo, qui mense majo ejus anni sedit inter episcopos concilii Lateranensis in causa vertente inter Benedictum episcopum Foro-sempronienssem & Guilielmum Senogalliensem episcopum. Sed contra sentit in suo elaboratissimo de Eugubinis episcopis opere Sartius, qui concilium hocce celebratum anno 1070. indictione octava affirmat, eoque anno recte potuisse Hugonem esse episcopum Eugubinum post Rodulphum, quem obiisse credit anno 1066. Verum de Romano concilio habito anno 1070. silent omnes scriptores; Alexander ipse, qui ei præfuisse dicitur mense majo, sequenti mense erat Arretii, ubi die VIII. junii privilegium concessit Constantino Arretino episcopo. Cosmas quidem Pragensis [g] scriptum reliquit, concilium

a *De episc. Eugub. pagg.* 38. *& seqq.*

b T. X. *Ital. Sacr. col.* 108.

c *Num.* XVII. *pag.* 16.

d *Annal. T. IV. p.* 609.

e *Antiq. med. ævi T. V. col.* 142.

f *Pag.* 59.

g *Apud Menckenium T. I. col.* 2042. *rerum Brunsuvic.*

lium septuaginta-duorum episcoporum anno 1070. celebratum fuisse Laterani ab eodem pontifice, cujus etiam rescriptum refert datum septimo idus maji in favorem Wratislai ducis Bohemiæ, sed vel addititium, vel saltem interpolatum rescriptum ipsum agnoscunt scriptores, Pagius in primis, utpote abhorrens a stylo ceterorum rescriptorum; quare non omnino adhibenda fides Cosmæ. Pariter in nostro concilio Lateranensi inter ceteros assedit Mainardus episcopus Sutriensis; at anno 1070. Mainardus in vivis esse desierat, cum anno 1066. Johannes episcopus Sutrinus, qui Mainardi successor dicitur a Lucentio, subscripserit privilegio [a] Alexandri II. pro monasterio San-dionysiano. Sed etiamsi ad annum 1070. retrahatur concilium hocce Romanum in causa duorum episcoporum, non ideo tamen conficitur Rodulphum ad annum 1066. episcopatum Eugubinum tenuisse, & ad summum inane nulliusque roboris evadet argumentum petitum ex tempore episcopatus Hugonis.

Et hæc quidem pro anno emortuali Rodulphi. Nunc vero ad examen etiam revocandum, quo anno obierit Dominicus Loricatus, qui anno præcessit obitum Rodulphi. Damianus in opusculo, quod contra sedentes in divinis officiis Ugoni archiepiscopo Bisuntino scripsit vel cadente anno 1062. vel sequenti inchoante, talia de Dominico profert, quæ indicant eum jampridem ad superos transiisse. *Alius quoque*, ibidem dicit, *nobiscum fuit ætate provectior, qui jure Dominicus vocabatur*; at si tunc Dominicus adhuc inter vivos fuisset, usurpasset verbum *est*, non *fuit*, eodem modo quo pronuntiaverat de Gezone tunc in vivis agente. Neque dicendum opusculum Damiani ad Ugonem exaratum fuisse post annum 1065. vel 1066. post mortem scilicet Dominici Loricati, qui iisdem annis defunctus sit, cum ex Bertholdo Constantiensi presbytero compertum sit Ugonem Bisuntinum archiepiscopum diem postremum obiisse ipso anno 1066.

Colligitur pariter ex eodem Damiano contra Baronium ejusque asseclas Dominicum non decessisse anno 1061. vel 1062. Obiit enim die sabbati: *Sexta feria*, inquit Damianus, *per continuum diem vix desiit vel modulandis psalmis insistere, vel corrigiarum se ictibus flagellare. Nocte vero sopore deposito* &c. *Post decursum itaque nocturnæ synaxis officium, post matutinos hymnos cum prima jam hora sibi a fratribus, qui aderant, cantaretur, sanctum Deo spiritum reddidit*. Dominica dies quoque erat nona ab ejus corporis depositione: *Nos autem*, subdit, *ipso die dominico, quo eremum ingressi sumus, sanctum corpus inde sublatum reverenter, ut dignum erat, in capitulo sepelivimus. Et cum nonus esset depositionis dies* &c. Similiter postrema vitæ Loricati dies fuit XIV. octobris; id enim testatur idem Damianus: *Obiit autem beatus Dominicus pridie idus octobris regnante Domino nostro Jesu Christo* &c. quæ verba adjuncta non fuisse aliena manu evincunt tum codices antiquissimi operum Damiani, Vallicellani & Casinenses, exarati seculis XII. & XIII. in quibus ea reperiuntur, tum similes conclusiones in vita sancti Romualdi: *Obiit autem beatissimus Romualdus decimo tertio kalendarum juliarum regnante* &c. & in vita sancti Odilonis: *Anno itaque Dominicæ incarnationis* 1048. *ea nocte, quæ Dominicæ Circumcisionis sollemnia præcedebat, beatum Deo spiritum reddidit* &c. Sed XIV. octobris in sabbati diem non incidit, nisi annis 1060. & 1066. & ex dictis mors Loricati retrahi nequit ad annum 1066. superest proinde, ut figatur ad annum 1060. Ex aliis Damiani verbis Dominicum in pace quievisse mense octobri intelligimus, nam epistola, quam de ipsius morte dedit ad Alexandrum papam, scripta fuit vel sub exitum mensis octobris, vel intrante novembri, cum dicat: *Porro autem in festivitate beatorum aposto-*

[a] Ugbell. T. I. col. 1275.

Ann. Chr. 1060.

apostolorum Simonis & Judæ, quam nuperrime celebravimus; & superius dixerat: *Vir Dei Dominicus pater & dominus meus ante annum defunctus est*; ergo obdormivit in Domino eodem mense octobri anni præcedentis. Ex quibus etiam argumentum petere licet Dominicum Loricatum, cujus obitus refertur ad diem x. septembris in veteri Avellanensi necrologio ad calcem apposito membranacei codicis bibliothecæ Classensis his verbis: *Obiit D. N. Dominicus Loricatus inclusus venerabilis eremita*, alterum esse a nostro insigniori ejusdem nominis, neque pro eodem habendum, ut existimavit Sartius, Loricati proinde obitum figens ad annum 1065. quo dies x. septembris in sabbatum incidit; nam præterquamquod „ codicis antiquitas, ejusdem Sartii testimonio, haud sane insignis est; sub initium „ enim decimi-sexti seculi scriptum esse constat, " Dominicus Loricatus noster, licet includi ad tempus potuerit, ut fecit ea *præcedenti quadragesima*, qua ante Dominicam nativitatem *cellulam* incoluit *juxta monasterium Conjunctuli*, nunc Auximi, nunc Avellanæ, nunc in monte Suavicinio commorabatur, & aliquando testimonio ejusdem Damiani *egrediebatur ad seculum*. Neque postremo dicendum conclusionem illam: *Obiit beatus Dominicus pridie idus octobris*, alienam esse a summa Petri Damiani sobrietate & prudentia, cum verisimile non sit *beati* titulum Loricato tempestive adeo & vix anno ab ejus morte elapso tribuisse sanctum ipsius vitæ scriptorem, atque proinde suspectam reddi; legimus enim eumdem titulum Odiloni abbati Damianum dedisse, appellasse insuper *sanctæ ac venerandæ memoriæ virum* Laurentium Amalphitanæ sedis archiepiscopum, antequam cœlitum honores retulissent, & quem *Angelum* suum viventem nominare non dubitavit, defunctum Dominicum *beatum*, sive cœlesti felicitate donatum post admirabilis pœnitentiæ actus appellare non fuit veritus.

Retenta ergo XIV. octobris pro emortuali die Dominici Loricati, sic erit disponenda Damiani epistola ad Alexandrum, & ex ipsa series rerum. Die XIV. octobris anni 1060. spiritum Deo reddit Dominicus; eo temporis Damianus Romæ moras trahit; quidam frater per somnium videt Damianum oculorum lumine orbatum; refert somnium Damianus Hildebrando, qui ei indicat familiarem aliquem ipsi percarum extinguendum. Damianus Romam linquit; tertia autem die, postquam Romanis mœnibus fuerat egressus, nuntium obvium habet referentem Dominicum Loricatum solutum carcere corporis cœlum petiisse. Nulla interposita mora ad Fontem-avellanam, vel melius ad eremum Suaviciniam se transfert; nona die a Dominici obitu eremum ingreditur, & in capitulo novam sepulturam dat corpori dilectissimi sui discipuli. Post hæc ea perficiuntur a Damiano, quæ narrabimus anno sequenti, usque ad electionem Alexandri papæ secundi, habitam die prima octobris anni 1061. cuique interfuit. Ab eo ergo electo, & Romæ vel rectius Lucæ visitato, licentiam petit redeundi ad suam eremum; ægre impetrato discessu, atque eo etiam apposito præcepto, *ut tale semper aliquid scriberet, quod & ad ædificationem legentium suscipi, & inter scripturas mereretur authenticas reservari*, Florentiam pertransit, non ut legatus pontificius ad Florentinos, quod credidit Mabillonius; hanc enim legationem anno tantum 1063. obiit, sed illac pertransiit eremos suas, vel Avellanensem, vel alias in territorio Faventino existentes aditurus. Florentinæ urbis mœnia jam subierat, cum a repentino nuntio literas recipit secutæ mortis Rodulphi, episcopi Eugubini alterius sui discipuli. Florentiæ forte aliquantos dies subsistit, vel viam suam prosequitur Damianus, & de obitu Rodulphi cum descriptione ipsius vitæ certiorem facit papam Alexandrum. Verum non suppetente gerulo epistolæ,

ſtolæ, captatis occaſione & tempore, cogitat inſerere eidem epiſtolæ vitam pariter admirabilem, pœnitentiam & mortem Dominici Loricati, cujus per eum menſem dies anniverſaria recurrebat. Ita epiſtolam integram concluſit aliquot diebus poſt ſollemnitatem ſanctorum apoſtolorum Simonis & Judæ anni ſequentis.

XXXI. Cultus, quem ſemper S. Dominicus obtinuit.

SUAVICINIO ergo in capitulo probabilius quam in Avellanenſi, quod putavit Mabillonius, depoſitæ fuere a Damiano nona a morte die exuviæ Dominici Loricati; quo vero tempore ex diſpenſatione apoſtolica altare fuerit ſuper ipſas erectum, defectu monumentorum nobis non liquet; id forte contigit ſub Alexandro II. ſuggerente & ſtimulos addente ſcriptore ejus vitæ eodem Damiano. Hoc tantum ſcimus populos circumjacentes, & præcipue incolas caſtri Frontalis, quod eſt ad radices montis Suavicinii, protectorem ſibi conſtituiſſe apud Deum tantorum meritorum virum, & copioſiſſimum beneficiorum largitorem, itaut populi illi, cum a Deo aliquid in ſui utilitatem obtinere permaxime cuperent, & cupiant, ſancto Dominico Loricato quodammodo imperent. Ejus ſacra lipſana publice adorationi etiamnum adſervantur in eccleſia ipſius eremi, dicata quidem olim in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, ſed devoto populorum concurſu frequentata ob reverentiam ipſius ſancti corporis, & novam ab ipſo accipiente nomenclaturam. In viſitationibus ſollemnibus epiſcoporum San-ſeverinatum, quorum diœceſi aſſignata fuit eremus Suavicinia, repertum fuit pluries & recognitum ipſius ſacrum corpus, ex quo particulæ bene multæ avulſæ tempore præcipue monachorum, atque per varia loca diſtributæ fuere ad augendum ſancti confeſſoris cultum. Modica portio ejus reliquiarum cuſtoditur in eccleſia ſanctæ Annæ, quæ eſt parœcialis Frontalis, ſuper aram ſancto Dominico ſacram, & inſuper temporibus antea- ctis in ſollemnibus ſupplicationibus deferebatur parvum miſſale, quod Dominico, ut communiter creditur, dono dederat Petrus Damianus ad uſum eremi Suaviciniæ. Fidelem ipſius miſſalis tranſcriptionem una cum ſuis adnotationibus pollicitus eſt in vita ejuſdem ſancti Dominici Turchius publicæ luci quamprimum ſe daturum. Verum ea occaſione, qua amiciſſimum virum anno 1752. viſitavimus, noſtrumque ipſi conſilium aperuimus edendi Annales hos Camaldulenſes, perquam benigne exemplar fideliſſimum ejuſdem miſſalis ſeu ſacramentarii in manus noſtras tradidit, oravitque ut ipſum una cum animadverſionibus ſuis edere in iiſdem Annalibus non pigeret; quod ſancte & religioſe præſtamus ad calcem hujus voluminis. Altera portio reliquiarum ſancti Dominici reperitur in per-inſigni collegiata Apiri, in cujus territorio jacet monaſterium Suavicinienſe. Tertiam Dionyſius Pierauguſtinius epiſcopus San-ſeverinas dono dedit monaſterio ſancti Apollinaris Claſſis Ravennæ. Aliis in locis coluntur ſacri illius corporis non parum imminuti fruſta.

Patres Camaldulenſes eremi parum diſtantis a terra Maſſaccii, & *Cryptarum Maſſaccii* vulgo appellatæ, temporibus Franciſci Maildachinii cardinalis & prioris commendatarii hujus monaſterii, anno 1694. die 22. auguſti licentiam obtinuere ab eodem commendatario transferendi ad eccleſiam propriam corpus beati Dominici; qua obtenta inter ceteras publici libelli rationes, quas expoſuerunt ſacræ congregationi epiſcoporum & regularium, illam produxere, quod populus Frontalis confudiſſet memoriam Dominici Loricati cum Dominico Prædicatorum patrum inſtitutore. Sacra congregatio die 3. ſeptembris ejuſdem anni votum expetiit ordinarii epiſcopi San-ſeverinatis, qui erat Scipio Nigrellus nobilis Ferrarienſis. Hic voto ſuo dictam tranſlationem approbavit; verum propoſuit ſacrum

corpus

Ann. Chr. 1060.

corpus non ad eremi Cryptarum Maſſaccii eccleſiam, utpote anguſtam, deferendum, ſed ad eremum Montis-còneri Anconæ, vel Montis-coronæ, quæ poſtrema caput eſt congregationis eremitarum Camaldulenſium Coronenſium, eſſe collocandum. Poſt talem in ſcriptis epiſcopi reſponſionem, & relationem ſacræ congregationi datam die 15. octobris ipſius anni Monte-coronenſes eremitæ ob gratioſum votum in ſpem adducti, omnem ſollicitudinem adhibuere, ut deferrentur ſacra lipſana; ſed vel conſenſum retractante priore commendatario, vel alia de cauſa infectum remanſit negotium, & oſſa ſancti confeſſoris a loco non fuere dimota, hodieque jaceat in veteri ſua eremi Suavicinienſis eccleſia. Inficiatur amicus noſter Turchius [a] populum Frontalis non commiſcuiſſe memoriam Dominici Loricati cum Dominico Guſmanio; verum ex viſitatione ejuſdem eccleſiæ facta a Franciſco Sperellio epiſcopo San-ſeverinate anno 1633. colligi videtur hujuſmodi temporibus anteactis confuſio; ſic enim habent ipſius acta penes eumdem Turchium [b]: „ Altare dicatum beato Dominico ſitum in „ pariete infra januas. Intra parietem ejuſdem altaris adeſt armarium crate ferrea clave munitum, cum ornamento ligneo depicto aurato noviter conſtructo, in quo aſſervatur capſula lignea depicta imagine ejuſdem ſancti jacentis feretro, cum habitu religionis ſancti Dominici, intra quam ex antiqua traditione aſſeritur aſſervari oſſa beati Dominici, „ & in pariete ſupra dictum armarium adeſt antiqua ejuſdem beati imago cum inſcriptione: CORPVS. BEATI. DOMINICI. HIC. IACET. „ Celebrantur plures Miſſæ in feſto ſancti Dominici quarta auguſti, pluribus fidelibus confluentibus, & præcipue vicario & populo caſtri Frontalis proceſſionaliter ..... In medio eccleſiæ in frontiſpitio cappellæ altaris majoris adſunt antiquæ ac devotæ imagines ſanctiſſimi crucifixi.... „ & inferius in lateribus ſancti Dominici, & prædicti beati Dominici; " ubi vides habitu patrum Prædicatorum ordinis ſancti Dominici indutum eo tempore Loricatum, cujus etiam ſollemnia celebrabantur die quarta auguſti, ſancto Dominico Guzmanio ſacra. Modo tamen diſtinctum cultum uterque ſanctus Dominicus obtinent. Quod autem altare ſitum in pariete infra januas aſſervaret tunc, & etiamnum cuſtodiat oſſa ſancti Dominici Loricati, evincitur ex recenti viſitatione Dionyſii Pierauguſtinii epiſcopi, qui anno 1737. die 7. ſeptembris „ volens atque intendens ſeſe „ certiorem reddere de corpore ſancti Dominici Loricati prædicti uſque „ de anno 1303. tempore pontificatus Bonifacii papæ octavi ven. mem. „ in eamdem eccleſiam tranſlato, quod reperit reconditum in pariete laterali inter duas januas eccleſiæ prædictæ a cornu epiſtolæ ſuper altare „ eidem ſancto Dominico dicatum, & in facie exteriori invenit feneſtram „ cum crate ferrea bene munita parieti fortiter compaginata, exteriorique ornamento ex ligno inaurato, quo quidem in loco a quamplurimis viris fide dignis tam eccleſiaſticis quam ſecularibus accepit fuiſſe „ ab immemorabili præſtitum cultum & venerationem ſacro corpori ejuſdem ſancti Dominici Loricati. " Similia iiſdem prope verbis reperiuntur in actis viſitationis Alexandri Calvi, olim Organi, patricii Florentini, epiſcopi itidem San-ſeverinatis anno 1705. die 18. menſis ſeptembris. Atque hæc dicta ſint de ſancto Dominico Loricato.

[a] Pag. 164.

[b] Pag. 167.

XXXII. Petrus monachus Nonantulanus tranſit ad ſolitudinem Avellanenſem.

Eodem circiter anno ad eremum Avellanenſem tranſiit ex Nonantulano monaſterio Petrus, de quo hæc habet Damianus in opuſculo de bono ſuffragiorum, quod ab ipſo conſcriptum fuit initio anni 1063. *Venerabilis ſenex Petrus ſacerdos & monachus, qui jam ſeptuaginta ferme annos ſub jure Nonantulani monaſterii religioſe vixit, nunc etiam in hac eremo*

vitam

Ann. Chr. 1060.

vitam ducit angelicam. Is proinde Nonantulæ monachum induit circa annum 990. eumdemque credimus, quem avunculum suum Petrum appellat Bonus abbas sancti Michaelis in burgo Pisarum in sua narratione: *Fecit me venire senior Stephanus de Nonantulis cum avunculo meo Petro*. Anno proinde 1018. cum nepote Bono Pisas se transtulerit Petrus, quocum commoratus biennio, quantum suffecerit pro instituendo novo sancti Michaelis monasterio, redux autem fuerit anno 1020. ad Nonantulanum cœnobium, in quo vixerit usque ad præsentem annum 1060. Credibile est Petrum parum supervixisse in eremo Avellanensi, cum jam nonagenarius ad eam se contulerit. Minime confundendus est Petrus Nonantulanus cum Petro Ariminensi & eremita Avellanensi, inde priore; hic enim multo post vixit, eratque prior Fontis-avellanæ anno 1125. quo pecuniam subministravit sancto Ubaldo inde Eugubino episcopo pro reficiendis canonica basilica aliisque ecclesiis; multo minus confundendus est cum alio Petro Nonantulano monacho, qui circa annum 988. conjunxerat se cum Stephano itidem Nonantulano monacho, qui incolebat ecclesiam sancti Petri Mutinæ, & ab ipso privilegia subripuerat, & iter arripiens fugerat, ut enarrat Hildeprandus episcopus Mutinensis in confirmationis privilegio ejusdem ecclesiæ sancti Petri concesso Stephano monacho [a] apud Muratorium; Petrus enim privilegiorum sublator aliquantulum præcessisse ætate videtur Petrum nostrum, eremitam postea Avellanensem. Ejusdem pariter nominis vivebant eodem tempore alii eremitæ in solitudine Avellanensi; Petrus nimirum, de quo hæc habet Damianus in epistola ad Teuzonem eremitam [b]: *Transeo Petrum, qui nullum cubilis in sua cella patitur superesse vestigium, sed nudum jugiter terit sive hiberno, sive æstivo tempore pavimentum*; Alter Petrus frater Rodulphi episcopi Eugubini; Petrus demum tertius, de quo hæc scribuntur a Johanne Laudensi in vita sancti Petri Damiani [c]: *Hic porro nequaquam otiosum putamus quædam revelationum monimenta, quæ idem ipse scripsit* (Petrus scilicet Damianus) *annumerare, quibus sanctus ille totus in hac observatione sextæ feriæ obnixe fuit solidatus ..... verum ad hoc arctius commendandum, & illud aptissime contigit, ut sanctus quidam alius frater, Petrus nomine, dum id constitueretur, abesset, qui postea quinta quadam feria regressus, eadem nocte per somnium vidit, quod domnus Petrus illum ad prandium convocaret, secumque ipse conviva discumberet. Sequenti vero die in capitulum veniens cum ceteris fratribus disciplinam novi ritus accepit, & sic lætus & alacer factus, exultavit in Spiritu sancto dicens: Ecce, Deo gratias, prandium, ad quod me domnus Petrus Damianus vocaverat. Nec immerito sane nostræ carnis afflictio mensa vel refectio dicitur; quoniam unde nostrum per continentiam corpus atteritur, inde spiritus supernæ gratiæ pinguedine saginatur*. Haud facile probaretur hos omnes Petri nomine donatos unam eamdemque esse personam.

[a] T. V. col. 373.

[b] Opusc. II. cap. XVI.

[c] Cap. XIX.

XXXIII. Divisio bonorum eremi Gamugni & monasterii Ac. ceretæ.

Testimonio ejusdem Johannis Laudensis eremum, Gamugnum appellatam, & monasterium sancti Johannis-baptistæ de Acereta in territorio Faventino ædificaverat Damianus eo tempore, quo prioratus officio in eremo Avellanensi fungebatur. Verba Laudensis retulimus ad annum 1053. ad quem circiter annum videtur utraque extructio referenda. Hoc autem anno ipse Petrus Damianus, qui se *peccatorem monachum* nominat, *auctoritate summorum apostolorum Petri & Paulli, quorum, licet indignum, famulum esse* se profitetur, constituit & decernit, *ut eremus Gamugni libera sit, si in suo statu permanserit, hoc est si conventum monachorum habuerit*,

Ann. Chr. 1060.

rit, qui vitam eremiticam teneant, & sub priore regulariter vivant, ea tantum superaddita subjectionis conditione, ut *quotannis monasterio Acerete duodecim denarios Veneticos pro pensione* eremus *persolvat*. Præter hanc pensionem nullum dominii & potestatis jus vult abbatem Aceretanum sibi vindicare in præfatam eremum, nisi tantum *quod monachos suos, qui vitam eremiticam fortassis elegerint, illic ad habitandum constituere liceat*. Dividit insuper adjacentes utrique loco possessiones, ita ut monasterium Aceretæ, *que sui juris sunt, in circuitu cuncta possideat usque in locum, qui Jumentella dicitur. Inde per medium Radium usque ad montem Rotundum, & usque ad flumen per rivum, ipso tamen monte in possessione monasterii permanente. Ab istis autem locis omnia, que ad montana contendunt, heremus teneat*, quæ etiam habeat *ecclesiam sancti Donati in Mutiliano cum omnibus suis pertinentiis* &c. Quæcumque vero Avellanitarum juris erant *sive in Treudacio, sive in Rivagutti, sive in Rasame, sive etiam in Castagnaria, sive in Coreula* ...... monasterium Aceretæ habeat cum toto jure, quod obtinebat Damianus *in monasterio sancti Benedicti*. Decernit insuper, ut, *cum necessarium fuerit, monasterium infirmos fratres eremi ad refocillandum & sustentandum usque ad sanitatem cum licentia prioris fraterna benignitate suscipiat, & vicissim eremite fratres monachos de monasterio venientes cum licentia abbatis libenter admittant. Si vero predicta eremus ad defectum venerit, ita ut conventum monachorum non habeat, & saltem tres ibi fratres non sint, qui secundum consuetam ipsius loci eremiticam regulam vivant, tunc* ..... Abrasi sunt hic characteres, ut nihil inde exsculpi valeat. Accedit demum obligatio & promissio Guidonis comitis & Ermellinæ comitissæ ejus uxoris, qui ambo definitionem factam *a domno Petro venerabili pontifice* calculo suo adprobant, & spondent, si aliqua occasione præfata eremus ad nihilum devenerit, numquam se traditúros ecclesiam eremi alteri ecclesiæ sub pœna librarum decem auri optimi. Videntur Guido & Ermellina primi fuisse fundatores loci & eremi Gamugni, in qua eremo ecclesia consurgebat sancto apostolo Barnabæ dicata, quam denominationem obtinet etiam ad hodiernam diem. Presentem chartam, quæ non improbabiliter fœtus est ipsius Damiani, quæque integra prostat in Appendice, exscripsimus ex tabulario imperialis & collegiatæ basilicæ sancti Laurentii de Florentia, ad quam devoluta fuere Romanorum pontificum concessione bona eremi Gamugnensis & monasterii Aceretani; & quamvis nullam notam chronicam ipsa præferat, in syllabo tamen chartarum ejusdem archivi signatur sub anno Domini 1060. Certe spectat ad tempus, quo cardinalitia & episcopali dignitate decoratus erat Damianus, qui in ea *venerabilis pontifex* appellatur. Probabilius tamen pertinet ad annum sequentem 1061. quo Damianus mense julio commorabatur Gamugni, ut videbimus. Præsertim cum in ipsa desint, præter annum incarnationis, annus etiam, dies & nomen N colai Romani pontificis, qui anno sequenti eodem mense julio defunctus est, ut ex sequenti monumento confirmatur, quod in archivo capitulari Faventino invenimus: *In apostolicum non habemus post decessum Nicolai pape anno primo, atque post mortem Henrici imperator filius quondam Conradi anno sexto, die vigesimo septimo mensis augusti indictione quartadecima Faventie ego in Dei nomine Remengarda, que vocor Massaria, umilis abbatissa, filia quondam Romano, qui vocatur Caroi, dono & offero Ingizoni presbytero & Johanni presbytero sancte Faventine ecclesie* &c. Monasterium sancti Benedicti, quod in superiori charta dicitur ad jus pertinuisse Damiani, facile

ANN. CHR. 1060.

facile fuerit monasterium sancti Benedicti in Alpibus sive in Bifurco, quod olim sub sancto Romualdo monachos simul & eremitas sinu suo alebat ex concessione Henrici I. imperatoris, ut ad annum 1022. diximus.

XXXIV. SS. Hermacoras & Fortunatus conspiciendi se tradunt Theobaldo eremitæ.

PROFICIEBAT de die in diem sanctus eremita Theobaldus in sua Vicetina solitudine, & cruciatibus voluntariis, lacrymis jugique corporis maceratione divinam ita in se adauxerat gratiam, ut mereretur non solum sanctorum ejus loci protectorum visione donari, sed etiam intima consolatione perfundi, pro dimissione peccatorum suorum. Id enuntiat Petrus abbas Vangaticiensis, postquam de collatione sacerdotii, quod Theobaldus susceperat, disseruit, his verbis [a]: *Quadam autem die, dum sua commissa lugeret, & more filiæ Caleph irriguum inferius & irriguum superius postularet, vox ad eum facta est dicens: Noli flere, dimissa sunt tibi peccata tua. Eodem tempore sanctus Hermacoras & sanctus Fortunatus, in quorum honore oratorium cellulæ ejus habebatur consecratum, cum magna claritate ei apparuerunt, & dixerunt: Gratiam & benedictionem a Domino consequaris, qui tam sedulo nostri memoria huic ecclesiæ deservis.*

a *Num.* XIV.

XXXV. Qui miraculis vivens coruscat.

SEQUENTIA pariter miracula precibus Theobaldi ad tempus pertinent, quo jam sacerdotio erat initiatus [b]. *Ea tempestate quidam ejus minister, nomine Odo, nimia febris & fici afflictus erat infirmitate, ita ut in promptu putaretur vitam exhalare.* Ficus genus est ulceris, quod nascitur in capite tum in capillo, tum in barba, item aliis in locis, quæ pilis integuntur, quia desuper fundit sese ad fici fructus similitudinem. *Cumque sæpius precaretur Sanctum pro se orare, primo quidem renuit, & columbina ut erat simplicitate respondit: Dei voluntati contraire timeo, cujus nutu te infirmum esse cognosco. At ubi ingravescente morbo mortem imminere fideli ministro vidit, dolens de ejus absentia, jussit eum ferri ad ecclesiam. Cumque eo præsente Missarum sollemnia celebrasset, mysteriis Christi illum participavit. Eadem hora frater ad cellulam suis pedibus rediit, qui aliorum adminiculo vix fuerat ad ecclesiam delatus.* Pariter *a Celsano castro ad sanctum virum presbyter unus advenerat, nomine Henricus, oculorum lumine privatus. A quo cum levamen infortunii sui impetrare nequivisset, sancto viro renitente, & Sanctorum hoc opus esse, non suum protestante, a fidelibus ministris aquam manuum ejus fideliter & latenter expetiit, more illius mulieris, quæ furtim per tactum Dominicæ fimbriæ sanata est. Qua vero, Sancto ignorante, data, ille cæcos orbes lavit, & vidit Dei magnalia, & sancti viri merita in reparatione luminis prædicavit. Miles quidam de Alonta virum Dei pro filio usque ad mortem infirmato rogaturus expetiit, cui etiam ad ecclesiæ servitium munuscula candelarum detulit. Sacerdos vero Dei, Missa pro infirmis celebrata, pomum benedicens direxit puero per patrem. Unde puer vix quadra semesa quasi jam sanitati restitutus, expletis ex toto puer convaluit, Dei misericordia condonante, & sancti confessoris benedictione suffragante.* En quid simile, quod etiam sanctus Romualdus dabat *pro benedictione* discipulis suis, ut alibi observavimus ex Damiano; superius ad annum 1056. vidimus Theobaldum panem, quem a quodam monasterio acceperat, *pro benedictione* patri deferendum mandasse. Alonta locus est situs inter Leonicum, & Orgianum, vulgo dictus *Lonte*.

b *Num.* XV. XVI. XVII.



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER DECIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno CHRISTI M.LXI. *ad annum* M.LXIII.

ANN. CHR. 1061.

I. Damianus ad solitudines suas se recipit.



DAMIANUM Urbem relinquentem, & ad curandum Dominici Loricati discipuli sui funus, eremum Avellanensem vel Suaviciniam petentem mense octobri anni praecedentis, aliquanto tempore hujus anni ibidem constitisse, & solitaria vita ac concupita quiete gavisum fuisse credere par est. Ad hæc proinde & insequentia tempora referenda sunt, quæ Johannes Laudensis capite XVIII. enarrat de ipsius resumptis spiritualibus & pœnalibus exercitiis. *Porro*, inquit, [a] *dum ab exterioribus istis, licet sanctis & Deo gratis, ad dulcia eremi secreta tam pro refectione mentis, quam pro ablutione cujuslibet contracti pulveris, redire decrevisset, nimia se inedia cellulæ mactabat ergastulo; quotidie præter dies festos jejunando, cantabro pane cum hesterna aqua vescendo, suoque corpori, licet senio jam confecto, ac pluribus ferreis nexibus undique constricto, a disciplinarum palmatarumque ictibus nequaquam suis vicibus indulgendo, jugique psallendi, orandi, legendi atque dictandi insistendo. Nec prætereundum, quod in eadem pelvicula, qua pauperum pedes lavabat, reficiens panem comederet, & super bibleam cratem nudam somni quietem caperet. Porro, cum aliquando ad capitulum fratrum accedere decrevisset, facta exhortatione, mox e sede consurgens, de suis se excessibus accusabat, pro quibus disciplinæ judicium ex more suscipiens, geminis vapulabat utrimque verberibus. Rursumque in suum locum regrediens, non cessabat eos suis sermonibus informare, modo his, modo illis, modo communiter omnibus loquens. Junioribus ergo dicebat: Scire debetis, filii, unumquemque vestrum, tam fervide atque strenue sacræ hujus oportere militiæ tirocinia inchoare, tantoque se, dum corporeæ vires suppetunt, ad celsa tendendo, exercere labore, quo tota series secuturæ vitæ ad fortiter agendum valeat informari, tamquam impressione veri sigilli. Provectioribus vero de conflictu vitiorum, de discretione cogitationum, de compunctionis seu contemplationis gratia, mentisque purita-*

a *Vit. S. Pet. Dam. cap.* XVIII.

Ann. Chr. 1061.

te conquirenda, quædam subtilius disserebat. Porro cum in ipsius sermocinationibus ejusmodi locus incideret, quo fratrum mentes ad fortiora quælibet excitari debuissent, hoc dicere solebat: Strenuus quisque divinæ militiæ prelatus in omni spiritali certamine suas debet vires agnoscere. Ignominiosum quippe valde est monacho, & spiritualis militiæ professionem habere, & experiendi ignavia, quid in certamine valeat, ignorare. Et quidem quid ipse hæc loquendo moneret, discipulis suis liquido insinuabat exemplis; ex quibus videlicet hæc a nobis fore commemoranda non inaniter puto; nempe vidi illum per quadraginta dies nil, quod per ignem transit, in cibo sumpsisse, sed tantum pomis, crudisque terræ nascentibus, absque omni prorsus potu, contentum fuisse; hoc quidem ipse præsens agnovi. Aliud, quod dicturus sum, majoribus meis condiscipulis referentibus, audivi; eumdem videlicet totidem aliquando diebus, nullo refecisse cibo, nisi parco leguminis infusidario, quod tamen si forte hujuscemodi nimium se fatigari conspiceret, nequaquam contemnendum ducebat, imbecillitati corporeæ discreta remissione aliquatenus subvenire, quo resumptis iterum viribus, validior ad aliud posset redire certamen. Non utique vitio, sed virtuti potius adscribendum dicebat, si quis fessa paullo brachia iccirco remittat, ut post robustior ad fortiter agendum consurgat. Præterea mos illi erat, ut inter divina tam nocturna, quam diurna officia nulli podio psallens hæreret. In quadragesimæ quoque utriusque initio, triduo penitus abstinebat a cibo, ad quod sane licet neminem ipse quoque persuaserit, quiddam tamen ad spiritualis studii proventum quærentibus tradendum putavit, quo suscepti jejunii ipsis posset initiis Domino commendari. Hanc profecto voluntariæ observationis normam in nonnullis monasteriis, pia devotione amplectentibus, excitando instituit, quatenus præfato jejuniorum triduo, totus conventus fratrum pariter in claustro rigorem silentii conservaret. Nec quispiam absque inevitabili necessitate calceamenta sibi indueret, donec communiter psalterium diebus singulis complevissent, scoparum quoque disciplinam in capitulo cuncti susciperent, in pane solum & aqua pariter abstinerent. [a] *Sed & sextam omni tempore feriam, præter paschales vel ceteros dies sollemnes, sub eadem tam disciplinæ, quam abstinentiæ norma, ob reverentiam Crucis, illis observandam adhibuit.*

a *Cap.* xix.

II. Scribit Hildebrando & Stephano cardinalibus.

Attamen non ita eremi secreta petierat Damianus, ut amicorum & confratrum suorum memoriam penitus delevisset ex animo, quos immo pluribus visitabat epistolis, & monitis salutaribus fovebat. Pertinet ad hoc tempus epistola [b] ad S. R. E. cardinales Hildebrandum archidiaconum & Stephanum presbyterum, quos claros & eruditos *viros & coram hominibus a Deo factos insignes* appellat. Epistolæ titulus est. *Gemino sedis apostolicæ Hildebrando Petrus peccator monachus indissolubile vinculum caritatis.* In ea Damianus arcana totius mundi creationis mysteria, & sabbatum præcipue diem quietis Domini interpretatur. *Quoniam ego*, inquit, *nuper a vobis carne, non corde, quietis amore disjunctus spirituale proposui sabbatum colere, libet super hoc sabbato cum sancta vestra prudentia succincte quid disputare*. Tum per sabbatum Christum intelligit, in quo spes omnis ponenda, & in quo quiescendum. Primo vero diei fidem assignat, rerum discretionem secundo, tertio sanctorum operum exercitium, quarto splendorem virtutum, quinto desiderium rerum cœlestium, sexto demum rectum attribuit de singulis judicium. Stephanus, cui scribit, ex monacho Cluniacensi creatus a Leone papa IX. cardinalis, legatione functus fuerat in Galliis, iterumque videbimus legatum in Germania hoc anno; ejus honorifice meminit idem Damianus in opusculo *de abdicatione episcopatus* ad Nicolaum, in *Apologetico* ad Alexandrum, & in *disceptatione synodali*.

b *Lib. II. epist.* v.

Sub-

ANN. CHR. 1061.

Subscripsit Stephanus suprarelatæ bullæ Nicolai II. in gratiam Petri abbatis sancti Thomæ ad Aposellam anno 1060. & sententiæ ejusdem pontificis contra Johannem de Crescentio eodem anno. Titulum obtinebat sancti Chrysogoni, seque signat: *Ego Stephanus vocatus monachus & presbyter sancti Chrysogoni ss.* Ipsius epitaphium [a], ab Alphano Salernitano archiepiscopo compositum, est hujusmodi:

a Ughell. T. X. anecd. col. 78.

Stephane, qualis in æde Petri, quantusque sacerdos
Extiteris, novit Gallia cum Latio.
Edidit hæc & nutrivit, timuit. Hoc amavit,
Hoc te dilexit, compsit & auxit idem.
Judicio canonum, noras terrere nocentes,
Et sine lege reos legibus exigere.
Nobilitas, gravitas, probitas & mentis acumen,
Et virtus animi magna fuere tibi.
Quique manere .... cum sol deberet, in urna
Clausus es hac. Requiem det tibi Christus. Amen.

Diversus est Stephanus Cluniacensis ab alio Stephano monacho Casinate itidem cardinale, qui hoc eodem tempore vivebat, & de quo agit Damianus in opusculo *de laude flagellorum* monachis Casinensibus nuncupato. Diversus quoque est, & facile uterque tam Cluniacensis quam Casinas alii sunt a tertio Stephano pariter cardinale & abbate sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe, quem memorabimus sub annis sequentibus.

III. Stephano pariter & Bonifacio itidem cardinalibus.

EIDEM Stephano Cluniacensi & Bonifacio episcopo Albanensi cardinalibus commendat Damianus [b] rectorem monasterii sancti Apollinaris, qui licet claudus, reptaverat ad Fontis-avellanæ monasterium, protectionem ipsius Damiani imploraturus contra ruinam sui loci, vel habitationis excidium. Nisi sermo sit de alio sancti Apollinaris monasterio, quæ ruina nobiliori sancti Apollinaris Classensi Ravennæ cœnobio immineret, pluribus non se explicat Damianus, nosque ignoramus. Abbas autem sancti Apollinaris videtur per hæc tempora fuisse Willelmus, qui anno 1050. interfuerat synodo Romanæ habitæ in causa canonizationis sancti Gerardi episcopi Tullensis, quem sollemni ritu in Sanctorum numerum retulit Leo papa IX.

b Lib. II. epist. 4.

IV. Damianus Gamugni commoratur.

MENSE julio idem Damianus Gamugni prope Faventiam diversabatur. Quid illo ibidem commorante evenerit, enarrat ipse in vita sanctorum Rodulphi & Dominici Loricati his verbis [c]: *Jesu teste, non mentior, quia nec dum tres menses elapsi sunt, ex quo ad me, in Gamugni videlicet eremo diversantem duo adolescentes monachi venerunt, quorum alter de Spoletina monarchia, alter vero de Venetiæ partibus, Polensi videlicet urbe, oriundos se esse dixerunt. Sed Venetus, vocabulo Michael, sicut nobis in confessione perhibuit, in ipso suæ conversionis initio, circulo se ferreo sub hac desiderii sui pactione constrinxit, rogans Dei omnipotentis obnixe clementiam, ut cum locum saluti suæ congruum reperiret, confestim ille circulus frangeretur. Porro autem ipso die, quo eremum novus hospes ingressus est, vix post trium horarum spatium, dum in beati Benedicti regula, sicut est idiota, utcumque syllabatim legeret, repente compunctionis cum spiritu in lacrymas solvit, eodemque momento circulus ille fractus apparuit.*

c Cap. XI.

V. Electio Alexandri II. in papam. Obitus Rodulphi ep. Eugubini.

MORTEM interea oppetierat Romanus pontifex Nicolaus II. Florentiæ die 22. julii, & Damianus pro papæ novi electione ex eremo fuerat revocatus; Hildebrandus autem post tres menses Anselmum episcopum Lucen-

Ann. Chr. 1061.

Lucensem in Romanum pontificem creaverat die prima octobris. De optimo pastore jam provisa ecclesia, ad veterem suam querimoniam rediit Damianus initio ejus regiminis, & *ascendens* ad electum pontificem, & ad Hildebrandum [a], *episcopatus duos, unum regendum, alterum visitandum deponens*, secunda vice *prærupta alpium juga transmisit, moxque sarcina tribulationis abjecta exoneratus & liber, ad dilectam solitudinem tamquam fugitivus postliminio repedavit*, ac occasione nacta, pondus libenter abjecit, quod ultroneus antea non subjerat. Subdit deinde aliqua, quibus videtur non accessisse ad Romanam urbem pro abdicatione præfatorum officiorum, sed alibi accessisse ad eos, puta Lucæ; dicit enim [b]: *Quia vos Apostolica sedes, vos Romana estis ecclesia, quo vos Petrus vobiscum fugiens attrahit, illic esse Romanam ecclesiam omnibus indubitanter ostendit*. Insuper pro *refutatione episcopatus centum* illi fuit *annorum pœnitentia injuncta, per illa nimirum remedia, quæ monasticis sunt regulis instituta*. Ulterius Damiano discedenti *præcepit* summus pontifex [c], *ut numquam literas mitteret, quæ leve quid & oblivione dignum ac frivolum continerent, sed tale ei semper aliquid scriberet, quod & ad ædificationem legentium suscipi, & inter scripturas mereretur authenticas reservari*. Ab Alexandro & Hildebrando itaque *nuper egressus, cum Florentinæ urbis mœnia*, inquit, *subii, nuntius mihi mox repentinus accurrit, qui mihi diem medium in tenebras vertit, omniumque meorum viscerum venas amarissimæ legationis felle complevit; episcopum scilicet Eugubinum esse defunctum, cujus utique conversatio, si recolitur, non mediocriter ædificare poterit audientes. Valet enim & ad exprimendam recte vivendi formam, & ad adhibendam corrigendis moribus disciplinam*. Tum enarrata ejus vita, quam nos per annos disposuimus, sic obitum ipsius describit [d]. *His igitur & hujusmodi virtutum floribus adornatum, quasi candens lilium immaturæ mortis pruina decoxit, itaut cum vix triginta plus minus videretur annorum, ad veræ lucis auctorem ex hac luce infelici migravit. Consummatus in brevi, sicut Scriptura loquitur, explevit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius. Et jure consummatus in brevi, multa tempora dicitur explevisse, quia dum in eo parvo, quod vixit, justitiæ tramitem tenuit, quantum ad se omnia tempora in obsequium conditoris expendit*. Sed de anno emortuali Rodulphi aliqua diximus anno præcedenti, & alia dicemus inferius.

Electus Anselmus in Romanum pontificem, extemplo clero populoque Mediolanensi, ut Ambrosianæ ecclesiæ filius, scribit Damiani manu, antequam hic discederet, epistolam [e], qua eos, post paternam sollicitudinem humanissimis verbis expressam, hortatur, ut nihil terrenum cogitantes ad cœlestia totis nisibus tendant.

VI. Damianus consecrat ecclesiam S. Lucæ Eugubii.

Antequam se in solitudinem reciperet Damianus, Eugubii consecravit ecclesiam sub nomine beati Lucæ evangelistæ, quam sequenti apostolico privilegio sub sancti Petri protectione Alexander papa recepit [f].

Alexander episcopus servus servorum Dei omnibus Eugubinis clero & populo, fidelibus videlicet sancti Petri, salutem & apostolicam benedictionem.

Non ignorat sancta vestra devotio, dilectissimi fratres & filii, quia ecclesiam carissimi fratris & coepiscopi nostri Petri Damiani, in beati Lucæ evangelistæ nomine consecratam, nos in beati Petri apostolorum principis, nostraque tutela ac defensione suscepimus, salva reverentia & utilitate sanctæ Romanæ ecclesiæ, eamque, ut ad orationis & sacrificii gratiam vigeat, ac illibata permaneat, ex apostolicæ sedis auctoritate firmamus. Quapropter quicumque prædictum oratorium qualibet machinatione vel studio destruere vel hostiliter impugnare tentaverit, ab omnipotenti Deo ac beato Petro apostolo excom-

[a] Opusc. XX. cap. 1.
[b] Ibidem.
[c] Vit. S. Rodulphi ad Alexandrum in Prologo.
[d] Ibid. cap. III.
[e] Epist. VII. Lib. V.
[f] T. XII. col. 104. Concil. Labbei.

Ann. Chr. 1061.

excommunicandum se esse non ambigat, & usque ad satisfactionem congruam excludendum se a liminibus sanctæ ecclesiæ, prout dignum est, perhorrescat, sicut dicit apostolus: Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Qui præfatum locum sanctum pro Christi amore coluerit, & intemeratum atque incolumem servare studuerit, ipse quoque per intercessionem beati Petri, templum Christi fiat, & benedictionem sui redemptoris hæreditate possideat. Erat ecclesia hæc de jure monachorum Avellanitarum.

VII. Michaelis Polensis eremitæ Gamugni divinitus franguntur vincula.

a Vit. SS. Rod. & Dom. cap. XII.

Commorante in eadem eremo Avellanensi vel Gamugnensi, ad quam denuo se receperat, Damiano sub finem mensis octobris, paullopost quam recesserat ab Alexandro II. secundum miraculum evenit fractionis vinculorum Michaelis Polensis, de quo superius locuti sumus hoc eodem anno, quod verbis ipsius sancti doctoris referre malumus. [a] *Paullo post, Michael Ravennam urbem, me jubente, perrexit, ut reculas suas atque sarcinulas, quas ibi de navi prodiens reliquerat, exportaret. Illic itaque apud fabriles officinas nova ferreorum nexuum armamenta confixit, multisque se vinculis per diversa membra ipse sibimet judex & reus violenter arctavit. Nam duo dependebant vincula cervice tenus per humeros altrinsecus, hinc ad sexum, illinc usque ad femur, duos vero in coxalibus circulos, duos suscepit in ulnis. Undique igitur tam multiplici constrictione vallatus ad nos rediit, secrete, quod circa se factum erat, ostendit, neve, quod fecerat, immutarem, vix tandem voti compos obtinuit. Sed cum hæc illum ultra vires tormenta gravarent, & ex attritis carnibus jamjam fœtor erumperet, insuper accessit, quod cor fratris gloriam respuentis acrius perturbavit. Cœpit enim hujus mysterii fama prorumpere, & prius per fratrum, deinde per ora supervenientium quorumlibet volitare. Rogavit itaque omnipotentis Dei misericordiam, ut quid sibi super hoc cœpto placeret, per suæ virtutis indicium evidenter ostenderet. Interim vero dum hujusmodi precibus frequenter insisteret, bis per somnium confortatus audivit, quia ferramenta illa jam essent divinitus resoluta. Porro autem in festivitate beatorum apostolorum Simonis & Judæ, quam nuperrime celebravimus, dum nocturno cum fratribus interesset officio, repente duo illa ferramenta, quæ super humeros posita utrinque inferius dependebant, ventremque cum renibus coarctabant, prorsus effracta sunt, & unum in duas, alterum in tres divisum est partes. Ceteri vero circuli non quidem per partes abrupti, sed ita laxati sunt, & quadam facti sunt mollita lenitate flexibiles, ut quodammodo non tam ferrei, quam plumbei viderentur, adeout etiam si vellet defluentibus eis, ac prolabentibus astringere se, ultra non posset. Sic, sic, frater, qui sanctæ devotionis æstuanti fuerat ardore constrictus, pio Dei judicio est mirabiliter absolutus.* Ex qua narratione illud non tantum evincitur sub finem octobris Damianum rediisse iterum in eremum vel Gamugnensem vel Avellanensem, sed probabilius Gamugnensem, verum etiam circa kalendas novembris Alexandro papæ scripsisse vitas Rodulphi & Dominici Loricati, de quibus locuti sumus anno antecedenti.

VIII. Apologeticum Damiani pro sua dimissione episcopatus.

b Opusc. XX.

Negotiis ecclesiasticis vel distenti, vel Damiani subtractione a curia subindignati tam Romanus pontifex Alexander, quam Hildebrandus responsa & epistolas cardinali in solitudine commoranti denegabant; hinc e re sua facturum judicavit Damianus, si Apologeticum alterum ab eo, quod scripserat anno antecedenti ad Nicolaum II. efformaret ob dimissionem episcopatus. Inscriptum est autem opusculum [b]: *Dilectissimis apostolicæ sedis electo, & virgæ Assur Hildebrando Petrus peccator monachus salutem.* Tempus in ipso titulo indicat auctor suæ scriptionis; ante consecrationem nimirum Alexandri II. quod clarius exprimit ad calcem quoque opusculi dicens:

ANN. CHR. 1061.

dicens: [a] *Nos etiam ad ejus*, supple Samuelis, *exemplum*, *auctore Deo*, *cupimus pontificem ordinare*, *ac protinus a proprii pontificatus arce recedere*; nempe cum Ostiensis esset episcopus, ei competebat consecratio electi pontificis. Exempla eadem, sed minorem in numerum affert in hoc Apologetico, quæ attulerat in opusculo de abdicatione episcopatus ad Nicolaum. *Valerii* nimirum *Hipponensis*, *Adelberti martyris*, *Genebaldi Laudunensis*, *Laurentii Sabinensis*, *Boniti Arvernensis*. *Apsarensem episcopum* [b] *e Sclavonico regno Anconitanis litoribus applicitum*, quem *Gaudentium* in opusculo ad Nicolaum appellaverat, in hoc *Petrum* nominat. Aliam insuper causam adducit, cur episcopale munus adeo abhorreret; nimirum quia plerique episcopi tunc vivebant secularibus pejores, vel gulæ servientes, vel inter arma degentes, vel ecclesiastici peculii dilapidatores. De se autem loquens summa animi humilitate, accusat [c] *sales*, *facetias* & *lepores* suos, *urbanitates*, *dicacitates*, *volumina quæstionum*, & *verborum inanium pestes*, *excussum risum*, *turpia joca*, & si quando ab iis vult abstinere, austeritatis & rigiditatis vitiosam affectationem in se notari affirmat. Tum quid sibi acciderit cum episcopo Florentino, Gerardo profecto, inde Nicolao summo pontifice, quem pœnitentia canonica dignum judicavit, eo quod Scachorum ludo vacantem olim repererit, describit. Stephani denique cardinalis, *quem inter primos in mente* gestat *amicos*, protectionem implorat, ut ipsum *eruat de manu Hildebrandi* [d], *sancti illius satanæ*, *blandi illius tyranni*, *qui Neroniana* ipsi *pietate semper condoluit*, *qui* eum *colaphizando demulsit*, qui *aquilino ungue palpavit*, quique dictitabat de Damiano: *Ecce latibulum petit*, *& sub colore pœnitentiæ*, *Romæ subterfugere quærit accessum*, *lucrari machinatur de inobedientia otium*, *& ceteris in bella ruentibus degeneris umbræ quærit opacum*. De Hildebrando cardinali canebat hoc tempore amicissimus ceteroquin Damianus:

Vivere vis Romæ? clara depromito voce:
Plus Domino papæ, quam Domno pareo papæ.

& ad Alexandrum II. scribens:

Papam rite colo, sed te prostratus adoro,
Tu facis hunc Dominum: te facit ille Deum.

scilicet Hildebrandus pro sua prudentia & zelo omnia moderabatur, & Alexandri II. pontificis, urbisque Romanæ erat pene dominus, sed zelo gloriæ Dei, non ambitione ad hoc dominium illectus. Ceterum historiolas, quas etiam ad principalem rem, quam sibi proponit (ut quod sentimus, ingenue fateamur) parum pertinentes huic Apologetico immiscet Damianus, ex relatione ipsius Hildebrandi, qui audiverat ab episcopo Novariense (Oddone) ex ore Leonis IX. summi pontificis, & religiosi cujusdam Pisanæ diœceseos abbatis, forsan Boni, vel Rustici abbatum sancti Michaelis, aut Dominici præsulis sancti Zenonis, desumptas in medium producit. Historia, quam ei narraverat abbas Pisanus, fuit incendium *in quadam Teutonicorum urbe*, quod prædixerat *servus Dei*, *qui juxta monasterium in cella commorabatur*. Nomen hujus servi Dei silentio supprimit Damianus, sed is videtur fuisse Paternus Scottus monachus, qui, ne reclusionis leges violaret, e cella egredi recusans *obiit igne consumptus una cum monasterio & urbe Patherbrunna*, ut ait Marianus Scottus, qui hoc tempore vivebat, quique paullo post per Patherbrunnam transiens, oravit super mattam, super quam crematus est Paternus. Verum incendium hoc contigit anno 1058. & Damianus factum accidisse narrat *proxima hac æstate*, scilicet vel anno 1060. vel 1061. cum Apologeticum de dimisso episcopatu

a Ibidem cap. VII.

b Ibidem cap. III.

c Ibid. cap. VII.

d Ibid. cap. I.

Ann. Chr. 1061.

patu pertineat vel ad finem anni 1061. vel ad initium anni 1062. Sed Pisanus abbas historiæ narrator falli potuit in circumstantia temporis. Miratur Damianus servum illum Dei prænovisse ante triginta dies subsecuturum incendium urbis, & nihilominus ignorasse semetipsum flammis simul atrocibus exurendum. Verum potuit Paternus utrumque prævidere, sed renuit egredi e cella; „ & factum istud excusare potest sola concepti, inquit Mabillonius [a], de perpetua reclusione voti religio: an vero probabile, Deus novit; nullum necdum Paterno ecclesia de ejus martyrio & sanctitate suffragium dedit. " Ista Mabillonius.

a *Annal. T. IV. pag.* 583.

IX. Idem scribit ad Oldericum Firmanum ep.

Referenda ad hæc eadem tempora est Damiani epistola [b] ad Oldericum Firmanum episcopum, cujus nomen reperitur in actis concilii Romani anni 1059. Scripserat Oldericus Damiano cellulam eremi incolenti literas honoris & maximæ æstimationis erga sanctum doctorem plenas. Has laudes pro modestia sua sanctus vir graviter tulit, & quia tantum episcopum, qualis erat Oldericus, mentiri voluisse in ipso extollendo non putabat, eas benevolentiæ illius adscribit. Mala deinde deplorat, quæ tum patiebatur ecclesia præcipue ob schisma Cadaloi, de quo ait: *Ad Dei omnipotentis injuriam, nunc cum unus papa in apostolico sit solio constitutus, alter a finibus Aquilonis destinatur electus*. Sed de Cadaloi schismate anno sequenti; tempus tamen scriptionis hujus epistolæ indicant præfata verba. Inquirit præterea Damianus, an litigare liceat pro ecclesiæ juribus, & sacris testimoniis validisque rationibus comprobare nititur non armis, sed precibus defendenda esse ecclesiastica jura. Leonis IX. Romani pontificis bellum susceptum contra Nortmannos improbat, asserens non ideo sanctum fuisse Leonem, quia bellatorem. Qua in re ita est explicandus Damianus, non quod negaverit utrumque gladium, & jus inesse ecclesiæ, sed Leonis bellicam expeditionem arguerit eo modo, quo & Hermannus Contractus, [c] qui eodem seculo scripsit, ait Leonem victum fuisse *occulto Dei judicio, sive quia tantum sacerdotem spiritualis potius quam pro caducis rebus carnalis pugna decebat, sive quod nefarios homines secum ducebat, sive Divina justitia alias, quas ipsa novit, ob causas nostros plectentes*.

b *Epist. IX. Lib. IV.*

c *In Chron. ad ann.* 1053.

X. Et ad V.. episcopum de frænanda ira.

Saltem ante annum 1058. immo etiam ante præsentem annum 1061. ex mox dicendis, nequit referri Damiani opusculum [d] *de frænanda ira & simultatibus extirpandis V.. reverentissimo episcopo*, apud quem vir sanctus institerat frequenter, ut osoribus suis illum injuste lædentibus sacerdotaliter indulgeret, sed quod non potuerat eatenus proficere verbo, nanciscitur nunc occasionem a corporali molestia, qua Deus episcopum præfatum afflixerat, & vexatione dante intellectum, placabiliorem reddiderat inimicis suis. Gratulatus ergo, quod a morbo convaluisset, monet, ut iracundiæ motus deinceps cohibeat, ab animo suo eradicet odii omnia semina & juxta evangelicæ legis scita, inimicorum suorum offensas relaxet. Porro cum capitibus VI. & VII. exempla congerat Damianus sibi relata *ab Alphano Salernitano archiepiscopo, & a religiosissimo ac veracissimo Casinensis monasterii abbate Desiderio*, quorum ille anno 1057. constitutus fuerat Salerni antistes, hic anno sequenti 1058. Casinati monasterio datus fuerat abbas, nomine V.. episcopi, ut monere debuimus etiam anno antecedenti, venit vel Ugo Calliensis, vel Ugo Humanatensis, vel Ugo Camerinensis, vel etiam Vido Eugubinus, qui ad ea tempora vivebant. Senior Damiano erat hic episcopus, cui opusculum dicavit, doctorque ecclesiæ appellatus, cum ad calcem habeat: *Hæc tibi, venerabilis pater, imperite dictavi, non ut te doceam, qui es auctore Deo doctor ecclesiæ, sed ut turbulentis mihique similibus possem sub allocutionis tuæ occasione prodesse*.

d *Opusc.* xl.

se. Non vereor, quod sancta prudentia tua moleste ferat, si quid sibi junior quisque suggerere cum humilitate præsumat. Cum vero capite IV. mentionem faciat Damianus duorum presbyterorum, qui in Urbinate territorio inimicitias inter se exercebant, quorum alter visione tandem territus, & corde compunctus confugerat *ante decennium* ad sanctæ memoriæ Theuzonem Urbinatem episcopum, a quo, & ab ipso Damiano, qui tunc præsens erat, pœnitentiam annorum & carceralis custodiæ juxta canonum regulas acceperat, ante præsentem annum probabiliter statuendum non est tempus hujus epistolæ; quo admisso ad Vidonem Eugubinum jam defunctum pertinere nequit ea epistola. Nudum Theuzonis nomen legitur apud Ughellium [a], quem hìc *sanctæ memoriæ* titulo decorat Damianus. Theodericus ejus antecessor subscripsit concilio Romano anni 1037. sed & in altero anni 1044. sub Benedicto IX. signatus reperitur [b] *Theudericus Urbinensis*. Fallimur, si idem non est etiam *Theodericus Orbiensis episcopus*, cujus nomen reperitur in synodo Leonis IX. anno 1050. in subscriptionibus ad canonizationem sancti Gerardi Tullensis [c] apud Mabillonium. Si autem Theuzo Theodorico successit, id contingere non potuit ante annum 1050. Pariter si addatur decennium, quod fluxit a facto, quod narrat, ad epistolam, quam scripsit Damianus V.. episcopo, manifestum erit epistolam hujusmodi pertinere ad hunc circiter annum. Theuzoni in Urbinate sede successit Mainardus, de quo annis sequentibus aliqua dicemus. Capite V. vel erravit Damianus referens accidisse cuidam, quod paucis ab hinc annis, variatis tamen aliquot circumstantiis, Florentiæ acciderat Johanni-gualberto de imagine Salvatoris in cruce pendentis, qui caput inclinaverat, ut ejus animi generositatem comprobaret, qua inimico in honorem vivificæ crucis pepercerat, vel potuit parum absimile factum alibi etiam contingere, vel demum Johannis-gualberti nomen occultare Damiano placuit, licet Gualberti factum ad omnium notitiam venisset, celebreque evasisset.

a T. II. col. 385.

b Concil. T. XI. coll. 1283. & 1302.

c Annal. T. IV. p. 739.

XI. Theobaldi fama in Gallias usque penetrat.

FAMA Theobaldi erumpens e Vicetinis latebris in Galliam usque perrexerat. *Audiens igitur* [d], ait Petrus in ejus vita, *pater Arnulfus inclytam famam beati filii, Romam ire, & sanctorum apostolorum limina visere instituit, ut inter eundum diverteret carissimum filium ante visitare. Quia vero vir electus sancti Spiritus receptaculum mundum se ipsum præparaverat, spiritu prophetiæ frequenter illustratus fuit, sic in hoc, & in aliis claret certis indiciis. Diem siquidem adventus patris prænuntiavit Odoni fideli ministro ad villam ire volenti, ut cito reverteretur, quia hospites ea die essent accepturi. Qui instando dum requireret, quos? nominatim patrem Arnulfum, Henricum militem, Odonem presbyterum, Herchenbertum venatorem cum pluribus aliis respondit. Regressus a Roma sancti Theobaldi genitor, quæ vidit, & audivit de bonæ indolis filio fidelis interpres, matri domnæ Willæ cuncta narravit. Qua secum assumpta cum multa nobilitate ad eum venerunt, ejusque visione nimium gavisi sunt. O quantis lacrymis mater exundavit, cum gauderet inventum, quem doluerat amissum! quæ inter lacrymosa suspiria dubitavit pene quid mallet, quia & patriam cum viro & liberis nolebat deserere, nec ab unicæ dilectionis filio Theobaldo volebat separari. Tamen vicit amor filii, immo amor Christi vicit amorem seculi. Nam abruptis omnibus retinaculis seculi, soli Domino Deo cum filio servitura adhæsit. Fortis enim est, ut ait Salomon, dilectio, dura ut mors æmulatio. Per filii dilectionem pervenit ad caritatem Dei, & quæ magnam in mundo possederat prædiorum amplitudinem, unius brevis cellulæ cum filio, Deo famulatura, elegit solitudinem. Cui filius cum tanta humilitate obsecutus*

d Num. XVIII.

Ann. Chr. 1061.

tus est, ut non queat facile enarrari. Ex hoc vero ejus obsequium potest argumentari, quod nullo hyemis tempore, nulla frigoris inclementia ingruente, a conspectu reficientis matris, nec ad modicum passus est abesse. Illustris profecto & pia matrona Willa, eremitarum mulierum sub obedientia viventium perfectum exemplar! Quinque vel sex annos una cum filio in paullulum remota cella, ut colligitur ex Petro abbate, Deo laudis & poenitentiæ sacrificium obtulit; supravixit illi in eadem solitudine saltem duodecim annis; in vivis enim adhuc erat, cum filii sui Theobaldi sacrorum pignorum pars anno M. LXXVIII. ab Arnulpho altero suo filio fuit ei in Salanicensi solitudine ostensa, & inde Latiniacum translata.

Hoc tempore ipsius Theobaldi celebritate, & fama excitati complures nobiles viri, in Galliis orti seculo valedixerunt, & ut loquuntur Hariulphus abbas Aldemburgensis scriptor, & Lisiardus episcopus Suessionensis, qui vitam recognovit, & fuerunt Theobaldo suppares, in vita sancti Arnulfi episcopi itidem Suessionensis, solitarii nostri exemplum alte impressit in multorum mentibus victoriam & triumphum, quem ipse de mundo retulerat. Ajunt enim [a]: *Eodem quippe tempore Tedbaldus nobilis adolescens clam diffugiens a comparium consortio, exul & pauper Domino militavit, & coronam præmiorum extemplo consecutus, victoriam, qua nunc fulget, in multorum mentibus plantavit.* Equidem scimus testimonio illustris Guiberti abbatis Novigenti, Ebrardum comitem Britoliensem in Picardia ejus exemplo inter ceteros ad meliorem frugem conversum, & postquam vacavit iisdem laborum exercitiis, quibus vacaverat Theobaldus, amplexum fuisse institutum monasticum in Majori-monasterio apud Turonos.

a Ap. Mabil. Sec. VI. P. II. p. 514.

XII. Consignandus huic anno obitus Rodulphi ep. Eugubini. Quo mense obierit?

MORTEM Rodulphi episcopi Eugubini retulimus superius ipsissimis verbis sui magistri Petri Damiani. Non attendimus Jacobillium, qui dum scribit natum Rodulphum anno 1040. & duodevigesimo ætatis suæ anno electum episcopum anno 1058. & demum ad superos evolasse anno 1070. tripliciter errat, tres falsas notas chronologicas, nativitatis, episcopatus, & mortis adducens. Credibile-ne putari debet Damianum severissimæ disciplinæ virum passum fuisse, ut vix egressus pubertatis annos juvenis Rodulphus decem & octo annos natus, consecraretur in episcopum? Verisimile-ne pariter redditur Rodulphum decimo-octavo suæ ætatis anno monasticam sub Damiano jam exercuisse palæstram, & tamquam veteranum ad altiorem episcopatus gradum conscendisse? Certe id adversatur ipsius Damiani auctoritati, qui conceptis verbis habet Rodulphum septennio ante obitum, & antequam ejus vitam scriberet, se addixisse suæ disciplinæ, septenniumque ipsum vix complesse partim in monastico, partim in episcopali officio. De Rodulpho nil agunt in actis Sanctorum Bollandiani socii, asserentes ipsum apud Eugubinos nullum obtinere cultum. Verum Jacobillius [b] affirmat corpus ipsius repositum fuisse super aram in ejus honorem erectam, ubi etiam hodie colitur, & claruisse signis multis & prodigiis; & [c] in catalogo, quem subjunxit de insignioribus reliquiis Sanctorum, quæ asservantur in Umbria, habet: „ In ecclesia cathedrali urbis „ Eugubinæ quiescunt sacra corpora Mariani Lectoris, & Jacobi Diaconi „ martyrum, quibus dicta ecclesia est dicata, item sanctorum Fructuosi & „ *Rodulphi* & beatorum Theobaldi & Villani episcoporum ejusdem se- „ dis: " Hugo Menardus in martyrologio ordinis Benedictini edito anno 1629. titulum *Sancti* ei tribuit ad diem XXVI. junii his verbis: „ Sancti „ Rodulphi episcopi Eugubini magnæ austeritatis viri. " Ferrarius quoque eum Sanctis accenset in catalogo generali ad eamdem diem XXVI. junii; qua etiam die festum ejus assignatur. Verum cum obierit anno integro

b T. I. p. 660.

c Ad calcem T. III. p. 4.

post

Ann. Chr. 1061.

post Dominicum Loricatum, & Loricatus defunctus fuerit die XIV. octobris, Rodulphum quoque circa eum mensem anni sequentis defunctum fateamur, necesse est. Præterea statim post mortem Rodulphi Damianus ejus vitam scripsit, quam aliquot dies penes se retinuit defectu tabellarii, qui eam deferret. Hoc brevi intervallo temporis subjecit vitam prædefuncti Dominici Loricati, integramque epistolam complevit vel sub exitum octobris, vel sub initium novembris, ut colligitur ex illis verbis: *In festivitate sanctorum apostolorum Simonis & Judæ, quam nuperrime celebravimus*. Confirmantur hæc attenta die electionis Alexandri papæ secundi, quæ contigit prima octobris; etenim tantum post ejus electionem discessit ab ipso Damianus, & Florentiam pertransiens nuntium habuit mortis Rodulphi; ergo obitus Rodulphi amovendus est a die XXVI. junii, & assignandus ad aliquam diem octobris. In necrologio mss. Avellanensi nulla fit Rodulphi memoria. Ughellius [a] errore scripsit Damianum exarasse, & ad Alexandrum II. papam legendam misisse Theobaldi pro Rodulphi vitam, ut Ughellium emendavere Papebrochius [b] in Actis Sanctorum, & Italiæ sacræ illustrator Coletus. Ceterum minime attendendum est chronicon Eugubinum ab anno M. CCCL. usque ad annum M. CCCCLXXII. italice scriptum a Guernerio Bernio Eugubino, e ms. codice Vaticanæ bibliothecæ primum editum a Muratorio [c], qui Rodulpho quidem titulum Sancti apponit, sed [d] male auctorem & ædificatorem eremi Fontis-avellanæ facit, quem etiam, cum vitæ sanctitate & asperitate floreret, a Romano pontifice electum fuisse subdit episcopum Eugubinum; triginta vero annorum ætatem assecutum migrasse in Christo. Rodulpho defuncto insuper asserit ex prædicta eremo successorem datum fuisse in episcopatu sanctum alterum virum, Dominicum nomine, summæ abstinentiæ & sanctitatis gratia præditum; cui Dominico in episcopali regimine suffectum dicere pergit monachum alium dictæ eremi Johannem Laudensem, qui longo tempore in episcopatu vixit, multaque mira operatus est vivens & moriens, quique obiit anno Domini 1106. sub Paschali II. & Henrico IV. imperatore. Nemo non videt, paucis verbis plures errores complexum fuisse auctorem hujus chronici tam quoad Rodulphum, quem cum Ludulpho confundit, quam quoad Johannem Laudensem, qui neque annum complevit in episcopatu Eugubino. De Dominico episcopo alibi.

a T. I. col. 635.

b Maji T. III. p. 630. n. 9.

c Script. rer. Ital.

d In introduct.

XIII. Chartæ ad varia monasteria spectantes.

Murico abbati sancti Victoris de Clusis Ursi successori donationem legimus factam *in ani domini mille sexaginta & unum, & temporibus domno Gotefredu dux & marchio anno ejus tercio, & die mense aprelis per indicione tertiadecima*, legendum tamen *quartadecima*. Ergo non ab anno 1057. quo in gratiam rediit Gothifredus Henrici regis & Agnetis ejus matris, sed ab anno 1058. & quidem ad finem vergente, ducatus sui & marchionatus regimen resumpsit, vel saltem ab eo anno epocham sui dominii in Thuscia fixit Gothifredus. Aliam reperimus paginam signatam: *Ani Domini mille sexainta & unum, & temporibus donno Gotefredo dux & marchio anno ejus tercio, & die mense september per indicione quintadecima*, inchoata nimirum ab eodem mense septembri. Chartarum harum extantium in archivo sanctæ Catharinæ de Fabriano partem exhibemus in Appendice, ad quam etiam remittimus donationem Alberti marchionis filii quondam Opithonis marchionis lege viventis Langobardorum (testamentum fecerat Albertus anno præterito, quod a Muratorio profertur [e]) erutam ex archivo Pisano, & jam editam ab eodem Muratorio [f]; qua munificum se præbuit hoc anno 1061. erga monasterium sancti Michaelis de castro Marturi, cui præsidebat Johannes abbas. *Hactum infra castrum*

e Antich. Estens. p. 245.

f T. II. Antiq. med. ævi col. 1089.

Casale

ANN. CHR. 1061.

Casale-majore. Albertus marchio & Opizo ejus pater ex progenitoribus fuerunt familiæ Estensis, de quibus consulendus Muratorius capitibus VII. & XXV. Antiquitatum Estensium. De monasterio autem sancti Michaelis in castro Marturi plura diximus ad annum 998. occasione ejus originis, & primi ipsius abbatis sancti Bononii.

Exurgebat in urbe Pisana hospitium pauperum, quod fundatum & ædificatum fuerat prope ecclesiam sancti Martini & sancti Frigdiani, ubi hoc anno domnus Leo presbyter præses erat. Ei hospitio Bellus filius bonæ memoriæ Dominici obtulit terras aliquot *anno ab incarnatione Domini millesimo sexagesimo secundo*, stylo Pisano, qui proinde erat M.LXI. stylo Romano, *quarto nonis madii indictione quartadecima*. Hospitium hocce, de quo hæc prima nobis occurrit memoria, proxime sequentibus annis eremo Camaldulensi cum omnibus suis bonis donatum fuit; donationis autem chartam a Bello Leoni factæ edimus in Appendice ex tabulario monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

Hoc eodem anno mense decembri refertur in summariis Baroncinii [a] oblatio facta a Rolando olim Benzi, & a Benzo filio olim Bosi Martino eremitæ Camaldulensi, recipienti vice domni Rustici prioris Camaldulensis, unius mansi positi in casali *de Monte*. Facile Martinus hic venerabilis ille eremita est, quem *magnæ opinionis virum*, *diversis virtutibus adornatum*, *& præcipue jugibus lacrymarum fluentis irriguum* appellat in suis epistolis Damianus, nisi etiam fuerit alter Martinus, qui Rustico priori post Rodulphum successit in regimine eremi Camaldulensis. Wido pariter episcopus ecclesiæ sanctæ Mariæ Volaterrarum una cum canonicis sui episcopatus quædam bona commutat anno præsenti cum Andrea abbate monasterii sanctorum Justi & Clementis prope muros ejusdem Volaterranæ urbis. Postrema hæc pagina reperitur in archivo [b] cœnobii sanctæ Mariæ in Gradibus Arretinæ civitatis.

a §. *Amissæ* 14. *A*. 43.

b *Num*. 9.

ANN. CHR. 1062.

XIV. Damianus tuetur Alexandrum II. verum pontificem.

ELECTUS fuerat, ut vidimus, curante potissimum Hildelbrando cardinale, prima die octobris anni elapsi in Romanum antistitem Anselmus episcopus Lucensis; quantæ exinde causa ejus electionis turbæ exortæ fuerint, a nullo clarius & fusius describuntur, quam a Damiano, qui licet post electionem Alexandri & ab octobri anni præcedentis per aliquot menses se subripuisset a curia & ab urbe Romana, ut solitudini suæ penitus vacaret; maximum tamen adjumentum in tanta rerum perturbatione ecclesiæ Dei & legitimo pontifici præstitit. Sed rem a suis exordiis & ex ejusdem Damiani opusculis repetamus. Statim post Nicolai mortem [c] *Stephanus cardinalis presbyter apostolicæ sedis*, Cluniacensis nimirum, *vir gravitatis & honestatis nitore conspicuus*, *virtutum floribus insignitus*, *cum apostolicis literis ad aulam regiam missus* fuerat a ceteris cardinalibus, ubi in Germania post mortem Henrici III. imperabat tutorio nomine Agnes impuberis regis Henrici IV. mater. Cum in Germaniam pervenisset Stephanus, ab aulicis administratoribus, vel ab ipsa imperatrice, ut in sui excusationem adducebant aulici, *non est admissus*, *sed per quinque fere dies ad beati Petri & apostolicæ sedis injuriam præ foribus mansit exclusus*. *Quod vir gravis & patiens æquanimiter tulit*, *legati tamen officium*, quo fungebatur, *implere non potuit*, immo sine ullo effectu demandatæ sibi provinciæ ex Germania reversus fuit in Italiam. Hæc animo suo versans Hildebrandus, ulterius immorandum non esse ratus, Anselmum episcopum Lucensem eligendum in Romanum pontificem proposuit, quem etiam ceteris cardinalibus annuentibus, Nicolao II. in supremum ecclesiæ episcopa-

c *Opusc*. IV.

tum

ANN. CHR. 1062.

tum successorem dedit. Audita electione episcopi Lucensis in summum orbis christiani hierarcham, antistites complures Lombardiæ, qui cupiebant pontificem sibi dari minus rigidum, hunc *ex paradiso Italiæ*, hoc est ex Lombardia repetendum dictitabant; aliquos ergo sui ordinis extemplo in Germaniam mittunt pro nova Romani pontificis electione. Gerardus pariter comes Galeriensis, abbas quoque sancti Gregorii ad clivum Scauri cum aliis Romanis civibus, creationi alterius pontificis *longe prius infatigabiliter* insistebant, & inhiabant. Pellexerant nimirum Cadaloum Parmensem episcopum *in hoc negotium*. Erat Gerardus anathemate & maledictionibus irretitus omnium fere pontificum, quicumque Romanæ ecclesiæ ipsius temporibus præfuere, & [a] *paullo antequam moreretur, propter ducem & archiepiscopum Anglorum, quos a beati Petri liminibus redeuntes invaserat, spoliaverat, & usque ad mille Papiensis monetæ libras diripuerat* Gerardus, *in plenaria synodo, papa Nicolao præsidente, excommunicatus & extinctis luminaribus sub perpetuo anathemate fuerat damnatus*. Archiepiscopus Eboracensis Aldredus [b] missus fuerat Romam anno 1059. Nicolai secundi tempore ab Eduardo rege, pro obtinendo privilegio ad favorem monasterii West-monasteriensis; in hunc proinde veri speciem habet Gerardum exercuisse suas rapinas. Interitus ejusdem Gerardi videtur contigisse paullo post Cadaloicum conflatum schisma. Abbas autem sancti Gregorii erat per hæc tempora Stephanus cardinalis, ut ex chartario ejusdem monasterii liquet, & vel Stephanus Casinensis vel alius, certe non Cluniacensis, qui stabat mordicus pro Alexandro. His ergo agentibus & adjuvantibus, concilio seu potius conciliabulo in Germania coacto, exsufflante etiam Ugone Blanco cardinali, sed perduellionis in ecclesiam Romanam reo, electus fuit die XXVIII. octobris ejusdem anni 1061. in festo sanctorum Simonis & Judæ, contra verum pontificem Alexandrum anti-papa Cadalous, cancellarius olim Henrici III. inde Parmensis episcopus, qui jam *in tribus conciliis synodalibus, Papiensi, Mantuano, & Florentino* fuerat damnatus. Præ ceteris ejus electoribus notantur a [c] Damiano *Placentinus & Vercellinus episcopi, qui multum petulci ac proletarii, sicut norunt disputare de specie feminarum, sic utinam potuissent in eligendo pontifice perspicax habere judicium*. Vercellensis episcopus fuit Gregorius, qui, teste Hermanno Contracto, excommunicatus fuerat in synodo Romana post pascha anni 1051. a Leone papa IX. Placentinus autem erat Dionysius, quem tamdem ob favorem Cadaloici schismatis, de concubinatu insuper reum compertum, præclusa omni reditus spe, Gregorius papa VII. de sua sede deturbavit. Sed nec illud ad pleniorem Cadaloi historiam habendam reticendum, quod cum Veronensis civis esset & vicedominus anno 1040. cathedralis patriæ suæ ecclesiæ, cancellarius inde Henrici III. imperatoris, postea vero episcopus Parmensis, anno 1046. monasterium sancti Georgii in Braida prope urbem Veronensem reædificavit, ut usui esset monachorum ordinis sancti Benedicti, atque amplissimis redditibus dotavit, auctis hoc anno 1062. a Milone filio Ugonis comitis Veronensis. Cœnobium hocce, cujus ecclesiæ documenta spectantia ad annum 780. reperiisse testatur Canobius apud Blancolinium [d], sanctimonialium domicilium fuit, inde monachorum, tum canonicorum regularium ad annum 1127. subinde in commendam devenit ab anno 1387. usque ad annum 1442. quo canonicis congregationis sancti Georgii in Alga Venetiarum assignatum fuit, qua congregatione postremo extincta anno 1668. bona ipsius monasterii publica auctione fuere divendita partim asceteriis nobilissimis sancti Zachariæ, & sanctæ Catharinæ

a Ibidem.

b Conc. T. XII. col. 159.

c Lib. I. epist. 20.

d T. II. pag. 484. chiese di Verona.

Ann. Chr. 1062.

rinæ Venetiarum, partim monachis nostris sancti Michaelis de Muriano. Sed ad schisma redeamus.

Inter alia, quæ causabant consiliarii & aulici Germaniæ (nam *regem & Agnetem matrem cum ætatis infirmitas, tum fragilitas sexus excusat*, ait Damianus) illud præcipuum fuit, quod inoleverat prava consuetudo, ut Romanus pontifex eligi non posset, nisi prius obtenta imperatorum licentia, & *Henricus* III. *imperator factus fuerat Patricius Romanorum, a quibus etiam acceperat in electione semper ordinandi pontificis principatum*. Accesserat, quod *Nicolaus papa* II. *hoc regi ipsi Henrico* IV. *privilegium, quod ex paterno jam jure successerat, præbuerat, & per synodalis insuper decreti paginam confirmaverat*. Cui tamen privilegio aptissime derogatum respondet Damianus, demonstrans in minori ætate Henrici, sicut mater Agnes erat tutrix in rebus temporalibus, ita ecclesiam Romanam fuisse matrem in rebus spiritualibus, ac proinde potuisse cardinales, non expectata regis licentia, novum pontificem creare.

XV. Ea super re scribit ad Henricum regem.

Prima ergo Damiani opera pro legitimo pontifice Alexandro fuit missio epistolæ ad ipsum Henricum regem [a], qua describit Parmensis episcopi Cadaloi scelus adoriendi apostolicam sedem. Gaudere scribit de hac divisione ecclesiæ aliquot ex consiliariis illius, quod tamen de quibusdam sanctis viris, qui ejus consuevere interesse consiliis, nefas esse ait credi; quo nomine Annonem in primis Coloniensem episcopum intelligit. Stimulis ergo sanctus doctor regis animum impellere conatur ad opem ecclesiæ ferendam, & apostolica libertate pene cogit.

a *Epist.* III. *Lib.* VII.

XVI. Et ad Cadolaum anti-papam binas epistolas.

Stylum deinde suum convertit [b] in Cadaloum, cujus ante oculos magnitudinem sceleris ponit exagitandi Dei ecclesiam, & altare contra altare erigendi. Exprobrat ipsi, quod *in multis illi Romana pepercit ecclesia, frequenter ab ipso legitimi rigoris cohibuit disciplinam, adeout asserant, qui se interfuisse fatentur, quod in tribus jam conciliis synodalibus, Papiensi scilicet Mantuano & Florentino perspicua damnationis* in illum *sententia claruit, ubique tamen sedes apostolica maternæ pietatis affectu illi clementer indulsit; & dum* ecclesia *studuerit canonum* circa illum *coercere rigorem*, ipse non veritus fuerit *adversus eam hostilem redhibere tyrannidem*. Cadalous in his conciliis damnatus fuit, antequam Romanam sedem invaderet. Exprobrat, quod sine consensu senatus, cleri inferioris ordinis, populi, *cardinalium episcoporum, qui videlicet & Romanum pontificem principaliter eligunt, & quibusdam aliis prærogativis non modo quorumlibet episcoporum, sed & patriarcharum atque primatum jura transcendunt*, ad supremum ecclesiæ apicem pervenire ausus fuerit, electus *ab alienis*. Exprobrat demum, quod *præbendarum ecclesiæ* Parmensis *damnanda commercia aliaque longe turpiora hactenus in Cadaloi tantum narrabantur oppidulo, nunc alter ad alterum ubique regni hujus & mercatores loquantur in foro, & fossores in agro*.

b *Epist.* XX. *Lib.* I.

Narrat in ea epistola historiam, quæ alibi inaniter quæreretur [c]. *Quod mihi*, inquit, *a senioribus intimatum est refero: In Babyloniæ partibus possessionem apostolica sedes habebat, unde tantum balsami redditum per annos singulos capiebat, quod indeficienti fomite sufficeret lampadi, quæ videlicet ante altare beati apostolorum principis rutilabat appensa. Quam possessionem, accepta pecunia, papa distraxit, canonemque aromatis, quem recipere solebat, amisit. Aliquanto post, cum idem papa prædicto sacrosancto altari quasi devotus assisteret, & oraret, ecce quidam terribilis & grandævus senex, in cujus etiam facie barbirasium videbatur, elato brachio, colaphum sibi vehementer incussit, & ait: Tu extinxisti lucernam meam ante me, & ego extin-*

c *Ibidem.*

tinguam lucernam tuam ante Deum ; moxque disparuit . Ille vero protinus corruit, & paullo post diem clausit extremum. Sic sic nimirum meretur corripi, qui illi se præbet adversum, qui cœli terræque primus pastor obtinet principatum. Quis, oro, duorum paparum duriori tibi videtur austeritate plectendus? Utrum ille, qui sacri altaris lucernam præsumpsit extinguere ; an tu, qui totam universalem ecclesiam per furtivæ promotionis exordium niteris obscurare? Tandem nisi resipiscat , mortem intra annum amaro tristicho minatur. *Diligenter igitur*, ait, *intende, quod dico:*

> *Fumea vita volat, mors improvisa propinquat,*
> *Imminet expleti præpes tibi terminus ævi.*
> *Non ego te fallo, cœpto morieris in anno.*

Cum parum prima epistola sua profecisset Damianus, secundam addidit ad eumdem Cadaloum dicens [a]: *Scripsi tibi nuper, antequam Romam cum satellitibus satanæ fuisses ingressus, denuntians & contestans , ut te a tam cruenti moliminis intentione compesceres* &c. Pejora enim de die in dies audens Cadalous Romanam urbem cum exercitu violenter ingressus , certamine inito, cruentissimæ cædis auctor extiterat , adeo *ut plebis invalidæ atque imperitæ cæsorum numerus ignoraretur*. Lenitate itaque primæ epistolæ dimissa , severius contra ipsius strages & simonias detonat Damianus , ac propinquum divinæ ultionis fulmen denuntiat , historiam narrando depositionis Johannis episcopi Placentini anti-papæ , *qui ad instar tui* , ait , *sublimitatis & gloriæ satis superque ambitione flagravit* , *adeo ut prius ante se gestandam, sicut & tu nunc agere diceris, crucem argenteam impetraret*; de qua depositione nos ad annum 998. egimus. Contigit hæc Cadaloi invasio mense aprili hujus anni, & plurimum sanguinis ex utraque parte fusum fuit; verum opem ferente Romanæ urbi Gothifredo duce & marchione Cadalous exercitum suum dissipatum conspiciens Parmam se recipere fuit coactus.

a Lib. I. epist. 21.

XVII. Ejusdem literæ ad Alexandrum pp. II. & ad Hildebrandum cardinalem.

INTEREA a quodam *discolo presbytero* redditæ Damiano fuere literæ Alexandri papæ, quibus ipsum monebat, ne *propter contemplationis studium* negligeret epistolare commercium. Respondet Damianus [b], quod licet idem summus pontifex Alexander *de ponderis episcopalis abiectu* secum *unanimiter concordasset* , tantis tamen adventantium molestiis , causarumque simul negotiis ingruentibus otium ipsius contemplationis interrumpebatur , ut eo potiri non permitteretur ; quinimmo *a se non pontifice pontificale* plures *niterentur extorquere judicium*; *& hoc modo*, subdit, *qui episcopatum fugio, episcopum non evado, & sub sacerdotali fatigor onere, qui sacerdotalis solii dethronizatus sum dignitate*. Deficiente pariter antiquario , qui transcriberet , asserit se nequire aliquid dictare . Post hæc invehitur in laicorum , quin etiam clericorum inscitiam , ex qua gradum sibi faciens summa animi libertate & zelo enumerat immania scelera & flagitia, quæ ab hominibus illius tempestatis committebantur, commessationes nimirum , adulteria, direptiones, latrocinia, sine ullo metu aut veneratione divinarum humanarumque legum . In tanta animi sui conturbatione ob ingentia hujusmodi mala, illud tamen affirmat sibi jucundum allatum fuisse nuntium a Romano quodam, qui pontificem quidem accusabat, Damiano vero compatiebatur, eo quod Ostiensis comitatus illi subtractus alteri traditus fuisset; *divinam* autem *implorat clementiam*, *ut & episcopatum quantocius ordinare non differat* idem pontifex . Superiora vitia ideo Alexandro descripsit Damianus, ut pro ipsis coercendis sedulam navaret operam . Epistolam hanc impolito stilo se scripsisse dicit , quia *Cadalous draco teterrimus sufflat*,

b Lib. I. epist. 15.

Ann. Chr. 1062.

sufflat, & *quia synodus imminet*, *pedestres etiam versiculos* transmittit. Alludit nimirum ad synodum, quæ post expulsionem anti-papæ ex Romana urbe celebrata fuit mense majo in ecclesia Lateranensi ab Alexandro, in qua synodo anathema dictum fuit contra refractarium & schismaticum, perduellionisque reum infensissimum Cadaloum, ad quam vocatus est & Damianus, qui etiam interfuit, ut mox videbimus.

a Lib. II. epist. 8.

Commorans adhuc in eadem solitudine Damianus conqueritur cum Hildebrando archidiacono cardinale, qui torvis oculis ferebat Damiani recessum a Romana urbe, quod [a] *ejus mens circa se non valeat mitescere*, *ita ut nullum verbum vel ad se*, *vel de se proferat*, *quod ad caritatis videatur pertinere officium ; cum tamen postquam Romanæ ipse alligatus fuerat ecclesiæ*, semper pro Hildebrando stetisset, voluntates ejus secutus fuisset tamquam canones, *in omnibus* ipsius *certaminibus se commilitonem*, *se pedissequum & quasi fulmen injecisset*. Testem insuper esse domnum Cluniacensem, in quanta benedictione Hildebrandi nomen sit in Damiani labiis. Melius quam Hugonem abbatem Cluniacensem hoc loco intelligit Damianus Stephanum cardinalem, Cluniacensem olim monachum. Episcopatum postremo, quem dederat, per has literas eidem Hildebrando reddit, omneque jus & potestatem, quæ sibi super eum competere viderentur, funditus abscindit.

XVIII. Concilium Lateranense, ubi discussa causa Benedicti Foro-sempronienfis & Willelmi Senogalliensis episcoporum.

Putavimus aliquando nullam in Romana urbe habitam fuisse synodum hoc anno mense majo, quo omnia sanguinis furorisque erant plena; VIII. enim kalendas aprilis, ut ait Benzo, vel die quarta-decima ejusdem mensis, ut habet auctor vitæ Alexandri II. quam posteritati servavit cardinalis Aragoniensis, cum exercitu Urbem ingressus est Cadalous, variusque fuit belli eventus, donec Gothifredo duce adveniente victoria cessit militiæ legitimi pontificis Alexandri. Hinc confirmari existimabamus sententiam illorum, qui acta concilii hujus anni ad annum 1070. amandant. Verum in Lateranensi ecclesia etiam hoc anno congregatum fuisse episcoporum numerum, cui Alexander præsedit, expiscari credimus ex supralaudatis Damiani verbis: *Quia Cadalous draco teterrimus sufflat*, *& quia synodus imminet* &c. quæ verba ad præsentem annum sunt referenda, quo Damianus otio contemplationis gaudere exoptabat, ut de se refert in toto epistolæ suæ textu. Exploratum quidem est, etiam anno sequenti cum majori satellitum manu Cadaloum Romanam urbem invasisse, & anno sequenti pariter copiosum episcoporum concilium habitum fuisse in eadem Lateranensi basilica; sed ante eam synodum Damianus partim Casini moras trahebat, partim Florentiæ ad turbas ejus urbis sedandas distentus erat, ut videbimus, quare solitudinis & sancti otii minime erant tempora illa. Neque bellum vigens intra Romana mœnia episcoporum conventum impedire potuit ea ratione, qua nec anno sequenti iterato exortum impedivit. Concilium itaque Laterani coegit mense majo hujus anni Alexander. Excommunicatus in ipso fuit Cadalous, præsente etiam Petro Damiano in his turbulentissimis rebus & temporibus Romam e solitudine sua evocato. In eodem pariter concilio die decima maji sententia lata dicitur in favorem Benedicti episcopi Foro-sempronienfis, quæ inserta legitur apud Ughellium [b] diplomati Honorii papæ III. concesso Monaldo episcopo ejusdem ecclesiæ anno 1224. Scilicet quæstio vertebat inter Benedictum Foro-sempronienfem & Guilielmum episcopum Senogalliensem, ad quam diœcesim pertineret massa Sorbituli, in eam enim uterque jus prætendebat, & pro judicio interpellatus fuit Petrus Damianus, ut apud Labbeum [c] legitur in actis hujus synodi, quæ subjicimus; illud tamen animadvertentes corrigendam

b T. II. col. 829.

c T. XII. col. 114.

ANN. CHR. 1062.

dam esse indictionem XIII. ad calcem appositam, & substituendam XV. quæ decurrebat hoc anno. Si quis vero indictionem VIII. legere maluerit, ut sic legi in diplomate asservato in tabulario ecclesiæ Foro-sempronienfis testatur Sartius [a], causa hæc discussa fuerit in concilio Romano anni 1070. ad eumque annum pertinebit. Acta porro sunt hujusmodi.

Cum in Dei omnipotentis nomine & reverentia in sacrosancto Lateranensi palatio dominus papa Alexander cum quampluribus resideret episcopis, quorum hæc sunt nomina, quæ sequuntur. In primis dominus Ildebrandus S. R. E. archidiaconus, necnon & dominus Petrus Damianus Ostiensis ecclesiæ episcopus, & dominus Bonifacius Albanensis episcopus, & dominus Mainardus Sutriensis episcopus, & dominus Hugo Eugubinensis ecclesiæ episcopus, & dominus Mainardus Urbinatensis episcopus, & dominus Arduinus Fanensis episcopus, & dominus Guillelmus Humanensis episcopus, & dominus Hugo Calliensis episcopus, & dominus Dominicus Pisaurensis episcopus, & dominus Lotharius Auximanæ ecclesiæ episcopus, & alii quamplures; in quorum omnium præsentia surgens Guillelmus Senogalliensis episcopus inquit. Domine pater reverende, vestræ sanctissimæ conqueror pietati super fratre nostro Benedicto Forosemproniensi episcopo, qui quamdam ecclesiam nostræ diœcesis, cujus vocabulum est sancti Johannis, quæ dicitur in Sorbitulo, cum suis ecclesiis eidem massæ, quam nobis nostræque ecclesiæ sacram contendit, & sibi temere usurpare præsumpsit, unde vestram deprecor pietatem, ut nostræ ecclesiæ justitiam facere dignemini. Tunc dominus Petrus Damianus cœpit exponere, quatenus dominus Victor S. R. E. antistes, Foro-semproniensis ecclesiæ motus pietate paupertatis ejusdem, cum decimis & oblationibus vivorum & defunctorum, cum oblationibus universis miserando concesserit, suoque dominio mancipaverit ejusdem massæ ecclesias universas, iisdem redditibus prælibatis, quo referente idem cæteri protestati sunt, hæc vera esset assertio. Quod audiens dominus papa Alexander, cunctis audientibus placido ore inquit; quod a prædecessore nostro bonæ memoriæ domino Victore vobis referentibus statutum agnovimus, firmum & ratum esse censemus; & præcipimus, ut deinceps dominus Guillelmus Senogalliensis episcopus, nec illius successores inquietare audeant Benedictum Foro-semproniensem episcopum, vel ejusdem successores in perpetuum. Quod si amplius inquietare tentaverit, sit in pœna ducentorum solidorum aureorum, medietatem (supple: *sacro nostro Lateranensi palatio, & medietatem*) *ecclesiæ supradictæ.*

Actum est hoc mense maji die vero decima indictione XIII.

Ego Sergius S. R. E. scriniarius hæc acta scripsi.

Hinc illustratur epistola Damiani ad R.. episcopum, de qua jam nos ad annum 1055. verba fecimus. Refert etiam Rubeus [b] *Petrum peccatorem Hostiensem episcopum* subscripsisse Alexandri II. bullæ concessæ hoc anno monasterio Montis-casini, „ ut est, ait ipse, in chronico Casinensi. “

XIX. Legatio Damiani in Gallias.

EODEM tempore vel adhuc degens in eremo, vel in Romana urbe constitutus Damianus, nam statim post synodum Lateranensem Gallicana legatione omnino fuit distractus, opusculum conscripsit, cui titulum fecit [c]: *Disceptatio synodalis inter regium advocatum, & inter defensorem Romanæ ecclesiæ*, in quo eosdem altercantes ad invicem, & argumenta vicissim proponentes & solventes inducit. Advocati regii objecta omnia in ea disceptatione refelluntur, & pedetentim cogitur is, qui stat pro juribus regis, rationibus convictus in contrariam descendere sententiam. Volvitur tota quæstio circa jus, quod habuit ecclesia Romana eligendi pontificem, non expectata prius regis licentia. Fingitur autem hæc disputatio habita *ad patres synodi Osboriensis, quæ in proximo fiet.* Synodus revera Germanica

a De episc. Eugub. pag. 45.

b Lib. V. p. 294.

c Opusc. IV.

Ann. Chr. 1062.

nica hoc eodem anno celebrata fuit, in qua die vigesima-octava octobris, quæ anniversaria nimirum erat electionis Cadaloi antipapæ, damnatus ipse fuit communi consensu Germanorum antistitum, atque confirmata ut legitima electio Alexandri papæ. Memoratur in hocce opusculo a Damiano Constantini donatio facta ecclesiæ Romanæ. Hæc nimirum octavo ecclesiæ seculo conficta, tamquam legitima omnium ore & opinione ducebatur his temporibus, itaut ipse Romanus pontifex Leo IX. in prolixa epistola ad Michaelem Cerularium patriarcham CP. missa anno 1053. donationis documentum pene integrum attulerit, & ea præsertim verba: *Tam palatium nostrum quam Romanam urbem, & omnes Italiæ seu occidentalium regionum provincias, loca & civitates sæpefato beatissimo pontifici & patri nostro Silvestro universali papæ contradentes atque relinquentes, ei vel successoribus ipsius pontificibus potestatem & ditionem firmam imperiali censura per hanc divalem jussionem & pragmaticum constitutum decernimus disponendo, atque juri sanctæ Romanæ ecclesiæ concedimus permansura*. Verum nullus hodie reperitur, qui ignoret mercem hujusmodi seculis tantum posterioribus inventam & venditam.

Statim post concilii Romani hujus anni absolutionem demandata fuit Damiano apostolica legatio in Gallias ad ejus regni præsules, & ad Cluniacenses monachos. Excusabat se quidem [a] ab hoc itinere pœnitentiis & laboribus attritus sanctus cardinalis, prætendebat *senectute se incurva depressum, & effœto viribus corpore nutabunda gradientis vestigia sub incertis gressibus vacillare* asserebat, sed animus ei addebatur, ac ipsi [b] *pollicitus fuerat ad kalendas augusti reditus ad propria*. Quare tum zelo juvandæ ecclesiæ, tum Alexandri precibus ac imperio motus, amore quoque erga Hugonem Cluniacensem abbatem, quocum Romæ necessitudinem strinxerat, alacer se itineri commisit Petrus una cum Damiano puero nepote suo. Celeberrima est & honoris plena Alexandri II. epistola ea occasione data ad Galliarum episcopos in Damiani laudem, quam ad sancti doctoris elogium hic subjungimus [c].

[a] Lib. VI. epist. 2.

[b] Ep. V. Lib. II.

[c] Concil. Labbei T. XII. col. 88.

Alexander episcopus servus servorum Dei Gervasio Remensi, Richerio Senonensi, Bartholomæo Turonensi, M........ Bituricensi, T....... Burdigalensi archiepiscopis salutem & apostolicam benedictionem.

Non ignorat sancta vestra fraternitas, dilectissimi, quod ex auctoritate sedis apostolicæ, cui nos indignos clementia divina præfecit, totius universalis ecclesiæ regendus ac disponendus nobis status incumbit. Quoniam igitur pluribus ecclesiarum negotiis occupati ad vos ipsi venire non possumus, talem vobis virum destinare curavimus, quo nimirum post nos major in Romana ecclesia auctoritas non habetur, Petrum videlicet Damianum Ostiensem episcopum, qui nimirum & noster est oculus, & apostolicæ sedis immobile firmamentum. Huic itaque vicem nostram pleno jure commisimus, ut quidquid in illis partibus, Deo auxiliante, statuerit, ita ratum teneatur & firmum, ac si speciali nostri examinis fuerit sententia promulgatum. Quapropter venerabilem sanctitatem vestram fraterna caritate monemus, & insuper apostolica vobis auctoritate præcipimus, ut talem tantumque virum, tamquam nostram personam, digna studeatis devotione suscipere, ejusque sententiis atque judiciis, propter beati Petri apostolorum principis reverentiam, humiliter obedire. Quisquis enim fastu superbiæ, quod absit, inflatus illius judicio contradictor vel adversator extiterit, usque ad dignam satisfactionem, nostram vel Romanæ ecclesiæ gratiam non habebit. Quia vero cum ad vos Girelmum misimus, adhuc adventum præfati domini Petri nos impetrare posse nullatenus speraremus, volumus, ut si quid apud vos Girelmus cœpit, ad domini

mini Petri magisterium veniat , & per ejus manum , quidquid agendum est, fiat.

ANN. CHR. 1062.

XX. Concilium ipse celebrat Cabillone.

OCCASIO hujus legationis ea fuit. Expostulaverat hoc eodem anno Hugo abbas Cluniacensis apud apostolicam sedem, Drogonem Matisconensem episcopum jus sibi contra privilegia abbatiæ concessa usurpare in Cluniacense monasterium. Quare Petrus Damianus, superatis non solum *præruptis alpium æstivis adopertis nivibus jugis*, sed etiam *Cadaloicis insidiis*, visitata prius sua Avellanensi eremo sub finem mensis maji, ut deducitur utrumque ex ejus epistolis [a]; convocato Cabillone concilio, lectisque ibi privilegiis cœnobii Cluniacensis, confitentibus episcopis tredecim ibidem coactis, & ipso Matisconense ignorationem hucusque suam prætendente, ea rata habita fuere, & causa finita fuit ad favorem Hugonis abbatis. Tractata in eodem concilio fuit & causa Harderici episcopi Aurelianensis, pro quo ad Alexandrum epistolam [b] scripsit Damianus, qua ipsum precatur, ut Romam advenientem Hardericum *materna pietate suscipiat, & ejus ecclesiam a violentorum iniquorumque hominum pervasione defendat*. Præter pontificis clementiam, *hostilis etiam amici* sui *domini archidiaconi*, Hildebrandi, *ceterorumque sanctorum collateralium*, cardinalium scilicet, *fraternitatem* rogat, ut Harderico subvenire dignentur, & justitiæ rigorem adversus eum temperent. Decepit tamen Damianum Hardericus, qui simoniaca labe infectus repertus postea fuit, ut constat ex Alexandri II. epistola [c] ad Gervasium archiepiscopum Remensem hujusmodi verbis: *Clare enim ipsum simoniace episcopatum obtinere, & ad obtegendam reatus sui improbitatem perjurium in Cabillonensi synodo incurrisse, suique fraudulentia confratrem nostrum Petrum Ostiensem episcopum, a quo eadem synodus celebrata est, decepisse*. In eadem synodo sanctus cardinalis Reginaldum abbatem sancti Medardi condemnavit, quod liquet ex alia epistola ejusdem pontificis [d] ad eumdem Gervasium. Vel ante concilium Cabillonense, vel post ipsum, Vesontionem etiam se contulit Damianus, diversatusque est aliquo tempore apud Hugonem ejusdem urbis episcopum, ut testatur ipse in opusculo [e] ad eumdem. Decem similiter dierum spatio hospitio exceptus fuit in Fructuariense monasterium, id quod fatetur in opusculo [f] ad Adelaidem ducissam. Conviatore per Burgundiam usus est Damianus [g] Adraldo Bremetense abbate. Quo autem in loco per septuaginta dies infirmatus extiterit tempore suæ Gallicanæ legationis, *ut vix jacere vel sedere, quanto minus stare, nisi cum difficultate* posset, silet in epistola supralaudata ad Alexandrum; non ambigit tamen hanc infirmitatum suarum narrationem risum extorsuram *summi amicorum* suorum *domini archidiaconi*, nimirum Hildebrandi.

XXI. Cluniacum se recipit.

SOLUTO concilio Cabillonensi Damianus Cluniacum se recepit, ubi maximo honore & intimæ caritatis affectu ab Hugone abbate, & a sanctis loci illius monachis susceptus fuit; ibi tamen constitutus pias aliquot concertationes habuit cum Hugone circa usus prædicti monasterii, quas refert anonymus monachus Cluniacensis, qui paullo post floruit, in eo tractatu, quem scripsit, miraculorum sancti Hugonis abbatis Cluniacensis, versus finem, sequentibus verbis, quæ descripsimus ex bibliotheca Cluniacensi: *Tempore quodam necesse fuit sancto viro* (Hugoni abbati) *pro tuendis filiis ad ecclesiam matrem recurrere, & Romanæ sedis patrocinium advocare. Quapropter urbis illius refugium petens, magno labore & difficultate a latere papæ avulsum dominum Petrum, Ostiensem videlicet episcopum, cognomento Damianum, obtinuit, ut sibi daretur pro magno Petro* (scilicet Apostolorum principe, cui dicata erat ecclesia Cluniacensis) *præliaturus*,

a Ep. II. & V. Lib. VI.

b Lib. I. epist. XI.

c Concil. T. XII. col. 89.

d Ibid. col. 90.

e Opusc. XXXIX. cap. 1.

f Opusc. XVIII. cap. 6.

g Opusc. XXXIV. cap. 6.

Ann. Chr. 1062.

rus, & adversarios prostraturus mirabili sua prudentia atque facundia. Erat namque vir ille abstinentiæ singularis usu, & ferreorum vinculorum nexu undique sic attritus, ut vix posset inveniri modus, quo ejus corporis imbecillitas foveretur, ad equitandi onus grave utcumque tolerandum; & quia levi plerumque scandalo offendi poterat, necesse habebat sæpe satisfactione placari. Ad quam rem venerabilis Hugo ita se inclinabat, ut ejus animum reformaret ad tranquillitatem, ac si alter Martinus esset, qui nihil putaret indignum, quod humilitas agendum suaderet. Cum ergo venisset Cluniacum alter ille Gregorius per eloquentiæ ubertatem, non tamen per Apostolicæ vitæ æqualitatem, vidissetque humanitatem & disciplinam, virgamque & baculum contulisset, cœpit hærere & stupere, qualiter sancti esse, aut sanctos institutores habere possent, qui tantis abundarent bonis, & rursum quomodo non sancti esse possent, aut perire, qui tam devote sustinerent tam grave pondus laboris, & custodiam monasticæ disciplinæ. Aliquando sane judicabat ciborum copiam, aliquando mirabatur hanc jejunantibus deesse gratiam, quam illos habere videbat. Verumtamen si fieri posset, sicut ipse dicebat, ut utraque virtus obedientiæ & abstinentiæ sociaretur in eis, tum profecto nihil apostolicæ defuturum perfectioni. Qua de re conveniens domnum abbatem obsecrabat, ut a sagimine duabus saltem feriis se suspenderent, qui in ceteris tam perfecti essent, ut anachoretis nihil deberent. Cui venerandus Hugo discretionis custos egregius: Si, inquit, pater carissime, vultis nobis augere coronam mercedis per additamentum jejunii, tentate prius nobiscum pondus laboris vel per octo dierum spatium, & deinceps æstimabitis, quid adjiciendum censere debeatis. Nam quamdiu non gustaveritis pulmentum, nescire poteritis, quid exigat condimentum salis, & si non adhibueritis saltem minimum digitum vestrum, nequaquam judicare de onere fraterno discrete ac digne valebitis. Quibus ille auditis, sentiens fascis hujusmodi gravitatem suis viribus importabilem, cessavit a petitione ingravandi ponderis, & semetipsum cœpit repercutere, unde alios ferire voluit, quia sagittam ad eos sine suo vulnere nequivit dirigere, intelligens magnum esse pensum illud, ac debere sufficere, quod apprehendere ipse non posset, qui in tanto videbatur stare virtutum culmine. Eruditus itaque præsul multo eruditior rediit, quam venit; magnumque thesaurum fugiendæ inanis gloriæ, & capessendæ veræ humilitatis secum reportavit.

Hæc ex anonymo monacho Cluniacensi; sed, ut observat[a] Mabillonius, mirum est, quod Damianus, qui tot psalteria in dies recitabat, tot vigilias, totque jejunia in tanta vestis asperitate sustinere poterat, divinorum officiorum assiduitatem, cui vacabant Cluniacenses, per octo dierum spatium tolerare non valuerit; ut proinde omnimodam fidem non videatur mereri anonymus hic monachus supradicta aliquanto mordacia de Damiano referens, licet plura vera esse potuerint.

a *Annal. T. IV. pag. 639.*

XXII. Vitam conscribit S. Odilonis abb.

Impositum præterea ab Hugone fuit illi onus colligendi, quæ ad vitam pertinebant sancti Cluniacensis abbatis Odilonis, qui anno 1049 kalendis januarii in summa sanctitate obierat, cujus etiam sacrum corpus ea occasione sanctus cardinalis e terra levavit. Hanc vitæ scribendæ provinciam sibi datam testatur Damianus in epistola exarata[b] *sanctis ecclesiis, quæ sunt in occidentalibus Galliarum partibus constitutis. Hugo, ait, Cluniacensis monasterii rector & spiritualis militiæ dux, ac præcipuus informator, hoc mihi laboris injunxit, ut vitam beati Odilonis, decessoris videlicet sui, proprio stilo succincte perstringerem, & ex his, quæ in anterioribus paginis latius reperiebantur esse diffusa, utiliora quæque magisque necessaria brevi compendio deflorarem. Cujus ego compulsus imperio, non venustatem luculenti*

b *T. II. Vit. S. Odilonis.*

culenti

culenti aucupabor eloquii, sed sicut ex oblatis apicibus deprehendere potero, cum Dei omnipotentis auxilio meræ veritati deservire tentabo.

ANN. CHR. 1062.

Plura deinceps in hac Cluniacensi commoratione Damianus cum Hugone miscuit colloquia rerum & factorum, quæ subinde narrat in suis subsequentium annorum opusculis. Eodem tempore, quo ibidem moras traxit, contigit factum, quod narrat ipse Damianus [a] in opusculo XXXIII. *horno abbas Cluniacensis, cum ad suum me monasterium perduxisset, frater quidam senex in infirmorum domo, ingravescente totius corporis tumore, languebat. Hic porro cum abbatis comperisset adesse præsentiam, lætus effectus, divinam cœpit implorare clementiam. Domine, inquit, quem nullum latet occultum, quæso, si quid reatus in me est, quod non sim hucusque confessus, tu mihi misericorditer in memoria revoca, quatenus abbati meo, dum præsens est, pure confitear, atque ab eo, qui jus hoc in me præ ceteris habet, judicatus absolvat. Hoc dicto, hujusmodi vox auribus ejus insonuit: Certe est, certe est aliquid in te, quod confessus adhuc non es. Cumque ille vocem solam audiret, sed a quo procederet, non videret, orando subjunxit: Exprime, Domine, manifeste quid hoc sit, ut confessus corrigam, quod erravi. Porro vox eadem peccatum quoddam, sicut quærebat, signanter expressit, quod ille a se commissum illico recognovit, & abbate festinanter ascito, facta confessione, purgavit, paucisque post diebus in sancta pace defunctus est.* Demum promissionem accepit Damianus [b] *per intentationem anathematis* a sanctis illis abbate & conventu se *anniversarium ejus obitum rediviva semper memoria* culturos, immo huic sponsioni addiderunt, ut *unum sine intermissione pro illo pauperem, & alimentis simul & indumentis jugiter substentarent.*

a Cap. VII.

b Ep. II. Lib. VI.

XXIII. An removenda ab hoc anno legatio Gallicana Damiani?

REFERTUR a compluribus, Mabillonio præsertim, & novissime ab erudito viro Octavio Turchio canonico Apirensi in [c] vita sancti Dominici Loricati, hujusmodi Damiani legatio in Gallias ad annum 1063. Verum aliis ecclesiasticis negotiis distentum eo anno videbimus sanctum cardinalem, neque arbitramur esse ab hoc anno removendum ipsius iter Cluniacum sequenti potissimum argumento. Alexander papa [d] anno 1063. VI. idus maji Cluniacensis monasterii libertatem & possessiones, necnon facultatem eligendi abbatis monachis confirmavit, edixitque, ne cujusquam episcopi interdicto aut excommunicationi subiacerent, utpote apostolicæ sedis filii, citra Romani pontificis judicium, sanciendo, ut idem locus omnibus ad eum confugientibus esset misericordiæ sinus, pietatis & salutis portus. *Data* bulla *in sacro Lateranensi palatio* VI. *idus maji per manus Petri S. R. E. subdiaconi & cancellarii, vice domni Annonis Coloniensis archiepiscopi, anno secundo domni Alexandri pape, & ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi* M. LXIII. *indictione* I. ut chronicas notas subdidit Mabillonius [e], quæ desunt tam in Bibliotheca Cluniacensi, quam apud Labbeum. Porro quis in animum suum inducat, ut credat, Drogonem Matisconensem episcopum infensum, & iniquiorem fuisse in Cluniacense cœnobium eo vel ipso anno, quo tam excellenti privilegio monasterium illud fuit ditatum, ut proinde necesse fuerit Romanæ sedi, præter pontificium diploma mox emanatum, apostolicum legatum mittere, qui synodum cogeret, & ad officium episcopum revocaret? An-ne satis non fuisset apostolicum recentissimum præceptum, quo vix a mense cœnobio illi plena tribuebatur libertas, & a diœcesano omnimoda exemptio? Pariter si in synodo Cabillonensi Willelmi comitis primi fundatoris, atque Romanorum pontificum lecta fuere privilegia, profecto prætermissa non fuisset lectio privilegii novissimi Alexandri, de quo nullam ignorantiæ excusationem prætendere

c Pag. 71.

d T. XII. Conc. Labb. col. 105.

e Annal. T. IV. p. 638.

Ann. Chr. 1062.

dere potuisset episcopus Drogo, & sicut statim hic cessit auditis privilegiis, ita cessisset mense præcedente Cabillonensem synodum, si ad aures suas pervenisset vix impetratum Alexandri diploma ad cœnobii Cluniacensis favorem, & supervacanea fuisset Legati missio. Illud igitur verisimilius videtur Alexandrum ad confirmationem eorum, quæ hoc anno egerat in synodo Cabillonensi Damianus, sequenti anno robur sua apostolica bulla addidisse, ne deinceps ulla oriretur controversiæ, aut præsumptionis occasio. Hoc ergo præsertim momento, supersedendo interim a ceteris, ut etiam videbimus anno sequenti, inducimur, ut credamus esse ad annum præsentem legationem Damiani in Gallias referendam.

Hinc intelligimus fictitiam omnino esse aliam legationem Germanicam, quæ hoc anno Damiano tribuitur, & præsertim a Turchio, qui Baronium eam negantem carpit. Ut enim animadvertit Baronius, v. kalendas novembris e Galliis rediens Damianus pervenit ad suam eremum Avellanæ eo ipso die, quo in Germania in concilio Osboriensi vel alio, post annum, quo creatus fuerat antipapa, damnatus fuit Cadalous. Non potuit ergo Petrus eidem synodo interesse ut legatus apostolicus. Prætérea in epistola Damiani ad Annonem archiepiscopum [a] Coloniensem scripta post ereptum ab ipso de manu matris Agnetis Henricum, & post damnatum in supradicta synodo Cadaloum, asserit sanctus doctor, se *libenter ad ejus sanctitatis alloquium, si occasio daretur*, obventurum, ut *communicandum consilium, quod absentia prohibet, viva conserti sermonis verba conferret; sed quoniam*, inquit, *id fortasse non mereor*, petit, ut sua *sancta prudentia Cadaloicam rabiem, quæ latrare non desinit, omnino conetur extinguere*. Hæc profecto non dixisset, si recens ex Germania in Italiam descendisset. Occasionem fingendi Damianum Germanicam suscepisse legationem, dedit profecto *Disceptatio* ipsius *synodalis*, quæ legitur inter ejus opera; verum ea a Damiano confici potuit, ut revera confecta fuit, tamquam instructio & præludium concilii Osboriensis vel Germanici, quod in proximo fieri debebat.

a Epist. VI. Lib. III.

XXIV. Redit ad Fontem-avellanam.

Absolutis negotiis, ob quæ destinatus fuerat Damianus in Gallias, discessit Cluniaco, sed serius quam illi pollicitum fuerat, & [b] *profligato postmodum trimestri fere curriculo, & quanta potuit celeritate currens*, superatis quoque Cadaloicis insidiis, *vix quinto ante kalendas novembris Fontis-avellani, unde processerat, cacumen* ascendit, ubi se totum libris conficiendis & quieti contemplationis statim dedit. In transitu vel cum in Gallias pergeret, vel cum ab iis redux esset, clericos Taurinenses ad se confluentes habuit, quos & satis honestos, & literarum studiis decenter instructos, & tamquam chorum angelicum, & velut conspicuum ecclesiæ enitentem senatum commemoravit & laudavit, sed uxoratos redarguit, postea in epistola [c] ad Cunibertum ipsorum episcopum.

b Lib. VI. epist. 5.

c Opusc. XVIII.

XXV. Ejus epistolæ ad Ugonem abb. & ad Cluniacenses.

Commorans vero in sua Avellanensi solitudine plures conscripsit epistolas, & quidem Hugoni abbati [d] gratias agens pro beneficiis Cluniaci sibi collatis, quem etiam orat, ut anniversarium, quod die defunctionis suæ Cluniacenses monachi *rediviva memoria per literalium astipulationum rata* illi promiserant, in reliquis etiam monasteriis, Cluniaco subjectis, eodem caritatis officio sibi peragendum sponderetur, atque conscriberetur ipsius nomen in indiculo; loco vero induendi & alendi pauperis post diem obitus sui, quod similiter facturos receperant, orationes ad Deum pro se ab ipsis funderentur. Alia epistola [e] eidem Hugoni commendat *Damianum adolescentulum uterinæ sororis* suæ *filium, ut illi magistrum simul & victum paterna pietate* provideat. *Angelicum* Hugonis conven-

d Lib. VI. epist. 2.

e Ibid. ep. 3.

ANN. CHR. 1062.

conventum maximis præconiis apud omnes celebrabat Damianus post suum reditum ex Galliis, cujus rei *testes* appellat omnes, *qui cum se in Christi servitute cohabitant*. Cum vero dicat Damianus in calce epistolæ: *Ob utinam mittere tibi possem, quæ sanctis Cluniacensibus scripsi, vel alia multa, quæ post Galliæ reditum ex diversis thematibus exaravi*, indicat Hugonem tunc abfuisse a Cluniacensi monasterio, & respicit ad sequentem epistolam Cluniacensibus monachis scriptam [a], quos *vere sanctos & angelica veneratione colendos fratres* nominat. Excurrit inde Damianus in eorum extollendis meritis; laudat præsertim disciplinam in prolixitate divinorum officiorum, quæ *tanta in ecclesiasticis officiis protelabatur instantia, ut in ipso cancri seu leonis æstu cum longiores sunt dies, vix per totum diem unius saltem vacaret horæ dimidium, quo fratribus in claustro licuisset miscere colloquium*; commemorat pariter in ipsa epistola quemdam *Andream monachum*, profecto Cluniacensem, *qui nuper de contubernio eorum sanctitatis egressus cum Ammonitarum rege fœdus amicitiæ contulit, & nunc per Romana mœnia tamquam rasus barba, & detruncatus habitu, non sine David pudore, discurrit*. Significat quemdam apostatam. Ad ultimum se commendat eorum orationibus.

a Lib. VI. epist. 5.

Aliquanto post, ingravescente forsan ætate, aliam dedit epistolam [b] Hugoni abbati, quem *archangelum* vocat *monachorum*, ejusque monasterii monachis, orans, ut quando vocationem suam ad alterum seculum certo noverint, efficaciter impleant sollemnes officiorum atque sacrificiorum pro se exequias, quas promiserant. Hæc pariter tota encomiastica est Cluniacensis archicœnobii. Ceterum Cluniacenses monachi sancte fidem servavere Damiano. In necrologio Cluniacensi, & in libro officiorum præscribitur, *ut fiat officium plenum, sicut de abbatibus Cluniacensibus, pro Petro Damiano episcopo, qui corpus beati patris nostri Odilonis relevavit, & in loco, in quo nunc requiescit, mira devotione collocavit* &c.

b Lib. VI. epist. IV.

XXVI. Scribit contra sedentes ad divina officia.

DIXIMUS Damianum in sua Gallicana legatione Vesontionem transiisse, & hospitio ibidem exceptum fuisse ab Hugone Vesontionensi archiepiscopo. [c] *Unum torporis ac desidiæ signum in ejus ecclesia viderat, quod tunc, prout expeditionis hora dictabat, corripuit*, sed in Italiam regressus, fusius redarguit; observaverat enim *plerosque clericorum sedentes, dum divina & canonica celebrabantur officia, vel etiam ipsa Missarum terribilia offerebantur sacramenta; cujus torporis ignaviam nonnullis etiam inesse monachis in Galliarum partibus deprehendit*. Contra hunc sedendi abusum declamat sanctus doctor, datis literis ad eumdem archiepiscopum; idque ex prava consuetudine provenire demonstrat. Subdit dedecere, quod laici ipsi sedeant ad sacram liturgiam, vel ad recitationem divinorum officiorum. Laudat tamen ejusdem archiepiscopi Hugonis pietatem, & celebrat ipsius magnificentiam in ædificiis, quæ construxerat, in quorum altero, post ecclesiæ absidem erecto, ipse orabat, legebat, & quasi eremiticam vitam peragebat; alter vero locus ad dexterum ecclesiæ latus inserviebat studiis cœtus clericorum, & erat quasi juventutis in bonis moribus & scientiis seminarium. Duas insuper canonicas domus construxerat prope ecclesiam sanctæ Mariæ Magdalenæ & sancti Laurentii. Ecclesiam ipsius scribit non fuisse admodum divitem, & tamen operosis & magnificis fuisse adornatam structuris. Præparaverat ulterius pius archiepiscopus sibi tumulum, in quo *tamquam vespillonum merces quinos nummorum solidos per quatuor altrinsecus angulos in sudario ligari* fecerat, *ut inter exequias funeris sepultoribus suis remuneratio non deesset*. Pro confundenda demum ignavia hujusmodi sessorum ad divina officia, affert exempla suorum eremitarum. *Hodie*, inquit,

c Opusc. XXXIX.

Ann. Chr. 1062.

a Ibid. cap. III.

quit, [a] *nonnulli fratres, dum laudibus divinis insistunt, non sunt solo standi labore contenti, satagentes insuper & per alia sui corporis exercitia fatigari. Nam ut de ceteris sileam, quidam frater, Gezo nomine, nunc a nostro non procul habitaculo disparatur, sexagenaria jam circiter ætate grandævus, qui totum psalterium genua flectendo decurrit, hoc scilicet modo, ut unum expleat versum, dum pavimento prosternitur, alterum, dum protinus elevatur. Sic itaque per totum psalterii cursum una semper fit metanæa per geminos versus. Alius quoque nobiscum fuit ætate provectior, qui jure Dominicus vocabatur. Hic mihi confessus est, sæpe se mille fecisse metanæas per singulos dies, dum tamen ferrea lorica jugiter esset indutus ad carnem.* Is est Dominicus Loricatus; ex qua attestatione Damiani colligitur eos certo falli, qui Loricati obitum ad annum 1066. retrahunt, cum verisimile non sit sanctum doctorem zelo plenum quadriennio cohibuisse calamum suum, ad carpendum hoc sedendi vitium tempore officiorum, post suum reditum ex Galliis, productione hujus opusculi, in quo aperte olim fuisse, & non amplius in vivis extare Dominicum Loricatum scribit. Deducitur præterea Jacobillium non errasse, dum natum facit Dominicum circiter annum 995. ut redarguitur a Turchio in vita Loricati. Cum enim, dum erat in vivis, provectior esset ætate annorum 60. quos annos numerabat Gezo, & anno 1060. ut diximus, Dominicus obierit, consequens videtur, ut præterpropter sexaginta-quinque annos habuerit, cum mortem oppetiit, ideoque circa annum 995. in lucem fuerit emissus. Per errorem Baronius Vesontionensem episcopum Walterum pro Ugone nominavit, deceptus forsan, ut observat [b] Mabillonius, litera initiali V. quæ tam Ugonem, quam Valterum potest exprimere. Satis enim clarum est Vesontionensi ecclesiæ tunc præsedisse Ugonem, sive Hugonem, *qui in occiduis partibus inter sacerdotes insignis* erat, & *celebris famæ*, ut eum idem Damianus extollit.

b T. IV. Annal. pag. 639.

XXVII. Arnulphus Willam conjugem & Theobaldum filium visitat in solitudine Salanicensi.

c Num. XIX.

Prima vice solus Arnulfus pater filium Theobaldum visitaturus e Galliis Italiam petierat; secunda vice cum uxore Willa, quam etiam reliquerat cum filio in Salanicæ solitudine; tertia demum vice hoc circiter anno rediit, uxorem & filium revisurus. [c] *Reversus itaque pater Arnulfus ad Gallias ob negotia domesticæ curæ disponenda, pio affectu tam sancti filii, quam sanctæ conjugis cœpit moveri, ut modico labente interstitio Romam repetens, iterum Salanicam visitaret. Cui filius sciens, quæ longe a se gesta erant, inter cetera vitæ colloquia, miseriam prænunciavit maximam, antequam domum rediret, affuturam. Cui etiam modum, notitiamque miseriæ inquirenti, qua novit ipse ratione, aperire noluit. Cumque autem Roma rediret, ut sancti viri verbum fieret manifestum, affuit, qui nuntiaret, filium ejus in bello interemptum. Sanctus vero Theobaldus postquam patri, quod contigerat, prædixit, nec tamen aperuit, post ejus abscessum Odoni fideli suo manifestavit, e vestigio fratrem occisum. Mira virtus in tanta revelatione, quod in tam spatioso terrarum intervallo, de nece fratris sui, non homine, sed Spiritu-sancto revelante, scire promeruit. Tunc sacrificium laudis Deo per octo dies pro fratre immolavit, antequam mater resciret.* Putat Collina noster Arnulphi filium & Theobaldi fratrem periisse in bello, quod simulate quidem in Saracenos, re autem vera in Vascones movit Balduinus tutor regis Henrici hoc anno, ut referunt Tillius & Paullus Æmilius in rerum Gallicarum historiis; melius profecto quam conjiciat Mabillonius [d], qui obiisse existimat Theobaldi fratrem in eo bello, quod Henricus rex infeliciter gessit contra Normannos anno 1054. eo enim anno nondum, vel vix e paterna domo exierat Theobaldus. Sed in senten-

d T. IV. Annal. p. 547.

tia

tia Collinæ loco Henrici reponendus est Philippus, qui filius erat Henrici regis jam defuncti, cujusque tutor erat Balduinus.

Ann. Chr. 1062.

XXVIII Privilegium Alexandri II. pro monasterio S. Severi in Classe.

Amplissimo privilegio hoc *anno incarnationis Dominice* M. LXII. VI. *kalendas januarii indictione* XV. *pontificatus vero domini Alexandri pape* II. *anno secundo*, ad exemplar felicis recordationis Anastasii, Leonis & Benedicti Romanorum pontificum, locupletatum fuit monasterium sancti Severi in Classe Ravennæ, & Bonizus, sive Bonizo ipsius abbas ab eodem pontifice Romano Alexandro II. Recensentur in ipso diplomate monasteria & ecclesiæ quamplures, quæ eidem cœnobio erant subjecta, de quibus ad annum 1029. occasione consimilis privilegii Conradi imperatoris, multa pro eorum illustratione diximus; iis hæc adduntur in Alexandri bulla, quæ non reperiuntur in Conradi præcepto. Confirmat ergo Romanus antistes *ecclesiam sancti Angeli in civitate Ariminensi cum parochia & suo cimiterio & cum omni jure suo; ecclesiam sancte Marie in Mariniano cum omnibus, & portionem de plebe de Candelara. In Civitate Pesauriensi ecclesiam sancti Jacobi cum parochia & cimiterio & omnibus suis pertinentiis & omnibus rebus & possessionibus, quas abetis in jam dicta civitate, & in ejus comitatu, aut in comitatu Fanestre vel in comitatu Senogallie* &c. *In comitatu Ancone .... ecclesiam sancti Ciriaci cum parochia & cimiterio cum fundo integro cum omnibus & suis pertinentiis, & fundum Cozziano; ecclesiam sancte Marie de Aguliano, medietatem cum omnibus suis bonis; ecclesiam sancti Johannis de Palumbici cum decimis & fundo integro; ecclesiam sancti Johannis de Agelli cum decimis molendinis & aquimolis & fundo integrum cum eorum vocabulis; ecclesiam sancti Andree de lo Sterpeto; ecclesiam sancti Laurentii de Laureto; ecclesiam sancte Basalece, cum omnibus earum pertinentiis; & quod habetis in comitatu Auximano; & in comitatu Callensi monasterium sancti Abundi, & plebe sancti Angeli in Clandeda cum omnibus juribus earum; & quod habetis in comitatu Eugubiensi, & in Civitate Castelli & in comitatu suo; castrum de Afra cum ecclesia & omnibus suis pertinentiis*. Præterea loca, ecclesiæ, & monasteria memorata in diplomate Conradi ex hoc Alexandri II. privilegio dilucidantur, eorumque situs clarior exprimitur. Subscribunt post Alexandrum novem S.R.E. cardinales. *Datum* est autem *Anagnie per manum Alberti sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis & cancellarii*. Ipsum autem privilegium, transcriptum a nobis ex apographo antiquissimo tabularii Classensis, proferimus integrum in Appendice. Monasterium sancti Abundii, quod in hoc Alexandrino privilegio statuitur in comitatu Calliensi, & subjectum appellatur cœnobio sancti Severi, in bulla Innocentii II. ad annum 1039. in Eugubino territorio ponitur, membrumque dicitur eremi Avellanensis, cui confirmatur. In eadem Innocentiana bulla plebs sancti Angeli de Clantida subjecta nominatur eidem Fontis-avellanæ monasterio.

XXIX. Testamentum Gerardi comitis Brittonorii.

Refert ad hunc eumdem annum Rubeus [a] testamentum Girardi comitis Brittonorii. Is filio suo *omnia castra* legat, *& omnia immobilia, & si filios masculos minime habuerit*, decernit, ut totum, quod habet *in montanis partibus, dividatur inter filios fratris sui Ubolinelli de Marchia, preter montem Frasconem, & montem Benedictum, quos volo*, subdit, *ut habeat sancta Trinitas*, monasterium scilicet sanctæ Trinitatis in castro sanctæ Agathæ de Monte-herculis. Pariter *totum, quod habemus in Galliada, restituatur sancto Hilario*, hoc est monasterio Galeatensi. Similes tabulas confecerat anno 1039. ejus pater Hugo, quas ad eum annum produximus. Relinquit insuper Gerardus monasterio sanctæ Mariæ de Urano vineam de Curso, & triginta libras, & ecclesiæ sancti Apollinaris quinque

a Lib. V. pag. 295.

Ann. Chr. 1062.

que jumentas ex melioribus, ecclesiæ similiter sancti Severi quinque jumentas, monasteriis nimirum Ravennatibus in Classe.

Occasione monasterii sancti Severi in Classe urbis Ravennæ, loco licet non suo, quod tamen præstare nequivimus opportunioribus locis, in edito nimirum primo Annalium nostrorum volumine, neque in hoc secundo ad annos 1029. & 1046. merita laude fraudandus non est domnus Seraphinus Concelmani Bononiensis, abbas sancti Apollinaris in Classe, cum quo illud sancti Severi est unitum, qui annis elapsis deterso squallore, quo obsita erat basilica ejusdem cœnobii sancto Ravennati archiepiscopo Severo dicata, sartis tectis ædificiis, ara quoque ex perpolito lapide restituta, & imagine etiam apposita sancti Guidonis, Sanseveriani, antequam ad Pomposianam abbatiam evocaretur, monasterii olim præsulis, præsenti anno 1755. Nicolao Oddio apostolicæ sedis apud Coloniensem electorem legato operam præstante, basilicam ditavit insigni ejusdem sancti Guidonis reliquia, qua donatus fuit a Francisco-christophoro de Hutten S. R. I. principe & episcopo Spirensi, apud quam urbem translatum ab Henrico III. imperatore corpus sancti abbatis præmonuimus ad annum 1046.

XXX. Chartæ Camaldulenses.

Hoc ipso anno mense januario [a] Bellinus quondam Bonizoni, & Susia uxor ejus, filia Ugonis, pro remedio animarum suarum & suorum parentum, nomine judicii obtulerunt eremo Camaldulensi, & *domnis Rustico, Martino & Benedicto atque servis servorum Dei predicte ecclesie sancti Salvatoris Campi amabilis* portionem, qua fruebantur, ecclesiæ sancti Savini *cum introitu & decimatione ab aqua sancta predicte ecclesie, sicut eis contigit a parentibus suis*. Item sistaria viginti de terra, quæ sunt inter hos fines: *Via de colle sancti Stephani, & castelli de Ajole, colle Camarini presbyteri, fluvii Clane, & domnicato de Celle & de Vignale & manso Auguelli*; prædicta autem ecclesia cum prædictis rebus *illorum juris sunt posita in comitatu Arretino in plebatu sancte Marie sito Chio, vocabulo colle sancti Savini*, quas cum omni jure & actione in perpetuum tradiderunt eidem eremo cum obligatione defensionis, & sub pœna dupli, manu Bernardi notarii. Hæc ex indicibus archivi Fontis-boni confectis ab Eduardo Baroncinio, qui sub hoc ipso anno quinta-decima die septembris ponit donationem [b] etiam multorum bonorum a Guinildo ac Signorello & Ugone cum aliis consortibus & patronis factam ecclesiæ sanctæ Margaritæ de Tosina, manu Adami notarii. In codice veteri summariorum archivi præfati, quæ confecerunt duo monachi ejusdem cœnobii seculo XIII. de ea donatione hæc leguntur. [c] *Guinildus & Cintus & Signorellus & Ugo cum aliis consortibus & patronis pro animarum suarum & suorum parentum donaverunt & inperpetuum optulerunt ecclesie sancte Margarite de Tosina bona inferius nominata, videlicet unum mansum positum in Sambucheta. Item aliud mansum positum in loco dicto Silva: Item aliud mansum positum in loco dicto Riopalduli. Item aliud mansum positum in loco dicto Rivus. Item aliud mansum in loco dicto Bonto. Item aliud mansum in loco dicto Fabricola. Item unam petiam terre positam in loco dicto Campo-longo. Item aliam petiam terre in Campo-rotoli cum quibusdam aliis possessionibus. Sub anno Domini* M.LXII. XVII. *kal. octob. manu Adam notarii*. Hanc quoque sanctæ Margaritæ ecclesiam, sive potius canonicam, donatam videbimus eremo Camaldulensi sub finem hujus seculi.

[a] §. Donatio 124. A. 1. 15.

[b] §. Amissæ 15. A. 106.

[c] Pag. CVI.

XXXI. De hospitio pauperum prope ecclesiam SS. Martini & Frigdiani in urbe Pisana.

Hospitio pauperum & peregrinorum ædificato prope ecclesiam sanctorum Martini & Frigdiani in civitate Pisana, & Leoni presbytero ipsius custodi Sesmundus judex sacri palatii, filius bonæ memoriæ Righizii, offert hoc anno omnia sua *ex casis, terris, vineis & rebus suis, quas habebat*

bebat infra comitato Pisano tam infra civitate Pisa, quam & de foris, nuncupate Nuovole & Carraria, que dicitur Iginduli & in loco Chintica & Carraria majore, Montione, Visiniano &c. *excepta casa & curte sua domnicata, & ecclesia illa, cui vocabulum est beati Christophani.* Ecclesiam sancti Christophori martyris, quæ etiamnum Pisis extat, Troncius in sua de ecclesiis Pisanis ms. narratione extructam fuisse seculo XI. arbitratus est. Adnotavit etiam in chartario monialium sancti Martini Pisarum authenticum extare instrumentum scriptum anno 1225. die XXIII. augusti, manu Gerardi Tedesci notarii, ac numero 39. signatum, ex quo colligitur ejusdem ecclesiæ sancti Christophori jura tunc temporis spectasse ad Bandinum de Puppio, qui ob animæ suæ, suorumque remedium eamdem prioratui sancti Martini dono dedit, quam donationem confirmavit Vitalis archiepiscopus, numero 29. Post suppressionem ejusdem prioratus, collatio ecclesiæ præfatæ spectat immediate ad archiepiscopum. Alia erat Pisis ecclesia sancto Christophoro sacra, sed hæc fundata fuit seculo XIII. juxta eumdem Troncium a nobilibus viris de Lanfranchis, vulgo appellata *sancti Christophori in ponte*, quæ modo communiter gaudet titulo & nomine sanctæ Febroniæ. Ex archivo sancti Michaelis in Burgo Pisarum Sesmundi judicis donationis chartam exhibemus in Appendice.

ANN. CHR. 1062.

Ad hunc eumdem annum spectat alia bulla Alexandri II concessa Rainardo abbati Campo-regiano, ejusque monasterio, qua locum illum sub sancti Petri tutela recipit, ita tamen, ut Campo-regienses monachi *a caritate eremi Fontis-avellane aliquatenus non recedant*. Eam publici juris faciet ex archivo monachorum Montis-oliveti Eugubinæ urbis Sartius noster in suis antiquitatibus Avellanensibus.

ANN. CHR. 1063.

XXXII. Damianus Casinense monasterium petit.

DAMIANUS, qui reversus Cluniaco iterum in solitudinem suam Avellanensem prope kalendas novembris anni præcedentis se receperat, paucis mensibus quiete frui ejusdem loci permissus est. Desiderii abbatis Casinensis & cardinalis assiduis precibus, immo comminationibus adactus, [a] post initium hujus anni Casinum montem conscendit, ubi per totum quadragesimale tempus [b] familiarissime cum ipso ejusque monachis moras traxit. Antequam tamen se ad Casinense cœnobium conferret, opusculum ad Desiderium transmisit *de bono suffragiorum* [c], cui occasionem dedere eædem Desiderii minæ, quibus, si se vivente Damianus ultimum diem obiret, denuntiaverat idem abbas, ipsum *orationem sancti loci* minime fore habiturum a monachis Casinatibus, nisi morem gereret, & quamprimum ad Casinense monasterium visendum accederet. Hoc ergo opusculo precatur sanctus vir Desiderium, ut nimis acres has comminationes revocet; & quidem itineris difficultatem causatur, sed simul hujusmodi privationis suffragiorum detrimentum & gravitatem exaggerat; metuit enim, ne inseparabiliter adhærens suis fratribus, quibuscum vivit, uberioris conventus, hoc est Casinensis, auxilii jacturam faciat. Alia ex parte pertimescit, Casinense monasterium visitando, mortem oppetere, ob grandævam ætatem, extra monasterium suum, cum Fontis-avellanæ eremus a Monte-casino *quindecim fere dierum itinere* distet, neque ipse vehiculis abundet, ut abundant Casinates, sit insuper infirmus viribus, cum e contra Desiderius, qui *validus ætate & robore* erat, potius quam imperare, melius ageret, si obtemperaret, & ipse experiretur prior hujusmodi iter ex Casino Avellanam. Ultimo, cum obedientiæ virtutem prius facunde collaudasset, morem se illi gessurum non obscure indicat, & sperat *cantaturum se in proximo in foribus Casinensis cœnobii: Ecce adsum.*

[a] Opusc. XXXIII.

[b] Opusc. XXXV.

[c] Opusc. XXXIII.

PLU-

Ann. Chr. 1063.

XXXIII. De bono suffragiorum scribit ad Desiderium abb. Casinensem.

Plura mirabilia in hoc opusculo congerit Damianus, quæ illi retulerant tum [a] *Stephanus apostolicæ sedis presbyter cardinalis*, Cluniacensis nimirum, *qui ante quintum fere diem secum degebat*, quocum collocutus fuerat Avellanæ; tum [b] *Damianus frater suus*, *olim archipresbyter*, *deinde monachus*, *de confratre* suo *Marino laico quidem habitu*, *sed timorato spiritu*; *Petrus* insuper [c] *venerabilis senex sacerdos & monachus*, *qui jam septuaginta ferme annos sub jure Nonantulani monasterii religiose vixit*, *nunc autem vitam ducit angelicam in Avellanensi eremo*; *Atto* quoque [d] *piæ memoriæ Auximanus civis*, *prudens & honestus vir*, & demum [e] *venerabiles fratres Cluniacensis cœnobii de obedientia* nimirum *Majoli abbatis*; quibus miraculorum relationibus obedientiæ quidem, sed suffragiorum fructum potissimum comprobat. Damianus archipresbyter, frater Petri cardinalis, qui postremus ab illo nomen Damiani acceperat, hoc anno, teste ejus fratre, monasticam jam vestem assumpserat, sed ubinam monachum induerit, ignoratur. Si non in Avellanensi, facile tamen nomen dederit in patrio sancti Apollinaris Classensi cœnobio, ubi monasticam vitam elegerat etiam Marinus utriusque fratruelis. Alter Damiani frater pariter *Marinus nomine*, *laicus quidem habitu*, *sed timoratus spiritu* ad extrema vitæ jam pervenerat post visionem, qua dignatus ipse fuerat, *Reginæ cœli*; de quo *presbyter etiam Severus ipsius spiritualis pater* retulerat ipsum quadam die *depositis nudatum exuviis collo corrigiam*, *qua cingebatur*, innexuisse, & *altari se beatæ Dei genitricis velut servile mancipium* tradidisse, *mox se quasi servum malum coram ipsa* jussisse *verberibus affici*, ac *quamdam pecuniæ summam in altaris crepidine* deposuisse. Hæc ad Damiani nostri gloriam, qui tales sortitus est fratres; de sororibus ejus alibi diximus, dicemus etiam aliis in locis plura de Damiano nepote.

a Ibid. cap. 2.
b Ibid. cap. 4.
c Ibid. cap. 5.
d Ibid. cap. 6.
e Ibid. cap. 7.

XXXIV. Laudabiles hujus temporis mores introducti in plura monasteria.

Memorat insuper Damianus in eodem ad Desiderium opusculo aliquos ecclesiarum, eremorum & monasteriorum per ea tempora mores, celebrandi nimirum Missas in honorem beatæ virginis Mariæ, & Sanctorum aliquot diebus per hebdomadam, jejunandi sexta feria, & alendi pauperes [f]. *Unde pulcher*, inquit, *etiam mos in nonnullis ecclesiis inolevit*, *ut specialiter ad ejus Virginis honorem per omne sabbatum Missarum celebrentur officia*, *nisi forte festivitas vel feria quadragesimalis obsistat*. *Nos etiam eremis sive monasteriis*, *quorum videlicet ad Christi gloriam ministri sumus*, *tres per hebdomadas singulas dies Sanctis assignatos habemus*, *ad quorum scilicet honorem Missas specialiter celebramus*. *Et ne pro libitu*, *sed ratione dictante id videamur audere*, *scias quod secundum virorum illustrium pias opiniones atque sententias*, *quælibet animæ defunctorum in diebus Dominicis requiescunt*, *atque a suppliciis feriantur*; *secunda vero feria ad ea*, *quibus assignata sunt*, *pœnarum ergastula revertuntur*. *Iccirco ipso potissimum die Angelis Missarum honor impenditur*, *ut & mortuis*, *& morituris patrocinalis eorum defensio procuretur*; *sexta quoque feria vivificæ Cruci non inconvenienter adscribitur*, *quæ scilicet dies pendentis in Cruce Domini glorioso sanguine purpuratur*. *Qua die omnes fratres nostri*, *quos utique monasterialis ordo connectit*, *hoc etiam ad cumulum propriæ salutis adjiciunt*, *ut & se mactent in capitulo vicaria collisione scoparum*, *& insuper celebrent in pane & aqua jejunium*. *Asserentes quia in hoc Cruci vere communicamus*, *in hoc proculdubio Christo commorimur*, *si hoc eodem die*, *quo ipse passus est*, *nos etiam carnem nostram per inediæ cruciamenta mactemus*. Et postea: [g] *His & aliis argumentationibus sancti fratres sexta feria jejunandum esse definiunt*, *& sic Crucifixo Domino se quoque crucifixos ostendunt*. Et demum: [h]

f Ibid. cap. 3.
g Ibidem.
h Ibid. cap. 7.

Unde

ANN. CHR. 1063.

Unde nonnulla in nostris partibus monasteria præclaram nuper institutionis normam sibimet indiderunt, ut præter cetera pietatis opera, etiam tres pauperes cum privata mensa juxta se semper abbas habeat, eisque singulis mensuram cibi, quem quivis habet frater, apponat. Nam cum regularis norma [a] *præcipiat, ut abbatis mensa semper sit cum hospitibus, hoc modo noviter utrumque completur, ut & abbatis mensa non superbis seculi, sed sanctis hospitibus hæreat, & ipse convesci fratribus non omittat. Enimvero, ut copiosiora in pauperes alimenta proficiant, dantur in monasteriis & eremis decimæ quorumcumque proventuum, & non modo pecorum, sed & ornicum, pariter & ovorum. Devotioni quoque defunctorum hoc noviter superaddunt, ut carioribus quibuscumque defunctis octavas semper anniversarias faciant; & non uno tantum depositionis die, sed per ogdoadam potius annualis sibi memoriæ vota persolvant. Et suggero, atque humiliter peto, ut ipse notum hoc eorum, quæ prædiximus, arripias institutum, nec a minimis fratribus mutuari dedigneris exemplum.* Hæc Damianus ad Desiderium, post cujus opusculi scriptionem Casinum montem petiit.

a *Reg. S. Benedicti* c. XLVI.

XXXV. Damianus usum disciplinarum & jejunii sextæ feriæ promovet in monast. Casinensi.

ADVENTUS Damiani in montem Casinum meminit & Leo Ostiensis eo capite, quo narrat res, quæ acciderunt tempore, quo complebat annum quintum sui regiminis abbas Desiderius. Desiderius creatus fuerat abbas Casinensis a Stephano IX. sub Natali Domini anni 1057. initio itaque hujus anni quintum compleverat, & sextum exordiebatur. Sed præstat Ostiensem audire. [b] *Quintum jam fere ordinationis suæ complebat Desiderius annum, cum terribilius solito, permissione divina, fulmine monasterium istud attactum est. Cum enim fratres in ecclesia die quodam de more primæ horæ sollemnia agerent, subito cœlitus fulmen elabsum, ipsum hebdomadarium sacerdotem, cui Manno erat vocabulum, honestæ famæ virum, in choro stantem feriens extinxit, ceteros vero circumstantes, velut exanimes, ad terram prostravit. Novitium etiam quemdam extra chorum stantem ante ipsam majorem crucem percutiens occidit. In capitulo tabulas officiales excidit, ipsumque tabularium ac si mortuum reddidit. Vultum imaginis abbatis Richerii in eodem capitulo in tabella depictum scidit pariter, ac porro dejecit, & in plerisque monasterii locis percussit; fuit autem dies hæc quinto-decimo Kalendæ februarii. Quamobrem consilio cum fratribus pater venerabilis habito ad iram Dei placandam statuit tunc per omnes menses primam sextam feriam communiter ab omnibus in abstinentia peragi, ac discalciatis pedibus procedendo Missam proinde specialiter celebrari, necnon & omnibus per annum cotidianis diebus orationem pro fulgure ad Missam publicam & ad psalmos speciales edici. Porro autem dominus Petrus Damiani, cujus jam supra meminimus, ad hoc monasterium veniens, cum verbo pariter & exemplo ad Dei servitium ferventi zelo quoscumque posset, accenderet, tandem promissione domini abbatis a cuncta congregatione voluntaria oblatione in remissionem omnium peccatorum obtinuit, ut per totius anni sextas ferias pane tantum & aqua contenti essent, ac per singulas singuli disciplinas data confessione reciperent. Insuper & triduanum jejunium in caput quadragesimæ per annos singulos agerent.* Anno nimirum quinto desinente officii Desiderii, & principio sexti, ac usque ad decimam-octavam diem januarii, terror nimius Casinates invaserat ob frequentiam fulminum, quibus tangebatur eorum monasterium; placuit fratribus primam sextam feriam mensium ad hoc flagellum avertendum devovere abstinentiæ; usus ea occasione Damianus, ut singulas ferias sextas jejunio & voluntariæ flagellationi consecrarent, Desiderio permittente, & promittente, persuasit Casinatibus fratribus, & ut ait Johannes Laudensis [c] *sextam omni tempore feriam præter Pascha-*

b *Lib. III. cap.* XXII.

c *Cap. XIX. Vit. S. Pet. Dam.*

Ann. Chr. 1063.

Paschales vel ceteros dies sollemnes, sub eadem tam disciplinæ, quam abstinentiæ norma ob reverentiam Crucis illis observandam adhibuit; omnis illius adhortatio adeo, cooperante Domino, fructificasse dignoscitur, ut insigne illud quoque Casini montis cœnobium tanto eam fervore sumpsisset, quod præfata omnia inter regularia mandata conscribenda statuisset.

XXXVI. E Casino Florentiam se confert ad sedandas turbas contra ep. Petrum.

Post quadragesimale jejunium hujus anni idem Damianus, Casino monte relicto, Romam se contulit expectaturus, ut videtur, tempus celebrandi annualis concilii Romani. Verum incalescente de die in diem tumultu monachorum & populi in Petrum Florentinum episcopum, quem simoniace eam cathedram conscendisse proclamabant, Florentiam missus est sanctus vir ad illas turbas sedandas. Profectus est Petrus Cardinalis versus finem aprilis, cum Pascha eo anno contigerit die 20. aprilis. *Studuit laboriose inter eos, & eorum episcopum componere, & amicitiæ, quæ rescissa erant, fœdera reformans, spiritum sequestra pace in eos conflare.* Visus est stare nihilominus potius pro antistite Florentino, quam pro monachis, pluraque in episcopi favorem protulit, &, ut seipsum vindicat, *adjuvandi prædicti sacerdotis intuitu.* Attamen ne quæ dixerat, & quæ egerat, cum esset Florentiæ, sinistra interpretatione perverterentur, & a turbis vulgaribus ejus verba & facta vitiarentur, sicque indigna notaretur infamia, quod ore frequenter coram civibus expressit, vix discedens ab eis, sententiam suam, scripto ad cives Florentinos directo, [a] clarius explicavit. Anathematizat itaque primo in eo opusculo omnem Simoniacam hæresim, sed per malos sacerdotes bona & munda conferri sacramenta docet, ut & in libro [b] cui titulum fecerat *Gratissimus*, antea fusius probaverat, & in *Romano, sanctæ memoriæ Nicolao præsidente, concilio* definitum fuerat, nimirum *eatenus promotos a Simoniacis in percepti honoris ministerio permanere.* Hæc eadem, quæ nunc calamo, dixerat antea ore Damianus. Verum quæstio erat potius de facto, utrum nimirum Petrus episcopus in Florentinam sedem venaliter irrepsisset, an gratis? quem ipse tolerabilius judicaverat [c] *peccatorem justificare, quam damnare innocentem*, præsertim cum *annualiter immineret synodus, & sedes apostolica cunctis adeuntibus pateret. Romanam ergo*, dixerat, *pulset ecclesiam, quisquis se justam adversus episcopum habere calumniam sperat*. Et hoc quidem fuerat Damiani judicium, qui summa humilitate *homuncionem exiguum* ea occasione se appellat. Audierat tamen apud quosdam tamquam Simoniæ & Simoniacorum patronus. Enarrata facti intentionumque suarum historia, convertit se inde Damianus ad *commonachos* Florentinos, qui rumorem contra eumdem episcopum excitaverant, dixerantque [d] *ab hujusmodi sacerdotibus nec chrisma confici, nec ecclesiam dedicari, nec clericalia jura conferri, nec Missarum sollemnia ullo unquam tempore posse celebrari*. De facto *anno horno*, idest hoc anno, *compulerant in tribus plebibus sine conspersione chrismatis cathecumenos baptizari; mille circiter homines eorum nugis & næniis decepti sine sacramento Dominici corporis & sanguinis ex hoc mundo recesserant, ecclesias suis ingressibus indignas ducebant, nec salutabant*. Probat contra eos proinde Spiritum-sanctum per improborum ministeria dare posse sua charismata, eosque, qui sacerdotes hujusmodi lacerant, ipsa sacramenta blasphemare.

a *Opusc. XXX.*

b *Opusc. VI.*

c *Ibid. Opusc. XXX. cap. 1.*

d *Ibid.*

e *Ibid. cap. 121.*

XXXVII. Ad Desiderium scribit de picturis SS. Petri & Paulli.

Pariter Florentiæ cum adhuc esset, animadvertens se per totum elapsum quadragesimalem circulum familiariter degisse cum Desiderio cardinale & abbate Casinensi, & quæ conferenda videbantur, viva voce contulisse, atque communicanda ac tractanda sæpius declarasse, jam quid novi ad ipsum scriberet, non inveniebat; verum memoratus demum Desiderium a se multoties requisiisse, cur sanctus Petrus ad sinistram, sanctus

vero Paullus ad dexteram in picturis exprimerentur, ejus petitioni per literas satisfecit. Tribuere nimium videtur in hoc opusculo [a] Damianus Paullo præ Petro, neque eas rationes affert, quæ a recentioribus laudabiliores propositæ fuere super hac quæstione. Consulendi inter ceteros Franciscus Mucantius *de SS. Petri & Paulli imaginibus* Romæ 1573. Nicolaus Alemannus *de parietinis Lateranensibus* cap. x. Franciscus Fogginius *de itinere divi Petri* exercitatione xx. & qui postremus omnium scripsit doctissimus Paullus-maria Pacciaudius [b] C. R. nostrique amantissimus in *Antiquitatibus christianis de cultu sancti Johannis-baptistæ*. Opusculum deferendum Damianus tradidit domno Martino, quem ad Montem-casinum iter arripere didicerat. Is, nisi fallimur, Martinus est, *Florentinus genere, religiosus plane atque prudens, de prioribus Casinatibus monachus*, episcopus Aquinas creatus a Nicolao II. biennio ante, post depositionem excommunicati antistitis Aquitatis. De eo agit Leo Ostiensis. [c]

a Opusc. XXXV.

b Pag. 245.

c Lib. III. cap. xv.

XXXVIII. Concilium Romanum. An in eo iniquior fuerit Damianus contra monachos Florentinos?

BREVI functus legatione sua Florentina, Romam rediit Damianus, & concilio tunc temporis habito interfuit, ut [d] ipse testatur ad Desiderium scribens. In actis prolixioribus vitæ sancti Johannis Gualberti legitur Petrum Damianum opposuisse sese in ea synodo monachis, qui Romam petierant, ut causam dicerent contra Petrum Florentinum, eosque appellasse *ranas & locustas, quæ depascuntur viriditatem sanctæ ecclesiæ*, atque contra eos armasse summum pontificem Alexandrum. [e] Baronius putat auctorem horum actorum esse Attonem Pistoriensem episcopum. At in Gualbertina Attonis vita altum de his silentium. Soldanius [f] Gregorio Passinianensi abbati ea attribuit; alii auctorem faciunt Andream Januensem. In actis concilii Romani apud Labbeum nulla apparet hujusmodi invectio Damiani coram Alexandro pontifice contra monachos, nullum vestigium pariter in Andrea Strumensi, & in ceteris antiquioribus scriptoribus vitæ sancti Johannis Gualberti, & inverisimile omnino redditur Damianum, qui tanto odio simoniam prosequebatur, ita contra monachos accusatores simoniaci episcopi declamasse, præsertim cum ipse fuisset incentor, ut apud apostolicam sedem, si quam haberent, contra episcopum suum querelam deferrent. *Synodus*, dixerat, *annualiter imminet, sedes apostolica cunctis adeuntibus patet, Romanam ergo pulset ecclesiam, quisquis se justam adversus episcopum habere calumniam sperat*. Quomodo [g], inquit Grandius in responsionibus ad quæstiones Vallis-umbrosanas Soldanii, Petrus Damianus, qui obsecutor semper fuit Hildebrandi cardinalis, contra monachos illos, quos sciebat ab eo defendi, tanto furore debacchatus fuisset? Accedit & illud, quod circa hæc tempora Alexandro pontifici scribens Damianus [h] pravam consuetudinem tolli exorat, qua prohibebatur, ne clerici minores contra episcopos querimonias deponerent. Sed huic opinioni, juxta quam putarunt aliqui scriptores ex congregatione potissimum Vallis-umbrosæ, Damianum iniquiorem fuisse in monachos Florentinos; credimus ansam dedisse supradictam ipsius epistolam ad cives Florentinos. In ea Damianus de hæreticis Luciferianis & Novatianis loquens hæc habet: [i] *Nimia certe immunditia in hæreticæ contagionis illuviem Novatianos, qui & Cathari dicuntur, immersit; nimia sanctitas Luciferianos, tamquam perniciosos palmites ab ecclesiastici corporis unitate præcidit, qui dum prohibent non licere, quod licet, ac per hoc jactant se defensores esse justitiæ, hostes adjudicantur ecclesiæ, ut sibimet extrinsecus, velut ranæ in paludibus garriant, qui dum inessent, importune vociferantes, omnia confundebant. Hujusmodi quippe genus hominum ranis, sive locustis merito comparatur, quia sicut Ægyptum illa tunc animalia percusserunt, ita per hos* nunc

d Opusc. XXXIV.

e Annal. T. XI. col. 405.

f Quæstioni Vallombrosan. Par. II. pag. 311.

g Pag. 197.

h Ep. XII. Lib. I.

i Opusc. XXX. cap. IV.

ANN. CHR. 1063.

nunc vastatur ecclesia. Nam de locustis Scriptura dicit : [a] *Quia operuerunt universam superficiem terræ vastantes omnia; moxque subjungitur: Devorata est igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit. Locustæ siquidem universam terræ superficiem vastant, & herbas cum pomis arborum devorant, cum detractores quilibet vel infirma nostra quasi herbas humilium, vel sicut fructus arborum opera perfectorum dilacerando corrodunt, & livido mordacis invidiæ dente consumunt. Contra quos dicit Apostolus :* [b] *Capite nos, neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. Et alibi exprobrans ait:* [c] *Invicem mordetis? invicem læditis? Videte ne ab invicem consumemini. Sed cum nos, in sacro videlicet ordine constituti, deberemus esse venatores Dei, sicut per Hieremiam dicitur* [d]*: Mittam venatores meos & venabuntur; nos relicta præda secularium, nudatis dentibus, invicem ringimus; & quasi rabidæ caniculæ, mutuis nos morsibus laceramus. Reprimatur jam præsumptio tumida, exæquet se fratribus sanctitas onerosa. Qui vult esse sanctus, sit sibi coram Deo, nec per arrogantiam fratri præferatur infirmo. Catulus itaque, cujus erat officium extraneos pellere, nequaquam contemptis illis, aggrediatur domesticos lacerare; ne qui quietus poterat dormire sub tecto, exclusus foribus compellatur cubare sub dio.* Hic profecto excursus Damiani in epistola ad cives Florentinos occasionem dederit credendi ipsum eadem invectiva usum fuisse in Romano concilio coram Alexandro contra monachos. Illud tamen certum est, ducem Gothifredum favisse parti episcopi, favisse & plures episcopos concilii, & nihil contra Petrum Florentinum profecisse sua querimonia monachos, Alexandrum illos non audisse, sicut nec audivit, cum per Florentinam urbem ipso transeunte post aliquod tempus, ignis probatione simoniam episcopi demonstrare monachi iidem parati erant. Metus forsan exacerbandi animum Gothifredi, qui ad propulsandam Cadaloicam rabiem apprime necessarius erat, mentem pontificis & episcoporum inducebat, ut prudenti œconomia ad tempus causam rejicerent, non dogmatis, sed facti. Nimius pariter & importunus monachorum zelus coercitionem aliquam expostulabat, & animo pacatiori examinandus erat reatus Florentini antistitis. Quidquid sit, a Damiano propulsanda est hæc, quæ contra ipsum conflatur, invidia. Animadvertimus & illud male putari a plerisque, inter quos a Mabillonio, & a Baronio, tempore legationis Florentinæ contigisse concertationem Damiani cum Theuzone; ut enim vidimus, vivebat Dominicus Loricatus, cum opusculum de vita eremitica conscriptum post hoc colloquium ad Theuzonem misit; at anno 1063. jam a triennio defunctus fuerat Dominicus; insuper Damianus nuper præfuerat cœnobio Perusino, cum exaravit epistolam prædictam ad Theuzonem; quod profecto regimen Damianus obtinebat, antequam ad ecclesiasticas dignitates promoveretur.

a Exod. 10.

b II. Cor. 7.

c Galat. 5.

d Hier. 15.

XXXIX. Differendum non est hocce concilium ad annum 1068.

EXISTIMAT V. Cl. Mansius hoc Romanum concilium, quod communiter huic anno assignatur, differendum esse ad annum 1068. [e] quo data fuit epistola a clero Florentino Alexandro summo pontifici, in qua enarratur, quomodo Petrus monachus discipulus sancti Johannis Gualberti, nomen sortitus exinde *Ignei*, per ignem transiens illæsus exierit, & hoc facto simoniam episcopi, & justum monachorum eum accusantium zelum contestatus fuerit. Verum hoc ignis periculum aliquot annis post concilium Romanum factum fuit. Beatus enim Andreas Strumensis vitæ sancti Johannis Gualberti scriptor, synodi Romanæ hujus anni relato exitu subjungit [f]: *Lite itaque tunc permanente, immo deinceps nimis crescente, facta est persecutio tanta adversus clerum Florentinum catholicum, ut &c.* Et post pauca : *Tempore illo cum præfatus papa* (Alexander) *Floren-*

e T. I. Suppl. Concil. col. 1359.

f Cap. VIII. n. 88. ap. Boll. ad d. 12. Jul.

rentiam venit, *præparata & coadunata sunt ligna ad ignem accendendum*, *quem monachi inhiabant ingredi ad comprobandum sæpefatum Petrum esse simoniacum & hæreticum*. *Quod papa tunc recipere renuit*, *sed clero & populo in lite relicto recessit*. Postremo affert in medium idem beatus Andreas literas cleri Florentini ad pontificem, in quibus exponitur probatio facta per ignem a Petro monacho. Quare non est, cur ab hoc anno dimovendum sit concilium Romanum.

ANN. CHR. 1063.

XL. Canon in ipso efformatus contra clericos proprietarios.

SED redeamus ad ipsam synodum. In ea efformatus fuit contra clericos religiosos etiam canon hujusmodi [a]: *Et præcipientes statuimus*, *ut hi prædictorum ordinum*, *qui iisdem prædecessoribus nostris obedientes castitatem servaverint*, *juxta ecclesias*, *quibus ordinati sunt*, *sicut oportet religiosos clericos*, *simul manducent & dormiant*, *& quidquid eis ab ecclesia competit*, *communiter habeant*. *Et rogantes monemus*, *ut ad apostolicam communem vitam summopere pervenire studeant*, *quatenus perfectionem consecuti*, *cum his*, *qui centesimo fructu ditantur*, *in cœlesti patria mereantur adscribi*. Huic canoni occasionem dedit Petrus Damianus, qui *de proprietate evitanda* opusculum [b] confecerat, *Alexandro beatissimo papæ* nuncupatum. Oppugnat in eo sanctus doctor pertinaciam eorum clericorum, qui ex regulari auctoritate vindicabant sibi jus habendæ pecuniæ, contra quos, relictis Scripturarum testimoniis, producit verba Augustini, Hieronymi & Prosperi; Regulæ deinde canonicorum verba ad examen revocat. Demum quæ mala ex peculio oriantur inter canonicos enumerat, neque idoneum ad ministranda verba doctrinæ clericum proprietate pecuniæ captum demonstrat, atque demum *sanctum* Alexandri *Apostolatus* implorat contra proprietarios clericos *vigorem*.

a Labbe T.XII. Can. IV. col. 138.

b Opusc.XXIV.

Affine huic opusculo aliud [c] est *sanctis in Christo fratribus Fanensis ecclesiæ clericis* aliquando conscriptus Damiani libellus, inter quos *simultatis non parvæ emerserat discordia*, *quia nonnulli* eorum *aggrederentur in canonica regularitate vivere*, *plerique autem non aquiescerent*, *volentes tantum apud se in suis proprietatibus habitare*. In eo pariter totus est, ut clericorum proprietatem damnabilem exagitet.

c Opusc.XXVII

XLI. Zelus Damiani pro canonicorum regulari vita.

ZELUS Damiani in canonicorum regulari vita statuenda, de quo testem habemus etiam Johannem Laudensem ipsius vitæ scriptorem, præcipue tamen enituit erga canonicos suæ Velitrensis ecclesiæ, qui *sub multis* ejus *laboribus atque sudoribus incorrigibiles initio videbantur*, *sed jam per divinam gratiam resipiscentes*, *& per canonicæ regulæ tramitem non jam coacti*, *sed gaudentes incedebant*. *Unusquisque præterea eorum* (inquit [d] in epistola *domno A*...... certe Alphano Salernitano, *venerabili archiepiscopo*, *qui* delectabatur *audire animarum profectum*) *quadragesimali tempore quotidie psalterium complet*; *tribus per hebdomadam diebus omnes vino & pulmento communiter abstinent*; *tantumque districtæ conversationis videntur habere fervorem*, *ut per totam quadragesimam*, *quæ est ante pascha*, *& illam*, *quæ Nativitatem domini nostri Jesu Christi consuetudinaliter antecedit*, *tribus in hebdomada diebus unusquisque se in capitulo coram fratribus exuat*, *& propria peccata confessus*, *dura corrigiarum scutica perferat disciplinam*. *In quo videlicet sanctæ conversationis indicio potes manifeste colligere*, *quid de ceteris vitæ modis*, *& observationibus debeas æstimare*. De Velitrensibus canonicis, quorum archipresbyter erat Titus, communi vitæ addictis, & Damiano subjectis, aliqua addemus ad annum 1065.

d Opusc. XXXIV.

Occasione disciplinæ spontaneæ, quam sibi invicem dabant Velitrenses canonici, enarrat domesticis Fontis-avellanæ exemplis, quanto hujusmodi flagellationis usu oblectarentur sui eremitæ. *Vix dum mensis emensus est*, ait, *ex*

Ann. Chr. 1063.

a Ibid. cap. I.

quo res contigit ista, quam refero. [a] *Baruncius plane mihi frater unanimis, & in amoris præcipui dulcedine singularis, non in eremo, sed in villa quadam eremo subjecta, dum opus ageret necessarium, languorem incurrit extremum. Qui dum sibi imminentem cognosceret obitum, fratribus, qui sibi sedulitatis officium exhibebant, pœnitentiam sibi proposuit injungi, qui dum tres, vel, ut multum, quatuor psalmos, utpote sancto & innocenti viro, sufficere judicarent, ille petiit, ut decem sibi annorum pœnitentiam traderent, quam illico peragendam fratribus, qui morabantur in eremo, quantocius delegarent. Nocte igitur insecuta, dum quinque per cellas constituti post gallicinium nudati corporalibus disciplinis insisterent, festinarentque fratres pœnitentiam, antequam ille moreretur, implere. Lamberto fratri, qui sibi sedulus assistebat, Baruncius ait. Cur, inquit, te non præparas, & sicut ceteri fratres indumentis ecclesiasticis non adornas? Omnes enim de eremo fratres usque modo mihi visibiliter astiterunt, albis nimirum ac resplendentibus stolis induti, & velut in choro psallentes micantium vestium candore conspicui. Compulit ergo illum, ut ad eorum indueretur exemplum. Ubi notandum, quia dum fratres illi nudati corporalibus disciplinis essent ab ipso procul intenti, ei, ut ita loquar, non jam carnalibus, sed spiritualibus oculis decoro cultu videbantur induti. Is plane, qui mihi hoc retulit, venerabilis pater Luitprandus aliud etiam mihi consequenter innotuit, quod ab audientium ædificatione non vacat. Initio, inquit, illius quadragesimæ, quæ Nativitatem Dominicam ex ecclesiastica institutione præcedit, tanta mihi subito molestia repentini languoris incubuit, ut vix pedibus constanter insisterem, nedum possem regulam quotidianæ conversationis implere. Cumque tenebrosis, atque confusis cogitationibus fluctuans, jejunium funditus desperarem, ac de quotidiana deinceps ciborum remissione decernerem, subito lenis mihi sopor obrepsit, & super codicem, cui videlicet intentus eram, caput paullulum reclinavi. Tunc mihi visum est, quod tota cella plena esset fumo, & insuper quamplures illic essent homines, qui clamosis ac mutuis inter se vociferarentur colloquiis; cum ecce sanctus frater Juventius, qui in eadem eremo laudabiliter conversatur, repente cellulæ fores irrupit, & zelo severissimæ animadversionis homines exturbavit, ac sine mora violenter propellens exclusit. Num, inquit, hujus eremi non est inviolabilis regula, ut colloquium fieri in cella quisque non audeat, sed ingredientium labia silentii protinus censura compescat? Moxque manutergium repente corripuit, omnemque fumi chaos, tetramque congeriem, qua cella replebatur, abjecit. Quo facto protinus exsoporatus evigilo, mentemque meam ab omni fumigantium cogitationum caligine liberam non sine magna cordis lætitia recognosco. Tunc itaque omni tædio tentationis atque languoris expulso, tantæ virtutis in me robur ac fortitudinem reperi, ut per totam illam quadragesimam usque ad Dominicam Nativitatem vix aliquando vel leviter esurirem, & ne uno quidem die præter panem & aquam, nisi fallor, alia quælibet alimenta requirerem.* Inter sanctos Avellanenses eremitas locus dandus jure merito præfatis Baruncio & Iuventio Damiani ore celebratis. Distinguendus Baruntius hic, qui obiit Damiano vivente, ab alio Baruntio, qui prior fuit eremi Avellanensis post Johannem Laudensem. Luitprandus pariter venerabilis pater idem facile est, qui Liprandus & Aliprandus nominatur ab eodem Laudense, cuique etiam vitam Petri Damiani idem Johannes nuncupatam voluit. Citat in eodem opusculo Damianus etiam *Leonem dudum Puteolanum episcopum, nunc autem nobilem eremitam*, quædam nuper sibi & ceteris fratribus narrantem. Is profecto, abjecta episcopali dignitate, Avellanam sub Damiani magisterio secesserat. Pariter laudat *religiosum*

sum plane presbyterum Johannem, & postremo exempla plura refert excepta ab ore *Rainaldi Comensis episcopi*, qui, quæ narrabat Damiano, asserebat se didicisse *ab Humberto venerabili quondam episcopo sanctæ Ruffinæ*.

ANN. CHR. 1063.

XLII. Obitus Humberti cardinalis.

QUOD autem Humbertum appellat hic loci Damianus *quondam episcopum*, ostendit non serius hoc anno differendam esse mortem ejusdem Humberti cardinalis, episcopi Silvæ-candidæ, sive sanctæ Ruffinæ, & Damiani amicissimi inter primos. A Leone IX. Humbertus ex monacho divi Mansueti Leucorum de provincia Lotharingiæ Romam deductus, ad prædicandum Siculis verbum Dei, archiepiscopus ordinatus fuerat, quare passim appellatus fuit *archiepiscopus*, vel *archiepiscopus Siciliensis*, & ab eodem Leone sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis creatus fuerat, ut tradit etiam Lanfrancus archiepiscopus Cantuariensis in libro contra Berengarium. Varias pro sede apostolica legationes obivit, inter quas CPolitanam, qua decertavit libris & sermone contra Michaelem Cerularium, & Nicetam Pectoratum. Plura etiam scripsit contra Simoniacos. Aliis functus fuit ecclesiasticis officiis sub posterioribus Romanis pontificibus. Postrema, quam obivit, legatio creditur Anglicana ad annum 1062. paullo post quam decessit. Si vera est hæc legatio, admitti nequit, quod ex Johanne de Bayone scribit Mabillonius [a], Humbertum scilicet v. idus aprilis anni 1061. obiisse, eumque a Nicolao papa in basilica Constantiniana prope corpora sanctarum virginum Ruffinæ & Secundæ honorifice sepultum fuisse. Successit ei in episcopatu Silvæ-candidæ Mainardus alter Damiani necessarissimus, qui ex eodem Damiano hanc cathedram tenebat anno sequenti. Huic tamen ecclesiæ nuncium remisisse videtur Humbertus ante obitum, cum in bulla Nicolai II. data monasterio sanctæ Mariæ in insula Tremiti, & Adæ ipsius abbati *anno ab incarnatione Domini millesimo sexagesimo primo anno tertio pontificatus Nicholai pape II.* post Dodonem Rosellanum episcopum, Bonifacium Albanensem, Petrum Lavicanensem, & Godefridum Perusinum episcopos legatur: *Ego Mainardus Dei gratia sancte ecclesie Silve candide episcopus confirmavi & subscripsi*. Vel sub Nicolao II. vel sub Alexandro II. sedere solitus erat Humbertus ad dexteram papæ, Damianus autem ad sinistram, quare hic postremus aliquando lusit: [b]

a *Annal. T. IV. p.* 612.

b *T. IV. pag.* 25.

Fortior hædinam, tu sedem tollis ovinam,
Lævus habet dextram, dexter quandoque sinistram.

XLIII. Damiani opusculū de variis miraculosis narrationibus ad Desiderium abb. Casinensem.

POST concilium Romanum hujus anni, quo tempore *synodali instantia præpeditus* Desiderii Casinensis abbatis epistolari cuidam interrogationi nequiverat Damianus responsum dare, licet *illius & angelici, ac sancti conventus* memoriam mente semper teneret, inscripsit illi opusculum [c] *de variis miraculosis narrationibus*, sumpta occasione super quoddam factum, a Desiderio ei olim expositum, *mulieris zelotypæ, quæ viro suo cum maleficiis corpus Dominicum propinans*, cum horrore reperiit corpus idem *in palliolo repositum sui medietate miraculose conversum in carnem*; quod accidisse reponit Damianus ad comprobandam veritatem corporis Christi. Ebulliebat tum temporis Berengariana hæresis hocce dogma impugnans; congerit sanctus doctor ea opportunitate prodigiosas visiones & miracula complura, quæ alibi contigerant, suo tamen more sensim ab argumento potiore recedens, & ad alia diffluens. Mentionem facit in eo opusculo piæ recordationis [d] Amalphitani episcopi viventis temporibus Stephani Romani pontificis. Is, cujus nomen ei exciderat, fuit Petrus Alpherii, successor datus anno 1049. sancto Laurentio. Cum *piæ recordationis* titulo honestet episcopum illum hoc anno Damianus, jam fato cessisse anno

c *Opusc. XXXIV.*

d *Ibid.*

1063.

Ann. Chr. 1063.

a T. VII. col. 198.

1063. Petrum dicere cogimur [a] contra Ughellium, qui ejus mortem ad annum 1070. affert, nisi illud existimare velimus Damianum *piæ recordationis* elogium dedisse Petro adhuc viventi. In eo tamen magis erravit idem Ughellius, dum Petrum Alpherii asserit temporibus Damasi II. Leonis IX. Victoris II. Stephani IX. Nicolai II. Alexandri II. & Gregorii VII. vixisse; sub Damaso enim nondum ad archiepiscopales infulas Amalphitanæ ecclesiæ fuerat evectus, cum Laurentius ejus decessor anno 1049. obierit, neque ad tempora Gregorii VII. pervenit, si vel juxta suam sententiam anno 1070. defunctus est, quanto minus, si hoc anno in vivis amplius non erat. Hic itaque Amalphitanus præsul olim *præsente Damiano, Stephano pontifici jurejurando affirmaverat, sibi hæsitanti super sacramento Dominici corporis in ipsa confractione salutaris hostiæ rubram prorsus ac perfectam inter ejus manus, quæ sanguine cruentatæ fuere, apparuisse carnem.*

XLIV. Inter ea de misera morte Arnaldi ep. Arretini.

b *Opusc. XXXIV. cap.* 1.

c *Col.* 1147.

Alterum factum est terribilis Arnaldi episcopi Arretini mors, quam narraverat [b] Damiano *Martinus eremita*, Camaldulensis nimirum, de quo & ad annum 1056. egimus. Arnaldus aureum calicem abstulerat a quodam monasterio, & argumentum inde desumebat Damianus, quam grave sit furari corpus Dominicum, si furtum vasis sacri tanta fuit pœna mulctatum. Arnaldus Arretinus episcopus mense junio anni 1059. adhuc vivebat; eo enim mense una cum Gothifredo duce & marchione placitum tenuit, in quo judicatum fuit pro Henrico abbate sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio. Immo in vivis erat etiam XVII. kalendas maji anni 1060. qua die subscripsit bullæ Nicolai II. pro monasterio Agerensi relatæ a Baluzio [c] in appendice ad Marcam Hispanicam. Ughellius annum & modum mortis Arnaldi ignoravit; narrationem itaque ejus obitus ex Damiano, immo ex Martino Camaldulensi hic subjicimus. *Arnaldum certe Arretinæ sedis episcopum tu quoque*, Desiderium alloquitur Damianus, *familiariter agnovisti. De hoc mihi Martinus eremita, magnæ scilicet opinionis vir ac celebris famæ, narravit, quia ex quodam sui juris monasterio calicem aureum abstulit, & quibusdam imminentibus necessariis alienavit; cui nimirum calici nobilis ac devota mulier, quæ eum Sanctis obtulerat, anathematis titulum, ne ab aliquo tolleretur, provide fecit insculpi. Interea cuidam fratri sopore depresso videre contigit quemdam lacum nimii caloris ardore ferventem, & piceos sulphureosque fœtores non sine tetri fumi voluminibus exhalantem. Circa quem lacum teterrimi quidam velut Æthiopes nigris similiter equis, sed excelsis instar turrium, insidebant. Intus autem innumerabilia crudelium tortorum monstra, damnatorum vero videbantur horribilia ac diversa supplicia. Inter quos subito contigit, ut etiam Arnaldum videret episcopum, quem videlicet in illis præ nimietate caloris exundantibus aquis cervicetenus immersum terribiles duo Æthiopes constringebant, quorum alter sartaginem ferream, alter calicem aureum in manibus habere videbatur, sed iste cum sartagine calicem replebat aqua, & ille labiis episcopi protinus eumdem calicem apponebat, eumque funditus ebibere compellebat. Sic itaque numquam cessabant, & ille poculum labiis hiantis immergere, & iste coactus indesinenter haurire. Quid multis immoror? Hanc visionem audivit episcopus; ut monasterio restituat calicem ab amicis omnino suggeritur. Ille sub fortassis ambiguo reddere pollicetur. Sed dum res in crastinando differtur, immo dum circa salutem suam ille non vigilat, cœlestis super eum sententia non dormitat; nam & beatus Petrus de his, qui fictis verbis in avaritia negotiantur, ait: Quibus judicium jam olim non cessat, perditio eorum non dormitat. Quadam itaque die, tertia appropinquante jam hora,* in

in castelli, ubi erat, crepidinem sellam præcepit afferri, ut surgentis calorem Solis exciperet, ac matutini frigoris reliquias propulsaret. Cumque residenti domestici sui, servi atque contubernales assisterent, & ille securus, hilaris ac jucundus faceta cum eis & urbana verba misceret, subito repentinus dolor in ejus verticem tamquam gladius irriguit, eumque, morior, morior, exclamare coegit. Mox bajulantibus necessariis defertur ad lectulum; mysterium sacrosanctæ communionis accepit, ac spiritum protinus exhalavit. Ceterum laudat Arnaldum Damianus, quod *licet in hoc sibi negligentiæ torpor obrepserit, alias tamen acutus erat, ingeniosus & cautus, tantæque facundiæ, ut dum expeditissime in verbis decurreret, circumcisus labiis dici immerito non potuisset.* Fuit etiam Arnaldus beneficus erga monasterium nostrum Pratalienſe, ut alibi observavimus. Hæc ad supplendam in Ughellio vitam Arnaldi, qui videtur vel anno elapso, vel præsenti obiisse, si immediate ipsi in sede Arretina successit Constantinus, qui hoc anno ejusdem ecclesiæ electus fuit episcopus, primumque signat sui pontificatus annum in chartis ab ipso confectis.

XLV. Aliæ historiæ & exempla ab eo congesta.

ALIA subinde profert sanctus doctor exempla in hoc ad Desiderium opusculo, & quidem narrat [a] factum ab Arnaldi *prædecessore Arretino episcopo Thedaldo allatum in festivitate sancti Donati* (quod est tamen extra chorum rei principaliter propositæ) [b] aliud ecclesiæ profanatoris *Hugonis primarii Fanensis civis*, alterum cujusdam clerici Burgundi, & historiam Severini Coloniensis episcopi, qui adhuc in purgatorii loco detinebatur *propter canonicæ synaxis officia per distincta horarum spatia non persoluta*, ex relatione *Adraldi prudentis & religiosi viri Bremetensis monasterii abbatis*. Tum domesticum exemplum producit Johannis prioris olim Avellanæ, quod prænarravimus ad annum 1030. & alterum Johannis de Anso eremitæ, quibus dæmones proprias culpas objecere. Ecce historiam Johannis de Anso. *Alter etiam*, inquit, *eremita, qui vocabatur de Anso, cum ei, dæmoni nimirum, ut egrederetur, vehementer insisteret, ac Divini nominis adjurium crebrius intentaret; numquid oblitus es, ait, hac tibi nocte, quid fecerim? Nam si non excidit, certus es, quia dum ego me in apri silvestris effigiem verti, tu me quasi venator insectabaris. Sed qui videbar aper, subito speciem venustæ mulieris assumpsi, atque in osculum tuum ruens, ut semen effunderes, cum gloria triumphavi.* Quæ prosequitur Damianus de Roberto Galliarum rege, & de Ottone rege Teutonicorum excommunicatis, ad rem nostram monasticam omnino non pertinent. Postremo historiam quamdam narrat monachi Cluniacensis, quam ad annum 1062. in medium attulimus, variaque miracula ab Hugone abbate Cluniacensi *horno* sibi relata. Verbum hoc *horno* præsentem annum significat; scilicet nondum expletus erat annus, quo ea sibi enarrata fuerant, ut etiam ex hac dictione colligi possit anno elapso 1062. Damianum legationem Gallicam obiisse, cum opusculum hocce scriptum fuerit anno præsenti; exaratum enim fuit, statim ac Damianus interfuerat synodo Romanæ hujus anni; id quod contra aliquos dubitantes, & Gallicanam Damiani legationem ad alium annum differentes hic loci animadvertimus, præter ea, quæ diximus sub anno antecedenti.

a Ibid. cap. 2.
b Ib. capp. 3. 4.

XLVI. Suffragium orationum promissum Damiano a Casinensibus.

CETERUM Damianus, qui Cluniacenses oraverat, ut sui memoriam post obitum servarent, anniversariumque in animæ suæ refrigerium persolverent, qui idipsum etiam a Pomposianis postea obtinuit, a Casinensibus monachis pariter efflagitavit orationum suffragia post diem defunctionis suæ in præsenti opusculo. Extat Desiderii abbatis epistola ad Damianum, seu potius promissio, quam hoc loco subjungimus.

Domnô

Ann. Chr. 1063.

Domno Petro Damiani venerabili episcopo Desiderius abbas Dei gratiam & salutem.

Quoniam satis clare innotuit, quod hoc monasterium sancti Benedicti, cui præesse videor, plus omnibus aliis circumquaque fundatis diligas (cunctis fratribus nostris laudantibus, & libenter consentientibus) promittimus tibi, venerabilis frater Petre, ego frater Desiderius cum tota congregatione hujus sancti cœnobii, memoriam obitus tui annualiter nos habituros; posteros quoque nostros hoc idem observare fideliter cupientes, sicut consuetudinaliter prædecessorum nostrorum abbatum, qui noviter de hac luce migraverunt, officiosissime celebramus. Satis quippe dignum & honestum nobis videtur, quibus tantam dilectionem impendis, tantam benevolentiam ostendis, aliquid emolumenti rependamus, ut quos ita incœperis amare, semper, dum vixeris, amor tuus crescat in nobis, dum aliquid devotionis & amoris præter solitum a nobis te speras consecuturum. Si quis autem hujus nostræ pollicitationis violator extiterit, vel nobiscum viventium, aut succedentium, ante tribunal Christi reus judicii præsentetur.

Ego, qui supra, Desiderius subscripsi.

Ego frater Rainerius scripsi.

Juxta sanctam hanc Desiderii abbatis sponsionem, Petri Damiani memoria quotannis a Casinatibus recolebatur, & in kalendario Casinensi post martyrologium notatum vidit Cajetanus: VIII. *kalendas martii obiit venerandæ memoriæ domnus Petrus Ostiensis episcopus.*

XLVII. Damiani epistola ad Annonem archiep. Coloniensem.

a Epist. VI. Lib. III.

ANTEQUAM ab Avellana discederet Damianus montem Casinum aditurus, vel antequam legationem Florentinam susciperet, in *expeditionis scilicet exercitio constitutus*, scripsit sanctus doctor epistolam [a] ad Annonem archiepiscopum Coloniensem. In ea præsulem illum laudat, quod regem Henricum pupillum suæ fidei commissum egregie tutatus fuisset. *Servasti*, ait, *venerabilis pater relictum tuis manibus puerum, firmasti regnum, restituisti pupillo paterni juris imperium, ad sacerdotium quoque manum tuæ prudentiæ protinus extendisti, dum & Parmensis bestiæ squamea colla evangelici mucronis vigore præcidere, & apostolicæ sedis antistitem in suæ dignitatis elaborasti solium reformare.* Alludit ad id, quod narrat Lambertus Schafnaburgensis ad annum 1062. de Annone, qui navi impositum rapuit ab Agnete matre, ejusque tutela Henricum filium; necnon ad concilium Osboriense octobri anni præcedentis Annonis opera celebratum. Sed quoniam Cadaloi rabies adhuc perdurabat, qui etiam pecunia animos omnium sibi mercabatur, orat Annonem, ut *sanctus studii ejus labor ad effectum omnino perveniat*, quod obtinere poterit, inquit, *si vestra prudentia totis nisibus elaboret, quatenus generale concilium quantocius fiat, & perniciosi hujus erroris spinas, in quo miser mundus versatur, evellat* &c. *Sed dum equus offertur, dum socii omnes iter arripiunt, ecce brevem sperno, strevi vestigia sterno*; quæ verba, quid sibi velint, ignoramus, corruptumque in codice textum necessario dicimus. Verum de generali hoc concilio alibi.

XLVIII. Agnes imperatrix Romam se conferens consiliis utitur Damiani.

PARITER cum Romæ esset hoc anno Damianus, multoties allocutus fuerat Agnetem imperatricem, quæ imperio & rebus secularibus nuntium mittens, pœnitens etiam, quod initio contra Alexandri II. electionem stetisset, postquam Henricus puer sub aliorum tutela fuerat commissus, Germania relicta, Fructuariensi & Casinensi monasteriis visitatis, in quibus etiam ad tempus remansit (exploratum tamen non est, an prope Fru-

ctua-

Ann. Chr. 1063.

ctuariense monasticum habitum induerit) Romam se receperat, vitamque omnino privatam agebat. Insuper Damianus exceperat sacramentalem peccatorum ipsius depositionem sub arcana divi Petri confessione ante sanctum altare ab ejus quinquennali ætate, qui tamen nullum addiderat jejunii vel afflictionis diem, sed incœptis solummodo operibus perseverare exhortatus fuerat, variisque eam instruxerat sanctæ vitæ documentis, & ad mundi vanitatem magis despiciendam allexerat, itaut in monasterio sanctæ Petronillæ prope sanctum Petrum habitum monasticum induisset, & *per sanctæ professionis dotem sponsa facta* fuisset *Redemptoris*, solo ipsius Damiani, & Rainaldi episcopi Comensis colloquio fruens, & consortio Hermisindis clarissimæ viduæ quondam germani sui, & propterea suæ cognatæ, una cum qua Romam venerat. In eo monasterio Agnetem cum sanctimonialibus versatam fuisse testis est etiam Johannes abbas Fiscamni, qui [a] libellum precum ei offerens ex sanctorum patrum scriptis defloratum, in ejus prologo ait se alterum addidisse sermonem de vita & moribus virginum, *ad instruendas sanctimoniales, quæ in tuo*, inquit, *monasterio congregatæ sunt*. Lambertus Schafnaburgensis refert hujusmodi Agnetis profectionem Romam ad annum 1066. sed intelligendus profecto est de secundo ipsius adventu, non de primo, quem initio hujus anni contigisse firma ex Damiano argumenta suadent. Porro Rainaldus episcopus paullo post ad suam ecclesiam redire compulsus fuit, Hermisindis pariter Roma abierat, & Damianus in suam solitudinem se receperat, ita ut Agnes sola Romæ relicta tristiores aliquantulum dies duceret. Ipsam propterea Damianus [b] e suo recessu consolatur, & hortatur, ut solatia omnia sua a Jesu Christo petat, cum quo quando sit, numquam se solitariam judicet. Alia epistola [c] propinquum reditum suum ad Romanam urbem pollicetur; interea confortat, ut labores & opera quæque pro amore cœlestis sponsi libenter sufferat.

a Analect. Mabill. T. I. p. 135.

b Ep. VI. Lib. VII.

c Epist. VII. Lib. VII.

XLIX. De fluxa mundi gloria despicienda opusculum ei inscribit Damianus.

Paullo post pariter quam advenerat imperatrix Romam, inscripsit ei [d] opusculum Damianus *de fluxa mundi gloria despicienda*, quo eam laudat, quod non superbo apparatu, sed summa humilitate & in pœnitentia victura eam urbem ingressa fuerit. *Venisti*, [e] ait, *humilis ad humilem, pauper ad pauperem, & quasi cum peronatis & incultis gregum pastoribus, adorare venisti puerum in præsepio vagientem. Vidisse nempe tunc te, & quæ circa te, mirandum valde spectaculum, & imitandum Salvatoris erat ædificationis exemplum. Vestis enim pulla & lanea. Is cui insidebas, non dicam equus, sed potius burno, vel burricus, vix mensuram desidis excedebat aselli. Mutaveras enim coronam velo, purpuram sacco, & manus, quæ in modum columnæ gestare consueverat sceptrum, attrita jam erat portare psalterium. Revera, quia omnis gloria filiæ regum ab intus, vernantium decor ille gemmarum, & coruscantium auro vestium cultus, jam ad interiora migraverant, & in occulti speculatoris obtutibus interior sponsæ species relucebat. Cui sponsus: Tota, inquit, pulchra es, amica mea, & macula non est in te. Et iterum: Pulchra es, amica mea, suavis & decora. Delicatam porro cervicem illam, ex qua cum bracteolis aureis, & rutilantibus margaritis dudum murena pendebat, nunc margo laneæ vestis exasperat.* Et post aliqua [f]: *Tu, ut nuptialia cum cœlesti sponso fœdera contrahas, regalis ærarii congeriem prodigis, radiantia quæque cum auro vel argento margarita dispergis, aulæa tua blattina vel potius deaurata templorum laquearibus appenduntur, ornamenta regalia sacris famulantur altaribus. Nullis, ut ita fatear, parcitur rebus, & hoc solum indigentibus vel ecclesiis non confertur, quod extra tui juris peculium reperitur, cuncta projicis, cuncta dilapidas,*

d Opusc. LVI.

e Ibid. cap. III.

f Cap. IV.

Ann. Chr. 1063.

pidas, ut ad sponsi cœlestis amplexus exonerata prorsus, immo nuda pervenias. Narrat subinde ejus laudabilem abstinentiam, variique generis jejunia, ita ut *inter congestas renidentium carnium epulas, ne ipsam quidem pinguedinem* degustaret. *Immo ipsum panem vel quævis incultioris apparatus edulia non sine timore & lacrymis* delibaret, tum *denique quia jejunii loco censeri* debebant *rerum omnium, quem professa* erat, *contemptum.* Laudat insuper corporalem ipsius assiduitatem in oratione, quam numquam intermittebat, neque ipso humanarum indigentiarum tempore, neque in cibi ipsius secretionum necessitate, ut illa Damianum per Rainaldum Comensem episcopum requisierat, an eo tempore liceret sibi orare? & postquam longius ipsius imperatricis exemplo rerum humanarum caducitatem proposuit, idipsum confirmat varia fortuna veterum imperatorum, ducum & principum feminarum, ostendens mundi felicitatem infelicissimos exitus habere. Ad ultimum domestica viri ejus Henrici III. imperatoris, & Victoris II. Romani pontificis exempla adducit. *Ut & ipsa* [a], inquit, *quæ sibi sunt notissima, non prætoream, cum quanta gloria papa Victor, & vir tuus imperator Henricus, uterque vir sanctæ memoriæ, tunc erant & ætate virentes, & dignitate florentes, cum luna serenissimo terram fulgore perfundens, eclipsin passa, repente contabuit, & rutili splendoris speculum ignobili, non dicam pallore, sed obscuritate mutavit? Quod profecto, sicut in proximo patuit, nihil aliud quam vicinum utriusque principis interitum præsignavit. Nam eodem anno uterque defunctus est. Quod autem postmodum ante hoc ferme biennium luna in sanguinem versa est, nihil aliud nisi sanctam significavit ecclesiam Cadaloici sceleris sanguine cruentandam. Cadalous enim millies anathematizatur, dum pro venaliter acquirenda Romana ecclesia infinitas per populos pecunias spargit, corda hominum per avaritiam in aeris speciem, velut in sanguinem vertit;* sicque indicat tempus scriptionis hujus opusculi, biennio nimirum post Cadaloi schisma, cædemque in Romana urbe perpetratam, hoc est præsenti anno.

a Ibid. cap. VIII.

L. De Hermisinde Agnetis cognata.

Hermisindis, cujus superius meminimus, cognata erat Agnetis, tunc vidua, nuptaque olim Agnetis germano Willelmo VII. Pictaviensium comiti, & Aquitaniæ duci, non autem Willelmo VI. qui Eustochium uxorem anno 1038. viduam reliquerat absque filiis. Nomina enim fratrum Agnetis fuerunt Willelmus VI. Villelmus VII. Gualfridus, & Odo, qui postremus monasticam cucullam induisse videtur, factus deinde abbas Angeriacensis. De hac ergo illustri femina cum Agnete Romam peregrinante sic scribit opusculo superiore Petrus Damianus. *Ista* nimirum Agnes [b] *cum Hermisinde cognata sua, non dispari sancti Spiritus fervore succensa, tamquam Maria Magdalena cum altera Maria veniunt ad sepulchrum, non ut corpus Jesu perungant fomentis aromatum, sed ut pedes ejus fluentis irrigent lacrymarum. Non enim jam quærunt viventem cum mortuis, sed adorantes tenent vestigia resurgentis.* Non diu itaque substitit Romæ Hermisindis, sed ex Urbe se proripiens, forsan ad Fructuariense cœnobium, ubi vivebat etiam Agnes Pictavorum comitissa mater Agnetis imperatricis, se recepit. Hermisindi, quam *sanctimonialem* appellat, epistolam [c] scripsit sanctus doctor, cujus tantum fragmenta extant, in quibus contra superbos agit, & literarum sacrarum fundamentis ostendit eos cito corruere.

b Opusc. LVI. cap. I.

c Epist. XII. Lib. VIII.

LI. Epistola Damiani ad Alexandrum II.

Post synodum Romanam, cui *auctoritas præfuerat* Alexandri, tœdio rerum curialium affectus Urbem reliquerat, & eremum Avellanensem petierat Damianus, *ita contritus & arefactus, ut mens* ejus *tot oppressa negotiis more silicis esset obdurata, ut nec per imbrem compunctionis emolliret, neque se attolleret ad gratiam intimæ contemplationis;* eaque *apud se definita*

ANN. CHR. 1063.

nita sententia erat, quia de cetero nisi ipsum necessitas inevitanda compelleret, donec advixerit, Romanis se conciliis funditus absentaret. Quia autem stimulos addiderat Alexander Damiano, ut sæpe scriberet, subdit, cupere se *flere magis, quam scribere*; duo tamen, quæ ipse notaverat in apostolica sede, carpit [a] *digna omnino a sancta prudentia pontificis corrigi; unum quia cunctis fere decretalibus paginis anathema subjungebatur. Alterum, quia cujuslibet ecclesiæ filius sive clericus, sive laicus, exponere proprii antistitis excessus probibebatur*. Quoad primum demonstrat, quam gravis sit anathematis pœna, quantumque dedeceat levissimis de causis & quibuslibet transgressionibus pœnam tam grandem infligi, ut propterea *humanæ salutis immane sit periculum & pernicies animarum*. Secundam autem consuetudinem asserit criminum impunitatem fovere, & liberiorem dare in quovis flagitii genere episcopis peccandi licentiam. Ex hoc postremo abusu a Damiano reprobato argumentum desumpsimus superius, iniquiorem ipsum non fuisse in monachos Florentinos causam dicentes in Romana synodo adversus episcopum suum Petrum hoc eodem anno.

a Lib. I. epist. 12.

Præterea, cum idem Alexander a Damiano substulisset librum Gomorrhianum dictum, ut indicant verba illa epistolæ [b] ipsius conquerentis: *Hoc est munditiæ sacerdotalis ingenium, immo hoc papalis puritatis est argumentum*, & sub prætextu transcribendi librum abbati sancti Salvatoris tradidisset, inde vero scriniis suis infarcivisset, Damianumque librum repetentem jocosa urbanitatis suavitate demulceret, expostulavit Damianus scribens *inexpugnabilibus Romanæ ecclesiæ clypeis, domino suo Hildebrando, & dulcissimo fratri Stephano*, ut librum sibi restitui curarent, & non permitterent, ut post tot a se perpessa pro Romana ecclesia, sedi apostolicæ fœnus injuriæ persolvere cogeretur.

b Lib. II. epist. VI.

LII. Ejusdem opusculum de divina omnipotentia ad Desiderium abb. Casinensem.

IDEM Damianus, licet in eremo constitutus, prosequebatur literarum commercium cum Desiderio cardinale & abbate Casinensi. Cum fuerat Casini, aliquando inter discumbendum devenerat in medium illa Hieronymi sententia: *Audenter loquor, cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam*. Plauserat huic opinioni Desiderius, disputaverat contra Hieronymi opinionem Damianus; nunc hic postremus ad memoriam revocans hanc concertationem Casini cum Desiderio habitam, opusculum ei conscribit sanctoque ejus conventui [c] *de divina omnipotentia in reparatione corruptæ, & factis infectis reddendis*. Tempus opusculi designat, initio operis. *Ego itaque episcopatu demisso me arenis expositum gaudeo*, & compassione afficitur erga Desiderium *ventis ac turbinibus attritum*. Post plura allata divinæ omnipotentiæ admiranda, philosophica etiam multa, in Casinensium monachorum laudes copiosissime diffluit. [d] *Nolo vos lateat*, inquit, *venerabiles fratres mei, quia ex quo gloriosi cœnobii vestri limen excessi, vos jugiter præ oculis habui, vos intimæ dilectionis visceribus astrinxi, atque, ut ita fatear, redeunti a Casino sacratissimo, idem contigit, quod mulieri, quæ revertebatur a Silo tabernaculo, ut nimirum vultus mei non sint amplius in diversa mutati, vobiscum sane præsentialiter habito, vobis semper assisto. Alioquin si propterea non sum vobiscum, quia corporalibus oculis vos non intueor, ergo nec ipsi oculi sunt in capite, quia caput cernere nequeunt, vel ipsi sibimet oculi absentes sunt, quia nec quisquam se, nec uterque se invicem possunt mutua contemplatione conspicere. Beati siquidem, qui vobiscum vivunt; beati, qui inter vos & in sanctis operibus vestris moriuntur. Pia nimirum fide credendum est, quia scala illa, quæ de Casino monte olim in cœlum videbatur erecta, adhuc palliis strata, lampadibusque coruscat. Sicut tunc excepit ducem, ita nunc exercitum trans-*

c Opusc. XXXVI.

d Ibid. cap. XVI

Ann. Chr. 1063.

transmittit ad cœlestia subsequentem, nec ab ejus glorioso tramite exorbitant declinantes jam defuncti, cujus dum in hoc exilio viverent, vestigia sunt secuti. Hoc est intimi fervoris incendium illud, quod mihi inextinguibiliter flagrat in corde, hæc perpes fabula, quæ meo versatur in ore. Inter ceteros autem virtutum flores, quos in illo agro pleno, cui benedixit Dominus, reperi, fateor, hoc mihi non mediocriter placuit, quod ibi scholas puerorum, qui sæpe rigorem sanctitatis enervant, non inveni; sed omnes aut senes, cum quibus utique nobilis vir sedebat in portis ecclesiæ, aut juvenili vivendi decore lætantes. Qui nimirum ut filii prophetarum idonei sunt ad Eliam per deserta quærendum, aut certe adolescentiæ adhuc flore vernantes, qui, juxta apostolum Johannem, vicere malignum. Ad ultimum laudat Petrum monachum Casinatem, olim civem Capuanum, cui a Deo in tribulationibus visitato sequentem narrat historiam. *Quod nunc occurrit dicam ad consolationem divini mei Petri, qui olim civis fuerat Capuanus, nunc in militia est æterni regis adscriptus.* [a] *Puerulus quidam ætate quinquennis, Hubaldi scilicet nobilissimi viri, qui mecum degit in eremo filius, in meo monasterio factus fuerat monachus. Hic aliquando intempestæ noctis silentio, quiescentibus fratribus, sive egressus, sive sublatus sit, nescio. Sed cum pistor in pistrino jaceret, interrupto ad horam somno, vestem quæ sibi cominus adjacebat, sibimet voluit superponere, ut frigus arceret. Extendens itaque brachium, dormientem juxta se reperit puerum. Repente stupefactus, & valde perterritus, festinus exsurgit, lucernam accendit, totamque domum sollicita curiositate circuiens, omnes aditus clausos & obseratos invenit. Mane autem facto, non parva admiratio inter fratres versabatur; nimirum puer, qui remota omni dubietate præterito vespere in strato suo ipsis videntibus quievisset, qualiter in pistrinum clausis januis ingredi potuisset ..... mirum est valde quomodo puer vel magicis artibus hominum, vel præstigiis immundorum spirituum clausam undique domum, non apertis foribus, ingredi potuit. Nam & ipse puer sollicite requisitus hoc addebat; quia quidam homines eum assumentes ad magnum convivium deduxerunt, ubi videlicet omnes epularum deliciæ videbantur, eumque manducare fecerunt; referebat etiam, quod eum usque ad castellum, quod supereminet monasterio, deferentes, super ipsum tintinnabulum, quod juxta basilicam in excelso dependet, imposuerunt. Hoc autem iccirco duximus describendum, ut unusquisque nostrum, dum & ipsos pueros, qui peccare necdum noverunt, maligni hostis subjacere insidiis considerat, ipse quoque, quod patitur, æquanimiter ferat. Illatas nempe a maligno hoste molestias cum quanta debent portare patientia peccatores, cum illorum aliquando fraudes, & ipsi perferant innocentes? Ergo frater ille, quem Deus visitat in tribulationibus, hortor, ut gaudeat, & tentationis impactæ malleo, animæ suæ purgari rubiginem fiducialiter credat. Non enim est, ut ipse diabolus fingit terrendo, futuræ damnationis indicium, sed æternæ salutis potius augmentum.* De Petro Capuano redibit sermo ad annum 1068. quem abbatem & cardinalem evasisse demonstrabimus.

[a] Ibidem cap. XVII.

LIII. Aliud de bono religiosi status ad eumdem.

Iisdem *Casinatibus monachis & monachorum archangelo Desiderio* circa hæc tempora inscripsit [b] opusculum suum de *bono religiosi status & animalium tropologia*. Demonstrata felicitate & securitate religionis, & præcipue monasterii Casinatis, ostendit, quanta possint virtutum exempla etiam ab animantibus irrationalibus addisci. Elucet in hoc opusculo sancti doctoris eruditio. Citat Gerardum suum monachum, & Romanum pontificem Alexandrum II. qui factum quoddam ei enarraverat [c] *necdum emenso mense*, ex quo dignoscitur vel Romæ, vel ex urbe Roma vix discedentem Damianum opusculum hocce composuisse. Guilielmus vero Liguriæ

[b] Opusc. LII.

[c] Cap. XXVIII.

comes,

ANN. CHR. 1063.

comes, cujus uxoris historiam narraverat Damiano Romanus pontifex Alexander, quique hoc anno a maimone extinctus jam obierat, ex iis videtur comitibus fuisse, qui in Pedemontana provincia imperabant. Vazam comitissam uxorem Willelmi marchionis produximus ex actis sancti Bononii ad annum 1027. ibique observavimus de Vaza, ut etiam de Willelmo marchione, altum silentium apud Guichenonium per ea tempora teneri. Verum hoc loco fatemur Willelmi marchionis memoriam apud ipsum Guichenonium [a] extare ex diplomate dato *anno dominice incarnationis* M. XI. *tertio kalendas aprilis indictione* IX. quo Arduinus Ipporegiæ marchio & Italiæ rex donat ecclesiæ cathedrali sancti Siri Ticinensis urbis aliquot bona *pro anima patris nostri Doddonis & pro anima patrui nostri domni Adalberti, rogante domno Willelmo marchione carissimo consobrino germano nostro*. Guilielmus Liguriæ comes ex familia Willelmi marchionis videtur profluxisse.

a Cent. II. cap. 10.

LIV. Ejusdem epistola ad Gothifredum ducem & marchionem.

AD Gothifredum quoque ducem & marchionem epistolam scripsit sanctus doctor, ut eum deterreret, eo quod hospitio excepisset Cadaloum, qui schisma in ecclesia prosequebatur, quique licet alias Roma pulsus, hoc anno iterum eam urbem cum exercitu adortus est, is tamen recondens se opera Cinthii in arce sancti Angeli, duobus annis obsessus fuit a Romanis. *Ubi sunt*, inquit Damianus ad Gothifredum, *uberes illi lacrymarum rivi, quos veluti torrentem de ferventissima pii pectoris consueveras caritate profundere?.... Huccine redacti sunt eleemosynarum fructus, quibus utique per continuum quadragesimalis jejunii cursum liberalis piissimæ clementiæ tuæ largitas non modo indigentium recreavit inopiam, sed etiam ad nostri Redemptoris exemplum & pedes lavit, & oscula defigere non erubuit?* Et inferius: *Adversus antichristum hunc viriliter dimicasti, ejusque conatibus sacrilegis atque perversis cum serenissima atque clarissima uxore tua frequentius obstitisti, nunc autem nescio quis sanctæ religionis vestræ constantiam ab hac intentione compescuit.* Deinde Dei in illum beneficia commemorat his verbis: *Ego te præ cunctis regni tui principibus extuli; ego per cunctos Romani fines imperii insignem, atque conspicuum constitui; ego tibi in peregrinæ terræ partibus multo plures, quam de paterno jure successivas divitias contuli; nullumque te, præter regalis imperii principatum, non dicam præcedere, sed ne vel æquiparare permisi. Quod si hæc pauca sunt, adde quod & acuti cordis ingenium, & facundiam ad loquendum, & vires ad bellandum tradidi, ac rigida multorum hostium pedibus tuis colla substravi. Ego tibi hæc omnia cum multis aliarum virtutum dotibus contuli, & tu adversarium meum a me projectum, a membris meis prorsus abscissum, communi sacerdotum meorum sententia condemnatum, in communionem suscipere decrevisti?* Orat postremo, ut in gratiam sedis apostolicæ, cujus nobilis & præclarus Gothifredus erat filius, sub celeritate revertatur.

LV. Et duplex libellus de principis officio.

b Opusc. LVII.

PERTINET pariter ad idem tempus Damiani [b] duplex libellus *de principis officio in coercitione improborum* eidem duci Gothifredo scriptus; & quem sæpe vivis sermonibus admonuerat, nunc admonet per epistolam, ut in puniendis criminibus nimia lenitate non utatur, cum multa damna ex immoderata principum benignitate in populos redundent, & improborum augeatur audacia, ac omnia susque deque misceantur, tunc quando pœnis peccata non puniantur. Negligebat præcipue Gothifredus *marchiam Camerini, in qua pene centum millia degebant hominum, tamquam rusticum quemdam viculum*, neque duci alicui, qui eam regeret, unquam committeret. Factum narrat Ottonis III. quod alibi frustra quæritur. *Vix plane*, inquit, *quinquennio ante meæ nativitatis exortum, humanis rebus exemptus est*

Ann. Chr. 1063.

est tertius Otto, qui imperialis apicis dignitate pollucibiliter floruit, & Romanam rempublicam strenue gubernavit. Hic igitur cum vicennalis adolescentiæ vix adhuc excessisset ætatem, inter insignia multa & præclara, quæ gessit, tribus regni proceribus atque comitibus oculos eruit, Rodulpho videlicet, Raimundo, & Arimundo. In quo nimirum conspicuo decore justitiæ sic omnium aliena diripientium viscera tremefecit, sic totum regnum in securitatis & pacis tranquillitate composuit, ut omnes fere intra compendii sui limitem se formidolose reprimerent, nec juris proprii terminos per insolentiam transilirent. Unde per ora populi hæc se præconii fama diffuderat, in evulsione sex oculorum unum pacatum est regnum. Vix primam scripserat, secundam addidit ejusdem argumenti epistolam Damianus [a], ostenditque justitiæ rigorem bonis ac malis utilem esse, & sacras Scripturas ac sanctos Patres laudare consilium de plectendis iniquis. Domesticum ei proponit exemplum magni Hugonis ducis & marchionis, [b] qui Capuani principis interfectores trucidavit, ejusque fere totam vitam, actiones obitumque describit, quorum bonam partem suis annis in nostros Annales transtulimus. In prima epistola laudat Hubaldum comitem virum disertum & prudentem. Is idem videtur ac Hubaldus nobilissimus vir pater quinquennis monachi, de quo superius egimus, qui in eremo Avellanensi cum Damiano degebat vitæ solitariæ, & pœnitenti addictus.

a *Ibid.*

b *Ibid. cap.* III.

LVI. Scribit contra intemperantes clericos ad Cunibertum ep. Taurinensem.

Numquam fessus a scribendo contra intemperantes clericos Damianus, tria hoc anno adversus ipsos confecit opuscula [c], in quibus sanctus ejus zelus maxime enitet. Per Taurinensem diœcesim transiens, dum Gallias legatus adiret, indoluit *clericos ejusdem ecclesiæ, honestos alias viros, & literarum studiis decenter instructos, qui dum ad Damianum confluerent, tamquam chorus angelicus, & velut conspicuus ecclesiæ senatus videbantur enitere, veluti jure matrimonii confœderatos esse uxoribus.* In episcopum Cunibertum pro tempore tunc invectus est verbis Damianus, nunc autem scripto, [d] quam sit idipsum canonicæ auctoritati, & sanctorum patrum sanctionibus contrarium, prudentiæ ipsius episcopi supponit. Repentinam mortem narrat cujusdam presbyteri eo ipso die defuncti, quo postribulum duxerat, id quod contigerat in Galliarum partibus & in ditione cujusdam religiosi abbatis, Benedicti nomine, qui monachos duos ad deterrendum presbyterum ab impio facinore nuptiarum incassum miserat; & [e] alterius pariter presbyteri, qui habitabat juxta canonicam sanctæ Cæciliæ Romæ trans Tyberim, cujus cadaver mane repertum est exanime; *hic spernebat, ut vana, decreta papæ Stephani* IX. *qui clericos omnes, post interdictum Leonis* pariter IX. *incontinentes de conventu clericorum, & de choro ecclesiæ præceperat exire.* Consultus Damianus a religioso conventu ejus canonicæ, ubinam esset incæstuosus presbyter tumulandus, respondit *penes ecclesiam, utpote presbyterum, sed hymnorum & psalmodiæ officio privandum.* [f] Laudat etiam providissimum in *plenaria synodo* ejusdem Leonis constitutum, ut *quæcumque damnabiles feminæ intra Romana mœnia reperirentur presbyteris prostitutæ, ex tunc & deinceps Lateranensi palatio adjudicarentur ancillæ. Quod salutare statutum ipse quoque per omnes ecclesias propagandum esse* decernit, acriter invehens contra clericorum pellices, sicuti etiam asserit audiendam non esse missam presbyteri, evangelium diaconi, epistolam subdiaconi, qui se feminis misceant; & hoc per omnes publice concionabatur ecclesias. Denique Cuniberti dissimulationem carpit, qui *licet se præbeat vernantis pudicitiæ candore conspicuum*, culpandus venit, eo quod negligat in sibi subjectis incontinentiam hujusmodi punire. Eum quoque amandat ad epistolam a se scriptam de

c *Opusc.* XVIII.

d *Ibid. cap.* VI.

e *Ibidem.*

f *Ibid. cap.* VII.

cœli-

cœlibatu sacerdotum Nicolao Romano pontifici; ultimo in eos invehitur, qui scelus patrare non contenti, sacrilegas presbyterorum nuptias tamquam legitimas adstruunt & defendunt, qui olim Nicolaitæ, nunc Cadaloitæ erunt appellandi, cum hi totam spem suam in Cadaloi exaltatione constituant. Qua super re narrat fautores Cadaloi sibi insultare, eo quod olim versiculo cecinerit contra ipsum: *Non ego te fallo, cœpto morieris in anno*. Quo autem sensu id dixerit, seipsum explicat sanctus vir. *Cadalous siquidem* [a], inquit, *ipso festivitatis die sanctorum apostolorum Simonis & Judæ, quasi in papam, Deo reprobante ac repellente, fuit electus, eodemque vertente anno, in prædictorum apostolorum vigiliis ab omnibus Teutonicis & Italicis episcopis ac metropolitanis, qui cum rege tunc aderant, damnatus est & depositus*. Carpitur a Muratorio [b] hoc Damiani confugium tamquam minus sincerum, ut quod de vita mortali prædixerat, nunc de civili & de spirituali interpretetur; verum ex Damiani scriptis cuicumque innotescit, quam aliena fuerit ab omni mendacii & falsitatis animo mens ipsius piissimi viri. Et licet irritum fuerit votum Damiani quoad vitam mortalem Cadaloi, non ideo tamen vertendum est dedecori sancti cardinalis; scimus enim alios quoque spiritu Dei ductos sanctitatisque honore fulgentes, quod peroptabant, quandoquidem prædixisse & auguratos fuisse, supremum autem numen. Non semper eorum desideriis obsecundatum esse Gregorius VII. Romanus pontifex integerrimus doctissimusque vir, cautissimus insuper anno 1080. si fidem meretur Sigebertus [c], prædixerat mortem Henrici IV. imperatoris; & fidelibus omnibus scribens [d], spoponderat *nefandorum perturbationem merita ruina cito sedandam, & sanctæ ecclesiæ pacem & securitatem, sicut de divina clementia confidentes promittimus, proxime stabiliendam*. Eo tamen anno neque Henricus IV. decessit, neque pax reddita ecclesiæ, quinimmo gladio vulneratus obiit rex Rodulfus Henrici æmulus, magisque recruduit bellum, quod contra Romanam ecclesiam, verumque pontificem Gregorium ad multos annos gessit schismaticus imperator Henricus.

a Ibid. cap. VIII.

b Annal. T. VI. pag. 199.

c In Chronico.

d Lib. VIII. ep. 7. & 9.

LVII. De eodem argumento ad Adelaidem ducissam.

Evincitur autem ex superiori textu post octobrem anni præcedentis scriptum fuisse a Damiano hocce opusculum, sicut etiam sequens ad Adelaidem ducissam, [e] quæ imperabat marito mortuo *in duorum regnorum Italiæ & Burgundiæ non brevi confinio, ubi plures episcopabantur antistites*. Excusat se Damianus, quod prius ipsi, quam Cuniberto *de castitatis injuria, quam eadem regina virtutum a clericis patitur, ut decreverat*, non scripserit; scilicet ne insugillaretur ab iisdem clericis, qui *expostularent ac dicerent: Ecce quam impie, quam inhumane parat nos iste confundere, qui non cum episcopis, non cum ecclesiasticis viris super nostro negotio caute vult ac modeste differere, sed quod in sacrario tractandum erat, non veretur feminis publicare*. Hortatur proinde, ut cum *virile robur femineo regnet in ejus pectore & ditior sit bona voluntate, quam terrena potestate, jungatur cum domno episcopo, quatenus mutuæ virtutis fulti munimine furentis in Christum luxuriæ valeant aciem debellare*, compescatque ipsa clericorum libidinem in sua ditione degentium, pellicesque eos habere non ferat. Laudibus extollit ejus sedulam curam, propter quam ipsius ditionis [f] *episcopi & monasteriorum rectores, dum sibi colloquerentur, nullus dixerit se passum molestias in ecclesiis & bonis suis vel a ducissa, vel ab ejus procuratoribus. Augustensem tantum episcopum conquestum fuisse, ecclesiæ suæ nihil ex liberalitate dominæ collatum*. De hoc antistite silet Ughellius in suis Augustanis episcopis. Benignitatem pariter Adelaidis Damianus celebrat *in Fructuariense cœnobium, ubi per dies decem hospitium tenuerat*.

e Opusc. XVIII.

f Ibid. cap. 3.

Ann. Chr. 1063.

Ipsam autem *de iterata conjugii geminatione suspectam* asserit. An-ne Adelais post mortem Oddonis secundi viri sui ad tertias nuptias transiit? vel forsan rumor increbuerat Adelaidem tertium exoptare maritum? aut demum Damianus simpliciter enuntiat his verbis geminum ipsius tum duobus subsequentibus viris conjugium, & docet, quod licet viduata primo marito, secundum superinduxerit virum, nempe Oddonem, non ideo tamen arcenda erit ipsa a regno Dei, a quo non arcentur multinubæ. Ceterum laudat Damianus ipsius [a] *regiæ indolis filios*, quos nondum ad ætatis incrementa perductos asserit. De iis aliqua dicemus anno sequenti. Commendat demum Adelaidi *Fructuariense cœnobium*, cujus laudes prædicat, & *Adraldo Bremetensis monasterii rectori viro religioso & prudenti* salutem dicere nomine suo precatur.

a *Ibid. cap.* 4.

LVIII. Et ad Petrum Lateranensis canonicæ archipresbyterum.

Postremus, [b] cui scripsit Damianus contra clericorum intemperantiam, fuit Petrus Lateranensis canonicæ archipresbyter, vir insignis, & tanto zelo adversus perditos mores ecclesiasticorum inflammatus, ut plus ipse timeretur, *& plus insugillationis ejus vereretur obloquium, quam ipsum metueretur papale decretum* contra impudicos factum. Cur cœlibatus clericis sit impositus inquirit in hoc tractatu Damianus, & pro uberiore notitia Petrum remittit ad ea, quæ prius Nicolao II. tum Cuniberto, denique Adelaidi hoc super argumento inscripsit opuscula. Ultimo solutis clericorum objectionibus currenti Petro calcaria subdit, novumque igni zeli ipsius pabulum adjicit. Distinguendus Petrus Lateranensis a Petro cardinali, cui nuncupata est alia Damiani epistola, quam retulimus sub anno 1046. & Petrus Lateranensis canonicæ archipresbyter ille videtur fuisse, qui electus cardinalis ab Alexandro II. munus bibliothecarii sub ipso gessit, obiitque ante ejusdem Alexandri mortem, suffecto in ipsius locum altero Petro cardinale diacono.

b *Opusc. XVIII.*

LIX. Petri ep. Faventini donatio facta eremo Gamugni.

Petrus episcopus Faventinus, consensu & voluntate presbyterorum omnium ejusdem episcopatus, dilargitur hoc anno *dompno Petro Damiano Ostiensis ecclesie episcopo, ejusque monachis eremitariis, qui in eremo Gamonio, que est vocabulum sancti Barnabe apostoli, medietatem de plebe sancti Valentini, cum medietate de terra & decimatione sua, & quidquit ab eodem episcopio habere videtur in Riutilio infra comitatum Faventie, excepta quarta parte decimationis, & medietate de terra quam detinet archipresbyter ipsius episcopii, & excepto Trebana, & Madrignano & Vidiglano* &c. Eam tamen donationi suæ apposuit conditionem, ut *si quocumque tempore peccatis imminentibus ipsum eremum destructum fuerit, tunc supradicta medietas de jamdicta plebe sancti Valentini* &c. *in monasterium sancti Johannis deveniat* &c. quod scilicet fundatum erat Aceretæ in eodem Faventino territorio. Subscribit ipse Petrus episcopus Faventinus, & post eum Riculfus archiplebanus; inter testes vero legitur nomen Gregorii presbyteri canonicæ sancti Martini (certe *Mariani*) Eugubiensis ecclesiæ. Apographum perantiquum hujus donationis extat penes canonicos basilicæ sancti Laurentii Florentiæ, ex quorum tabulario descripsimus; sed errore charta signatur anno M. LXI. in syllabo paginarum ejusdem tabularii, cum ex aliis notis chronicis, quæ sunt: *Anno secundo pontificatus domini nostri Alexandri* II. *pape indictione prima mense majo die sexta* ad præsentem annum 1063. sit referenda.

LX. Alia donatio eidem eremo facta a Johanne priore S. Reparatæ de Faventia.

Pertinet ad hunc eumdem annum libellus emphyteuticus confectus *anno domnus Alexander papa in sede beati Petri apostoli anno tercio, die quarto decimo mensis octubris indictione secunda*, incœpta a septembri, licet anni ab incarnatione Domini sint signati *sexaginta & duo post mille*, *a*

Johan-

Johanne gratia Dei presbytero & monacho atque priore sancte Reparate, quod est edificato & fundato in massa, que nominatur Salto, qua largitur *Ugoni presbytero & monacho atque priori oratorii sancti Barnabe & sancte Marie in loco, qui nominatur Gammogno* terras & vineas positas in massa Marciana in territorio Faventino plebe sancti Johannis, quæ vocatur *Interioni*. Post Johannem priorem sanctæ Reparatæ subscribunt *Lambertus monachus*, *Gerardus presbyter & monachus*, *Ugo presbyter*, *Martinus diaconus & monachus*, & demum *Azzo presbyter & monachus atque abbas monasterii sancte Reparate*, qui postremus videtur successisse in regimen ejusdem loci Johanni priori. Hunc quoque libellum ex eodem archivo desumpsimus, & cum superiore charta edimus in Appendice.

ANN. CHR. 1063.

LXI. Charta Ravennas.

AD eamdem etiam ex chartulario Ravennatis archiepiscopatus amandamus exemplum confectum *anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo sexagesimo tertio, defunctus Enricus imperator filius Conradi imperatoris, & regnante Enricus filio ejus anno octavo, die vicesimo mensis madii indictione* ...... quod continet conventionem, quam Ugo comes & Imilda ejus jugalis fecere cum Henrico archiepiscopo Ravennate, *anno ab incarnatione ejus millesimo quinquagesimo sexto, sitque imperante domno Enrico in Italia vero anno decimo, die triesimo primo mensis madii indictione nona, in claustra monasterii sancti Rofilli*, in urbe scilicet Foro-popiliensi. De ea conventione egimus nos sub eodem anno 1056. Illud tamen minime intelligimus, qua ratione eadem die iidem episcopi & nobiles viri potuerint juxta primam chartam congregari in monasterium Galeatense, & juxta chartam, quam ad hunc annum proferimus, convenire in claustra monasterii sancti Rofilli, nisi ad errorem exscriptoris confugiamus. In prima ulterius pagina *bis mille tornaturie terre* positæ dicuntur *in curte que vocatur Casamurata*; in secunda autem *in curte, que dicitur Maliani*. Utramque tamen chartam in medium adducimus, ut ex una lumen accedat alteri, cum nobilissimi ecclesiastici, & laici viri in utraque nominentur, vel repetantur. Annus Henrici regis octavus conjunctus cum præsenti anno 1063. est deducendus ab anno 1056. quo Victor II. Romanus pontifex post obitum Henrici III. ejus patris ipsum in regem Germaniæ confirmandum, denuoque eligendum curavit; mense tamen majo decurrebat adhuc annus ipsius septimus. Alia epocha regni Germaniæ ejusdem Henrici petenda est ab anno 1053. quo primum Henricus imperator ejus pater filium Henricum in dieta Triburiæ regem Germaniæ suumque successorem designavit. Indictio, quæ in membrana deficit, erat hoc anno prima.

LXII. Mutinensis episcopus precibus Theobaldi liberatur a suis persecutoribus.

MUTINENSIS episcopi liberatio a suis persecutoribus precibus Theobaldi, quam exponit Petrus Vangaticiensis abbas, optime convenire potest anno præsenti, qui proxime præcedit biennalem decubitum sancti viri, quo *neque gressum figere, neque etiam manum ad os ducere valuit*, multoque minus sacrificium Missarum Deo offerre, ut observavit noster Collina; & aliunde ea liberatio contigit eo tempore, quo jam sacerdotio fungebatur Theobaldus, cum pro episcopo Missas celebraverit. De hoc facto altum silentium in episcopis Mutinensibus Sillingardi & Ughellii. Mutinæ episcopus per hæc tempora erat Herembertus, ille, qui privilegio Henrici IV. imperatoris (melius regis Germaniæ) anno 1058. Mutinam pene excisam reædificaverat, auxerat & communierat, sed temporis processu schismati adhærens contra Gregorium VII. Romanum pontificem inauguravit in antipapam Guibertum Ravennatem antistitem. Antequam schismaticorum partibus faveret, quid Hereberto contigerit, & quommodo suffragio precum Theobaldi se persequentium furorem evaserit, enuntiat supra-

Ann. Chr. 1063.

supralaudatus Petrus his verbis: [a] *Inter hæc Motinæ civitatis antistes, dum a principibus & parochianis prætentis occasionibus arctaretur, & de ejus expulsione ageret tam clerus, quam populus, adeout semel egrediens non ultra ingrederetur civitatem, convocavit sororem suam religiosam sanctimonialem, & in quibus esset angustiis conquerendo revelavit, monet, ut sanctum Theobaldum conveniens suppliciter suggerat, ut Deum pro se immerito & oppresso exoret, qui domesticos pro inimicis haberet. Commota soror repulsa fratris ad sanctum virum festinat, casum fratris cum lacrymis manifestat, & ut subveniat in amaritudine posito efflagitat. Sanctus Theobaldus in compassione mirabilis prima die Missam celebravit, supplicans Deo cum lacrymis, ut episcopum reconciliaret inimicis. Secunda die cum idem opus precibus & lacrymis iteraret, sorori antistitis dixit, ut cum gaudio remearet, quia fratrem in sede pontificali quietum sedata omni dissensione inveniret.*

a Num. xxi.

LXIII. Monumenta San-gregoriana & Vallecastrensia.


Stephanus *gratia Dei S. R. E. cardinalis presbyter* abbas erat hoc anno monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe. Id liquet ex charta codicis Gregoriani, qua accedente consensu monachorum jamdicti monasterii Petro de Sabatino seu Surconi filio Crescentii de Berizone presbytero libellum emphyteuticum ipse conficit de tribus partibus integris fili Salinarii: *anno secundo pontificatus domini Alexandri secundi pape indictione prima ante mensem maji*. Charta datur in Appendice.

Juxta Jacobillium [b] eodem anno ecclesia sancti Angeli de Cryptis in territorio Fulginate, ædificata a comite Offredo filio comitis Monaldi, unita fuit monasterio sancti Salvatoris de Aqua-pagana diœcesis Spoletanæ, quod membrum vel tunc erat, vel evasit deinceps abbatiæ sancti Romualdi de Valle de Castro diœcesis Camerinensis.

b Chron. Saxivivi p. 72.

LXIV. Prima memoria monasterii S. Mariæ de Monte-cellesio.

Prima sub hoc anno occurrit nobis indubia memoria monasterii sanctæ Mariæ de Monte-Celso sive Cellesio prope urbem Senarum, a qua mons aut collis ille milliario distat in via, quæ Florentiam ducit, & prope fontem Beccium. Dicimus indubiam, quia in quodam ms. codice legimus montem hunc incoluisse initio eremitas quosdam e Camaldulensi eremo deductos, laudaturque vetus instrumentum a Guidone notario confectum sub anno Domini M. XXXXIII. tamquam existens in chartophylacio archihospitalis Scalæ Senarum. Incassum paginam inquisivimus inter plures chartas ejusdem illustris nosocomii, neque in editis Senarum urbis scriptoribus hujusce rei mentionem fieri agnoscimus; quare id innuere contenti rem in ancipiti relinquimus. Certum itaque est hoc anno 1063. sanctimoniales eo loci consedisse, & ecclesiam ipsis atque asceterium construxisse Johannem Senensem episcopum, ut colligitur ex inscriptione, quæ prostat in epistylio januæ ejusdem ecclesiæ, quam diligenter exscripsimus, atque hic subjicimus.



Hac inscriptione innixus eruditissimus sancti Stephani eques Johannes Peccius, scriptor historiæ episcoporum patriæ suæ Senensis, cuique multa debemus,

bemus, oftendit alterum Johannem III. hujus nominis in cenſu epiſcoporum Senenſium eſſe reponendum, quem nullus ſcriptorum ejuſdem urbis memorat, utpote ab ipſis confuſum cum alio Johanne epiſcopo eodem ſeculo vivente. Occaſionem dedit huic confuſioni lectio non accurata ejuſdem lapidis, pluresque loco anni M. LXIII. legebant M. XLIII. vel M. LIII. quibus annis certum eſſe ſediſſe Johannem hujus nominis II. & hujus undecimi ſeculi I. Sed & ante Peccium, & ante nos Thomas Gallacinius Senenſis in ms. inſcriptionum collectione, quam in tabulario noſtro aſſervamus, legit annum incarnationis Domini M. LXIII. Refert etiam idem Gallicinius, in magna tabula lapidea, quæ ex eccleſia Montis-celleſii translata fuit ad uſum PP. Cappuccinorum, ſculptos eſſe ſequentes tres verſus:

Credit quod factum Chriſto favente peractum,
Quod fecit fortem te vincere fecit & ſortem.
Laudes reddantur tibi, per quem proſpera dantur.

Sic ergo ad fidem ſuperioris lapidis, Peccius ſeriem epiſcoporum Senenſium diſponendam exiſtimat.

Johannes II. qui anno 1037. interfuit placito in cauſa Uberti abbatis ſancti Salvatoris de Fonte-bona, quod ad eum annum retulimus. Idem Johannes reperitur epiſcopus Senenſis ad annum 1056. in privilegio, quo concedit eccleſiam ſanctæ Agnetis Alberto, Martino & Homicio presbyteris; & etiam ad annum 1058. in quadam pagina pro Læto abbate Paſſinianenſi apud eumdem Peccium.

Rofredus vel Nofredus ſubſcriptus legitur concilio Romano menſis aprilis anni 1059. quare vel eo anno, vel anno antecedenti Johanni II. ſucceſſit.

Johannes III. hujus nominis eſt ſtatuendus juxta productum monumentum ad annum circiter 1063. Ughellius & Benvoglientius videntur pariter emendandi, qui in Rofredi locum ſuffectum Amadeum ſcribunt, & Ugurgerius, qui Rofredum locum feciſſe Rodulpho aſſerit.

Verum cum nos alibi animadverterimus Rofredum vel Nofredum, ſubſcriptum epiſcopum Senenſem in indiculo Poſſini, non reperiri in codice Farfenſi apud Muratorium, neque in codice Floreſienſi apud Martenium & Manſium, in quibus legitur ſub anno 1059. adhuc perſeverans nomen Johannis, diſtinctio duplicis Johannis epiſcopi Senenſis fortaſſe ſuperflua evadit, ejuſdemque Johannis ſedes ab anno 1037. ad annum ſaltem 1063. poterit protrahi, præſertim cum nulla alia prætenſi Rofredi mentio occurrat in chartis & monumentis Senenſibus hujus temporis.

Monaſterium hocce ſanctæ Mariæ titulum alium facile obtinebat ſancti Ambroſii; nam in charta anni 1214. num. 628. tabularii ſupradicti noſocomii, quam rogavit Bernardinus notarius „ Saracenus quondam Martino„ ctii vendidit pretio ſolidorum quinquaginta denariorum Senenſium Guel„ foni gratia Dei poteſtati ejuſdem urbis, ementi nomine communis Se„ narum, unum petium terræ poſitum in loco dicto *Quercia groſſa*, cui „ ex una parte Guido de Larginano, ex altera Ildebrandinus Stuffoli, „ & ex altera eccleſia *monaſterii ſancti Ambroſii de monte Celleſio*. “ Iiſdem anno & notario num. 834. „ Duciſſa abbatiſſa abbatiæ vel monaſte„ rii *eccleſiæ ſancti Ambroſii montis Celleſii*, cum conſenſu Bellafantis „ prioriſſæ ſanctæ Trinitatis Montis-amiati, & Agnetis, Bertæ, Gemmæ, „ Parincinæ, & Marſobiliæ monialium dicti monaſterii, & conſenſu preſ„ byteri Inchileſci, & presbyteri Panzi, Guidonis cellerarii, & oblato„ rum ac converſorum dicti monaſterii vendit eidem Guelfoni ter„ ram

Ann. Chr. 1063.

„ ram &c. " Postremam hanc chartam memoravimus in dissertatione nostra de Conversis §. xxix. Nota dignum est, una cum Ducissa abbatissa sancti Ambrosii subscripsisse Bellafantem priorissam sanctæ Trinitatis Montis-amiati, quod monasterium vel unitum, vel subjectum, vel iisdem legibus communitum videtur cum illo sancti Ambrosii montis Cellesii.

In quibusdam, recentibus tamen, monumentis ejusdem tabularii legitur extare in archivo comitum Bichiorum Senensium charta anni 1086. & mensis martii, scripta a Salerno notario, qua „ Rodulphus Signorelli & „ Johannes Guazoni, & Johannes Federici bona largiuntur *ecclesiæ sanctæ* „ *Mariæ in Colle* in comitatu Florentino, diœcesi Fesulana, ut imposte- „ rum Berta abbatissa parthenonis sancti Ambrosii de monte Cellesio, ei- „ que succedentes abbatissæ jus habeant eligendi abbatissas in monasterio „ sanctæ Mariæ in Colle, & retinendi moniales, quæ communi se vitæ „ subderent, necnon expellendi eas, quæ regulæ sancti Benedicti se subji- „ cere renuerent. " Insuper in eodem Bichiorum archivo conservari dicitur bulla Gregorii IX. confirmantis anno 1239. electionem abbatissæ sanctæ Mariæ in Colle ordinis sancti Benedicti factam interventu abbatissæ monasterii sancti Ambrosii de monte Cellesio ordinis Cisterciensis. Ad harum duarum paginarum illustrationem, quandoquidem eas videre non licuit, nihil superaddimus, fidesque sit penes collectorem supradictorum monumentorum.


Anno 1295. moniales montis Cellesii translatæ fuere ad monasterium sancti Prosperi prope mœnia urbis Senarum, ubi hodie superædificata visitur arx, & ab hocce loco secunda vice commigrarunt in urbem, deductæ in aliud asceterium beatæ Mariæ, quod vulgo dicitur *le Trafisse*. Eques Peccius monialibus in monte Cellesio successisse monachos Cistercienses asserit, quos etiam locum dereliquisse affirmat ob bellorum injurias. Anno 1537. die xxx. julii moniales sancti Prosperi ecclesiam montis Cellesii cum domo & parvo alio oratorio donarunt fratribus sancti Francisci ordinis Capucinorum, & frater Ambrosius-catharinus Politus Senensis ordinis Prædicatorum donationem in scripta redegit, ut legitur in bulla Alexandri VII. cui donationis hujusce instrumentum inseritur. Verum secedentibus anno 1622. in ampliorem conventum prope portam Camoliam ejusdem urbis fratribus Capucinis, idem Alexander VII. anno 1659. instante patre Nencio Senensi & Camaldulensi eremita, ecclesiam eamdem cum suis adjacentiis concessit eremo Camaldulensi, ut uberius sub eo anno dicemus.

LXV. Placitum Gothifredi ducis pro hospitio pauperum SS. Martini & Frigdiani Pisarum.

Eodem ipso anno, stilo Romano, *mille* vero *sexagesimo quarto*, stilo Pisano, III. *nonas madii indictione prima*, Gothifredus dux & marchio residens in civitate Pisana in palatio domini regis, præsente Widone episcopo Pisano, Ugone vicecomite & multis aliis judicibus, sententiam tulit pro Leone rectore & custode ecclesiæ sanctorum Martini & Frigdiani Pisarum & hospitii pauperum & peregrinorum de terris & domibus eidem hospitio donatis a Bonitione judice contra Guidonem alterum judicem, qui litem de iisdem contra Leonem moverat. Gothifredi placitum ex archivo monasterii nostri Angelorum Florentiæ a Grandio editum in sua appendice [a] ad epistolam de Pandectis recudimus in nostra.

[a] Pag. 143.


ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER DECIMUS-OCTAVUS.

Ab anno CHRISTI M. LXIV. *ad annum* M. LXVII.



DAMIANUS anno præcedenti, *cum in colloquio versaretur excellentissimi ducis Gothifredi* vel Florentiæ, vel Romæ, summo animi sui mœrore audierat duos ipsius ducis capellanos, Johannem Venetum & Tudetchinum natione barbarum, disseminantes & proponentes tamquam catholicam & canonicam sententiam, simoniacum jure dici non debere, qui absque manuum impositione episcopatum pecunia aut muneribus comparasse convinceretur, nec *ad simoniacam hæresim pertinere, si quis episcopatus a rege vel quolibet mundi principe per interventum coemptionis acquirat, si tantummodo consecrationem gratis accipiat; dicebant enim, quia cum hoc fit, non distrahitur ecclesia, sed facultas, non emitur sacerdotium, sed possessio prædiorum*. Hanc impiam simul & ridiculam opinionem præclare nervis omnibus impugnat sanctus doctor, & in epistola [a], quam hac super re scripsit Alexandro pontifici, ipsum orat, ut priusquam in hominum animis latius ea falsa doctrina serpat, exterminare contendat. Vehementer insuper eum precatur, ne quem præmio, aut aulici obsequii famulatu permittat ad episcopatum perduci. Verum non hæc sola erat inepta eorum capellanorum opinio; affirmabant ulterius diaconos & sacri altaris ministros posse tuta conscientia matrimonium contrahere, uxoribusque adhærere. Acriter proinde eos redarguit alia epistola [b] ad ipsos missa, utramque illorum sententiam pravissimam & hæreticam ostendens. Accusatus insuper a prædictis capellanis aliquando fuerat Damianus avaritiæ, a quo crimine naviter se defendit sanctus vir hac secunda epistola data *ex prærupti & nivalis montis cacumine*, ubi intentus erat ad *monasterialis ædificii fabricam* construendam. Calumniam hanc describit in hunc modum: *Missarum mihi mysteria celebranti uxores principum, ducis scilicet & marchionis, Bizanteos obtulerunt. Quos utique monachus noster Paullus expletis mysteriis apud altare, nobiscum foras prodiens, dereliquit. Unus autem ex vestris, vobis tamen non modo rem ignorantibus, sed etiam absentibus, cleptica fraude subripuit, & vobis nihil omnino peccantibus, quia tamen vester erat socius, quodammodo nævum reatus induxit.*

ANN. CHR. 1064.

I. Damiani epistola ad Alexandrum II. contra Simoniacos. Alia, qua se ab avaritia tuetur.

a *Lib. I. epist.* 13.

b *Lib. V. epist.* 13.

Qui

ANN. CHR. 1064.

Qui mox in crimine deprehensus, & minaci terrore Beatricis excellentissimæ ducis, & animosæ viraginis violenter oppressus, aurum fratri nostro latenter attulit, atque ut pro se supplicaretur oravit. Quam sane summam mox ut rescivimus, eidem clerico reddi præcepimus, atque, ut de restituenda sibi dominæ suæ gratia non diffideret, exhortati sumus. Quam ille pecuniam, dum vehementer insisteret, & nullis omnino precibus nobis ingerere potuisset, altero tandem die fratri nostro clam dedit, sicque se mordacis conscientiæ onere levigavit. Cur ergo avaritiæ accusatis, quem pecuniæ quæstum tantopere contempsisse cognoscitis? Cur adversum me linguas acuitis, & non repugnanti mordentis obloquii vulnus infligere festinatis? Uxores ducis & marchionis, quas nominat Damianus, existimari possent Beatrix, & Mathildis ejus filia, quam ex Bonifacio Beatrix susceperat. Verum Mathildis nupta fuit Godefrido gibbo duci Lotharingiæ, qui proinde non marchio, sed dux appellatus fuisset a Damiano, idque contigit post annum 1070. scilicet post obitum Gothifredi ducis viri Beatricis; quare potius intelligenda est uxor aliqua marchionum Thusciæ, puta Rainerii, & forsan Guilla comitissa ejus conjux. De Bisantiis autem, quæ erant monetæ species, fuse agit Muratorius [a] dissertatione XXVIII. qui putat eorum pretium parum ablusisse a ducatis aureis Venetis, Hungaricis & Germanicis.

a T. II. col. 788.

II. Beatricem ducissam hortatur, ut jura ecclesiarum servet.

DAMIANI nomen & verba multo cum honore excipiebantur ab iisdem Gothifredo & Beatrice. Ipse dux [b] *ante sacrosanctum corpus beati apostolorum principis* notum fecerat sancto viro *pium desiderium* uxoris suæ, & *propositum pudicitiæ perpetuo servandæ*. Exhilaratus hac notitia Damianus laudat concordem Beatricis voluntatem cum viro suo; epistolamque conscripsit, qua præterea proponit Beatrici sanctarum veterum & recentiorum mulierum exempla. Magnificentiam insuper erga ecclesias ipsi commendat; hortatur, ne *velit ecclesiastici juris confiscatione ditescere, sed studeat potius ecclesias tenues prædiorum suorum collatione ditare.* Refert, quod sibi narraverat Henricus rector venerabilis cœnobii sanctarum Floræ & Lucillæ in Arretino territorio, eo tempore, quo simul cum eo erat Arretii: *Vides*, ait Henricus Damiano, *basilicam prope astantem? Illac scilicet nobis iter erat euntibus. Hæc vulgo sancta Maria Pauper antiquitus vocabatur. Cumque contingeret, ut Guilla mater egregii marchionis Hugonis per confinia ista transiret, accidit etiam, ut hujus ecclesiæ vocabulum ad ejus perveniret auditum. Quam mox ut nobilis mulier & insignis audivit, indignata nimis, & quasi nauseando fastidiens, absit, inquit, ut eam vocemus pauperem, quæ cœlestis gloriæ genuit largitorem; absit, inquam, ut in terra pauperis sit digna vocabulo, quæ super cœlos elevata divitias possidet immortales in cœlo; ac protinus intulit: est-ne mei juris hic ulla possessio? Cui responsum est, quod haberet ibi villam, novem quidem mansionibus ex antiquo more distinctam, quæ postmodum juxta modernam consuetudinem in plurimas est divisa; Hanc, ait, continuo jure ecclesia ista possideat, eamque de cetero nemo pauperem appellare præsumat.* Henrici abbatis monasterii sanctarum Floræ & Lucillæ mentio occurrit in placito habito coram Godefrido duce & marchione, & coram Arnaldo episcopo Arretino & comite anno 1059. quod produxit Muratorius [c]. Hoc tamen anno 1064. in vivis esse desierat, ut constat ex charta [d] locationis asservata in tabulario Fontis-boni Camalduli, in qua sub hoc anno nominatur *domnus Guidus abbas* monasterii sanctarum Floræ & Lucillæ.

b Epist. XIV. Lib. VII.

c T. I. antiq. medii ævi col. 966.

d §. Locatio num. 34.

III. Scribit de eleemosyna ad Mainardum ep. Urbinatem.

IPSO eodem anno Damianus [e] opusculum de *eleemosyna* scripsit ad Mainardum episcopum Urbinatem; nam asserit capite VII. *Nicolaum papam piæ memoriæ ante triennium ex hac luce migrasse*. Nicolaus autem

e Opusc. IX.

obiit

ANN. CHR. 1064.

obiit mense julio anni 1061. Laudat sanctus doctor præ ceteris virtutibus eleemosynam & misericordiam in pauperes, præmium ipsius extollit, quantum a Deo diligatur ostendit, quanta æmolumenta & bonorum temporalium affluentiam familiis pariat, defunctis vero quam sit utilis, & dœmonibus invisa exemplificat. De eodem pontifice [a] Nicolao refert se audivisse a Mainardo venerabili Sylvæ-Candidæ episcopo, quod *numquam in toto anno prætermittebat diem, quin pedes duodecim pauperibus semper ablueret; quod si facere per totum non occurreret diem, lucidum pietatis opus explebat in nocte*. Mainardus episcopus Silvæ-candidæ successerat Humberto. Mainardus vero Urbinas, cui epistolam hanc scripsit Damianus, cuique eleemosynam, ut inter ceteras virtutes arripiat, quibus sanctitatis ejus floret prudentia, commendat, conciliis Romanis annorum 1059. & 1062. subscripserat. Hunc transtulisse corpus sancti Crescentini martyris anno 1068. scribit Ughellius [b], sed male subdit id factum sub Gregorio VII. cum eo anno Alexander II. adhuc Romanam ecclesiam regeret. Vel ergo corrigendus annus translationis, vel nomen Romani pontificis in Ughellio. Sacros honores postea meruit & ipse Mainardus Urbinas episcopus.

a Ibid. cap. VII.

b T. II. col. 785.

IV. Plura exempla in eam rem congerit.

CETERA exempla, quæ sanctus doctor congerit in laudem eleemosynæ, sunt hujusmodi. [c] Cum puer esset Damianus, vivebat *Ravennæ Gerardus de Farvaldo ex urbis primoribus grandævæ tum & persenilis ætatis*, *quem puerulus ipse* viderat, *& de quo* audierat, *quod cum aliquando populus fame laboraret, accisis frugibus nonnulla etiam prædia distraxit, & alimenta indigentibus erogavit, ac patentibus foribus cum pauperibus comedebat, cujus progenies divitiis florens plura, quam avita essent patrimonia, possidebat*. De Gerardo mentio habetur in quodam placito Ravennæ habito ab episcopis missis Theophaniæ imperatricis anno 990. inter ceteros *nobiles viros laudabilesque fama*, apud Muratorium [d]. Andreas quoque episcopus Spoletanus [e] Damiano miraculum retulerat a *Walderico* quodam effectum, *qui dum adversus hæreticos dimicaret, insignis effectus est martyr*. Hic cum pauperem obvium habuisset, cui mater sua sal denegaverat, vas salis corripuit, & per plateam sparsit dicens: *Non debere comedi a christiano, quod per avaritiam denegatum fuerat Christo. Sed paullo post idem vas, quod reposuerat vacuum, non sine prodigii stupore repertum fuit sale plenum*. Andream Spoletanum episcopum memorat [f] Ughellius ad annum dumtaxat 1067. Beneficio hujus narrationis Damiani suppleri Ughellius poterit, statuendo saltem ante annum 1064. quo hæc scribebat Damianus, Andream in Spoletana cathedra sedisse.

c Ibid. cap. V.

d Antiquit. medi ævi T. II. col. 959.

e Opusc. IX. ibid.

f Ital. Sac. T. I. col. 1258.

Aliud insigne liberalitatis exemplum legitur *Mainfredi marchionis, qui in ultimis Liguriæ principatus est finibus, quique die Resurrectionis Dominicæ instruebat magnificum convivium, & ordinatis per omnes mensas diligenti cura pauperibus, ipse cum suis servis dapifer ministrabat, & de reliquis ipse quasi privatus accipiebat, de quo etiam ei narraverat vir Dei dominus suus Leo venerabilis eremita, qui per continuum jam fere vicennium in cellula reclusus advivit, quia cum in præfati marchionis eremo ipse cum nonnullis fratribus habitaret, hanc sibimet legem uxor ipsius indixerat, ut quodcumque sibi necessarium eremitarum nuncius postularet, ipsa protinus aucto fœnore geminaret, videlicet cum iste quinque fortassis exigeret solidos, illa decem traderet; cum iste decem, illa viginti continuo numeraret. Tam largus insuper erat marchio, ut sex vel septem non minima monasteria in proprii juris possessione condiderit, prædiis & ornamentis munifica liberalitate ditaverit;* post tantam nihilo secius munificentiam & in pauperes profusionem, ditior semper & gloriosus fuit, ac *ejus nepotes maximam partem regni*

ANN. CHR. 1064.

gni Burgundiæ possidebant, quorum insuper soror imperatori nostro sponsali cognoscitur jure dotata. Maginfredus filius alterius Maginfredi, dictus etiam Odelricus, Susæ marchio, celebris in historiis, & clarus jam ab initio hujus seculi, frater fuit Alderici Astensis episcopi; uxorem habuerat Bertam filiam Auberti marchionis, ex qua Adelaisam, sive Adelaidem susceperat, nuptam primum Herimanno duci Sveviæ, & post annum 1038. secundis tabulis Oddoni marchioni. Huic ducissæ, ut narravimus, opusculum contra clericos intemperantes scripsit anno præcedenti Damianus. Adelaidis filii nominantur in charta *de Moneta Viennensi corrupta* apud Dacherium [a], non ad annum circiter M. XLIII. ut in ora paginæ, sed ad annum circiter M. LXV. Petrus scilicet primogenitus, Amedeus & Oddo. De his, suppresso nomine mentionem facere Damianum in prædicto opusculo ad Adelaidem vidimus anno antecedenti. Filiam insuper habuit Adelais Bertam nomine, nuptui traditam Henrico IV. regi. Tradunt quidem Lambertus Schfnaburgensis, [b] Bertholdus Constantiensis & Annalista Saxo nuptias Triburiæ celebratas fuisse anno 1067. hoc tamen anno 1064. jam erat Berta Damiani testimonio *sponsali jure* Henrico *dotata*. Re enim vera Henricus III. imperator anno 1055. Turgavium transiens, natalitiis festis celebratis, Othonis marchionis filiam æquivoco filio suo desponsavit, ut habet continuator Hermanni Contracti in Chronico. Fundationes monasteriorum & abbatiarum factæ a Maginfredo legi possunt apud [c] Ughellium, Guichenonium [d], & Muratorium [e]. Ad annum 1017. diximus Maginfredum ædificasse eremum intuitu Bononii abbatis Lucediensis, in qua ante vicennium commorabatur Leo venerabilis eremita, qui jam ab anno 1044. transierat sub Damiano in solitudinem Avellanensem; sed de Leone plura inferius hoc eodem anno. Adelais quoque sub anno præsenti monasterium Pinarolii fundavit; in charta autem institutionis hujus cœnobii se *marchionissam Suse* nominat, *& offert Deo & eidem cœnobio bona pro anima sua, & Manfredi marchionis genitoris sui, & Adalrici episcopi barbani sui* (hoc est patrui; erat enim frater Mainfredi) *& Berte genitricis sue, & pro anima Oddonis marchionis viri sui*, qui proinde hoc anno, quo charta fuit formata, omnes obierant.

Cuinam marchiæ præsideret Berardus, qui aliam Damiano historiam retulerat ab eo allatam in hoc opusculo, incompertum nobis est. Hoc solum scimus nomen Berardi familiare fuisse comitibus Marsorum, quorum plurium nomina legi possunt in chronico Farfense; novimus pariter Berardum comitem patrem Oderisii comitis anno 1077. vocari *de gente Francorum, & habitatorem in ducatu Spoletonio* [f] apud Muratorium; sed Berardus marchio, quem laudat Damianus, de genere non erat Francorum sed Teutonicorum, & *horno*, videlicet hoc anno, defunctus fuerat.

Testem deinde producit Damianus *Bonizonem grandævum virum rectorem monasterii sancti Severi extra Urbem-veterem*, qui illi narraverat *tempore Gregorii papæ, hic Gratianus dicebatur*; scilicet ab anno 1044. ad 1046. quibus pontificatum gessit Gregorius, contigisse *Scotigenarum regem diademate deposito capitium, & pro purpura cucullam assumpsisse, ac peregrinatione suscepta ad Apostolorum limina, monachicum habitum induisse, qui mox languore correptus, ad extrema perveniens, ait ad Deum: Domine feci, quod præcepisti, adimple, quod promisisti.* Nil habet de hoc rege Buchananus in sua Scoticarum rerum historia. „ Ad tempora Gregorii VI. juxta ipsum [g] in eodem re„ gno jus dicebat Duncanus, vir summa humanitate præditus, & virtuti„ bus refertus, quæ ei bonorum studia conciliabant, ex cujus tamen cle„ mentia crevit malorum audacia. Septimo sui regni anno obtruncatus „ fuit

a Spicil. T. III. p. 393.

b In Chronico.

c T. IV. col. 1040.

d Histor. ecclesiast.

e Annal. T. VI. pag. 206.

f Antiq. T. V. col. 817.

g Lib. VII. p. 195.

ANN. CHR. 1064.

„ fuit a Macbetho regnandi cupido. Liberi Duncani Milcolumbus & Donaldus latebras fugæ subinde mutando, saluti suæ aliquando consuluerunt. " An de aliquo Duncani filio hæc Damiani narratio intelligenda? Historias postremo profert Damianus misericordiæ in pauperes ab Hugone Cluniacense abbate sibi recitatas, & opusculum concludit narratione quadam, quam de Carolo rege sibi fecerat Gothifredus clarissimus dux & marchio. Has ad rem nostram omnino non facientes consulto omittimus.

V. Tractatus Damiani de *Dominus vobiscum* ad Leonem eremitam.

CIRCA hoc idem tempus referimus Damiani opusculum ad supranominatum [a] *Leonem venerabilem eremitam inclusum*. Titulus opusculo de *Dominus vobiscum*. Leo, ut diximus, ex Liguriæ, & primum fortasse ex Sitriæ eremo, inde ex Liguriæ ad disciplinam Damiani se receperat sub anno 1044. & inclusionis legibus se subjecerat. Credibile est sanctum magistrum non statim discipulo suo Leoni nuncupasse hocce opusculum, sed eo facile tempore inscripsisse, quo longa experientia ipsius sanctitatem, doctrinam & sapientiam compertam habuit, ut eum propterea suum appellare potuerit *patrem*, *doctorem*, *magistrum & dominum electum præ cunctis mortalibus*, *& angelum suum consiliarium*, *& tamquam vocem cœlestis oraculi*. Occasionem huic libello dederat, quod fratres nonnulli eremiticæ vitæ & inclusionis sectatores a Damiano exquisierant, *utrum*, *cum singulares in cellulis commorabantur*, *liceret illis dicere*: *Dominus vobiscum* : *Jube domne benedicere*; *atque ipsi*, *ut sunt soli*, *juxta morem ecclesiasticum sibimet debeant respondere*. Sanctus doctor sententiam suam profert, & non solum has voces, sed & alias dictiones ecclesiæ numero plurali elatas docet eremitam solitarium debere recitare. Concludit: *Ecce*, *pater carissime*, *solvendam tibi quæstionem fraterna pulsatus inquisitione proposui*, *sed & ipse non distuli proferre quod sensi*, *non videlicet ut alios arrepta doctoris auctoritate docerem*, *sed tibi potius*, *quæ imperitiæ meæ haberetur opinio*, *evidenter exponerem*. Ita summæ humilitatis vir demisse sentiebat de se ipso. Coronidis loco legitur copiosum & illustre eremiticæ vitæ encomium. Opusculum hoc primus transcripsit ex antiquo minutissimæ scripturæ codice bibliothecæ monasterii sancti Jacobi in Monte-aureo Moguntiæ venerabilis & eruditus pater Johannes-chrysostomus monachus ejusdem monasterii, & ad Johannem Cochlæum transmisit, qui reverendissimo in Christo patri, illustrissimo principi ac domino D. Othoni Gevere baroni a Vualburg episcopo Augustensi & S. R. E. cardinali presbytero tituli sanctæ Balbinæ dicavit. Rursus editum fuit Brixiensibus typis apud Damianum Turlinum anno M. D. LXVI.

a Opusc. XI.

VI. Contra suos Gamugnenses a disciplina devios invehitur.

NONNIHIL desciverant a primæva disciplina eremitæ, quos Petrus Damianus Gamugni in territorio Faventino instituerat; iis proinde a recto tramite aberrantibus videtur ipse circa hoc tempus [b] epistolam scripsisse, redarguens eos, & correctionis occasionem imprimis sumens a quodam *viro*, *qui Mediolano progrediens*, ut se visitaret, *per eos transitum habuerat*, optassetque in eorum consortio permanere, sed male moratos eremitas contemplatus, qui *aniles nugas & otiosa deliramenta*, *& cum laicis scurriles jocos* miscebant, stomachatus, non solum *eorum contubernium sprevit*, *sed ipsum*, *quem habebat*, *conversionis animum amisit*. Anne Mediolanensis iste fuit Erlembaldus frater Landulphi? qui exoptans monasticam cucullam induere, ab Arialdo excitatus fuerat, ut fidem catholicam potius secum defenderet; verum Erlembaldus *probare volens*, *utrum in his*, *quæ a beato Arialdo sibi promittebantur*, *veraciter se auderet ei confidere*, *sumptis aliquantis fidelibus*, *perrexit Romam*, *non per viam regiam gradiens*, *sed per Dei cultores in eremo & monasteriis circumquaque degentes de re jam dicta*

b Lib. VI. epist. 32.

Ann. Chr. 1064.

interrogans, cumque cuncti in vera & pura fide accensi sententiam ei concordem una cum beato Arialdo promerent, tandem pervenit Romam &c. ut ait Syrus in vita ejusdem sancti Arialdi. Insuper summo animi zelo in Gamugnenses invehitur Damianus, quod *eleemosinas indifferenter a secularibus acciperent, possessionis eorum funiculos extenderent, & divites fieri festinarent; negligerent insuper castitatis adjumenta, vinum scilicet biberent, quadragesimali tempore pisces comederent, legumina tererent, vespertinæ refectioni pulmentarium pararent, oleastras frixuras sæpe manducarent ipso procul agente, & horno* hoc est nondum anno elapso, *se præsente sed nesciente sub ipsa nativitate Dominica mulsum melle & pigmentorum generibus confecissent; quod ut cognovit tanto magis exhorruit, quanto id in eremo factum ne audisse se quidem eatenus contigisset*. Inde sequentia affert gulæ pœnæ exempla.[a] *Duo fratres*, inquit, *alter juvenis, alter vero senex in possessione Classensis monasterii, quæ Ravenniana dicitur, ad custodiam morabantur. Octava sane die ante nativitatem Domini, sexta scilicet feria, quæ sabbatum duodecim lectionum ex more præcedit, dixit juvenis ad seniorem: Frater Leo, sic enim vocabatur, quomodo vivemus hodie? Cui senex; Vive, inquit, ut velis. Ego enim & vinum bibam, & in solo*[b], *ut scriptum est, pane non vivam. Erat autem ille vegetus & obesus, & incolumis & robustus. Factum est, apposita mensa, uterque discubuit, sed iste pane contentus & aqua sub regularis se jejunii disciplina cohibuit: ille vero vinum sibi & insuper, quod videbatur, indulsit; qui profecto, si quod imminebat, agnosceret, rigorem abstinentiæ ad petulantis gulæ lenocinium non molliret. Octava siquidem die, cum Dominicæ nativitatis gloria, mundo tripudiante, claresceret, ille defunctus est, & cum festivitatis invitante lætitia, ceteri provocarentur ad mensam, ille efferebatur, flentibus undique propinquis carnalibus, ad sepulturam*. Ravenniana vulgo *Ravignana* ditio erat, & est in diœcesibus Fanensi & Forosempronienſis, in quibus monasterium Classense sancti Apollinaris plurima bona possidebat. Exemplum aliud subdit: *Quidam mihi monachus retulit, quia dum frixuras quasdam in refectorium deferret in vasculo, prurientis eum gulæ stimulus pupugit; moxque sibimet unam in os projiciens, furtive comedit. Sed illico eum tantus libidinis ardor invasit, ut quod numquam eatenus fecerat, nulla se ratione comprimeret, donec immunditiæ fluxum semen sibi propriis manibus ejecisset*.

a Ibidem.

b Deut. v. Matth. iv.

VII. Exempla affert infelicis exitus monachorum transgressorum.

Reprehendit eos eremitas tandem, quod *quædam a se regulariter instituta nunc aut oblivioni tradiderint, aut negligenter omittant, quæ enim se ordinante, semel admitti placuit, nisi se præbente consensum, nunquam debuerant violari*. Transgressorum autem pœnam confirmat duobus exemplis domesticis monasterii sancti Vincentii. *Ut autem*, inquit, *ex domesticis quoque præbeamus exemplum, in monasterio beati Vincentii, quod non procul a monte, qui dicitur Petra-pertusa, cernitur constitutum, hoc tamquam regulare constitueramus edictum, ut sub districti censura rigoris quadragesimale celebraretur initium; nimirum ut per triduum nonnisi modicum panis cum aqua omnes fratres comederent, nulla nisi lectionum sive ordinum verba proferrent, nudis pedibus lugubres & mœrentes incederent, expleto communi modulatione psalterio, mutua se scoparum castigatione purgarent. Quod cum fratres voto & animo, ac spirituali jucunditate non segniter agerent, & ultra etiam, quod præfixum erat, satis superque peculio bonæ voluntatis agerent, quidam inter eos extitit, qui clam in edendo regulam violavit. Erat autem ille frater multis exercitiorum artibus pollens, scribendi videlicet & notandi, tornandi, insuper & fabricandi, ut hoc illi quodammodo congruere videretur*:

Au-

ANN. CHR. 1064.

Augur, Schœnobates, medicus, magus, omnia novit; [a]

atque ut talibus assolet, multarum necessitatum suffulto peritia, quod libebat, plerumque impune licebat. Cum jam, mediante quadragesima, ille vegetus, obesus, alacer, atque robustus per omnia videretur, repente illi levis, ac temperata gravedinis molestia supervenit; at cum ego ad illum gratia visitationis accederem, illico venit in mentem, ut ei dicerem, quod me audiisse contigerat, illum quidem pro quibusdam offensionibus non debere sacrosanctis altaribus ministrare; eum tamen exasperare formidans, diu, fateor, hæsi, diutius deliberavi. Quid plura? Tandem obduravi frontem, arbitrans ac definiens, tutius esse hominem, quam Dei omnipotentis offendere majestatem. Ajo ergo ad eum: carissime frater Maure (hoc enim nomine vocabatur) confitere, pœnitentiam age, & si quid est in te, quod fortassis a tremenda Missarum te celebratione prohibeat, venerabilis tua fraternitas sacris obtemperare canonibus non contemnat. Ad quod ille: peccata mea omnia quamplurimis spiritualibus viris innotui, sed mandatum, ut a sacrificandi ministerio recederem, non accepi. Secunda autem ægrotationis die, vix diescente crepusculo, ecce ille non jacens, sed sedens in lectulo, sacramentum Dominici corporis anxie flagitabat. Cumque abbas nobiscum simul ac reliquis fratribus lecto discumbens assisteret, cœpit eum corripere, cur videlicet is, qui nulla mortis signa prætenderet, tantopere viaticum postularet. Ille vero nihilominus in sua petitione persistens, sacerdote jam cum ministris accedente, applicans sibi unum ex fratribus, nescio quod grave peccatum confitens insusurravit in aurem. Continuo ille attonitus, ut postmodum mihi retulit, & certum pœnitendi calculum, quem præfigeret, tam subito nesciens, licet addubitans, auriculatorie abloquens, quindecim sibi annos pœnitentiæ indixit. Mox autem ut sacrosanctum mysterium de manu sacerdotis accepit, heu, proh dolor, horresco referens, cum felle simul & animam exhalavit, quod videlicet fel usque ad sepulturam ex ore ejus effluere non cessavit; adeout donec in feretro corpus jaceret exanime, jugiter sanies illa pavimentum ecclesiæ longius irrigaret. Hoc autem juxta fidem rei iccirco referre curavimus, ut audiant, & pertimescant non solum ii, qui indictam disciplinæ regulam per propriæ voluptatis impatientiam frangunt, sed & illi quoque, qui crimen admissum sub conscientiæ suæ uberibus confoventes, confiteri ad obitum præstolantur; quia & isti rei sunt, qui servanda postponunt, & illi debitum peragendæ pœnitentiæ, quod hic non reddunt, aucto proculdubio fœnore, in altera durius vita persolvunt. Alius est hic monachus Maurus a Mauro olim presbytero inde etiam monacho, de quo in opusculo [b] ad Landulphum Damianus verba facit, quique mortem infaustam quidem, sed diversam est sortitus. Historiam hanc suo chronico inseruit Jordanus auctor seculi XIV. cujus chronici excerpta edidit Muratorius [c], sicut etiam aliam de uxore ducis Veneti sub anno 1059. a nobis relatam.

VIII. Aerumnas describit monasterii S. Vincentii ob intermissam recitationem officii B. M. V.

SUBDIT deinde: *Dicam & aliud, quod in præfato contigit monasterio. Statutum erat, atque jam per triennium fere servatum, ut cum horis canonicis quotidie beatæ Mariæ semper virginis officia dicerentur. Erat autem inter eos Gozo habitu monachus, reprobæ quidem vitæ, sed dicacis & accuratæ facundiæ. Hic cœpit conqueri satis superque sufficere, quod sanctus præcipit Benedictus, nec novæ adinventionis pondus debere superponi, nec nos esse antiquis patribus sanctiores, qui videlicet hæc superstitiosa ac supervacua judicantes, psallendi nobis metam, omnemque vivendi regulam præfixerunt; hac sane debere nos esse contentos, ne ab illa incautius declinantes per anfractus & invia ducamur erronei. Quid plura? Contra reginam mundi præ-*

a *Juven. Sat.* III.

b *Opusc.* XLII.

c T. IV. *Antiq. med. ævi col.* 969.

ANN. CHR. 1064.

præliari visus est, & confecit; ad hoc nimirum fratres versuta machinatione pellexit, ut solitas beatæ Mariæ laudes ulterius non offerrent. Sed ob divinum judicium a nostræ pravitatis intuitu non dormitans! Mox enim adversus præfatum monasterium tot adversitatum grandines, tot undique bellorum atque conflictuum exortæ sunt tempestates, ut ipsis quotidie monachis minaces gladii necis exitium intentarent. Fiunt undique deprædationes atque rapinæ, conflagrantur cum segetibus areæ; familiares ac servi sancti loci crudeliter trucidantur, & non jam imago mortis, sed mors ipsa grassatur, adeout tæderet jam monachos vivere, dum nequaquam possent in procinctu certaminis amicum quieti suæ professionis officium custodire. Non parvis expensis ad Teutonum partes imperator expetitur, pragmaticæ sanctiones cum sigillis imperialibus advehuntur; sed tantumdem est. In omnibus quippe studiis non fructus, sed labor supervacuus. Hæc sub imperio Henrici III. contigerant, paulloque ante ejus obitum. *Unde cum ego petitione fratrum sæpe pulsarer, quatenus sequester accederem, & si possibile esset, pacis inter eos fœdera continuarem, hac rogantibus voce respondi: Christus, inquam, est pax nostra, de quo etiam de virgine recens nato, angelitus dictum est: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax. Quia ergo matrem veræ pacis de suo monasterio projecerunt, dignum est, ut inquietis calamitatum, tribulationumque procellis, atque turbinibus agitentur. Verum ne lectorem diutius protraham, fratres illi hæc, quæ dixeram, non dubiis erumpentibus signis, vera probantes, in arcto siti, tandem ad cor redeunt, pavimento se humiliter sternunt, ac percepta pœnitentia, numquam se de cetero neglecturos solita genitricis Dei præconia unanimiter pollicentur. Mox itaque, ut fatear, ita post coruscos atque tonitrua, tanta cœli serenitas rediit, ut ex tunc usque hodie fratres jucundæ pacis otio perfruantur, ac de scyllæa voragine se delatos ad portum, gubernante filio virginis, gratulentur.* De his incursionibus & deprædationibus, quibus obnoxium fuit monasterium sancti Vincentii de Petra-pertusa, loquitur Damianus etiam in epistola ad B.. ducem & marchionem, de qua nos ad annum 1051.

IX. Theobaldus novis visitationibus a Deo probatur.

THEOBALDUS eremita Salanicensis, hucusque dæmonis vexationibus fuerat pulsatus. Duobus autem annis, antequam vitam compleret, novis a Deo visitationibus probatum sic nobis describit Vangaticiensis præsul Petrus. *Biennio igitur* [a] *hic Beatus ante suum transitum ab omni tentatione diaboli, ab omni pollutione carnali suis credulis fratribus se perhibuit immunem, quo tempore ita vulneribus corporis undique obsitus fuit, ut aliquando neque gressum figere, neque etiam manum ad os ducere valeret. Supernus enim pontifex vas electionis sibi aptum igne tribulationis & lima infirmitatis voluit septuplum purgare, ut eum sine rubigine in domo sua beatum faceret habitare. Illud vero magis stupendum est, quod nullo genere infirmitatis, nulla defectione carnis a propositi rigore jejunii potuit flecti.*

a *Num.* xx.

X. Chartæ Camaldulenses, Lucenses, & Senenses.

CONSTANTINUS, qui successerat Arnaldo in episcopatu Arretino anno 1063. nam annus 1078. dicitur quintus-decimus ejus præsulatus in quadam charta tabularii canonicorum Arretii, prædecessorum suorum vestigia sequens, non solum confirmat privilegia temporibus anteactis concessa eremo Camaldulensi, sed etiam auget anno præsenti, eam ipse pariter adjiciens conditionem, ut inibi semper observetur vita eremitica, quæ numquam transferatur ad cœnobiticam. Post Constantinum episcopum subscribunt Jocundus archidiaconus, Teuzo vicedominus, Wido cantor, Andreas presbyter & canonicus, Wibertus presbyter & canonicus, Arnulfus diaconus & canonicus, ac Raynerius clericus & canonicus. Integram Constantini paginam damus in Appendice ex tabulario Fontis-boni, ex quo etiam pro-

ANN. CHR. 1064.

producimus venditionem hoc anno ab Eldibrando filio Lamberti factam Ubaldo, Ughiccioni, Roberto ceterisque suæ portionis ecclesiæ & monasterii *sancti Salvatoris sito Cantiniano* merito unius anuli aurei. Monasterium hoc erat in diœcesi Lucensi, & initio seculi XII. reformandum traditum fuit eremitis Camaldulensibus, sub quorum disciplina permansit usque ad tempora Ambrosii abbatis generalis ad seculum XV. Memoriam vetustiorem hujus monasterii reperimus in archivo sancti Pontiani ejusdem urbis Lucensis ad annum 1058. VII. idus julii indictione XI. Ipso nimirum anno Guido, qui vocatur Bambo, donat monasterio sancti Pontiani terras, quæ erant confines cum bonis monasteriorum sancti Pontiani, & sancti Salvatoris de Cantiniano, notario Ildebrando. In locupletissimis summariis domni Eduardi Baroncinii legimus insuper sub hoc anno 1064. Bonizonem presbyterum, & Bellinum olim Gerardi donasse [a] mense januario domno Rustico priori Camaldulensi integram ipsorum possessionem in casalibus *Flerina* & *Arcella*; mense vero augusto [b] Rainerium, Albericum & Rainaldum, Teuzum & Guidonem fratres filios Corbizi una cum Gerrone & Alberico germanis filiis Ildizi obtulisse eidem terram illam, quam possidebant in plebatu sanctæ Mariæ de Chio, manu Liutolphi notarii.

a §. *Amissæ* 16. *A.* 53.

b §. *Donatio* 125. *A.* 1. 23.

Ardimanno abbati sancti Salvatoris Berardingorum Tederza filia Ugonis donat hoc anno ecclesiam sancti Michaelis positam in monte, dicto Cerrogrosso. Ghitius pariter filius Guidonis eidem abbati concedit ea, quæ sui juris erant in eadem curte Cerri-grossi, & portionem etiam, quam in præfata ecclesia sancti Michaelis obtinebat. Sub anno 1067. cessionem ejusdem ecclesiæ faciunt Guido filius Sizi, Aderus, Rusticus & Guido germani. Hoc eodem anno 1064. Ghizus filius Ghizoni tabulas conficit, quibus eidem cœnobio dilargitur portionem suam curtis & castelli de Mandriale. Anno vero sequenti 1065. Rolandus filius Tizi donat supradicto monasterio partem suam curtis & castelli de Mandriale cum ecclesia sancti Martini. Quo ipso anno Teberga filia quondam Adillæ, legem professa Salicam, & conjux Wilielmi filii Widonis, qui lege vivebat Langobardorum, promittit eidem Ardimanno nullam molestiam se illaturam quoad ecclesiam sanctæ Luciæ in Caspranello. Anno 1067. Rolandus, qui Carundo vocabatur, filius quondam Theodorici, cedit quartam partem suam, quæ ad ipsum spectabat, ecclesiæ sancti Laurentii, constitutæ in plebe sanctæ Mariæ in loco Pacina, & positæ in casali Quercitulo. Anno 1070. Johannes quondam Petri in permutatione bonorum, quam stipulatus fuit cum eodem Ardimanno abbate, recipit ab ipso ecclesiam Paterni. Anno 1074. Ugo, Ungarellus, Guilielmus, Rodulphus, Tedericus & Januarius filii Tebaldi concedunt abbatiæ Berardingorum suam portionem castelli & podii Padulis, vocati Basqua, in quo castro ædificata consurgebat ecclesia sanctæ Mariæ. Anno demum 1076. Gerardus & Berta conjux, ac filii Tebaldi tradunt suprascripto monasterio quartam partem ecclesiæ sancti Laurentii. Hæc ad illustrationem præfatæ abbatiæ unico conspectu afferimus ex indice contractuum, qui continentur in sex amplis voluminibus nobilis familiæ Ugurgieriæ in urbe Senensi, cujus indicis exemplar ad nos transmisit clarissimus eques Johannes Peccius, quæque olim ad prædictam abbatiam pertinebant, & in ejus tabulario asservabantur.

ANN. CHR. 1065.

XI. Agnes imperatrix in Germaniam profecta in Italia desideratur.

AGNES olim imperatrix, postea Romæ sanctimonialis in Germaniam hoc anno profecta fuerat, ut auctoritate sua modum imponeret ejus regni turbis, & juniorem adhuc Henricum regem filium suum plura molientem compesceret, qui indignatus arma præsertim hoc anno moverat contra

Anno-

ANN. CHR. 1065.

Annonem archiepiscopum Coloniensem. Res cessit ex voto, & Agnes regis filii animum ad pacem, & ad archiepiscopum recipiendum, honoreque habendum allexit. Longe ergo positam epistola visitat Damianus, adhortans, ut quantocius Romam redeat, indicans etiam, quanto mœrore ob ejus discessum Italia tota & Urbs præsertim fuisset affecta. [a] *Illic cum Petronilla*, inquit, *simul habere te liceat sepulturam, ut insignis ille pater, Petrus scilicet, geminam juxta se carnis videlicet & spiritus gaudeat requiescere filiam*. Salutat etiam Lopertum episcopum, a quo efflagitat, ut cito revertatur. Lopertus apud Ughellium [b] inter episcopos cardinales Prænestinos ad annum 1067. reperitur; electus fuerat ad eam dignitatem ab Alexandro II. & apud Giacconium [c] ipso anno 1067. subscribit diplomati ejusdem pontificis pro monasterio Casinensi.

a Epist. VIII. Lib. VII.

b Ital. Sac. T. I. col. 110.

c T. I. col. 831.

Superiorem epistolam alteri [d] alligavit Damianus inscriptæ Gothifredo duci, & Beatrici ejus conjugi, qua eis commendat filium suum abbatem monasterii sancti Johannis-baptistæ, qui Bibliothecam emerat, sed inopia constringente non poterat pretium persolvere. Invitaverant Damianum dicti principes ad eorum audientiam. *Venirem*, inquit, *ad vestræ jussionis imperium, nisi senectus incurva tremulum reprimeret gressum*. Abbas sancti Johannis-baptistæ Damiani spiritualis filius videtur fuisse abbas monasterii Aceretæ, quod sancto Johanni-baptistæ erat dicatum in agro Faventino.

d Epist. XIII. Lib. VII.

XII. Responsa Damiani ad Albericum monachum Casinatem doctissimum.

CUM Damianus Casinum adiit anno 1063. amicitiam contraxit inter ceteros cum Alberico monacho Casinate doctissimo. Hunc *diaconum* simpliciter appellat Leo Ostiensis [e], aut melius Petrus Diaconus, cujus fœtus est caput illud, ubi de Alberico fit mentio. Quare certum non est ad dignitatem cardinalatus ipsum fuisse promotum, qua passim a scriptoribus insignitus asseritur. *Quamplurimas* Albericus, ut idem Petrus diaconus ait, *epistolas dedit ad Petrum Ostiensem episcopum*. Habemus aliquot Damiani responsa [f] ad varias quæstiones ejusdem, cum declarationibus nonnullorum locorum sacræ Scripturæ. Responsio [g] ad dubitationem de diebus Passionis & Resurrectionis Christi pertinet ad hunc annum, quo hæ sollemnitates in easdem dies inciderant, quibus contigerant eo ipso anno, quo passus fuerat & resurrexerat Dominus, & celebratæ fuerant insuper iisdem diebus anno 533. *Sicut enim*, ait Damianus, *tunc cum Dominus pateretur, & mensis erat martius, & dies a kalendis aprilis octavus, feria erat sexta, & luna decima quarta, ita per omnia & quingentesimo trigesimo tertio anno postmodum contigit, & hoc anno, qui millesimus sexagesimus quintus est, similiter venit*.

e Lib. III. cap. XXXV.

f Opusc. XXXVII.

g Ibid.

XIII. Ejusdem apologeticum de contemptu seculi.

SPECTAT ad hunc eumdem annum Damiani Apologeticum [h] *de contemptu seculi* ad Albizonem eremitam & ad Petrum monachum; tempus enim scriptionis designatur, dum dicitur: [i] *Bis hoc anno per Romanæ sedis antistitem congregatum est synodale concilium, ubi denuo omnes incæstuosi, juxta canonum decreta, ecclesiastica sunt communione privati*; quæ damnatio contigit hoc anno 1065. sub Alexandro II. Petrus monachus, cui scribit, *de mundi rhetore factus fuerat philosophus, & teres cœnobitarum forma*, ut a Damiano appellatur; alius erat proinde a Petro fratre Rodulphi episcopi Eugubini, qui circa annum 1054. eremiticam vitam assumpserat; alius etiam a sene Petro Nonantulano prius monacho, & postea eremita Avellanense, de quo egimus ad annum 1060. Albizo autem nominatur *imitandum eremiticæ conversationis exemplum*. Sed de variis Albizonibus videnda, quæ protulimus ad annum 1056. Damianus in hoc opusculo, licet sæpius consuesceret cum iis familiari quodam studio disputare de mona-

h Opusc. XII.

i Ibid. cap. XXIX.

nasti-

nasticarum rerum perfectione, conqueritur, & cor suum illis pandit, exponens, quanto mœrore afficeretur, ruinam perpendens cœnobiticæ disciplinæ, & potissimum quia plures monachi iis temporibus divitiis tantum & pecuniis inhiabant, assidue per urbes & vicos discurrebant, pretiosis vestibus induebantur, alii vero vilibus, ut plausum vulgi mercarentur, plerique seculi implicationibus & negotiis se subdebant. Immo ex ipsis eremitis nonnulli non verebantur, prætextu vel prædicationis, vel publicæ salutis, curias & civitates frequentare; id quod comprobat exemplo suo, tunc cum ad Romanam urbem & ad synodos fuit invitatus, quamque sit periculi aleæque plena, & ad evagationem mentis inductiva hujusmodi seculi frequentatio, graphice demonstrat.

XIV. Tractatus pariter de perfectione monachorum ad O.. abbatem Pomposianum.

Scripsit Damianus ad hæc circiter tempora etiam tractatum de [a] *perfectione monachorum ad O..* scilicet Obertum vel Ubertum, *abbatem Pomposianum*, qui Mainardo abbati successerat potius quam ipsum præcesserat, ut hoc postremum credere placuit Mabillonio [b], atque regimen abbatiæ Pomposianæ obtinuit ante Hieronymum celebrem abbatem. Oberti abbatis mentio fit ab eodem Hieronymo in charta anni 1079. [c] apud Muratorium; nominatur etiam in alia pagina anni 1074. existente in monasterio sancti Benedicti Ferrariæ. Pariter ex chartis tabularii ejusdem cœnobii Mainardus erat ad annum 1048. abbas Pomposiæ, erat & ad annum 1052. ex alia charta [d] apud eumdem Muratorium; quare post annum 1052. confectum fuit a Damiano hocce opusculum. Non imus tamen inficias Mainardi abbatis Pomposiani nomen occurrere etiam sub anno 1073. ad diem XXII. maji in monumentis ejusdem monasterii, immo sub anno 1077. ad diem XVIII. decembris, sed hic facile erat ejusdem nominis secundus, nisi dicere quoque velimus Mainardum juxta Guidonis morem, se vivente, alios sibi suffecisse abbates; legimus enim anno 1056. ad diem x. januarii Albizonem abbatem *suffectum*, ita etiam annis 1057. 1058. 1059. 1060. Rursus anno 1063. VII. maji reperitur nomen Widonis abbatis. Iterum anno 1064. Mainardus abbas in scenam prodit. Anno autem 1074. Ubertus abbas legitur, & Mainardus anno 1077. ac die XXV. januarii anni 1078. Ubertus abbas. Anno 1079. x. junii Hieronymus abbas; Mainardus abbas *suffectus* anno 1084. XV. novembris & sic iterum anno 1092. v. februarii; & anno 1095. Wido abbas *suffectus*, cum tamen constet Hieronymum ab anno 1079. ad annum 1106. eam abbatiam rexisse. Quidquid sit, abbas Pomposianus litera initiali O. designatus, alius ad hæc tempora nequit esse, nisi Obertus dictus etiam Ubertus. Ceterum cum in hoc opere de Leone Prezensi exemplum proferat Damianus, quem *in aliis dictationis suæ opusculis breviter adnotasse* meminit, in opusculo scilicet ad Theuzonem, post annum 1056. scriptus fuit a Damiano laudatus de perfectione monachorum libellus. Verisimile quinimmo est ad eadem tempora, quibus superius opusculum de contemptu seculi confecit, dictasse & hoc aliud de perfectione monachorum, in quo præterpropter eadem monachorum vitia reprehenduntur. Nuncupatum est, ut diximus, Oberto abbati Pomposiano, ejusque conventui in gratiarum actionem pro tot beneficiis in eo monasterio olim sub Guidone abbate a se acceptis. Incipit ergo Damianus deflens perditos mores & abusus monachorum sui temporis; post hæc monachos Pomposianos sanctissimis præceptis ad sectandam perfectionem informat, & quid vitare debeant, quid prosequi, ut ad concupitam laborum metam attingere valeant, sedulo erudit. Et quidem in indumento novi habitus veteres mores esse exuendos, & præter regularem observantiam peccatoribus e seculo venientibus aliquam

pœni-

a *Opusc. XIII.*

b *Annal. T. IV. p. 472.*

c *Antiq. T. II. col. 958.*

d *Ibid. T. V. col. 337.*

ANN. CHR. 1065.

a Ibid. cap. VI.

pœnitentiam ulterius indicendam; *quamdam*, inquit [a], *in plerisque monasteriis teneri consuetudinem novimus, quam, ut vos abdicetis, humiliter suademus. Nonnulli namque rectores fratrum plus tribuentes monasticæ regulæ, quam expediat, quibuslibet a seculo venientibus, etiam si graviter lapsi sunt, aliam pœnitentiam non imponunt, nisi tantum communem monasterii ordinem servare præcipiunt, quod profecto quam sit inconsideratum, quam inhumanum, quam penitus indiscretum, quisquis sapit, intelligit*. Tum quid sibi contigerit cum monacho quodam, eremita facto, narrat. [b] *Quidam nempe frater ad nos de monasterio venit, quid in laicali vita commiserit, confessus est. Porro debebatur illi septuaginta, si recte teneo, annorum pœnitentia, sicut nobis ex sacrorum canonum sententia videbatur. Erat autem fere jam septennis in habitu religionis; cumque quæreremus pro his peccatis, quantum jam pœnitentiæ peregisset, respondit: domino quidem abbati se cuncta fuisse confessum, sed cum, præter communem monasterii observantiam, nullam sibi pœnitentiam indidisse, quia perhibuit solam conversionem pro omnium peccatorum suorum absolutione plene sufficere. Quid dicam? fateor, res mihi valde displicuit; despexi, horrui, & hominem deceptum esse clamavi, nimirum, qui pœnitentiam necdum haberet inceptam, quam diversis afflictionum modis jam habere potuerit consummatam*. Animadvertit Mabillonius [c] contrariam esse sententiam Eucherii sive Paullini [d], nam huic tribuitur in [e] concordia regularum, censentis *pœnitentiam publicam abrenuntianti seculo non esse necessariam*; verum subdit id intelligendum esse de monasteriis illis, in quibus sancti Benedicti regula accurate servatur, non de iis, quorum mollior vita gravioribus peccatis expiandis non sufficit. Vitam insuper activam & contemplativam in monasteriis esse conjungendam proponit Damianus. Vagationi autem deditos utramque vitam ignorare, stomachum autem movere eos, qui relictis spiritualibus studiis, Grammaticorum vulgum adeunt.

b Ibid. in fine.

c Annal. T. IV. pag. 472.

d Analect. T. II. pag. 318.

e Pag. 81.

XV. Ubi differit de falsis lacrymis.

f Ibid. cap. XIV.

DIFFLUIT subinde in laudes lachrymarum, quæ ex Dei amore oriuntur, & rursus augent divinum amorem. Falsas tamen docet a veris lacrymis distinguendas; qua occasione *quid nobis acciderit*, [f] inquit, *silentio prætereundum esse non ducimus. Nam hucusque scribentibus Dominica festivitas supervenit, emergentibusque negotiis a scriptione diutius exteriorum nos sollicitudo compescuit. Tunc juvenculus quidam, Silvester nomine, qui hæc non quidem me dictante scribebat, sed ut digne me prædicem, tabulis descripta in schedulas transferebat, tanta maligni hostis arte delusus est, ut in lacrymas repente prorumperet, & vix nocte vel die præter horas soporis & cibi sese a lacrymarum inundantia cohiberet, vinum autem omnino dimisit, cibo quoque se continentissimo ac permodico sustentabat, somno etiam summotenus indulgebat. Interea suggerebat illi diabolus, ut remotioris eremi secessum peteret, ubi videlicet vel raro, vel numquam hominem jam videret, cumque sibi conclusionis copiam præberemus, ajebat se concludi quidem nullatenus velle, talem autem desiderare locum, ubi dum ingrederetur & egrederetur, libere & solitarius a nemine videretur. Obsistebant autem huic obstinationi omnes unanimiter fratres, & technam hanc, versutiamque diaboli probabiliter asserebant. At ille pervicax & obstinatus, dum lacrymis exuberantibus fidem præbet, in voto suo, quod maligno spiritu suggerente conceperat, irrevocabilis permanet. Puto, quod antiquus hostis aptum deceptionis suæ nactus articulum, hoc ejus oculis ingerebat, quod in hoc opusculo paullo superius Silvester ipse conscripserat, ubi dicitur, quia dubitantes ex aliquo, utrum Deo placeat necne, numquam melius certitudinem capimus, quam cum veraciter lacrymantes oramus. Non enim attendit, quod huic versiculo paullo*

ante

ante præmissum est, quia ille dumtaxat lacrymæ, quæ a Deo sunt, exauditionis tribunal adeunt, non illæ certe, quæ a callidi insidiatoris præstigiis suggeruntur. Hoc enim oscitando præteriit, quod dictum est, veraciter lacrymantes. Non enim veraciter, sed fallaciter lacrymatur, cui per mendacem ab initio spiritum falsus fletus immittitur. Et post pauca: *Ut igitur ad relationis ordinem redeamus, quia dudum in alia solitudine habitare permissus, semetipsum temerarius abscidit, necnon & ad alia loca vagabundus erravit, ille dumtaxat confisus in lacrymis, æquis consiliis nullatenus acquiescebat præbere consensum, nec se aliquatenus decipi posse credebat, quem quotidiana compunctio crebris lacrymarum profluviis inundabat. Quid plura? ovum certe, quod aspis in pectoris ejus nidulo confovebat, tandem familiarem prorupit in fœtum. Nam librum nobis admodum carum videre ad modicum petiit, cujus quatuor de medio furtim quaterniones abscidit, ac fibulas ad mensuram stringendi codicis, ne tale quid suspicaremur, accuratissime detruncavit, deinde stimulo conscientiæ territus, ne compedibus vinciretur, præ foribus cellulæ stans, cultello vulnus infligere vel sibi, vel aliis, si quis eum contingeret, minabatur. Tunc liquido patuit hujusmodi lacrymas non de cœlesti rore descendere, sed ex tartari sentina sine dubio scaturire. Hoc autem, fratres mei, vobis narrare curavimus, non ut delinquentis fratris exaggeremus infamiam, sed ut vos suspectam semper in ipsis etiam bonis studeatis habere cautelam.*

XVI. Et de Mainardo monacho Sitriensi.

His in genere enunciatis, ad quoslibet monasterii Pomposiani officiales erudiendos doctrinam suam dirigit; primo abbatem, tum priorem, significatorem horarum, mensæ lectorem, & cellerarium, inde pueros, juvenes, adolescentes, novitios, senes, quibus singulis saluberrima præbet instituta, demum omnes in communi ad caritatis studium provocat. In exhortatione [a] senum vitium præcipue loquacitatis fugiendum prædicat; & sequentia affert Mainardi monachi Sitriensis, & alterius eremitæ Avellanensis exempla. *Habemus senem in monasterio scilicet Sitriæ, vocabulo Mainardum, quem scilicet adhuc paludatum cum admonuissem, ut monachus fieret, ut verbosus ac mordax semper extiterat, in typum quodammodo jurgiosæ responsionis erectus: ecce, inquit, ancillæ meæ quotidiana me sedulitate undique confovent, & ministrant, & sic vix utcumque subsistere valeo; quo igitur pacto potero spiritualis instituti iter arripere, qui absque ulla disciplinæ sarcina me ipsum pene nequeo saltem pedibus substinere? Verumtamen paullo post, quibus annitentibus nescio, ecce factus est monachus, qui nimirum jam senex & languidus cum tanto fervore cœpit, ut grandævis atque maturis sani scilicet consilii viris miraculum, juvenculis autem monasterii lubricis atque lascivis fieret in derisum. Qui profecto lacerantes eum detractionibus, & verbis mordacibus obrodentes, nunquam eum a sui rigore propositi in tantum potuere deflectere, quin adhuc per dies singulos psalteria quatuor expleat, quatuor nihilo minus per hebdomadam dies absque ullo cibo & potu, tam æstivo quam hiberno tempore, transigat. Hoc tamen adhuc de prisco more servato, ut mensem unumquemque sic dedicet, quatenus in prima cujusque mensis hebdomada, nisi dominica die vel quinta feria, penitus non manducet; est autem jam, nisi fallor, in sacræ conversationis habitu duodennis, & hic quidem in conventu fratrum.*

a Ibid. cap. XXIII.

XVII. Et de Leone Prezensi eremita.

Est *autem & alius intra cellulæ septa conclusus, Leo videlicet Prezensis, quem & in aliis nostræ dictationis opusculis nos breviter annotasse meminimus; vir videlicet tam decrepitus, ut qui eorum obitus recolit, quos ille parum nascendo præcessit, quibusque simul vivendo consenuit, senex sit. Hic igitur in tam effœti ac tremuli corporis gravitate vinum nisi duabus* vel

Ann. Chr. 1065.

vel forte tribus anni præcipuis festivitatibus numquam bibit. Ante horam nonam præter dominicos dies numquam comedit, duabus in hebdomada diebus, quando scilicet indulgentius vivit, pulmentum præter unum prorsus aliud non admittit. Sic autem orationis ejus ordo disponitur, ut quotidie sive per æstatem, sive per hiemem unum psalterium cum canticis & Litaniis suis ante nocturnas ecclesiæ vigilias expleat, secundum autem psalterium ab auroræ crepusculo usque ad horam sextam pro defunctis cum novem lectionibus canat, tertium vero psalterium cum Gloria iterum cum ipso advesperascentis diei fine concludat. Habet autem hanc gratiam, quam in nullo unquam quantævis perfectionis viro deprehendere potui, videlicet, ut psallenti numquam se cogitatio ingerat, tantaque cordis in eo puritas viget, ut absque ulla resistendi molestia nihil omnino mens cogitet, quod a psallentis ore discordet. Illud etiam valde mirandum, quia numquam ejus oculos acediæ tædium deprimit. Adde etiam, quod cum præ senectutis caligine faciem hominis discernere nequeat, literas discernit & legit, quotidie psalterium bis lectitando percurrit. Hoc quoque stupendum, quia intra cellulam positus, ubi nimirum subobscura lux est, literatim scripturæ discernit articulum; egressus autem ubi liberior videndi facultas est, apices non agnoscit. Sic autem mihi subtiliter sciscitanti sæpius ipse professus est. Nulla jam carnis certamina tolerat, nulla mentis vel ad momentum quidem vagatione laborat. Crucifixus igitur huic mundo, jam pene, quæ sunt humana, non sentit, sed totus azymus, totusque sincerus, ut ita fatear, Angelus vivit.

Mainardum Sitriensem superius laudatum putat Jacobillius [a] eumdem esse cum institutore abbatiæ Saxi-vivi, cujus monasterii historiam ipse describit, sed veremur ne nimis facile nominum paritate falli se finat, præsertim cum Mainardus Sitriensis in senectute monachum induerit, & duodecim præterea in eodem Sitriensi cœnobio vixerit annos; Mainardus vero abbatiæ Saxi-vivi fundator septuagenarius juxta ipsum decesserit anno 1096. Pejus tamen errat, cum Stiriensem vocat, quem Sitriensem Damianus appellat. Quid enim Damiano cum provincia Stiriæ? De Mainardo Sitriensi loquitur etiam Hugo Menardus in martyrologio ordinis sancti Benedicti, ornans eum elogio viri *singularis patientiæ & pietatis*.

[a] Cron. Saxi-vivi pag. 24.

XVIII. Impetrat Damianus pro se suffragia monachorum Pōposianorum.

Iisdem Pomposianis monachis Damianus benedictionem aliquam muneris loco mittens scribit [b], ut preces ad Deum dignarentur pro se fundere, præcipue cum diem ipsius defunctionis audierint, & quod oraverat olim Cluniacenses & Casinates, nunc etiam Pomposianos orat, ut quidquid de ipsorum congregationis monachis in eorum obitu faciunt, hoc pariter de misero Petro Damiano facere satagant, & se, licet corporis habitatione remotum, nolint ut extraneum ducere, sed indubitanter agnoscant seipsum & totum conventum Avellanensem quasi proprii illorum juris possessionem, & quidquid ipsis placuerit, Avellanitis tamquam subjectis ac domesticis absque ulla cunctatione imperent. Vigebat nimirum inter Pomposianos & Avellanenses arcta consuetudinum & amoris conjunctio, quæ fortius firmata fuerat tempore commorationis Damiani in cœnobio Pomposiæ.

[b] Lib. VI. epist. 6.

XIX. Johannes Laudensis ad eremum Avellanensem sub disciplina Damiani confugit.

Monachus anonymus Avellanensis, qui sancti Johannis Laudensis vitam exaravit, auctor omni fide dignus, quippe qui cum eodem Johanne convixit in supradicta eremo, asserit ipsum quadraginta circiter annos in eremo Fontis-avellanæ vitam traxisse; quare cum conveniant auctores omnes Johannem in suo episcopatu Eugubino anno 1106. ad Deum evolasse, postquam integrum annum non compleverat in episcopali ministerio, ad hunc circiter annum referenda est ipsius conversio sive ingressio

in

ANN. CHR. 1065.

in eremum Fontis-avellanæ. Eidem nuper converso, jam *non Laudensi*, *ideoque laudabili viro* libellum scripsit Damianus ejusdem magister [a] *de decem Ægypti plagis atque decalogo*. *Contempsisti*, inquit, *nuper fili Pharaonem, & superbi regis ac opprimentis Ægypti simul abominatus es servitutem; necesse est ergo nunc, ut gradiens per desertum multa tentationum genera subeas, sitis atque famis inopiam perferas, & sic per ærumnosa pericula, diversæque calamitatis angustias ad terram repromissionis attingas*. Demonstrat autem Damianus per decem plagas ea intelligi debere teterrima vitia, quæ ab omnibus, sed præsertim ab arctius institutum arripientibus, sunt evitanda, hæc autem ex diametro opponi docet præceptis, quæ in decalogo continentur. Prima Johannis in vita solitaria exercitia describit idem anonymus Avellanensis. *Postquam*, inquit, [b]..... *ephebi tempora transegisset, falcemque ingenii ad Christi putandam vineam in mundi Ægypto non modice acuisset, fervidus operarius mox contendit ad eremum, sacrumque monasticæ professionis arripit indumentum. Cujus asperitatem hominem tam macilentum tamque exanguem posse tolerare plerique eremitarum cœpere diffidere, cum multos eatenus & vegetos, & corpulentos incassum id meminissent expertos. At vero in brevi ille adeo omne eremiticæ difficultatis subiit institutum, ut nulli se in omni sacrosancta observatione toleraret esse secundum. Imo vero cum ceteros præire fratres virtutum passibus consuevisset, cecidisse sibi videbatur, quando alii sequebantur. Moris enim in hac eremo est, ut fratres, qui longe ab oratorio in cellulis manent, acrioribus in semetipsos jejuniis regulariter macerent. Qui scilicet, quamvis diversis sancti exercitii disciplinis jugiter occupentur, prolixitate tamen synaxeos non tanta gravantur. Iste vero cum basilicæ contiguus solito adhæreret, & ecclesiastico oneri pro columna erat, nec largiori tamen corpusculum alimonia nutriebat. Quin etiam vix umquam a diversis manuum operibus tolerabat quiescere, dum per aliqua ab ecclesiasticis intervalla respirare liceret. Sed aut sua libros manu scribebat, aut ab aliis scriptos examussim corrigebat, aut per diversa mittendas epistolas dictans exarabat. Cujus exhortatoria verba in quoscumque scintillabant, illorum ad Deum mentes mox sursum flammabant, nec poterant non ignire, quos tangerent, cum ab ignito ardentia carbone procederent. Verum hæc ille omnia, quasi minima, flocci pendebat, quia ad sancti cursus finem medullitus anhelabat, sciens quia, testante apostolo, non coronabitur, nisi qui legitime certaverit* &c.

a Opusc. XLIV.

b Cap. 2. n. 6.

XX. Convolat ad eamdem eremum Ariprandus.

CONVOLAVERAT ad eamdem eremum juvenis quidam, Ariprandus nomine, facilis ad discendum, sed qui nondum liberalium artium studiis operam dederat, quique proinde nonnihil hac de causa animi mœroris conceperat. Damianus [c] eum consolatur, opusculo illi inscripto *de sancta simplicitate*, ubi scientiæ cupiditatem, si cum christianis virtutibus non sit conjuncta, perniciosam ostendit & inutilem, sanctam e contra simplicitatem securam esse & utillimam. Deum insuper alios in juventa, alios in senectute ad se vocare; gratias debere ipsum maximas agere supremo numini, quod primitias suæ juventutis ab illo exegerit. Quandoquidem vero objicere potuisset Ariprandus, se plures valuisse Christo lucrifacere, si *gratia prædicationis* afflueret, si *copiam scientiæ literalis* haberet, huic rei occurrit Damianus dicendo, primum fœnus esse Christum lucrifacere; declarat autem quam multis periculis obnoxia sit humana sapientia, exempla adducens [d] *Galterii socii Ivonis magistri* sui, qui *per triginta ferme annos de regnis ad regna contendens Germaniam, Galliam, Hispaniam docens penetravit*, quem demum pueros bonis artibus informantem æmuli sui insidiose occiderunt, non sacramenta & sacerdotes petentem, sed tantum

c Opusc. XLV.

d Ibid. cap. 6.

Ann. Chr. 1065.

exclamantem: *Heu quale domnum!* Ugonis pariter Parmensis ecclesiæ clerici, qui *astrolabium sibi ex purissimo argento comparaverat, & factus capellanus Conradi imperatoris, episcopale fastigium dum ambit, interfectus fuit*. Alterius demum monachi, [a], cujus nomen silentio supprimit, *orti de summis proceribus Galliæ, & in Romana urbe viventis*, viri quidem docti, sed divinæ sapientiæ plane expertis, qui *exteriorum bonorum floribus enitescit, nobilis ut imperator, pulcher aspectu, quodammodo sicut Tullius loquitur, ut Virgilius poetatur, tuba vehemens in ecclesia, perspicax & acutus est in lege divina, scholastice disputans quasi descripta libri verba percurrit, vulgariter loquens Romanæ urbanitatis regulam non offendit .... sed ejus talis est vita, ut .... stulto sapienti monasterialis ad habitandum janua claudatur &c.*

a Ibid. cap. 7.

XXI. Peculiaria narrata a Damiano de Leone eremita.

b Ibidem.

Opponit autem huic *stulte perito sapienter indoctum, Leonem nempe eremitam inclusum, de quo hæc habet* [b]: *Hic plane Leo (cum præter psalmos aut nescio quid tenuissimum & extremum) literas non didicerit, grammaticos quoslibet ac mundi philosophos in scripturarum notitia & consiliorum spiritualium profunditate præcellit, ut quicumque ad illum de quovis animæ negotio consulentes accedimus, suscipientes ab eo verbum, ita confidimus, ac si prophetici spiritus oraculum reportemus. Sed quoniam & tibi apprime notus est, & opusculis nostris frequenter insertus, sufficiat unum hic verbum proponere, quod nuper ab ejus ore quasi negligenter cecidit, sed a me negligenter audiri non potuit. Nam cum inter cetera spiritualiter vivendi capitula solerter inquirerem: Utrum ille post solutum nocturnæ synaxis officium posset dormire, si vellet, hoc se funditus nescire perhibuit. Cumque idipsum ego sæpius iterarem, & an ille circa diluculum dormiret, perquirerem, respondit ille se hoc omnimodis ignorare, quia numquam penitus expertus esset; subjunxit etiam se suis assuetum cogitationibus respondere: Acidietur, inquit, cor, palpitent oculi, os per crebra balaustia gannire non cesset, caput etiam nutet, & in ima devergat, sed quia hæc omnia me perimere nequeunt, ad consentiendum hujus temporis somno nullatenus superabunt. Nam & nos super hac re distichum feceramus, quod hic inserere otiosum esse non ducimus:*

Non canonem solvit, qui psallens nocte redormit:
Ne tamen hoc passim ponat caput ante synaxim.

Sed heu me miserum! hoc inter me & domnum Leonem, quod inter fortissimum David, & delirum venit histrionem. Ille siquidem viribus fortia fecerat, iste sola voce triumphalia ejus gesta decantat. Ille nimirum se Deo novit per somni mactare conflictum, nos versiculos facimus ad similitudinem puerorum. Et quale quæso est effœtum viribus, ac tenuissimi corporis hominem jam per septuaginta fere annos in monastico habitu degere; & adhuc utrum diurnæ lucis erumpente crepusculo dormire valeat, ignorare? Hic itaque prudens, hic vere dicendus est sapiens, qui dum mundum calcibus abjicit, ipsum mundi principem philosophando deludit. Videtur Leo hic idem esse ac Leo, cui opusculum de *Dominus vobiscum* nuncupavit, quem etiam laudaverat capite v. *de eleemosyna* ad Mainardum, & capite vi. *de vita eremitica* ad Theuzonem, cum asserat Damianus opusculis suis frequenter nomen hujus Leonis inseruisse. Dum autem scribit Leonem vixisse septuaginta fere annos in monastico habitu, factum ipsum fuisse monachum conjicimus sub Romualdo, quocum postea convixerit in Sitriensi eremo, inde autem transierit ad monasteria & eremos Liguriæ, quæ erant sub potestate marchionis Maginfredi, reliquos demum vitæ viginti annos dege-

ANN. CHR. 1065.

degerit sub Damiano, cujus disciplinæ adhuc parebat. Vel etiam dici potest Leonem, cujus meminit Damianus in hoc opusculo ad Ariprandum, Leonem fuisse Prezensem, de quo agit capite VII. ejusdem epistolæ ad Theuzonem, & in tractatu *de perfectione monachorum*, qui decrepitam excedebat ætatem, quemque inclusum semper vocat. Alium Leonem *grandævum ætate*, sed *venerabiliorem districtæ conversationis studio, & simplicis animi puritate* vixisse in eremo sua Avellanensi commemorat in epistola ad Rodulphum & Ariprandum monachos, qui idem facile est, quem nominat etiam Johannes Laudensis capite XIX. vitæ Damiani.

XXII. Ariprandum hortatur, ut correptiones patienter ferat.

EUMDEM Ariprandum, quem jam opusculorum & epistolarum suarum scriptorem Damianus constituerat, laudat, quod impuber, *dum in scholarum adhuc gymnasio inter adolescentulos ageret, non monasteriale propositum, sed eremi potius* arripuisset *institutum*; & hortatur, ut *sancti loci regulam non violet, severitatem beatæ conversationis non enervet, ne mutari velit solitam severitatis consuetudinem, sed inter cetera insignia correptiones non modo seniorum, sed etiam juniorum constanter perferat*; quod videlicet *hujus loci*, inquit, *tam familiare est, atque nativum, ut qui dum corripitur, fugit, nobiscum habitare non possit*, eique inscribit opusculum [a] de *ferenda æquanimiter correptione*.

a *Opusc. XLVI.*

XXIII. Chartæ Velitrenses, Pratalienses & Camaldulenses.

PRÆSENTI anno III. *idus junii anno* IIII. *pontificatus domni Alexandri pape secundi indictione* III. rogatu Petri Damiani Velitrensis episcopi idem Romanus pontifex Alexander II. *Tito archipresbytero venerabilis ecclesie sancti Chrysti martyris Clementis, que ponitur in episcopatu Veletrensis civitatis, ceu Gregorius archipresbyter ecclesie sancti Angeli in Castello, necnon Dominicus archipresbyter sancti Johannis de Plagis, simulque archipresbyter Petrus sancti Martini, atque Johannes sancti Antonini, Adrianus presbyter sancti Laurentii, & Johannes presbyter sancti Salvatoris, atque Stephanus archipresbyter sancti Paulli, ceterisque aliis presbyteris in eadem civitate Velletri commanentibus intus & foris* &c. gratioso diplomate dilargitur, *ut nullus* ex ipsis *quodlibet servitium atque angariam* faciant, *foderum* non dent, *hostem minime* faciant, *neque bandum neque ullam dationem, aut quoquo modo promissionem* patiantur; *solum episcopalis redituum, scilicet tertiam partem testamentorum, & tertiam partem oblationis trium Missarum, & quarta pars decimarum*. Quæ privilegia prædictis archipresbyteris & presbyteris concedit *fidelissimis servitiis vestris expressis a Petro Damiani nostri coepiscopi*. Inter servitia, quæ Velitrenses canonici & presbyteri præstiterant sedi apostolicæ, recensenda profecto veniunt assumptio vitæ communis, pietas morum, exercitia pœnitentiæ, ceteræque consuetudines ab ipsis receptæ hortatu Petri Damiani, qui ipsorum erat episcopus, ut ad annum 1063. ex eodem Damiano declaravimus. Alexandri privilegium pluribus licet erroribus latinitatis conspersum edidit ex autographo tabularii ecclesiæ Velitrensis doctissimus præsul Alexander Borgia episcopus tunc Nucerinus, nunc vero archiepiscopus Firmanus [b] in historia ecclesiæ & urbis Velitrensis, quod ex ipso, tametsi plurimum dubitemus de ipsius authenticitate, recudimus in nostra Appendice; Animadvertit etiam præfatus archiepiscopus Petrum Damianum hoc anno adhuc Velitrensi præfuisse ecclesiæ, cum ad episcopos pertineret merita suorum subditorum apostolicæ sedi exponere, favoresque exquirere.

b *Pag.* 183.

Constantinus Arretinus episcopus monasterio Pratalíæ ejusque abbati Hieronymo bona omnia, quæ a prædecessoribus suis eidem loco fuerant concessa, privilegii pagina hoc anno confirmat. In suo privilegio nominat Helpertum antecessorem suum, & ejusdem abbatiæ conditorem,

beatum

Ann. Chr. 1065.

beatum antistitem, *virum beate memorie*, *beatum episcopum*, & memorat ecclesiam sancti Clementis subjectam Prataliensi. Chartam ex tabulario Fontis-boni a nobis descriptam publici juris facimus in Appendice, alteram quoque subjicientes, qua Albizo abbas monasterii sancti Januarii, quod vocabatur Campi-leonis, cum consensu fratrum & fidelium suorum pro remedio animæ suæ & omnium antecessorum suorum abbatum, quos nominat, idest *domni Jacinthi & Petri & Viventii* & omnium suorum successorum, concedit *ecclesie sancti Salvatoris, que est constructa in heremo Camaldoli, ad victum vel vestimentum fratrum heremitarum ibidem Deo servientium, per manum domni Rustici prioris suprascripte heremi, decimationem de suis donicatis in villa de Largnano, decimationem* pariter *de manso, qui nominatur Pisclo, ut in suis orationibus eremite memoriam eorum semper habeant, & omni anno in festivitate sancti Januarii in mense settembrio pro pensione persolvant ministeriali Campi-leonis* XXX. *formelas casei. Actum in comitatu Arretino infra plebem sancte Marie sita Bujano in castello de Frunzola.* Subscribunt post ipsum Albizonem abbatem *frater Ugo prepositus, Sasso sacerdos & monachus, Rodulfus* &c. & ultimus omnium *frater Gerardus monachus, prepositus & custos curtis & castelli de Fronzula.* Revera cum post multum tempus lis orta fuisset inter abbatiam Campi-leonis, & eremum Camaldulensem, occasione præfatarum decimarum, Girardinus canonicus Arretinus judex tam delegatus a domno episcopo, quam arbiter constitutus inter domnum Basilium eremi Camaldulensis syndicum, & inter abbatem Campi-leonis, pronuntiavit anno 1238. kalendis martii indictione XI. præfatum syndicum molestari non debere pro eis decimis, quas immo eremus Camaldulensis legitime possidebat. Charta donationis Albizonis abbatis signata est *anno Dominice incarnationis millesimo sesagesimo quinto, regniante Henrico filio Enrici imperatoris mense aprilis indictione secunda*; legendum tamen est tertia, quæ decurrebat hoc anno. Monasterium Campi-leonis, quod vulgo de Capolona dicitur, situm est ad fauces Arni, distatque quattuor millibus passuum ab Arretio. De hoc cœnobio ejusque originibus aliqua diximus ad annum 1027. Eidem Rustico priori, & Bonizoni, qui *rector* appellatur *ecclesie sancti Donati eremi Camaldulensis*, hoc est cœnobii Fontis-boni, juxta indices Baroncinii, mense septembri [a] Petrus filius Guidonis offert prædium in loco dicto *tra le fossata*; meritum vero recipit quadraginta solidorum.

a §. *Donationes* 129. *A.* 1. 31.

Supradicto monasterio Prataliensi ex alia charta ejusdem tabularii Fontis-boni *anno Dominice incarnationis millesimo sexagesimo quinto mense junius indictione tertia* Suzo filius quondam Signorelli transfert in manus Hieronymi abbatis ad usum & sumptum fratrum monachorum jus suum, quod obtinebat *de curte & castello de loco, qui dicitur Jello*, sive Gello, *cum fossis & munitionibus atque penditiis, & cum donnicatis & mansis & vineis* &c. & portionem suam *de terris & casis, vineis* &c. *de loco, qui dicitur Frassineta*: Legitur [b] in alia charta cujusdam permutationis factæ hoc anno ab eodem Hieronymo sistarium terræ constare tabulis sexdecim, tabulas vero brachiis duodecim.

b §. *Permutatio* 8. *A.* 1. 27.

Ann. Chr. 1066.

XXIV. Contra munerum cupiditatem & auri famem scribit Damianus cardinalibus.

CARDINALIBUS *episcopis apostolicæ sedis* opusculum inscribit Damianus ad hunc annum *contra philargyriam & munerum cupiditatem* [c]. Judices ecclesiasticos ne gratuita quidem dona accipere posse adstruit in hoc opere, avaritiam sectari, divitiasque appetere valde periculosum docet, simoniacos autem affirmat non solos eos esse, qui pactum faciunt, sed illos etiam, qui pecuniam non pactam postulant. *Vidi plane* [d], scribit,

c *Opusc.* XXXI.
d *Ibid. cap.* 5.

Ann. Chr. 1066.

bit, *dum episcopalis apicis officio fungerer, quemdam de fratribus nostris,* cardinalibus scilicet, *nomen quidem supprimo, vitium noto, qui sic subsultabat atque gliscebat, dum synodalis concilii tempus insisteret, ac si triturae sive vindemialis proventus articulus immineret. Accingebat enim se muneribus colligendis, ad quos utique praecidendos non aciem ferri, sed falcem exacuebat eloquii, qui etiam hujus fraudis habere pseudo dicebatur apostolos, qui nimirum pecunias hinc inde corraderent, easque marsupiis jam emoventibus infercirent.* Has porro divitias, asserit, non appeti ad indigentiam sublevandam, sed ad fovendum luxum, quem stilo satis turgido describit, & inter alia *numquam certe vidisse se meminit pontificales baculos tam continuo radiantis metalli nitore contectos, sicut erant ii, qui ab Esculano atque Tranensi gestabantur episcopis; uterque tamen,* sequitur, *alter in Apulis finibus Nicolao praesidente, alter in Lateranensi ecclesia coram Alexandro, Romanis scilicet pontificibus, sunt dejecti.* Alludit nimirum ad concilium Melphitanum anno 1059. a Nicolao celebratum, non Amalphitanum, ut legitur [a] apud Labbeum, cum Melphis vere constituta sit in Apulia finibus, uon autem Amalphis in alio principatu sita. In Melphitano enim concilio Johannes Tranensis episcopus gradu suo fuit motus. Alter vero episcopus damnatus fuit in una ex Lateranensibus synodis anni praecedentis Romae habitis ab Alexandro; quare tempus intelligimus scriptionis hujus opusculi, cujus initio haec ad cardinales praefatur: *In conflictu sedis apostolicae, in quo vos adhuc unanimiter desudatis, concertator & ipse pugnavi. Sed ecce cum militari cingulo sim solutus, & in municipii pace compositus, libet jam docere, quod didici.* Bernardus erat tunc temporis Asculanus episcopus, qui ad plures annos honorifice eam ecclesiam regere perrexit. Quamobrem inverisimile videtur Bernardum ita fuisse a sancto doctore notatum, & inter eos *pontifices ligneos* computatum, qui *auratis usi sunt baculis.* An-ne legendum potius pro *Esculano*, Erculanus?

[a] Concil. T. XII. col. 53.

XXV. Caritas in proximum, macerationes & jejunia Johannis Laudensis.

JOHANNES Laudensis interea tum studio poenitentiae, tum sollicitudine in animarum salute curanda, eminebat inter ceteros Damiani discipulos. Fusius ejus in proximum caritatem, macerationem & jejunia describit synchronus auctor vitae ipsius his verbis: [b] *Unde id quoque audituris profuturum existimo, si orto aliquando inter hunc aliumque fratrem jurgio, quid iste facere soleret, enarro. Vir enim sanctus & sapiens, spiritualis lucri semper esuriens, modo clam, modo palam, interdum hunc, aliquando illum, prout sanctus ei Spiritus infundebat, conveniens, vel super vitiis solebat arguere, vel de negligentiis increpare. Quod aliquando quidem in prosperum, nonnumquam vero, ut assolet, cedebat in laevum. Contingebat enim aliquoties, ut iratus increpitus non modo medicinam respueret, sed ut ipsum medicum etiam verbis mordacibus insiliret. At ille, ut curaret aegrum, ad alterum se vertebat antidotum; totum namque se irati vestigiis solo tenus sternebat, suaque illum culpa commotum saepius inclamabat; nec patiebatur se e terra surgere, donec jam destomachatus ille qualibet eum juxta suum libitum poenitentia oneraret. Cujus quaeso, inquam, animus tam ferreus, tamve inflexibilis esset, quin tam ingenti victus humilitate ultra plumbum ceramve mollesceret? Procidebat ergo terrae tandem aliquando post increpantem increpitus, justeque proferebat culpa mea, quod ex humilitate didicerat aliena. Nec haurire jam mordacem licet medicinam aeger spernebat, quam sanum pro se medicum praegustasse cernebat. Sic nonnumquam glacies, quam duravit aquilo, liquatur ab austro, sic quod nequivit pigra, perfecit gera.* Haec de his vocibus Sartius noster: „ De pharmaco *Gerapigra* videsis

[b] Cap. III. n. 8.

„ Can-

Ann. Chr. 1066.

„ Cangii Lexicon. Sed ex anonymo nostro duo fuisse videntur pharmaca, „ quorum alterum *Gera*, alterum *Pigra* diceretur, vel saltem Gerapigra „ pharmacum fuisse videtur ex duobus vel contrariis, vel multum sane „ diversis compositum : quod ex Cangio intelligere non licet . “ Prosequitur auctor : *Cum enim ad Dominicæ passionis bibendum calicem medullitus anhelaret, nec eum flagranti quispiam propinaret per varia semetipsum alternans cruciamenta, ipse sibi fiebat pincerna. Hinc est enim, quod cum pruinosa hiems adeo aspera inhorresceret, ut quadruplici corpora veste parum nobis esset involvere, nudus ille pedes per totas in choro synaxes nocte dieque persisteret, aut quia id prodere nolebat, in solis sine pedulibus calceis maneret, sive quod adhuc immisericordius est, calceos lapillis insterneret, talique in materia plantas subdelinitus ac subrefrigeratus staret. Ad hæc si rationabilis eum causa per id temporis equitare quopiam cogeret, nudas ferreæ plantas strevia superferret. Strevia* sive strega, aut stregua apud Cangium est stapes, cui innititur equitanium pes. *Contra Nabuzardan vero*, sequitur vitæ Johannis scriptor, *ignominiosum scilicet coquorum principem, tam infœderabile gerebat bellum, ut interdum in sequentibus clarebit, ut vix ejus post biduum dignaretur alloquium. Sciebat enim quod Jerusalem mœnia illius rabiosa arsissent insania, suæque typicæ metuebat urbi, quod tantæ videbat accidisse metropoli. Scriptum namque est, quia Nabuzardan coquorum princeps destruxit muros Jerusalem. Quid enim per coquorum principem, nisi venter designatur incontinens, cujus scilicet jussioni diligenter obediunt coqui? Jerusalem autem visio pacis interpretatur, per quam vel tota simul ecclesia, vel unaquæque intelligitur anima christiana; quia scilicet pacificum Redemptorem suum etiam videt per fidem, & visuram se gratulatur per speciem. Hujus autem urbis muri diversarum virtutum sunt chori, quos coquorum princeps destruit, quia nisi ingenitæ ventris concupiscentiæ sollicite resistatur, omne hujus urbis virtutum ædificium in ima prosternitur. Quinque enim modis dæmon suas in hanc jaculatur faces, ut sive omnibus, sive uno illorum hanc valeat concremare. Hunc dum protoplastus, proh dolor! nescivit cavere, in quod præcipitii se, omnemque demersit prosapiam, utinam contigisset nescire. Dum enim vetitum gustavit pomum, se cum omni posteritate in hoc condemnavit exilium. Contra hunc ergo morbum cœlestis doctor, & medicus Christus ostendens antidotum, mox post baptismum dedicavit jejunium, ac si languido medicus dicat : contrariis curantur contraria. Ut ergo recuperetur patria, ametur inedia; illo enim reditur per jejunium, unde exulatur per cibum. Cum igitur scriptum sit : oculi sapientis in capite ejus, omnem suæ mentis obtutum in Christum Johannes dirigebat caput, nec putabat sibi sufficere, si juxta aliorum se mensuram jejuniis edomaret. Cum enim consuetudo hic fratribus sit in utriusque principio quadragesimæ in pane tantum, & aqua triduum continuare, consueverat ille nullum nisi ultima tridui die humanum cibum contingere. Quod ego, non alio mihi narrante, didici, sed ipse cum eodem una in cellula, exiguo separatus interstitio, deprehendi. Verum cum hoc quoque, sicut multa virtutum suarum consueverat, vellet abscondere, exploranti mihi non valuit occultare. Unde non immerito conici datur per totos circiter quadraginta annos, quos in hac eremo degit, ab eo similiter actitatum: ad hæc eum, qui taliter triduum solebat transigere, multa bidua, multosque similiter singulares dies incibatum transisse. Memini eum in ipso prope caniculares dies caumate se incarcerasse, cum a quolibet infando homicida vix canonice extorqueri possit carina; nec ante inde exisse, quam omne quadraginta dierum curriculum homicidaliter elapsum esset. Cum vero diebus remissionis, mensa adita*

cum

Ann. Chr. 1066.

cum fratribus consideret, pretiosaque interdum edulia, gulæve suavia essent apposita, occasione aliqua inventa, nonnumquam dimittebat illæsa. Ceteris autem vilioribus tam moderate utebatur, ut secundum apostolicam suadelam, viva non immerito hostia putaretur. Non enim clausa transierat aure, quod de turture immolando a Domino jubetur in lege, ut caput scilicet a collo non penitus abrumpatur, sed ad pennulas tantum retorqueatur. In omnipotentis enim Domini sacrificio nos testes esse debemus, ut tamen ad pennulas caput, idest ad virtutes retorqueatur animus, quia videlicet mens nostra a carnali quidem delectatione incidenda est, sed a carnali cura incidenda non est: quatenus & vitia intereant, & ad virtutes tamen peragendas vires sufficiant, quod agere tam ingentis est ars sapientiæ, ut multis, in quorum ego adhuc numero sum, videatur quasi impossibile. Johannes autem, qui totus jam pene, ut juxta illud sapientis loquar, teres, & rotundus erat, id jam pene in naturam verterat, ut nec sub sacrosancti licet exercitii onere corporis asellus prorsus decideret, nec in Dominum tamen calcitrare præsumeret. Didicerat namque illa anima, ac si altera Axa, tam discrete ei præsidens ministrare, ut superius inferiusque irriguum a cœlesti patre postulans impetraret. Sic enim, sacra historia referente, legimus, quod Axa Caleb filia super asinum sedens dixit patri: terram australem dedisti mihi, junge & irriguam. Dedit ergo ei pater irriguum superius, & irriguum inferius. Axa enim super asinum sedet, quia irrationabilibus carnis suæ motibus anima præsidet. Quæ suspirans a patre terram petit irriguam, quia cum magno gemitu a Creatore nostro lacrymarum gratia est quærenda. Dedit ergo ei pater suus irriguum superius, & irriguum inferius: irriguum quippe inferius anima suscipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Irriguum vero superius accipit, cum sese in lacrymis pro cœlestis regni desiderio affligit: quæque prius flet, ne ducatur ad supplicium, post flere amarissime incipit, quia elongatur a regno. Hujus autem utriusque irrigui gratiam eatenus acceperat divinitus Johannes, ut vix dies ulla ei flueret, quin se eo uberrime inundaret. Hoc profecto illis est necessarium audire, auditumque imitari satagere, qui cum mihi similes, multis sordentes iniquitatibus sacrum ad habitum veniant, lacrymarum a Deo lavacrum postulare non curant: ac ut mystici se Tau tegmen amiciunt, Cherubim cœtibus unitos præsumunt: quasi maculata vestis non egeat ad lavandum aqua, aut vasis rubigo lima. Verum quia aliter super hoc Johannes senserit, cordatis utique viris in ambiguo non reliquit, qui quidem, etsi sacrum innocens habitum induerit, lacrymarum se tamen fluoribus numquam baptizare cessavit. Quantæ enim tunc munditiæ fuerit, ipsius Petri Damiani sermo testis existit; qui cum eum in monachum consecraturus esset, suisque eum super peccatis, ut moris est, discussisset juxta Canonum censuram, nec unius sibi diei imponere valuit pœnitentiam. Hoc ille tantus vir, qui & per vitæ munditiam stella, & per sapientiæ claritatem tenebrosi mundi erat lucerna, hoc, inquam, cuidam nostrum, non sine sui ipsius retulit contemptu; quippe qui sibi forte necesse putabat in alas jam dumtaxat crescere, ne visco adhuc adhæreret, coactus est formidare.

Audiat hoc omnis per climata quatuor orbis,
Audiat occasus, pariter non nesciat ortus,
Hoc Scythicæ gentes addiscant, hoc Garamantes,
Ne tunica, sanguis careant, quam diluit Agni,
Ac pudeat nudos illo censore futuros,
Nec reparare queant, quam non servare laborant.

Ann. Chr. 1066.

Aut nunc per fontes lacrimarum tergere sordes:
Nunc geminæ vestis mulier Sopha piaque tegmina texit,
Seu vice fullonis candescere dat maculosis,
Queis ea, queis cuncta velanda domestica turba,
His ut compta viro veniente sit obvia Christo.

XXVI. Comes eligitur itinerum suorum a Damiano.

Hinc Damianus comperta Johannis morum innocentia ad sacerdotium ipsum evexit, comitemque sibi deinceps elegit in suis legationibus. *Cognito ergo*, ait idem auctor [a], *ille vir tantus tanto eum candore divinis oculis refulgere, nefas duxit per sacros eum gradus non sursum attollere, nec putavit eum diu foris indecorum dimitti debere, quem typicis Aaron vestibus intus coopertum cognovit incedere. Quantocius igitur studuit eum ad Sacerdotium provehere, secumque huc illucque, qua ipse, velut mundi lampas, discurrere solebat, minare. In qua scilicet societate non facile est dicere, quam multum alter ex altero credendus sit profecisse. Meritoque has duas animas duas illas dixerim vaccas, quæ cum divinæ legis arcam de terra Philistim ferunt, recto Bethsames, idest ad domum solis, itinere tendunt, nec, remugiant licet vituli, idest quamvis reclament consanguinitate propinqui, se sciunt tamen a Bethsames via deflectere, quibus æterni solis speciositas micat in mente. Etsi namque eatenus in omnipotentis Dei amorem uterque ferve et, ex contubernio tamen illo, quasi duo Seraphim, alter ex alterius ardore putandi sunt flammescere.*

a Cap. 4.

XXVII. Damianus Casinum iterum se confert, ubi sanat energumenos.

Damianus, qui anno 1063. ætatem suam provectam, itinerisque difficultatem Desiderio abbati adduxerat in sui excusationem, ne visitare cogeretur Casinum montem, sequentibus annis, & potissimum præsenti, licet senior, ad eumdem sacrum locum, & quidem sponte, ut videtur, accessit. Eo enim tempore ibidem se contulit, quo Desiderius abbas, basilica veteri sancti Benedicti Casini diruta, novæ augustius ædificandæ operam dabat, nimirum *anno ordinationis suæ nono, divinæ incarnationis millesimo sexagesimo-sexto, mense martio indictione quarta*, ut his temporariis notis ejusce ædificationis tempus designat [b] Leo Ostiensis. *Ipsum vero præfatum cœnobium*, ait Johannes Laudensis, *dum aliquando idem domnus Petrus ex more visitasset, cum esset ibi, beatissimi Benedicti basilica fundabatur, quæ auro ac lapidibus modo adornata perspicue cernitur.* Erui ex his verbis potest Laudensem comitem fuisse hoc anno itineris Damiani Montem-casinum adeuntis, ut potuerit proinde describere ornatum basilicæ Casinensis, sicut etiam inferius tradidit eosdem cœnobitas *tunc temporis* asseverasse meritis Damiani curatos pueros obsessos. Anno propterea prævenimus adventum Johannis Laudensis ad eremum Avellanensem, quam statuerit Sartius noster, qui ad annum 1066. assignat; ut tempus nimirum distribuatur, quo potuerit Johannes prius in eremo Avellanensi probari, exerceri, virtutibus & pœnitentiis effulgere, ad sacerdotium promoveri, inde vero socius itinerum Damiani assumi. Sed hanc puerorum a dæmonibus vexatorum liberationem Damiani precibus factam ex eodem Laudensi audiamus. *Aliquantos ibi reperit pueros, qui pro vectandis lapidibus venerant, arreptos dæmoniis acriter vexari, quorum licet modicis artubus, tantum ab ipsis dæmoniis virium ferebatur, ut a binis vel ternis robustissimis viris singuli comprehensi, vix aliquatenus possent arctari. Cum autem die quadam domnum Petrum ad opus illud intuendum contigisset exire, Desiderius venerabilis ejusdem cœnobii abbas, ipsum, ut consueverat, ex nomine jocunde compellans, ait: Domine Petre, cur istos nostros non curas operarios? Cui ille: Habent hic, inquit, sanctissimi Benedicti præsentiam, qui* eis,

b Lib. III. cap. 28.

eis, si velit, valet salutis conferre medelam. Ego enim quid sum? Existimavit tamen abbas ex eis aliquos ad ipsius fore hospitium dirigendos, quatenus illorum vexationem conspiciens attentius pro eis misertus, oraret. Quod quidem ille omnino prohibuit, non sane inhumanitatis duritia, sed observandæ, quod magis censendum, humilitatis custodia. Verumtamen dum tunc contigisset eum viginti fere diebus ibidem propter fratrum caritatem mansisse, eodemque spatio dierum, energumenos illos omnes plene curatos fuisse, quis illud fideliter non credat, quod cœnobitæ illi tunc temporis asseverantes ajebant, eum videlicet pro ipsis latenter orasse, sicque eis salutem a Domino impetrasse?

ANN. CHR. 1066.

XXVIII. De laude flagellorum scribit ad monachos Casinates in ea re tepentes.

Cum comperisset Damianus Casini commoratus per viginti dies, intermissam fuisse a monachis ejusdem sacri loci consuetudinem jejunandi & disciplinas recipiendi omni feria sexta, quam ipse, annuentibus Desiderio & monachis, in idem cœnobium introduxerat tempore sui primi adventus, de *laude flagellorum sanctis fratribus in Casini montis schola cœlesti degentibus* [a] opusculum nuncupavit, quo prius ostendit, quam late diffusa non solum per monasteria, sed & per urbes, & villas esset hujuscemodi disciplina. Sed quia Casinates opposuerant inhonestam rem esse coram fratribus membra nudare, & *Stephanus* Casinensis *cardinalis*, alius tamen a Cluniacensi, *insugillando deriserat*, & *interdixerat penitus*, ne ultra mos hic perduraret, ostendit quantum spernenda sit caro, & quod nuditas exemplo Christi, apostolorum & martyrum sit potius gloriosa. Accusat autem Stephanum cardinalem, quod cum *per Christi gratiam nonnullis floruerit virtutibus, morbo tamen elationis laborabat ob juventutis fervorem, & forte* ob imprudens hujusmodi consilium *factum est, ut repentino obitu interierit die festo sanctæ Scholasticæ virginis, postquam vegetus & incolumis surrexerat ad nocturnum officium*, & paullo post ipsum *eodem die germanus ejus junior, altera die pariter sepulti*. De ejus obitu altum in Leone Ostiensi, & in ceteris scriptoribus silentium. Laudat in eodem opusculo Damianus Petrum de Burgo virum clarissimum referentem sibi quoddam factum, quod contigerat in ea regione, quæ *Pilonicum* dicitur. Pilonici mentio fit in [b] bulla Nicolai II. ad Bonizonem abbatem sancti Petri Perusii anno 1059. eratque castellum constitutum in massa sancti Petri prope Perusium. Pilonici territorium in diœcesi Perusina, ubi erat ecclesia sanctæ Mariæ, in qua ab abbate sancti Petri deputabatur œconomus, legimus etiam in libro, cui titulus: *Jura diversa monasterii*, in archivo [c] ejusdem cœnobii asservato. Obsecrat postremo sanctos Casinates ascetas, ut usum tam laudabilem resumant, contemptis opinionibus contraria sentientium.

a *Opusc.* XLIII.

b *Bull. Casin. T. II. p.* 94.

c *Num.* 276.

XXIX. Ejusdem epistolæ ad Rainerium marchionem, & Guillam comitissam.

Spectare possunt ad hæc circiter tempora ejusdem Damiani epistolæ [d] ad Rainerium marchionem, & ad Guillam comitissam ejus sponsam. Rainerio Damianus pro expiatione peccatorum suorum, quæ ipsi confessus fuerat, præceperat, ut Hierosolymitanam peregrinationem susciperet; verum ille itineris difficultatem & pericula prætendebat, ac pœnitentiæ executionem in dies procrastinabat. Nutantem & somnolentum epistola Damianus excitat, ut segnis amplius non sit in pœnitentia conficienda, exemplisque ostendit divinam protectionem erga pios peregrinos, quæ, quandoquidem pertinent ad historiam monasticam Avellanensis eremi, ipsis verbis Damiani hic subjicimus. *Religiosæ vitæ & honestæ gravitatis fratre nostro atque commonacho Richardo referente didicimus, quod horno octo viri, expleto pii desiderii voto, dum ab Hierosolymis repedarent, sed eos per inhabitalia gradientes loca, quatriduana jam fames vehementer affligeret,*

d *Lib. VII. ep. XVII.*

Ann. Chr. 1066.

ret, divinam cœperunt unanimiter implorare clementiam, ut laborantibus in extrema calamitate succurreret, & qui dat escam omni carni, sibi quoque saltem quælibet alimenta in tantæ necessitatis articulo non negaret; qui mox, oratione completa, panem in via jacere conspiciunt, & enormis utique magnitudinis & miri candoris. Mirantur ad commune spectaculum, non utique nescii, quia tanti ponderis moles de sarcina nescientis geruli nequaquam potuisset elabi. Tunc supernæ misericordiæ beneficium recognoscunt, & panem divini muneris, ut erant octo, in totidem partes dividunt. Ex quo nimirum ita sunt suaviter ac sufficienter expleti, ut in omni vita sua nullis fuerint dapibus uberius recreati. Idem frater noster Richardus aliud quoque retulit, quod silentio prætereundum esse non arbitror. Ait enim, quod Agius frater noster, vir videlicet ætate grandævus & religione conspicuus, dum adhuc esset in seculo constitutus, orationis studio pergebat ad beati archangeli Michaelis ecclesiam, quæ est juxta Sipontum, in Gargano monte constructa. Hic cum germano suo, seculari videlicet viro, unum dumtaxat equum habebat, cui per alternas uterque vicissitudines insidens, utcumque laborem itineris temperabat. Sed cum conviatores suos ad portandas sarcinulas auxilio indigere conspiceret, admonuit fratrem, ut a jumenti vectatione uterque quiesceret, illudque pro caritate sociorum portandis eorum oneribus publicaret. Porro dum lassati longioris viæ labore quiescerent, ciboque deficientem stomachum recrearent, præfatus frater Agius panem quidem in poculo vino commiscuit, sed juxta se ponens, refectionem interim differens, conquievit. Quibus ita quiescentibus, ecce latrunculi repentino impetu superveniunt, & eorum omnia cum equo simul diripientes, abscedunt. Unus autem eorum substitit, & fratris Agii cibum, potumque consumpsit, quem protinus intolerabilis dolor invasit, & donec omnia compulsus evomeret, ab ejus visceribus feralis angustia non recessit. Tunc agili pernicitate subsiliens, celeriterque percurrens sociis persuasit, quia nisi jumentum Dei famulo quantocius redderent, imminens ultionis divinæ periculum non vitarent. Qui divinitus tremefacti, confestim ad Dei hominem redeunt, præsumptionis suæ gementes indulgentiam quærunt, simulque jumentum cum his, quæ nihilominus fuerant ablata, restituunt. Sic itaque divina pietas ab eorum tuitionis auxilio non elongat, quos in suæ devotionis obsequio laborare considerat. Frater etiam noster Bonizo, vir videlicet veteranus & sanctus, qui jam per plurimos annos in eremo perseverat, & continentioris vitæ rigorem senilis in eo debilitas non relaxat, sicut nobis ipse retulit, dum ab Hierosolymis navigio remearet, naufragium passus est. Intumescentibus nempe procellis, nave submersa, omnibusque sociis marini discriminis tempestate peremptis, iste saccum, qui bombacis involucro plenus erat, arripuit, eique inter fluctivagos undarum cumulos præsidens, per tres fere dies & duas noctes tamquam vir pugnator, marina congrediens, cum morte conflixit. Contigit autem, ut remiges quidam æquora marina sulcantes, eum procul aspicerent, quem ad se pie sublatum, & cibo reficiunt, & humanitatis curas impendunt.

Ejusdem Rainerii sponsæ recenter nuptæ comitissæ Guillæ alia epistola monita dat Damianus pariter saluberrima. Ait ergo, quia libentius & tutius se scribere, quam eam alloqui testatur. *Transisti sane filia per nuptialis jura connubii in domum satis quidem amplam, sed male moratam, opibus & dignitate conspicuam, sed depravata vivendi lege confusam;* hortatur ergo ut *tollat confiscationes pauperum, injustos canones & illationes inhibeat rusticorum;* quæcumque autem compererit ante se injuste percepta, restituat. *Non dulce sapiant*, subdit, *in faucibus tuis reculæ pupillorum, altilia viduarum*. Refert autem domesticum exemplum uxoris olim comitis

a *Epist. XVIII. Lib. VII.*

Uberti

Uberti uterini fratris, soceri ipsius Guillæ Uguccionis. Hæc scilicet dum in castro, quod *Sciffena* dicitur, habitaret, cuidam viduæ porcum abstulit, sibique coqui præcepit. Vidua autem orbata suo alimento, tenue saltem frustulum petiit a comitissa, sed ista superbe recusans, ipso die obruta ruinis castrensis valli, in quo sedebat, minutatim contrita interiit.

ANN. CHR. 1066.

XXX. Quando obierit Petrus ep. Faventinus?

UGHELLIUS [a] refert floruisse Petrum Faventinum episcopum ad annum 1056. nos ex donatione Gamugnensi eremo ab eodem Petro facta & a nobis relata sub anno 1063. atque ex epistola [b] transmissa a Damiano ad clericos Faventinos, conjicimus serius esse ipsius memoriam & obitum retrahenda. Ait enim sanctus cardinalis, se *subiti casus stupore invasum* intellexisse ab abbate suo venerabili filio (forsan sanctæ Mariæ extra portam, vel sancti Johannis-baptistæ Aceretæ) quem ii miserant, decessum Petri eorum episcopi. Excusat se, quod languoribus & laboribus conquassatus non possit tam cito ad illos venire. Propterea eos hortatur, ut imperatoris adventum præstolentur, qui ecclesiam Faventinam *sedatis jurgiis componat*, & ut rogent papam, ne episcopum ipsis ingerat, sed ecclesiam parumper vacare sinat, quam recipiat sub sua benedictione; interim autem ex industriis, prudentibus & literatis clericis, quos habent, unum eligant, cui sollicitudinem episcopatus possint imponere. Ipse vero, cum opportunum fuerit, præsto aderit pro *consignandis pueris* & pro *aliis episcopalibus officiis*; ex quibus postremis verbis patet Petrum Faventinum obiisse eo tempore, quo Damianus episcopali dignitate fulgebat, hoc est certe post annum 1057. & tempore, quo insuper sperabatur proximus adventus regis, nempe Henrici IV. Cum autem primis regni sui annis Henricus nedum e Germania exierit, immo nec exire cogitaverit, putamus mortem Petri Faventini episcopi retrahendam esse ad hunc circiter annum, quo Henricus in Italiam descendere meditabatur, & ut *bona sancti Petri de manibus Normannorum erueret, & imperii coronam de Apostolici manu reciperet, magna cum expeditione pervenit Augustam, ibi præstolans Gotfridum Tusciæ videlicet marchionem, qui regem, quotiens Italiam deberet intrare, cum sua solitus erat militia præire*, ait Leo Ostiensis [c], licet revera iter suum hoc anno suspenderit Henricus, *& quoniam*, prosequitur Leo, *Gotfridus idem longe præcesserat, rex hoc nimis indigne ferens, eamdem mox expeditionem remanere præcepit*, & post decennium tantum, hoc est ineunte anno 1077. prima vice in Italiam transierit. Ceterum hoc anno Gothefridum ducem ex se, non expectato Henrico rege, contra Normannos pugnasse, sicut & cometem apparuisse prænuntium ejus mortis, quod utrumque Ostiensis eodem capite narrat, asserunt etiam Romualdus Salernitanus [d] in chronico, Chronicon parvum [e] Beneventanum, & Lupus protospata [f]. Hæc, si attendantur superiora Damiani verba de adventu imperatoris præstolando; sin vero ratio habeatur cujusdam chartæ tabularii archiepiscopalis Ravennatis, in qua ad annum 1063. legitur nomen Hugonis episcopi Faventini, mors Petri ejus prædecessoris statuenda erit ad ipsum annum 1063. post paginam donationis in gratiam eremi Gamugnensis, de qua diximus eo anno.

a T. II. col. 494.

b *Epist. X. Lib. V.*

c *Lib. III. cap. XXV.*

d *T. VII. Rer. Italic.*

e *Antiq. med. ævi T. I. pag.* 258.

f *In Chronico.*

XXXI. Ad clericos Faventinos scribit Damianus de tempore celebrandi nuptias tractatum.

IISDEM clericis Faventinis, signanter V.. & P.. Opusculum [g] aliquando inscripsit Damianus *de tempore celebrandi nuptias*. Quidam in ea urbe putabant sibi licitum esse tempore quadragesimæ inire conjugia, uxores ducere & celebrare nuptias, dummodo tamen a concubitu abstinerent, quos etiam alii *specie tenus spirituales viri, & qui scripturarum scientiam vane sibi vindicabant*, excusationibus defendebant. Ostendit autem sanctus doctor id esse contra disciplinam ecclesiæ, quæ semper eo tempore nuptias vetavit;

g *Opusc. XLI.*

Ann. Chr. 1066.

vetavit; porro nuptiæ non concubitu dumtaxat, sed mutuo duorum contrahentium assensu conficiuntur. Narrat capite III. hujus epistolæ ætate sua, *Dominicæ crucis die apud Ravennam multa animalia in macello a libripendibus fuisse cæsa, quæ communi senatus consulto, & præcipue Martini venerabilis eremitæ decreto omnia canibus fuere projecta*. Martinus hic nostro judicio celebris ille est apud Ravennam eremita, immo *eremitarum pater* una cum Romualdo, & Willelmo appellatus a chronographo Besuense; qui distinguendus insuper non est, ut putamus, a Martino Pomposiano primum abbate, inde ad Romualdi normam eremita, de quo plura habentur in vita sancti Guidonis Pomposiani itidem abbatis, cujus proinde Martini elogio hæc ex Damiano historia erit adjungenda.

XXXII. Felicissimus obitus Theobaldi eremitæ.

a *Num.* XXII.

Faustissimus hic annus fuit sanctissimo eremitæ Theobaldo, quo, *ingravescente vulnerum valetudine, & scivit & prædixit beatæ vitæ Theobaldus in proximo se migraturum*, [a] verba sunt Petri ejus vitæ auctoris. *Cumque duodecimus volveretur annus, ex quo patriam reliquerat, (nam tribus annis peregrinatus est, & novem annis in solitudinem mansit), ad extrema perductus, vigore corporeo cœpit omnino deficere. Accersito vero Petro abbate*, eodem scilicet ejus vitæ scriptore, *præ omnibus sibi familiariter in amicitia juncto, qui ei eodem anno monachicum schema sacraverat, commendavit illi matrem, filiosque suos spirituales, cum totius eremi cura. Ante tertium autem diem suæ migrationis quinquies gravissimus terræ motus extitit, ex quibus quosdam quidem a foris stantes, omnes vero in cellula Sancto adstantes senserunt. Unde convincitur illius majestatis præsentiam migranti affuisse, de quo dicitur: Qui respicit terram, & facit eam tremere. Testantur etiam, qui affuerunt, duræ mortis eum gustasse calicem. Nec mirum. Illi enim adhæserat, qui pro nobis peccatoribus a Judæis morte turpissima damnatus, peccata nostra portavit, cujus livore sanati sumus. Cumque diu in agonia desudaret, quidam ex familiaribus divinitus, ut credo, inspiratus, quosdam ex popularibus mares ac feminas adstantes blanda voce discedere suasit. Quibus recedentibus, viatico Dominici corporis accepto, cum sæpius iterasset: Domine, miserere populo tuo, fatigatum divinis officiis spiritum reddidit, suis plorantibus, Angelis vero lætantibus. Qui autem propius sancto corpori adhæsere, testantur, quod nec tenuis quidem macula illud fuscasset, sed quodam resurrectionis decore ejus vultus niteret. Migravit autem* II. *kalendas julii ad vesperum, indictione quarta, regnante Henrico filio Henrici secundi in Italia, Philippo autem in Gallia. Ipso vero Domino Jesu Christo regnante super omnia, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.*

XXXIII. Demonstratur annum 1066. fuisse supremum vitæ ipsius.

b *Sec. VI. P. II. pag.* 164.

Annum hunc supremum fuisse Theobaldo diserte quidem, ut observat Mabillonius [b], non exprimit auctor ejus vitæ, sed ex notis chronologicis, quas profert, colligere haud operosum est fuisse annum præsentem. *Obiit*, inquit ille, *indictione quarta, regnante Henrico filio Henrici secundi in Italia, Philippo autem in Gallia*. Philippus in Gallia Henrico patri successit anno 1060. Henrico autem II. imperatori successit Henricus III. in regno anno 1056. Obiit Henricus III. imperator anno 1106. superstite adhuc Philippo. Porro ab anno 1060. ad annum 1106. ter occurrit indictio IV. prima vice anno 1066. secunda anno 1081. tertia denique anno 1096. Sed ad annum 1074. corpus sancti Theobaldi translatum fuit e cathedrali Vicetina ecclesia ad basilicam Vangaticiensem, ergo annus ejus obitus nequit illigari anno 1081. multoque minus anno 1096. superest ergo, ut ad annum 1066. referatur. Alio argumento probat idem Mabillonius, Theobaldum e vivis excessisse, neque anno 1081. neque anno

1096.

Ann. Chr. 1066.

1096. nimirum quia ex ipsius vita num. 23. evincitur feria secunda die tertia julii reconditum fuisse sancti confessoris corpus in basilica majori Vicetiæ. Sed anno 1081. dies tertia julii incidit in sabbatum, & anno 1096. incidit in feriam quintam, ergo defunctus fuit anno 1066. quo feria secunda concurrebat cum die tertia julii. Confirmat demum sententiam suam auctoritate vetusti chronici monasterii sanctæ Columbæ Senonensis in ms. codice Christinæ reginæ Sueciæ, ubi legitur: *Anno 1066. sanctus Theobaldus nobili genere reclusus in Vincentiæ Venetiæ* . XII. *conversionis suæ anno obiit, miraculis clarus, ossa ejus in Franciam deferuntur.* Eumdem annum 1066. assignat morti ipsius Sigebertus in chronico, quamvis hæc verba non habeantur in omnibus codicibus: sic autem habent nonnulli ad prædictum annum. *Obiit sanctus Tietbaldus in Vincentia Venetiæ urbe reclusus.* Senesius tamen in eas Sigeberti editiones incidit, in quibus ad annum sequentem refertur Theobaldi obitus, ut habetur etiam in ea editione, quam curavit Struvius in sua collectione Germanica, sed anno sequenti nequit indictio quarta aptari, multominus anno 1068. quo mortem Theobaldi consignat Trithemius. Impressoris potius, quam scriptoris errore in homilia Judoci Clicthovei legitur Theobaldum natum anno 1030. e vivis excessisse anno 1050. occurrit quidem eo anno indictio IV. sed non regnabat in Italia Henricus filius Henrici, neque in Galliis Philippus; prætérquamquod octennis patriam reliquisset, qua ætate profecto militiæ idoneus non fuisset, neque adolescentiæ metam attigisset, & post duodecim a conversione annos vicennis obiisset. Eodem modo respondendum erit Ughellio [a], qui mortem Theobaldi assignat anno 1050. vel ad summum anno 1051. Putamus Ughellium, pluresque alios in errorem inductos fuisse a sequenti inscriptione, quæ prostat in exiguo oratorio posito ad latus dexterum palatii dominorum comitum Soncinorum nobilium Patavinorum, quod quadrante milliarii minus distat ab ecclesia parochiali Lumignani, ubi olim erat ecclesia divo Theobaldo dicata, quæ translata fuit ad prædictum oratorium anno 1716. juxta subjectam epigraphen:

[a] T. V. col 1042.

QVI FV LA CHIESA
DI SAN TEOBALDO
TRASPORTATA AL
PALAZZO BIANCO
A CA SONCIN
CON LICENZA DE
SVPERI. ANNO 1716.

Inscriptio autem superius nominata est hujusmodi:

SACELLVM. HOC
PROPE. PAROCHIALEM. ECCLESIAM. OLIM. ERECTVM
IN. HONOREM. SANCTI. THEOBALDI. PATRICII. SENONENSIS
PRESB. ET. EREMITAE. IN. LOCO. SALANICAE
ET. NVNC. EREMITORIVM. DIVI. CASSIANI. NVNCVPATVM
QVI. OBIIT. VLT. IVNII. MLI.

EXOR-

Ann. Chr. 1066.

EXORTO. PERENNI. RIVVLO. SVO. SITV. TVRBATVM
ANNIBAL. BARBO. SONCINO. ABB. ET. CANON. PATAVIN.
HIC. A. FVNDAMENTIS
IN. VENVSTIOREM. STATVM. RESTITVIT
AD. MAIOREM. DEI. GLORIAM
AC. IPSIVSMET. SANCTI. PATRONI. IN. OBSEQVIVM
A. D. MDCXVI. DIE. VERO. XXX. AVG.

XXXIV. Qua die obierit?

Quoad diem vero obitus Theobaldi variant codices, alii ipsum ad superos abiisse pridie kalendas julias, alii kalendis julii asserentes. *Secundo kalendas julii* habet codex Menardinus, ceteri *pridie kalendas julii*; codex Hubertinus profert *kalendis julii*. Inter martyrologos pariter aliqui recensent ejus transitum ad diem trigesimam junii, alii ad primam julii. Prima julii memoratur in martyrologio, vulgo appellato Adonis, & in altero Corbejensi a Nevelone ab annis circiter 600. scripto, die autem antecedenti in ms. martyrologio monasterii Hilariaci in Lotharingia, in pervetusto quoque kalendario monasterii Trevirensis sancti Maximini, in ms. Florario, in auctario Greveni ad Usuardum, in martyrologio Germanico Canisii, a Cratepolio in Sanctis Germaniæ, & demum a Ferrario in catalogo generali. In novissimo martyrologio *sanctæ Autissiodorensis ecclesiæ* ad diem XXX. junii refertur Theobaldi elogium in hunc modum: „ Salanici apud „ Vicentinos in Italia sancti Theobaldi solitarii & presbyteri ex comiti- „ bus Campaniæ in Gallia prognati, ut genere, sic virtutibus & mira- „ culis inclyti. " Similiter kalendis julii memoria Theobaldi celebratur apud Petrum de Natalibus, Galesinium, Canisium, Maurolycum, Molanum, Wionem, Saussajum; ipsa die præterea in breviariis Æduensi, Tullensi anni 1535. Andegavensi anni 1524. Senonensi anni 1521. In breviario Ambianensi transfertur ejus festum ad diem secundam julii, & ad octavam ejusdem mensis in Meldensi anni 1540. & in Parisiensi recentiori anni 1635. At in antiquiore anni 1584. ad diem nonam. In Lingonensi anni 1604. indicatur ejus festum ad kalendas julii, sed præscribitur differendum ad diem XII. ejusdem mensis. Hæc a Godefrido Henschenio magna ex parte excerpsimus. Kalendarium Hadriense transfert Theobaldi festum a die I. julii impedita propter octavam sancti Johannis-baptistæ ad diem VII. ejus mensis. Vicetiæ, ubi primum conditum fuit ejus corpus, Vangaticiæ ubi translatum, & Latiniaci, ubi pars corporis advecta, kalendis julii celebratur Theobaldi memoria. Reinerus tamen stat pro die XXX. junii. Neque dicendum diem XXX. junii fuisse diem obitus, sepulturæ vero diem I. julii; etenim quatriduo inhumatus jacuit, & cum obiisset feria VI. ad vesperum, reconditum fuit ejus corpus feria II. die tertia julii, qua apud omnes Camaldulenses festivitas ipsius celebratur. Admittenda potius conciliatio Mabillonii & Fontaninii, qui arbitrantur varium diem assignari morti Theobaldi, eo quod vir beatus in ipsa nocte, vel saltem initio noctis, quæ fuit media inter ultimam diem junii & primam julii, spiritum exhalaverit. Ita qui diem numerabant a medietate unius noctis ad medietatem alterius, die XXX. junii ipsum ad Deum transiisse affirmarunt, qui vero recensebant diem ab initio noctis, eumdem defunctum prima die julii asseruere.

XXXV. Varium ipsius nomen.

Varie pariter effertur ejus nomen. Guibertus de Novigento, *Teude-*

baldum

baldum vel *Theodebaldum* appellat; *Theubaldus* nominatur in kalendario Trevirensi sancti Maximini; *Tietbaldum* vocat Sigebertus Gemblacensis; *Tiebaldum* Reinerus; *Tedbaldum* Hariulfus abbas Aldemburgensis, ceteri omnes *Theobaldum*. In additionibus Greveni ad Usuardum annorum 1515. & 1521. errore legitur: „ In territorio Constantiensi sancti Theobaldi „ presbyteri & eremitæ, & confessoris. “ Eumdem errorem secuti fuere Canisius & Cratepolius, qui insuper Constantiensem episcopum faciunt. Ferrarius in suo Catalogo [a] bis Theobaldi meminit, die 30. junii Constantiæ, prima autem julii Vicetiæ ipsum assignans, sed primum eumdem cum secundo esse conjicit in suis adnotationibus. Frequentius in martyrologiis reperitur ipsius elogium sub his verbis: „ In Gallia sancti Theo„ baldi eremitæ vel in castro Proviniaco, vel in territorio Prævino, aut „ Pruvino apud Adonem; quod ratione translationis reliquiarum vel ratione nativitatis debet intelligi. In martyrologio demum Romano a sanctissimo Benedicto XIV. pont. max. nuper illustrato & aucto apponitur elogium sancti Theobaldi ad diem primam julii in hunc modum: „ Vin„ centiæ depositio sancti Theobaldi eremitæ ex Campaniæ comitibus, quem „ Alexander III. ob sanctitatis & miraculorum famam Sanctorum canoni „ adjunxit. “ Vicetiæ porro tribuitur Theobaldus ratione incolatus & mortis.

ANN. CHR. 1066.

a Pag. 269.

XXXVI. An fuerit abbas Vangaticiensis?

INSIGNITER fallitur Ferrarius, qui postquam dixerat Theobaldum ex Galliis in Italiam advenisse, & monachum Camaldulensem apud Vicetiam factum intra colles urbis illius domicilium sibi statuisse, vitamque asperam vixisse, subdit: „ Quo ad Vangaticiam, quod pagi & abbatiæ in „ Hadriensis diœcesis finibus Rhodigio oppido X. m. p. dissitæ nomen est, „ veniens, multis ad eum confluentibus, abbas efficitur, eique monaste„ rio aliquandiu multa cum laude & sanctitate præfuit. Denique piis ope„ ribus & ætate confectus in eodem monasterio migravit ad Christum, „ cujus corpus ibidem tumulatum in magna habetur veneratione. Agitur „ autem illius dies festus maxima celebritate incolis undique affluentibus. “ Hæc Ferrarius, qui profitetur se ista scribere ex monumentis ejusdem ecclesiæ Vangaticiensis & ex chronico Camaldulensi. Plures errores in hac Ferrarii narratione deprehenduntur. Theobaldus numquam Vangaticiæ fuit abbas, sed præses tantum eremi Salanicensis, neque alia ratione appellari potest Vangaticiensis monachus, nisi ea, quam affert auctor primæ ejus translationis Vicetia Vangaticiam, nimirum ut *in eo loco corpus ejus quiesceret, a cujus patre studuit cœlestis vitæ doctrinam suscipere*; non obiit in cœnobio Vangaticiensi, ut Ferrarium exscripsit etiam Franciscus-fortunatus Vinea in suo [b] præliminari ad historiam Vicetinam, sed in ipsa solitudine Vicetina diem extremum clausit; non excessit e vita ætate confectus, sed florentibus adhuc annis; non tumulatum fuit primo ejus corpus in Vangaticiensi ecclesia, sed translatum, ut ex actis genuinis & veteribus a nobis demonstrabitur; neque demum chronicon Camaldulense Ferrarii assertionibus favet. Augustinus enim Fortunius, licet & ipse in plures quoad Theobaldum prolapsus sit errores, expressis verbis non asserit ipsum in Vangaticiensi cœnobio domicilium suum statuisse, sed post ea, quæ retulit ex homilia Jodoci Chlicthovei, hæc dumtaxat subdit: [c] „ Theobaldus „ in regionem Vicentinam, quærens locum sanctæ conversioni commo„ dum, a Petro venerabili abbate Vangadiciæ hospitio susceptus est, ibi„ que sistere coactus monastici ordinis accepit consecrationem. “ Et post pauca idem Fortunius addit: „ Corporis imbecillitate & febri fractus, „ Petrum advocans abbatem, sacramentis suum transitum vitæ munivit „ devotissime, ex istoque miserabili hospitio feliciter ad cœlos migravit ka„ lendis

b Pag. 11.

c Par. II. Lib. IV. cap. 6. p. 160.

Ann. Chr. 1066.

„ lendis junii anno salutis millesimo quinquagesimo. “ (Duplex chronologicum erratum) „ Cum vero ingeminarent quotidie miracula ad ejus „ sepulcrum, Vicentini corpus vi rapiunt, ut ex ejus translatione habe- „ tur & juxta muros occulto in loco sepeliunt. Ceterum Petrus abbas & „ Oddo socius de jactura amissi thesauri tristes explorato loco effossum „ sacrum corpus intempestæ noctis silentio ad suum monasterium detule- „ runt idibus julii, ubi jacet in basilica beatæ Mariæ virginis, cujus „ translationis celebritas quotannis cum immensis ad Deum laudibus mo- „ nachorum & clericorum agitur. Scripsit ipse Petrus abbas cum vitam „ sancti Theobaldi, tum translationis seriem luculentissimo stilo, quæ ta- „ men in integrum videre non licuit. “ Hæc Fortunius Petrum agnoscens hospitio dumtaxat suscepisse Theobaldum, & in monachum consecrasse. Etiam Bronzerius [a] vestem monasticam induisse Theobaldum affirmat in monasterio Vangaticiensi, sed cum subjungit post receptum habitum secessisse in solitudinem, quam cupiebat, a rei quidem veritate aliquantulum abludit, cum solitudinem Salanicensem incoluerit Theobaldus pluribus annis, antequam monasticam professionem in manibus Petri emitteret, ipsum tamen constanter cœnobium habitasse non adstruit. Eadem explicatione conciliari debent antiquæ lectiones, quæ recitabantur in officio sancti Theobaldi, in quibus legitur sanctum virum in monasterio Vangaticiensi cœnobitam effectum; quod intelligi debet, quatenus Petrus vestem, instituta & leges tradiderit. Ex variis auctorum opinionibus, sive melius ex variis modis harum narrationum intulit Godefridus Henschenius duos distinguendos esse Theobaldos, alterum quidem Salanicensis eremi incolam, & minime ad Camaldulenses pertinentem, alterum Vangaticiensem abbatem, & ad Camaldulensem ordinem spectantem; sed unus idemque agnoscendus est Theobaldus, qui Salanicæ solitariam vitam duxit, & a Petro Vangaticiensi in eremitica & monastica vita fuit instructus, cujus corpus post paucos annos e Vicetia, ubi primum humatum, translatum est Vangaticiam; hunc autem Camaldulenses sibi vindicant, tum quia in ea eremo per plures annos habitavit, in quam ante annos centum solitariam conversationem induxerat sanctus Romualdus, tum etiam quia hujus temporis eremitæ in mutua societate viventes, & prælati alicujus disciplinæ subjecti, ad alium ordinem nequeunt reduci, nisi ad eum, quem instituit Romualdus, tum demum quia utriusque vitæ cœnobiticæ & solitariæ rudimenta & exercitia didicit Theobaldus a Petro abbate monasterii Vangaticiensis, quod cœnobium primam monasticæ vitæ originem debet Romualdo, & temporis progressu eremo Camaldulensi fuit unitum.

a Origini ec. p. 176.

XXXVII. Quis Petrus scriptor vitæ ipsius?

Petrus abbas, qui tum monasticam vestem Theobaldo tradidit, tum ipsius vitam exaravit, quique sanctæ Mariæ de Vangaticia ad Athesim fluvium monasterium regebat, idem videtur, quem *reverentissimum virum, qui nunc apud Vincentiam* (an-ne legendum apud *Vangaticiam* ?) *abbatis officio fungitur*, appellat Petrus Damianus in opusculo [b] *de perfectione monachorum* ad O.. abbatem Pomposiæ ejusque conventum. Abbatia Vangaticiæ plures ecclesias & capellas obtinebat in multis territoriis per hæc tempora, sed præsertim in territorio Vicetino, & ad monasterium Vangaticiense pertinuisse quoque ecclesiam sanctorum Hermacoræ & Fortunati, ac eremum Salanicæ, utraque posita in territorio Vicetino, affirmabit quisque animadvertat, Theobaldum *subjectum* appellari Petri Vangaticiensis *monachum*, ipsumque fuisse *documentis spiritalibus plenius instructum a dicto abbate, & non solum substentatum præsentis vitæ adminiculis, sed etiam cœlestibus quam maxime doctrinis sub jugo prædicti patris Petri;*

b Opusc. XIII. cap. 21.

non

Ann. Chr. 1066.

non tantum monasticam normam, verum etiam anachoreticam arctam duxisse vitam, ut cum de ipsius corporis translatione agemus, innotescet ex ipsissimis verbis scriptoris ejusdem translationis. Quare non levibus indiciis movemur, ut credamus sanctum Romualdum, qui prima vitæ eremiticæ semina in Salanica jecit, & insuper Vangaticiense cœnobium legibus communivit, discipulos suos ibidem destinans, ut vidimus ad annum 961. supposuisse Salanicæ eremum monasterio Vangaticiensi, utpote illustriori, juxta quoque consuetudinem suam adjungendi eremos monasteriis, & monasteria eremis. Quare secundo loco retineri potest Damiani lectio *reverentissimum virum, qui nunc apud Vincentiam*, nimirum Salanicensis eremi ratione, *abbatis officio fungitur*.

Idem Petrus non contentus temporalibus & spiritualibus Theobaldi necessitatibus consuluisse, etiam post ipsius obitum, Willæ matris sancti viri & ceterorum fratrum ibidem commorantium curam egit, ut ex eadem translationis historia edocemur. Postremo, ne memoria periret sanctissimi sui discipuli, scriptis tradidit ejusdem vitam, obitum & miracula, quæ annis præcedentibus protulimus, & exinde referemus verbis ipsius scriptoris. Inter primos, qui Petrum Vangaticiensem abbatem literis exarasse sanctam conversationem, mortem & prodigia Theobaldi autumarunt, fuere nostri Fortunius, Ractius & Senesius, quos secutus fuit Ughellius. Probabile idipsum asseruere Mosander & Bailletus, & saltem auctorem illum ut summe fidelem laudant; sed indubium id esse demonstravit Mabillonius testimonio scriptoris anonymi, & hoc eodem viventis seculo, qui translationem ejusdem sancti viri ex Vicetia Vangaticiam descripsit. *Quomodo vero*, ait hic auctor, *de patria domo exierit, vel quam pie ac dure omni tempore vitæ suæ vixerit, seu per quot annos Langobardiæ in loco, qui dicitur Sallanica, conversatus fuit, & quomodo de hac vita ad cœli conscendit palatium, ab abbate Petro monasterii sanctæ Mariæ de loco Vangadicia, ubi pretiosorum martyrum Primi & Feliciani sacratissima corpora requiescunt, luculento sermone edita nobili exarata stylo*. Ex numero tamen XXII. vitæ, ne aliquid dissimulemus, licet ipse Petrus abbas ultimam Theobaldi voluntatem, & commendationem matris & filiorum spiritualium, atque eremi curam exceperit, adstitisse tamen morienti non videtur, dum ait: *Testantur, qui affuerunt, duræ mortis eum gustasse calicem*, & inferius, *qui propius sancto corpori adhæserunt, testantur, quod nec tenuis quidem macula illud fuscasset*. Ex quo dicendi modo colligeret aliquis Petrum Vangaticiensem auctorem non fuisse ejus vitæ, quippe qui semper Theobaldo adhæsit, verum vel aliquo præpeditus negotio interesse nequivit Petrus, nisi tantum interrupte, extremis horis & momentis vitæ Theobaldi, vel ad occultandum nomen suum, atque etiam ad confirmanda dicta sua, testes alios, qui eadem percepere, & conspexere, quæ ipse percepit & conspexit, adduxit; vel demum si quis mordicus negandum existimat Petrum auctorem fuisse ejus vitæ, quæ circumfertur, illud tamen concedat, necesse est, Petrum gesta Theobaldi posteritati mandasse, quæ vel perierint, vel delitescant, vel quæ certe demum ad Petri fidem totidem fere verbis exscripta fuerint ab auctore anonymo, qui vitam Theobaldi extantem exaravit. Certe auctor vitæ Theobaldi æqualem se non uno in loco prodit, optime de omnibus informatum se ostendit, assertionibus matris ipsius Sancti communit dicta sua, virumque disertum & gravem se manifestat, ut ex ipsa vitæ lectione dignoscitur. Hinc scriptor translationis sancti Theobaldi Vicetia Vangaticiam conceptis verbis ait, quod Theobaldus *cognoscens se ingredi viam universæ carnis, accersito ad se Petro abbate, confes-*

ANN. CHR. 1066.

confessus est sibi non diu communem vitam ducere, & inter multas & amaras confessionis lacrymas sanctum corpus ab ejus manibus accipiens spiritum Deo reddidit. Et post pauca. *Testantur elogia ab ipso nuncupata a supradicto Petro abbate edita*. Scriptor autem vitæ sancti Theobaldi, quem proinde nos juxta receptissimam sententiam Petrum Vangaticiensem abbatem hucusque nominavimus, & constanter auctorem ipsius fuisse tenemus, eo fine illius vitam in publicum prodire voluit, ut stultorum quorumdam calumniis responderet, qui domnum Theobaldum sanctum omnino reformidabant & evitabant appellare. Sed non ingratum erit lectori totum prologum auctoris hic exhibere, ut prostat apud Mabillonium. [a] *Antiquos dominos*, inquit, (vel *armorum dominos*, ut habent codices Menardinus & Regii-montis) *& bellicosos gentium victores, vel civitatum conditores novimus, loquacium poetarum præconiis, ut ita dicam, ad sidera tolli, & longissimis annalium sive historiarum ambagibus ad memoriam præsentium verbis crepitantibus audivimus frequenter vanissimo studio lectitando laudari. Quod si laudes falsorum deorum, seu suorum satellitum tanta efficacia verborum adornantur, cur non potius ad ædificationem audientium Dei omnipotentis gratuita dona, quæ suis fidelibus quotidie præparare non desinit, omni elegantia sermonis, prout ipse annuerit, debemus enarrare? Verus enim propheta & Salvator mundi, dum de quinque panibus & duobus piscibus quinque millia hominum satiasset, turbis quærentibus se regem constituere, ait: Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Et post pauca: Pater, inquit, meus usque modo operatur, & ego operor. Vere enim usque modo operatur, qui sine testimonio bonitatis suæ nullum ordinem seculorum præterire patitur, qui ecclesiæ decus in patriarchis & prophetis inchoat, in apostolica fide solidat, in martyrum victoria coronat, in confessorum munditia decorat, in virginum floribus exornat. Vere, inquam, usque modo operatur, qui ecclesiam suam in bello rosis ambit, & in pace liliis vestit. Unde ipsa sponsa, Dei scilicet ecclesia, amoris telo vulnerata, sanctis prædicatoribus ait: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Per florem quippe tenera virtus inchoantium, per malum vero solida operatio perfectorum designatur. Ecclesia ergo fulciri se floribus postulat, quia infirmis quibusque inchoantium virtutem prædicari imperat; stipari malis appetit, quia perfectorum mira facta fidelibus imitanda proponit. Scripturus itaque vitam sancti Theobaldi, primum respondeo quorumdam stultorum calumniis, qui domnum Theobaldum Sanctum omnimodo evitant appellare. Quibus confidenter dico, quia similes sunt Pharisæis, qui de Domino dicebant: Hunc nescimus unde sit. Sed quod in capite nostro, quod est Christus Jesus, fieri novimus, in membris ejus contingere non miramur. Quid ipse in membris Christi non audeat, qui per membra sua, qui sunt reprobi, in capite, idest in summo bono, dicere præsumebat, quia bonus non erat. Non ergo longum quæratur dubium, in ævum, utrum vir illustris Sanctus debeat appellari. Nam si iste cognovit justitias, si vidit & fecit, ut constat, mirabilia magna; si exoravit Altissimum, liquido colligitur, quia inventus est in numero Sanctorum*. Desunt hæ postremæ periodi a voce *Scripturus* in quatuor pervetustis codicibus mss. & in Surio apud Henschenium, & loco earum hæc leguntur. *Igitur ne studiosas audientium aures verborum circumlocutionibus offendamus, simpliciter ac fideliter, prout Deus concesserit, cur ista prælibaverimus, aperiamus*.

XXXVIII. Vicetini rapiunt corpus S. Theobaldi.

SED ad Petri historiam redeamus. [b] *Vicetini igitur comperto sancti viri obitu, una omnes ad officium funeris ruere. Clerus omnis, plebs urbana & rusticana in unam coiere sententiam. Armati & inermes, juvenes & senes,*

[a] Secul. VI. P. II. pag. 165.

[b] Ib. n. 23.

ANN. CHR. 1066.

nes, non solum ab urbe, sed etiam a vicinis castris eruperunt, & magna vi solitudinem penetrantes ab ecclesia cellulæ ejus beati viri glebam sustulerunt. Residui vero, qui in civitate restiterant, matronæ, pueri & puellæ obviam sancto corpori processerunt, duobus ab urbe millibus, in loco, qui dicitur ad curtem Camini, ubi geruli beati corporis quieverunt. Postera die, secunda feria, tertio die mensis julii cum magno tripudio & frequentia populorum reconditum est corpus sanctum in basilica sanctæ Mariæ semper virginis, ad cujus titulum sacerdotii functus est officio. Per omnia benedictus Deus, qui facit mirabilia solus. Putavere Ractius & Senesius reconditum fuisse corpus Theobaldi primum in ecclesia sanctæ Mariæ de Vangaticia, sed erroris convincuntur ex allato Petri abbatis testimonio, qui basilicam sanctæ Mariæ exprimit fuisse cathedralem ecclesiam Vicetiæ, sanctorum etiam martyrum Carpophori & Leontii protectione insignitam, ut videbimus anno sequenti; id quod Vangaticiensi ecclesiæ minime competit. Ignotus est Vicetinis locus appellatus *Curtis-camini*, qui duobus milliaribus aberat ab urbe Vicetia.

XXXIX. Rainerii marchionis & Henrici ejus fratris chartæ pro Camaldulo.

RAINERIUS marchio, idem, cui datam epistolam a Damiano superius vidimus, filius quondam Ugonis seu Uguiccionis marchionis, tradit & confirmat hoc anno domno Rustico monacho & priori monasterii *sancti Salvatoris & sancti Donati de loco Camalduli, ubi dicitur Campus amabilis, duos mansos cum domibus & vineis juris sui positos in comitatu Aritino, infra plebes sancte Marie sito Chio.* Donatio legitur facta *anni Dominice incarnationis millesimo sexagesimo sexto, regnante domno Einrigo regem, mense octubri indictione septima.* Corrigenda est indictio, quæ hoc anno erat quarta, vel ad summum, si inchoetur a septembri, quinta. Eodem mense idem Rainerius constitutus in ipsa plebe *Marie scito Clio in avocabulo sancti Savi*, idest Savini, *confirmavit & posuit suum bandum ex parte Dei & suam, qualiscumque homines de hac ora in antea venit a sancto Savino, aut in predicto colle sancti Savini, aut ibi mansionem fecerit, aut abitatio, aut commendationem in predicto colle, aut voluerit superfluam facere in qualecumque causa de monachi & eremite de sancto Salvatore de Campo amabilis, qui dicitur Camaldulo*, vel etiamsi vice-comites aut gastaldiones sui aliquam injuriam attulerint, aut damnum rebus in eo colle existentibus, & ad predictam eremum pertinentibus, decrevit, ut pœna mulctentur trium librarum argenti. Etiam in hac secunda charta male assignatur indictio, & pro *septima* substituenda est quarta vel quinta. Re enim vera adnotatur *indictio quarta mense octobri anno Dominice incarnationis millesimo sexagesimo sexto* in tertia charta, qua etiam Einrigus frater ejusdem Rainerii marchionis, & filius quondam Ugonis, qui fuit marchio, tradit & offert *sancte Dei ecclesie sancti Donati & sancti Salvatoris de loco Camalduli in avocabulo, qui dicitur Campo amabilis & in servis servorum Dei*, integram suam portionem ejusdem ecclesiæ sancti Savini cum pertinentiis suis in comitatu Arretino *infra plebe sancte Marie sita Chio in avocabulo al colle sancti Savini. Actum in comitatu Artino intus Castello de Castellione.* An-ne Henricus frater Rainerii, & Rainerius filius Ugonis sive Uguiccionis ii sunt, qui nominantur in concilio Romano anni 1078. [a] ubi induciæ datæ fuere trium hebdomadarum *Rainerio Ugizzoni filio ad justitiam faciendam, aut per se aut per legatos suos*, coram Gregorio papa VII. *eo quod fratrem suum manu sua interemit, & multa perjuria ut scelestus incurrere non abhorruit, & cognatam suam & pupillos liberos utique fratris sui castra eorum diripiendo & prædia contra periculum animæ suæ vexare non desinit, quem transacto prænominato termino anathema-*

te

[a] T. XII. col. 616.

Ann. Chr. 1066.

te eum alligando percutit? Ad eumdem Rainerium filium Ugizonis videtur data ejusdem Gregorii epistola [a] anno 1075. qua jubet, ne Guidoni præposito Clusino auxilium præstet ad retinendam præposituram ejusdem ecclesiæ.

[a] Ibid. col. 332.

XL. Primordia monasterii S. Petri Piccoli Arretii.

SUPERIORES chartas ex tabulario Fontis-boni integras producimus in Appendice, ad quam etiam amandamus [b] ex archivo monasterii sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio donationem factam hoc *anno millesimo sexagesimo sexto regnante Henrico rege mense aprilis indictione quarta* ab Itta filia Joseppi, & conjuge Sabbatini *Deo & beato Petro apostolo & apostolorum principi, ejusque ecclesie, que est dedicata in honore Dei & beati Petri apostoli, que est non longe a civitate Arretine, & vocatur sanctum Petrum piccolum*. Oblatio autem fit ab Itta *in manibus domni Arnolfi abbatis monasterii sancti Salvatoris & omnium Sanctorum constructum in locum Silva munda*, cui ipsa committit prædictam ecclesiam ædificandam & innovandam in terra, quam dono dat. Eodem *anno millesimo sexagesimo sexto mense octuber indictione quinta*, quæ inceperat a mense septembri, Griffo notarius filius quondam Bonizi judicis eidem ecclesiæ terras alias & alia ædificia largitur, *ut sit monasterium inibi masculorum monachorum Deo servientium, & Arnulfi abbatis ejusque posteris successoribus*. Decernit vero ut, obeunte Arnulfo abbate Silva-mundano, *ibi sit electus abbas de congregatione monachorum illorum, qui ibidem in eodem loco assidue abitaverint, & ibi officium Dei assidue fecerint, & proin nulli alie potestati subdatur*; hoc insuper statuens, *ut in electione abbatis interveniant sex boni omines laici Deum timentes in civitate Arretina habitantes, cum quorum provisione & studio gratis, sine pecunia, cum bono intellectu, & cum Dei timore adsistant in hanc electione, & quem abbatem predicta congregatio elegerit, & ipsi eligant pro Dei timore, qui pro tempore predictam congregationem secundum Deum regat ejus per regulam beati Benedicti, & servitium Dei conservare faciat, & obsequantur pro omni populo cristianitatis, & pro anima sua suorumque parentum & pro anima Dominici vicedomini & omnium cristianorum* &c. Ex eodem tabulario sanctarum Floræ & Lucillæ hanc etiam chartam edimus. Abbatiæ sancti Salvatoris Silvæ-mundæ origines tradidimus ad annum 999. Prima vero mentio ecclesiæ sancti Petri, qui vocatur *Piccolo*, prope quam ædificatur hoc anno monasterium, cujusque exordia in supradicta charta referuntur, occurrit sub anno 1056. [c] in archivo ejusdem monasterii sanctarum Floræ & Lucillæ. Monasterium sancti Petri subjectum fuit prius abbatiæ Silvæ-mundanæ, inde evasit sui juris, tum titulum obtinuit prioratus, & paruit disciplinæ Camaldulensis eremi initio seculi sequentis; post seculum sub jurisdictione fuit abbatiæ sanctarum Floræ & Lucillæ, & denuo sub dominio Camaldulensium eremitarum; postremo patribus ordinis Servorum beatæ Mariæ incolendum & obsequiis divinis honorandum traditum fuit, sub quibus ad hodiernam diem perseverat.

[b] Caps. Q. n. 4.

[c] Caps. Q. n. 82.

XLI. De Murico abbate & episcopo San-victoriano.

MONASTERII Victoriani, seu sancti Victoris de Clusis Muricus abbas, de quo verba fecimus sub anno 1056. appellatur in charta hujus anni *episcopus & abbas*. Vel esset episcopus Camerinensis & abbas Victorianus, ut Anscausus episcopus Foro-popiliensis erat etiam abbas Galeatensis; & Agilardus episcopus abbas erat sancti Paulli de Urbe, vel abbas tantum, sed titulo episcopi seu præsidis a notario foret insignitus, ut probabilius erat etiam Gebizo episcopus & prior sancti Johannis inter Ambas-paras, qui hoc eodem seculo vivebat, ut videbimus, non definimus. Ipse Muricus hoc anno consensu & voluntate suorum monachorum & venerabilium

sacer-

ſacerdotum, inter quos ſubſcribunt Petrus monachus, Acto, & alter Acto monachi, dat Uvoni filio quondam Gozi, ac filiis & nepotibus ejus terras aliquot poſitas infra comitatum Camerinenſem *ad cenſum reddendum*. Nominantur inter fines horum bonorum *rivus*, *qui pergit de ſanctum Severinum*, hoc eſt de oppido Septem-pedano, quod poſtea excrevit in civitatem appellatam ſanctus Severinus, memoratur etiam *Caſtellum de li filiis de Sicco*. Ex autographo archivi ſanctæ Catharinæ de Fabriano chartam exhibemus in Appendice.

ANN. CHR. 1066.

Monaſterio ſanctæ Mariæ de Roſano, cujus primordia retulimus ſub anno 1055. præerat hoc anno *Johanna abbatiſſa Deo dicata*, quæ *profeſſa vivere lege Romana* libellum conſcripſit die 26. januarii emphyteuſis bonorum ſui monaſterii, quæ poſita erant *in plebe ſancti Johannis ſito Remulo* cum annua penſione perſolvenda ad diem quintam-decimam auguſti. Hæc nobis innoteſcunt ex miſcellaneis Ferdinandi Melioris [a], quæ aſſervantur apud canonicum Biſcionium.

[a] *Zibald.* 80. *p.* 89.

ANN. CHR. 1067.

XLII. Damianus ſe, & quamdam epiſtolam ſuam vindicat.

EPISTOLAM ſcripſerat Damianus anno 1063. ut diximus, Annoni archiepiſcopo Colonienſi, vel etiam aliam poſteriorem, qua Alexandri ſummi pontificis & Hildebrandi cardinalis animos offenderat, perinde ac in illa aliquid contra eos ſcribendo attentaſſet. Si occaſio querimoniæ ſumpta fuit ab epiſtola anni 1063. potuere forſitan in pejorem ſenſum detorqueri illa ad Annonem verba Damiani: *Libenter ad veſtræ ſanctitatis alloquium, ſi occaſio daretur, attingerem, ut communicandum conſilium*, [b] *quod abſentia prohibet, viva conſerti ſermonis verba conferrent*. Quidquid ſit, ut Romanum pontificem & Hildebrandum iratos placaret, epiſtolam ipſam ad utrumque mittit Damianus, imprecans ſibi mala, Jeſumque & angelos ejus in teſtimonium vocans, ſe nil prorſus adverſus ipſos ſcripſiſſe, atque humiliter obſecrat Hildebrandum, quem vocat *ſanctum ſuum Satanan*, *ne contra ſe deſævire* ulterius pergeret. Uterque inſuper, ſed leviter Alexander, jurgioſe e contra & aſpere Hildebrandus, dederant in mandatis Damiano, ut relicto otio ſuæ ſolitudinis Romam cito veniret, & deinde cum ipſis Mantuam accederet. Romanum adventum, quod minus illis prodeſſet, ſe neglecturum reſpondet; expeditionem autem Mantuani itineris magis neceſſariam judicare ſcribit, ipſorum tamen præſtolatur adventum in eas partes.

[b] *Lib.* I. *epiſt.* 6.

XLIII. Concilium Mantuanum quando celebratum?

MANTUÆ itaque hoc anno celebratum fuit concilium, ut probat apertis teſtimoniis Pagius, in quo damnati fuere, præſente etiam Annone Colonienſe archiepiſcopo, Cadalous & ejus fautores. An & Damianus in ea ſynodo ſederit, ut receperat, dubitare nos cogunt verba, quibus opuſculum [c] *de brevitate vitæ pontificum Romanorum*, & *de divina providentia* Alexandro Romano pontifici inſcriptum auſpicatur. Ait enim Damianus: *Quia redeuntem te, venerabilis pater, a Mantuano concilio finitimis jam audio partibus propinquare, congruum judicavi exenio literarum tibi, quo videlicet dono potiſſimum delectaris, occurrere. Sed & mox, ut ad vos impiger iter arriperem, dulcis fama percivit.*

[c] *Opuſc.* XXIII.

Putat Cl. V. Dominicus Manſius [d] Mantuanum concilium non citius anno 1072. potuiſſe celebrari, & redarguit eos, qui cum Baronio, poſt Hermannum Contractum, ad annum 1064. & cum Pagio poſt Sigibertum, & Landulphum juniorem, aſſignant ad hunc annum 1067. fultus auctoritate Benzonis ſchiſmatici & Albenſis epiſcopi, [e] qui duobus annis poſt mortem marchionis & ducis Gothifredi Barbati, viri duciſſæ Beatricis, habitam ſynodum hanc autumavit. Verum auctoritas Benzonis nequit

[d] *Supplem. Concil. Labbei* T. I. *col.* 1361.

[e] *Ap. Mencken.* T. I. *coll.* 1010. & 1016.

ANN. CHR. 1067.

quit cum Damiani historicis rebus conciliari. Anno 1072. VIII. kalendas martii obitus contigit Damiani, ante obitum legatione functus fuerat Ravennate; quomodo ergo eo anno potuit ad synodum Mantuanam invitari, & post celebrationem concilii opusculum dirigere *de brevitate vitæ Romanorum pontificum* Alexandro ex synodo revertenti? Insuper quomodo Damianus animadversionem sequentem facere potuisset, si Alexandro anno 1072. opusculum hocce exhibuisset; dicit enim: *Modernis immo temporibus vix quispiam in prædictæ sedis*, intellige Romanæ, *culmen evehitur, qui metam quatuor, vel ut multum quinque transcendat annorum*. Alludit nimirum ad Gregorium VI. Romanum pontificem, qui post duos annos & menses octo depositus fuit, ad Clementem II. qui annum non implevit, ad Damasum II. qui mensem non æquavit, ad Leonem IX. qui quinque annis sedit, ad Victorem II. qui duobus & semis pontificatum tenuit, ad Stephanum IX. post octo menses defunctum, ad Nicolaum II. qui biennio & anni medietate ecclesiæ regimen obtinuit, cui successit Alexander, qui anno 1072. decimum in pontificatu inchoasset annum, & antecessorum pontificum vitæ metam duplo transcendisset; e contra anno 1067. quinquennium tantum complevisset. Quinquennium profecto illud, de quo idem pontifex ad Gervasium Rhemensem archiepiscopum scribens habet [a]: *Tantis eo*, antiquo nimirum hoste, *ingruente Romanam ecclesiam per quinquennium nunc callida tergiversatione, nunc hostili invasione oppressit periculis, ut intestina nostræ specialis ecclesiæ negotia vix possemus ventilare, nedum longinqua ad plenum extricare. Verum post longam tempestatem & crebras procellas, sereno, nube expulsa, Deo jubente reddito*; (intelligit de Mantuano concilio, quo communiter agnita fuit ejus legitima electio) *forensibus occurrere valemus, quia Deo propitio, unde ire debeamus, viam videmus*. Igitur inclusio *biennalis* Cadaloi in arce sancti Angeli, de qua inclusione loquitur idem pontifex epistola VI. [b] ad eumdem Gervasium, ubi de illo habet: *Cujusdam turris præsidio gemebundus servatur*, non ab anno 1068. ad 1070. figenda, sed ab anno 1063. ad 1065. quo trecentis libris argenteis a Cencio filio præfecti Urbis se redimens, equo & uno cliente contentus, inops & æger ad burgum Berceti non sine multa confusione pervenit, ut habet cardinalis Aragoniensis in *vitis Romanorum pontificum* [c]. Post fugam Cadaloi decretum fuit, ut quantocius concilio in Germania habito de justitia causæ antipapæ ageretur. Id actum in Germania opera Annonis Coloniensis anno 1066. *Completo spatio annuæ revolutionis*, nempe post concilium Germanicum, *incœpit Anno iter suæ expeditionis, & venit Mantuam*, ut scribit idem Benzo, hoc est anno 1067. quo revera synodus ibi celebrata fuit, & Cadalous universaliter damnatus. Quod autem Gothifredi ducis obitum referat Benzo præcessisse celebrationem conciliorum Germanici & Mantuani, id ceteris erroribus schismatici episcopi adcensendum, licet illud etiam dici possit Benzonem incidenter memorasse in antecessum mortem Gothifredi ducis, non chronologice indicare voluisse hujus mortem præcessisse celebrationem concilii Mantuani.

a Epist. XII. apud Labb. Concil. T. XII. col. 82.

b Apud eumd. T. XII. col. 75.

c Apud Muratór. rer. Italicar. T. III. pag. 302.

XLIV. Damianus scribit de vita brevi Romanorum pontificum ad Alexandrum.

CETERUM, ut ad opusculum Damiani redeamus, requisierat aliquando ab ipso Alexander, *cur apostolicæ sedis antistes numquam diutius vivat, sed in breve temporis spatium diem claudat extremum, adeout post beatum Petrum apostolum, qui per quinque circiter annorum lustra præsedit, nemo postmodum Romanorum pontificum hoc spatium præsulatus æquaverit, modernis immo temporibus vix quispiam in prædictæ sedis culmen evehitur, qui metam quatuor, vel ut multum, quinque transcendat annorum*. Id autem con-

contingere respondet Damianus, ut in ipso gloriæ principatu ostendatur, quam despicienda sit vitæ temporalis gloria.

XLV. Alterum opusculum de castitate scribit Damiano nepoti.

Damianum nepotem in Gallias anno 1062. secum duxerat sanctus cardinalis, ipsum deinde bonis moribus & literis in aliquo monasterio imbuendum commendaverat Hugoni abbati Cluniacensi; reversus postea nepos in Italiam monastico voto se adstrinxerat in cœnobio Fontis-avellanæ. Ipsi proinde ab urbe Romana scribens sanctus ejus patruus, inter cetera monita, quibus eum informat, castitatis virtutem inculcat, de qua cum exemplum proponat sibi *hesterno vespertini temporis crepusculo* narratum ab Agnete *olim aureo diademate coronata, nunc autem multo felicius & incomparabiliter eminentius in regis æterni thalamo collocata*, indicat se hoc anno vel ad summum antecedenti, quo ex Germania & ex Galliis Agnes Romam secundo advenerat, opusculum hoc [a] *de castitate & mediis eam tuendi* nepoti nuncupasse, neque ita se addixisse solitudini Damianum cardinalem, ut urbes, & Romam præcipue, quandoque non adiret. Porro hæc habet circa historiam, quam ipsi recitaverat Agnes, quamque integram refert. [b] *Dum præfata Christi sponsa, & beati Petri filia in omnium dispositione virtutum delectabiliter pascitur, in tractanda tamen castitatis pudicitiæque munditia propensius immoratur. Unde factum est, ut dum nonnulla de salute animarum mutuis confabularemur eloquiis, & præcipue quasi quosdam versaremus in manibus vernantis flosculos castitatis, illa hoc in medium protulit. Postquam imperator Otto regnum Italiæ Berengario victor eripuit, captas illico duas ejus filias in Teutonicas partes exilio transmigravit. Quæ nimirum, dum venusti vultus speciem, & insigni corporum pulchritudine regiam referrent generis dignitatem, cœperunt multi regni proceres Adelaidi Augustæ vehementer insistere, ut tam elegantis formæ decus dotali sibi mererentur copula sociare. Quæ nimirum puellæ, dum omnes procos æqua prorsus dedignatione contemnerent, & mortale conjugium sanctæ superbiæ supercilio fastidirent, una illarum duos pulcinos-suis uberibus supposuit, & tamdiu inter vestem & carnem, donec omnino putrescerent, occultavit. Cumque conspiceret homines ad suum venire colloquium, laxabat occulte vestem, & naribus colloquentium gaudebat exhalare fœtorem. Cumque colloquentes ei hanc quotidie narium paterentur injuriam, tandem cessavit delusa sollicitudo quærentium, & virgo Christi per simulatam carnis alienæ putredinem, inviolabilem sui corporis servavit integritatem. Unde factum est, ut utræque postmodum sorores eligerent sanctimoniale propositum, & usque ad finem vitæ monachicum conservarent irreprehensibiliter institutum*. Hæ filiæ Berengarii & Willæ ejus conjugis anno 964. in arce sancti Leonis obsidione captæ ab Ottone I. in Germaniam deinde deportatæ, Adhelaidi imperatrici in ejus aula educandæ traditæ fuerant. Quæ porro narrat de ipsis Damianus, vel melius Agnes, a ceteris scriptoribus prætermittuntur. Simile factum tribuitur a Paullo Warnefridi diacono Aquilejensi in historia Miscella [c] filiabus Romildæ uxoris Gisulfi ducis Foro-juliensis, quæ *castitatis amori studentes, ne ab Avaribus contaminarentur, crudorum pullorum carnes sibi inter mammas sub fascia posuerunt, quæ ex calore putrefactæ odorem fœtidum exhalabant; cumque eas vellent Avares contingere, non sustinentes fœtorem, putabant eas naturaliter ita fœtere, procul ab eis recedentes, atque dicentes omnes Langobardas fœtidas esse. Hac igitur arte Avarum libidinem puellæ nobiles evadentes, & ipsæ castæ servatæ sunt, & utile servandæ castitatis, si quid tale feminis contigerit, mandaverunt exemplum*. Potuerit porro filia Berengarii imitari exemplum, quod ante tercentos fere annos ei dederunt filiæ Romildæ, cum improbabile

a Opusc. XLVII.

b Ibid. cap. I.

c Lib. IV. cap. XXXVIII.

Ann. Chr. 1067.

babile videatur Agnetem imperatricem confudisse filias Berengarii cum filiis Romildæ, & Teutonicos cum Avaribus, & tempora Ottonis & Adelaidis augustæ cum temporibus anterioribus.

a *Ibid. cap.* II.

Quotidianam insuper Eucharistiæ susceptionem docet Damianus [a] nepoti scribens esse utilissimum castitatis præsidium, quod aliis narrationibus corroborat sibi factis ab eadem Agnete, & etiam a Rainaldo Comensi episcopo, atque ab Hildebrando S. R. E. archidiacono simul præsentibus. Narrat etiam ad effugandas diaboli astutias historiam ab Agnete susceptam ex ore olim Romanæ ecclesiæ pontificis Leonis IX. de quadam amita sua sanctimoniali. Charitatis pariter christianæ præceptis & exemplis nepotem informat, & per unum demum opus Deum peccatores salvare ostendit ex quodam facto, quod sibi enarraverat *Stephanus* [b] *ejusdem reginæ capellanus vir honestus & prudens* de tribus meretricibus, quæ licet se Christianis prostituerent, Saracenorum tamen commercium aversabantur, unde factum est, ut Saraceni indignati eas martyrio coronaverint. Stedelandum Galliciæ imperatorem historiam hanc retulisse asserebat Stephanus, a quo didicerat Damianus. Plaudimus Mabillonio, qui pro *Fredelando*, Stedelandum irrepsisse in codicem adnotat [c]; vivebat enim ad ea tempora Fredelandus, sive Ferdinandus Castellæ ac Legionis rex, Exiliensis monasterii in Hispania per Dominicum Silensem renovator. Commendat se postremo Damianus fratribus; & nepoti committit, ut *domno priori ex parte sua humiliter suggerat, ut a fervore solito pietatis & misericordiæ non tepescat, sed susceptionibus hospitum, & subsidiis egenorum, in quantum res domestica patitur, insistere non omittat*. Priorem ergo tempore, quo abscedebat ex eremo Fontis-avellanæ, loco sui ibidem constituebat Damianus.

b *Ibid. cap.* VI.

c *T. IV. Annal. p.* 469.

XLVI. Miracula Theobaldi post obitum.

Theobaldi virtus patrandi prodigia extincta non fuit per ipsius mortem. Pergit narrare Petrus, qui auctor est credendus hujus descriptionis, cum eumdem stilum redoleat, mirabilia, quæ ad tumulum sancti viri Deus operabatur [d]. *Post tumulationem B. Theobaldi placuit divinæ majestati, annuente beata Dei genitrice Maria, cooperantibus sanctis martyribus Leontio & Carpophoro* (hi protectores sunt ecclesiæ Vicetinæ) *in quorum basilica idem requiescit, mirificare sanctum suum virtutibus & miraculis. Alta-villa dicitur castrum ab urbe Vicentina quinque distans millibus, unde quædam femina oculorum acie damnata, dum sancti expetiisset tumulum, Deo favente, luminis recepit officium. In eadem civitate alia femina similiter oculorum privata lumine, dum Dei misericordiam & sancti imploraret clementiam, pristinum recepit lumen. Res est manifesta, persona nota, nomen quia in promptu est, omisimus, notus locus, castrum dicitur Drixinum, unde alia pari infortunio capta adveniens ad sepulcrum sancti, similem adepta est medelam.*

d *N.* XXIV.

e *Num.* XXV.

[e] *Quidam claudus, membris & gressu contractus, civis Beneventanus, ad sepulchrum ejus clementiam Dei implorans, compaginibus membrorum solidatis, incolumis exilivit. Alia supradicti sexus vigore membrorum destituta, manuum atque gressuum robore erat dissoluta. Quæ beati Theobaldi mausoleum frequentans, ejus interventu ad propria rediit firmato gressu. O inclyta Venetia, etiam tu experta es herilem virtutem. Nam quædam sub specie religionis mutato habitu velata, ariditate manus fuerat debilitata. Hæc tuis illata ab oris, præsentibus populorum turbis, officium manus recepit sancti Theobaldi meritis. Placuit divinæ majestati interventu beati Theobaldi geminare miraculum, cum ejusdem regni indigenam cæcum puerum ad pristinam restituit oculorum claritatem. Quod miraculum quam celebre, quam credibile constet, millia populi circumstantis testantur. In hoc est etiam* memo-

ANN. CHR. 1067.

memorabile, quod hora eadem, vespertina scilicet, a clero excelsa voce hæc modulabatur antiphona. Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.

a Num. XXVI.

a *Ponamus aliud miraculum, quod quamvis sit ordine temporis præposterum, tamen est necessario permutatum. Puer de Villa-nova, nomine Venerius, pede & brachio destitutus, in publico & celebri conventu fidelium, utpote octava die Paschæ, in præsentia sancti corporis gratulanter congregatorum, dum ad ejus fuisset adductus oratorium, gressus & manus recepit usum, & cum nullo favore suorum sospes repetiit domum.*

b Num. XXVII.

b *Quidam de Novaria, civitate Italiæ, non quidem pro aliquo reatu, sed sponte in brachio gestans circulum ferreum, pervenit ad sancti sepulcrum. Cumque ibidem pervigilaret, & ad candelam, quæ casu a candelabro ceciderat erigendam, vinctum brachium extendisset, circulus ferreus confractus est, magnoque tinnitu crepitans longius a brachio dissilivit. Alter Turonensis, nomine Martinus, utroque brachio manicis ferreis adstrictus, post multorum sanctorum circuitiones, adhuc sancto superstite, ad solitudinis locum, quo idem beatus morabatur, pervenit, eumque pœnæ suæ, & reatus conscium reddidit, & fratricidam se esse lacrymabiliter manifestavit. Cui sanctus propositum iter ad sepulcrum Salvatoris pergere suasit, eique prophetica voce dissolutionem unius brachii prædixit. Perrexit ergo, & juxta viri Dei verbum apud Domini sepulcrum unius brachii gavisus est dissolutione. Reversus autem ab Hierosolymitano itinere, beato jam ab hoc seculo translato, cum magnis lacrymosisque suspiriis ejus expetens sarcophagum, his verbis ipsum cœpit increpitare: Tu, inquiens, jussisti me ire & reverti, ecce veni, & te superstitem non inveni. Miserere mei, sancte Dei, miserere infelicitati meæ, solus reum consolare peregrinum, qui tuo jussu tantum peragravit terrarum spatium. Illo ista prosequente & alia multa, repente circulus ferreus a brachio cum magno tinnitu longius exsiliens crepuit, adstantesque magno gaudio replevit.*

c Num. XXVIII

c *Hæc ergo, quæ retulimus, ab ipso ore ipsius, de quo res agitur, didicimus. Quaternorum cæcorum generaliter exsequimur illuminationem, quorum unus senex a jam dicta civitate Novaria, alius a Lavagno, puer tertius a Taurinensi comitatu, quartaque & puella a Colonia castro noscuntur advenisse. Sed puer in gradibus ecclesiæ, antequam sancti contingeret sepulcrum, illuminari meruit. Taurinensis vero dum alterius existeret pedisequus, solus & pedester post illuminationem ad sepulcrum sancti Marci, ut proposuerat, constanter arripuit deambulationem. Nuper quoque fidelibus populis celebrantibus festum Dominicæ Ascensionis, multa populorum instante frequentia, & vigiliarum excubias observante, Forojuliensis puer cæcus ad beati Theobaldi mausoleum oculorum recepit officium. Gemini præterea cæci, unus de Mauzulino, alter de Pancinigo caligine tetræ cæcitatis absentes lucis, dum beati implorarent suffragium, optatum meruerunt recipere visum. Quidam hydropicus a Bassano adveniens ad ejusdem beati urnam, deformi ventris tumore sedato, incolumis sese retulit nativo solo. Duo debiles, unus attractus genu, alter privatus gressu, primus de castello Cucco, sequens de Orillano, vehiculo usi alieno, post diuturnam membrorum dissolutionem, ad sepulchrum ejus receperunt officii corporei sanitatem.*

Si voluerimus cuncta percurrere, verba antequam miracula deficient; ponamus metam locutioni, quia non est possibile singillatim enarrare quot cæci, quot debiles vel ægroti, seu variis passionibus addicti, quotve energumeni ad ejus tumulum sint sospitatem adepti. Testem invoco habitatorem ejus Spiritum-sanctum me multa cognita prætermisisse, & de magna silva

Ann. Chr. 1067.

silva vix paucos ramos perstrinxisse. Hæc scriptor miraculorum sancti Theobaldi.

Godefridus Henschenius in adnotationibus ad vitam sancti Theobaldi loca in hujusmodi narratione nominata emendare ex variis codicibus satagit, & dolet nomina omnia misere luxata esse inter imperitorum librariorum manus; nec enim, subdit, credibile est cuncta ea loca pariter abolita latere. Verum non semper feliciter manus medicas apponit, vel loca illustrat. Lubet hic aliqua ex ipsis proferre, eorumque verum situm statuere.

Altavilla castrum est a Vicetia quinque milliaribus dissitum etiam ad hodiernam diem.

Drissinum, alias Trissinum, decem milliaribus versus occidentem distat ab eadem urbe, & est prope castrum Arzignanum, quod olim dicebatur Arx-jani. Non enim intelligitur, quid sit Prissinum Surii, neque Henschenii regit conjectura, qui suspicatur ibi venire urbem episcopalem sic dictam in Tiroli, a Tridento & Oeniponte fere æqualiter distantem versus ortum, nominatam Brixinum.

Castanedum, vulgo *Castagnaro*, requirendum non est, ut requirit Henschenius, in territorio Brixiensi. Octo milliaribus abest a Vicetia, angulum faciens inter Leonicum & Orgianum.

Villa-nova est prope castrum Sancti-bonifacii inter fines Veronensis & Vicetini territorii, neque ad Astensem diœcesim confugiendi occurrit necessitas.

Laugagnum facile est Lavagnum inter castrum Suave & Veronam; vel est Laguiarum prope Atheste; vel Lovenium qui mons est paucis milliaribus distans a Rovereto. Henschenius vero asserit nihil huic voci affine suggerere tabulas geographicas, unde lumen petatur.

Colonia viginti milliaribus dissita est a Vicetia versus meridiem.

Manzulinum. Vestigia hujus vocis reperiri possunt in loco, qui dicitur sanctus Petrus de Mozolino prope Trissinum, & tribus milliaribus abest ab Arzignano.

Pauciligum ignorant Vicetini territorii incolæ, vel Paucinigum, aut Paucilinum sive Pauciugum, ut effertur in variis codicibus.

Axanæ locus, quem Henschenio non contigit invenire, est nobile & prædives oppidum Bassani, itaut sit legendum: *Quidam idropicus a Baxano*, non *ab Axana*.

Cucum vel Lucum, nomen quod ignorat idem Henschenius, quinque milliaribus distat a Thienæo castro, appellatum etiam hodie *Lugo*.

Aurelanum, Orilanum, Orclanum, Milanum, est castrum dictum *Orgiano*, inter Leonicum & Barbaranum, duodecim milliaribus distans a Vicetia versus meridiem. Sed Henschenius multa excusatione dignus in remotissimis ab Italia regionibus scribens.

XLVII. Chartæ Sangregorianæ & Arretinæ.


Anno &c. *pontificatus domini Alexandri* &c. *secundi pape* &c. *sexto, inditione quinta mensis martii die quinta* Stephanus filius quondam Leonis Johannis de Benedicta, & Petrus filius quondam Franconis Johannis de... commutant cum Stephano Dei gratia cardinale & abbate monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii ad Clivum-scauri terras positas foris portam sancti Pancratii in casali vocato *Molarupta*, pro sedile aquimoli in fluvio Tiberis in insula, quæ Licaonia nuncupatur. Augent insuper septem libras, & duos solidos denariorum Papiensium, *quas* inquiunt, *in requisitione Septasolis & in murorum edificatione dare debetis*. Eodem anno Johannes

nes de Sicco, Johannes Petri de Tocço & Johannes de Donato consobrini fratres, & Johannes de Azzo cognatus eorum renuntiant eidem Stephano cardinali & abbati hæreditatem acquisitam ab eorum parentibus de quibusdam bonis juris ejusdem monasterii. Alludunt forte ad chartam, de qua egimus ad annum 1041. Stephanus cardinalis abbas sancti Gregorii alius erat a Stephano Cluniacensi cardinali, & alius a Stephano monacho Casinensi cardinali, qui postremus obierat ante hunc annum, ut anno antecedenti vidimus ex Damiano. Utrumque instrumentum legitur in Appendice, una cum alia donatione, quam a nobis descriptam ex tabulario sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio fecit Ermingarda filia quondam Sabbatini, & conjux Salomonis, *qui Bello est clamatus* ecclesiæ sancti Petri, *qui dicitur Piculo: Anno millesimo sexagesimo septimo mense december indictione quinta*; & simul etiam cum charta venditionis factæ a Druda muliere Oddi Leoni presbytero hospitalario sancti Frigdiani Pisarum ex archivo monasterii sancti Michaelis ejusdem urbis.

ANN. CHR. 1067.



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER DECIMUS-NONUS.

Ab anno CHRISTI M. LXVIII. *ad annum* M. LXXIII.

ANN. CHR. 1068.

I. Damiani epistola ad Damianum nepotem.



DAMIANUM nepotem, cui anno antecedenti opusculum de castitate scripsit Damianus senior, circa hoc tempus alia informat epistola [a]; memorat enim in ea cum multa dulcedine recolendum, & religiosæ conversationis honestate conspicuum *Petrum abbatem monasterii, quod beati Benedicti titulo decoratum in Salernitana floret urbe*. Petrus autem circa annum 1067. Salernitano cœnobio præsul datus fuit ab Alexandro papa II. teste Leone Ostiensi [b], eodem tempore scilicet, quo Desiderio abbati Casinensi privilegium de exemptione ab episcoporum jure factum fuit, quod ad annum 1067. pertinet. *Petrus*, inquit Leo, *qui dicebatur Atenulfi, patris agnomine de nobilibus Capuanis, qui postmodum Romæ factus est cardinalis, ad abbatiam sancti Benedicti de Salerno, cujus jam supra mentionem fecimus, rogatu Salernitani principis est transmissus. Eodem tempore sollemne Desiderio privilegium idem Apostolicus super omnimoda hujus cœnobii libertate concessit* &c. Constantinus Gajetanus ad oram hujus epistolæ hæc adnotat: „ Sanctus Petrus ex abbate mox fuit episco- „ pus Anagninus; “ verum cum Petrus Anagninus episcopus ex principibus Salernitanis, non Capuanis, fuerit progenitus, & educatus dumtaxat in monasterio sancti Benedicti Salerni, non autem ejusdem loci abbas, dicendum est Petrum abbatem sancti Benedicti de Salerno, deinde cardinalem, diversum fuisse a Petro episcopo Anagnino, eumdemque potius esse, quem Damianus opusculo XXXVI. [c] ad Desiderium, *Capuanum* appellat, & salvere jubet, ut diximus ad annum 1063.

Talem autem de nepote Damiano relationem habuerat sanctus ejus patruus cardinalis ab *Hubaldo fratre veraci viro*, quem commemoravimus etiam ad annum 1066. nimirum in *brumalis algoris inclementia nudum se in nivalium ruderum profunda latenter immersisse, ibique fratrem quemdam pene seminecem ipsum reperisse. Cui*, subdit, *dum te severius, ut dignum erat, argueret, diceris respondisse: Caro me conatur occidere, sed ego eam* potius

a Epist. XXII. Lib. VI.

b Lib. III. cap. XXXVI.

c Cap. XVI.

ANN. CHR. 1068.

potius occidam; & postmodum non quidem sub divo, sed sub quo nescio repertus es ædificio, in nive similiter provolutus. Ita & [a] Dorotheus Thebanus Palladio quærenti, cur sic corpus suum tractaret, respondisse fertur: *Illud me occidit, ego quoque ipsum occidam.* Qua in re, *licet regularis*, prosequitur Damianus senior, *non sit dissimulanda correctio, malo tamen, ut modum discretionis in aliquo nimius fervor excedat, quam degeneres animos desidis ignaviæ torpor astringat*; vult nihilominus ut indiscretionis excessum ejus priorum gravitas ac disciplina compescat. Illud insuper moleste tulerat Petrus cardinalis, quod Damianus junior *pro addiscendis ecclesiasticæ cantilenæ modulis beati Bartholomæi monasterium ingressus* esset, licet invictus & coactus, præcipitque, ut sub omni celeritate ad eremum redeat, ubi se cum Christo crucifigere mundo studeat. Hinc sumpta occasione, de Crucis signo, & figura, ac laudibus sanctus doctor fusius agit. Monasterium sancti Bartholomæi, quod ingressus fuit Damianus nepos, illud forte erat Campi-regiani in territorio Eugubino, de quo pluribus egimus ad annum 1054.

a Ap. Marten. in Reg. S. Bened. cap. IV.

Ejusdem Damiani nepotis mentionem facit etiam in epistola [b] ad Stephanum monachum circa eadem tempora exarata. In ea appellat Damianum *sororis suæ filium, exadelphum religiosæ indolis adolescentem.* Hortatur vero Stephanum, qui se exercebat vigilanter in psalmodiæ studiis, & in divinis laudibus, ut beatæ virginis Mariæ officium singulis diebus recitet, & sacræ Scripturæ lectioni frequenter incumbat, in medium adducens miracula, quæ ex Galliis rediens sibi narraverat evenisse idem Damianus nepos ob Virginis intercessionem. Videtur Stephanus is fuisse, cui de suæ congregationis institutis opusculum scripsit Damianus ad annum 1057. a nobis relatum.

b Epist. XXIX. Lib. VI.

II. De Gebizone monacho Avellanensi.

AEQUUM est credere Damianum legationibus publicis sæpius distentum, atque proinde ab Avellanensi eremo pluries abscedere coactum, priorem, loco sui, inibi nunc unum, nunc alterum ex fratribus suis statuere solitum fuisse, ut indicavimus etiam anno antecedenti. De *Luitprando venerabili patre*, se vivente, sermonem instituit Damianus in opusculo XXIV. [c] cur autem eum appellasset patrem, cum ceteros passim fratres nominet, nisi quia ceteris præsideret? Hinc intelligimus, cur [d] jusserit aliquando Damianus Gebizoni alteri monacho, immo ipsum rogaverit, ut ejus loci regimen susciperet, ad quod *a fratribus indifferenter electus* fuerat. Dici tamen, & illud potest Gebizonem electum fuisse priorem alterius eremi a Damiano constructæ, quandoquidem plures ab ipso fundatas vidimus. Porro hic Gebizo ægritudinem, languorem, se quoque tantis laboribus imparem simulans, superimpositi oneris sarcinam abjecerat, ut rector transiret alterius monasterii; *frater enim ejus sancti Laurentii monasterium a se nuper constructum effecerat, ut dedicaretur, & duodecim ibi pallia munificus obtulerat, atque* (sic nimirum gloriabundus dictitabat Gebizo) *Vassi cujusdam unicam filiam sibimet in matrimonium copulaverat, & sobolem non habebat.* Ipsum itaque, qui hujus monasterii administrationem assumpserat, arguit Damianus superbiæ, quod quasi videretur ambire appellari monachorum institutor. Ad extremum imperat, ut aut depositum eremi onus resumat, aut in monasterio sub priore monachus vivat, propria salute contentus. Sub sancti Laurentii titulo monasterium celebre eo tempore florebat in territorio Fanensi, in quo & eremitæ vivebant, quodque postmodum unitum legitur in apostolicis bullis Avellanensi cœnobio; vel sermo est de alio æque illustri sancti Laurentii cœnobio prope Cæsenam, dummodo Gebizo, quod tamen non constat, is sit, qui ex eremita vel ex mona-

c Cap. I.

d Epist. IX. Lib. VI.

Ann. Chr. 1068.

monacho Avellanensi abbas, inde, episcopus Cæsenæ, & sanctæ Romanæ ecclesiæ creatus fuit cardinalis. In veteri necrologio Avellanensi sub die 30. junii mentio fit: *Gebiosi episcopi monachi nostræ congregationis*, quem Jacobillius eum existimat, qui cardinalitia dignitate & Sclavonica legatione decoratus fuit a Gregorio VII. Romano pontifice. Hæc constructio monasterii ab ejus fratre curata de sola forte reparatione est intelligenda, cum utrumque ex supralaudatis monasterii antiquius fuerit temporibus Damiani. Utut sit, hujus Gebizonis scientiæ & prudentiæ usum fecit sanctus doctor, cum ipsum [a], quod olim fecerat cum Rodulpho episcopo Eugubino, & cum Theodosio episcopo Senogalliensi, suorum opusculorum correctorem & examinatorem una cum Theobaldo abbate & cum Johanne Laudensi constituerit; animadverterat enim Damianus se in quadam epistola dixisse, beatum Johannem-baptistam intra Scenopegiæ limitem conceptum fuisse; id scilicet asseruerat epistola XVI. libri IIII. ad V.. episcopum, dum revera post diem vigesimam-secundam septembris, qua desinit festum scenopegiæ, hoc est vigesima-quarta die fuerit conceptus. Hoc igitur *obedientiæ munus* eis injungit, *immo tamquam servus atque discipulus humiliter*, ait, *obsecro, ut & epistolam illam, & cetera dictationis meæ opuscula sollicite perlegentes, si quid reperiatur absurdum, vel funditus amputare, vel digerere elimatiore stilo festinetis*. Ita modestissimus doctor Damianus discipulos suos orat, & operum suorum correctores statuit.

a *Epist. X. Lib. VI.*

III. Damianus scribit de processione Spiritus-sancti.

Religiosus *ecclesiæ Popiliensis episcopus* Damiano retulerat se audisse *ex ore Dominici reverendissimi patriarchæ Gradensis*, L.. beatissimum patriarcham, probabiliter ex Orientalibus, quæstionem *catholicæ fidei valde necessariam*, *sacris insertam literis* destinasse Alexandro, & apostolicæ sedi, *cur apud Latinos diceretur Spiritus-sanctus a Patre & Filio procedere, apud Græcos a solo Patre?* Eam solvit [b] Damianus, non quod in *hoc negotio injuncta sibi fuisset responsio a Romano pontifice, qui imperito homini*, ut magna humilitate de se fatetur, *summum negotium injungere non fuisset dignatus, qui tot sanctis ac peritissimis viris secum jugiter conversantibus non ambigitur abundare*; errorem deinde demonstrat Græcorum, & sacrarum Scripturarum testimoniis dogma fulcit Latinorum. Episcopus Popiliensis apud Ughellium [c] ad annos 1059. & 1062. appellatur Honestus, ad annum autem 1069. Petrus. Gradensis autem patriarcha per hæc tempora erat Dominicus Marengus. Consulatur erudissimi senatoris Flaminii Cornelii decas IV. ecclesiarum Venetarum, ubi agit de ecclesia sancti Silvestri Venetiarum. Distinguuntur ibidem tres Dominici successive patriarchæ Gradenses, Dominicus Bulconus, Dominicus Marengus & Dominicus Cerbonus. Celebrior ex his est Marengus, multis nominibus de Romana ecclesia meritus, & in præsenti opusculo a Damiano nominatus. Demum si L.. patriarcha fuit Constantinus Licudes Constantinopolitanus creatus præsul anno 1058. post mortem Michaelis Cerularii, hocce opusculum Damiani ad annos superiores est retrahendum, cum Licudes, succedente Johanne Xiphilino, decesserit anno 1066.

b *Opusc. XXXVIII.*

c *T. II. col. 600.*

IV. Bulla canonizationis sancti Theobaldi.

Obierat vix sanctus Theobaldus, & statim pluribus in locis excitata fuere in ejus honorem templa. Testis omni exceptione major est Guibertus abbas de Novigento [d], qui paullo post hæc tempora vivebat & scribebat, utpote qui obiit anno 1124. multas suo tempore extitisse ecclesias sancto confessori dicatas. *Theodebaldus*, inquit, *quem Sanctum hodie universi agnominant, ut multæ jam ecclesiæ sub ejus nomine consistentes ipsum passim insigniunt*. Ex hoc Guiberti testimonio illud inferimus, bullam canonizationis sancti Theobaldi, quam aliqui Alexandro II. longe plu-

d *Lib. I. cap. 9. vitæ suæ.*

plures vero alii Alexandro III. Romanis pontificibus tribuunt, potiori jure referendam esse ad Alexandrum II. Primus bullam ex codice Menardino eruit e tenebris Mabillonius, eam subinde ex codice proprio recuderunt Bollandi continuatores [a]. In Codice canonizationum [b] tertio protulit Fontaninius. Mabillonius eam tribuit Alexandro III. Henschenius Alexandro II., nil decidit Fontaninius, ut neque etiam sanctissimus Pont. max. Benedictus XIV. in opere de Sanctorum Canonizatione, qui modo ipsam tribuit II. modo III. In recentissima autem Martyrologii Romani editione adjudicat Alexandro III. Nullam sententiæ suæ causam adduxisse Actorum Sanctorum editores queritur Fontaninius, cur potius II. quam III. Alexandro tribuerint bullam; verum nullam quoque adduxit Mabillonius, ut tribueret potius III. Nos operæ pretium facturos existimamus conjecturas nostras producere, cur eam melius asseramus secundo, quam tertio Alexandro, sed præstat bullam ipsam in antecessum sub oculos ponere.

ANN. CHR. 1068.

a T. V. Junii.

b P. 13.

[c] *Alexander episcopus servus servorum Dei omnibus fidem Christi colentibus gratiam & apostolicam benedictionem. Multa præclara & admiratione digna de quodam eremita, religioso viro, Theobaldo nomine, celebris fama divulgat. Quam sancte & religiose vixerit, & exutus omnibus, Dominica præcepta secutus sit, cum in præsentiarum fuisset, manifeste patet. Miraculorum vero indicia, indubitata fide, ejus merita commendant; multis religiosis viris, super his cognita & vera referentibus. Quapropter vitæ ejus conversatione cognita, & miraculorum indiciis probatis, per non fallacia testimonia, suggerentibus nobis de eo Mainardo & Damiano episcopis & Vincentiæ populo, illum celebri memoria dignum Romana decrevit ecclesia. Et quia procul dubio cum electis coronatur in cœlis, ut illius memoria, sicut & aliorum Sanctorum, præcipimus sollemniter celebretur in terris.*

c Apud Mabill. Sec. VI. P. II. pag. 188.

V. An Alexander II. vel III. ipsum retulerit in Sanctorum numerum?

VERBA ipsius Bullæ exhibent celebrem famam divulgare multa præclara & admiratione digna de quodam religioso viro, Theobaldo nomine. Si Petrum Vangaticiensem audiamus, miracula statim ab ejus obitu ad ipsius sepulcrum patrata fuere, ex quibus aliqua ipse selegit, & Spiritumsanctum testem invocat, se *multa cognita prætermisisse*, & *de magna silva in paucos ramos perstrinxisse*, *nam si voluerit cuncta percurrere*, *verba*, *antequam miracula*, *deficient*; ac ponit *metam locutioni*, *quia non est possibile singillatim enarrare*, *quot cæci*, *quot debiles*, *vel ægroti seu variis passionibus addicti*, *quotve energumeni ad ejus tumulum sint sospitatem adepti*. Cur ergo mirabilia his duobus annis perpetrata a Theobaldo credenda non erunt satis superque fuisse ad ejus famam longe lateque divulgandam? Dicendum-ne erit fere seculari annorum spatio famam hanc siluisse, neque nisi post centum annos pervenisse ad apostolicam sedem, quot nimirum anni a secundo Alexandro excurrunt ad tertium? Sed quid insuper dicemus de novis miraculis, quæ octennio post ejus sanctum decessum contigere Vangaticiæ, post autem duodecennium Latiniaci, & in tota Gallia patrata fuere meritis sancti Theobaldi, annis nimirum 1074. & 1078? De viro profecto ab octuaginta annis celebri Romanus pontifex ea phrasi nequaquam uteretur, quæ recentis famæ viro potius convenit. Hinc Mabillonius ipse de Theobaldo hæc scribit: [d] „ Theobaldus statim post obi-„ tum, crebrescentibus ad ejus sacrum corpus miraculis, pro sancto habi-„ tus fuit. " Præterea hi, qui Romano pontifici suggessere miracula patrata a sancto viro Theobaldo, fuere *Mainardus & Damianus episcopi*, & *populus Vicetinus*. Quo vero tempore putandum est populum Vicetinum preces suas porrexisse apostolicæ sedi? an-ne quando sacrum thesaurum possidebat, & de die in diem ad ejus tumulum miracula crebrescere pro-

d Adnot. præv. n. VII.

Ann. Chr. 1069.

priis oculis videbat, an vero cum jam sibi ereptum sacrum pignus dolebat, & fere a seculo alibi translatum, prodigiorum etiam patratorem in alieno, non in proprio solo, torvis potius oculis suspiciebat? Quorum locorum episcopi fuerint supra nominati præsules, inferius expendemus. In translationis Latiniacensis historia aliqua occurrunt, quæ nobis suadent divinos jam tum ab anno 1074. honores promeruisse Theobaldum. Narrat auctor illius opusculi Azonem marchionem Estensem, consensu Petri abbatis Vangaticiensis, & plurium sapientum, integro anno inhumatum servasse corpus Theobaldi, ut palam omnibus fieret, non amplius apud Vicetinos, sed apud Vangaticienses sacras exuvias custodiri. Hoc tractu temporis visibile & palpabile, ac fidelium adorationi expositum ipsius sacrum corpus perseveravit, ut ab altero auctore Translationis Vangaticiensis novimus, qui varia cultus externa signa sancto viro exhibita refert. Hæc proinde nos movent, ut credamus ante annum 1074. emanasse decretum de relatione Theobaldi inter Sanctos, cujus vigore potuerit Azo marchio insignem aram sancto viro erigere juxta disciplinam hujus seculi inviolatam, qua fas non erat sine prævia apostolicæ sedis licentia templa vel altaria dedicare sanctissimo cuique viro, vel ejus corpus de terra levare. Super Bononii corpus post annum, super Romualdi post quinquennium, Romanis pontificibus consentientibus, altaria ædificata fuere. Hinc agnoscimus, quo jure statim post annum 1078. in Galliis oratoria, ecclesiæ & templa in sancti Theobaldi honorem fuerint erecta, quod profecto ægre intelligeretur, si tantum post medietatem seculi subsequentis de ejus veneratione prodiisset decretum. Demum Petrus Vangaticiensis ideo vitam conscripsit Theobaldi, ut *stultorum quorumdam calumniis occurreret, qui domnum Theobaldum sanctum omnino evitabant appellare*. Stulti revera non fuissent, si ad hunc titulum egregio viro concedendum apostolicam decisionem attendendam fore opposuissent; ut ergo stultorum nomen promererentur, necesse omnino erat, ut etiam post emanatam a pontificio solio licentiam renuerent hoc titulo condecorare Theobaldum, quem tamen eo tempore, ut ex Guiberto vidimus, Sanctum universæ ecclesiæ agnominabant. Hinc, ut optime animadvertit noster Collina, in pluribus codicibus desunt ea Petri verba: *Scripturus itaque vitam sancti Theobaldi, primum respondeo quorumdam stultorum calumniis* &c., quod alia ratione contigisse nequit, nisi quia postquam ab omnibus recognitus fuit, ut Sanctus apostolico interveniente etiam decreto, neque ullus amplius erat, vel vix ullus, qui ejus sanctitati refragaretur, superflua amanuensibus ea Petri responsio sensim visa fuit.

VI. Cujus sedis fuerint episcopi Mainardus & Damianus in eadem bulla nominati?

Verum enimvero, quinam fuerint episcopi illi *Mainardus* & *Damianus*, qui Alexandro suggesserunt Theobaldi relationem in Sanctorum canonem, ad examen revocemus. Temporibus Alexandri papæ III. nulli occurrunt in tota Italia episcopi ejus nominis. Occurrunt quidem temporibus Alexandri papæ II. Mainardus episcopus Silvæ-candidæ, & Damianus episcopus Ostiensis, ambo a pontifice summo Alexandro II. in pretio habiti, & præcipue Damianus, quem etiam intelligimus, cur Theobaldi merita & prodigia Alexandro exposuerit. Vita siquidem sancti Theobaldi eremitæ adamussim respondebat vitæ eremitarum Avellanensium; in utraque eremo crebræ flagellationes, juge silentium, lex reclusionis, assiduæ psalmodiæ, jejunium inviolabile; Theobaldus vestigia Romualdi premebat, sequebatur ejusdem Romualdi instituta Damianus. Petri Vangaticiensis nomen ignotum non erat Damiano; hujus etiam fratrem Raimbaldum, ut putamus, agnoverat in monasterio Pomposiano. Fieri ergo potuit,

tuit, ut Petrus Vangaticiensis auctor vitæ Theobaldi, & quammaxime de ipsius gloria sollicitus verba cum Damiano fecerit, vel saltem per literas cum eo egerit, ut quandoquidem summa ipse polleret auctoritate & gratia penes Alexandrum papam II. curaret apud ipsum, ut decretoria bulla universalis Theobaldo cultus a summo pontifice decerneretur. Mainardum vero Silvæ-candidæ episcopum alterum fuisse, cujus suasu Divorum in numerum retulerit Theobaldum Alexander, dicimus, potiusquam Mainardum episcopum Eugubinum, ut in notis mss. ad lectiones sancti Theobaldi suspicatus est Grandius, & in vita ejusdem existimat Collina. Non enim videmus, quid Eugubino episcopo referret Theobaldi in Sanctorum numerum recensio, ut referre poterat Mainardo Silvæ-candidæ episcopo, qui lateribus summi pontificis adhærebat, & cardinalitia dignitate præfulgebat, ac Damiani erat amicissimus. Vivebant eo tempore duo alii Mainardi episcopi, Sutriensis nimirum & Urbinas, qui interfuere concilio Lateranensi sub Alexandro II. & huic postremo Damianus anno 1064. tractatum inscripsit de eleemosyna. Sed nullus his hocce negotium tribuit. Fontaninius „ quarumnam sedium fuerint episcopi, inquit, Mainardus & „ Damianus in Alexandrinis literis memorati, nobis ad alia properanti- „ bus in præsentia scrutari non vacat; “ sed ita examen omnino effugit. Henschenius Mainardum fuisse Vicetinum episcopum, in catalogis Bernardum dictum, aut ejus successorem conjicit; sed, præterquamquod codex canonizationis *Mainardum*, non *Bernardum* habet, in catalogis Vicetinorum præsulum, & in bullis Romanorum pontificum *Bernardus* semper Vicetinus episcopus legitur, numquam Mainardus. His conjecturis adducimur, ut ad tempora Alexandri II. relationis Theobaldi in Sanctorum numerum constitutionem referamus, ea demum etiam de causa, quia Alexandri III. constitutiones formulam illam immiscent *de cardinalium consilio*, quæ minime reperitur in allata constitutione pro Theobaldo, quæque in usu non erat temporibus Alexandri II.

VII. Chartæ Camaldulenses & Arretinæ.

Hoc *anno millesimo sexagesimo octavo, regnante domno Eirigo regem, mense madio indictione septima*, melius tamen sexta, Guillia filia quondam Ubaldi, obtenta licentia a Belino mundualdo suo, & ipse Belinus, tradunt *in ecclesia sancti Salvatoris de loco Camaldulo, ubi dicitur Campus amabilis, integram portionem de ecclesia; que est edificata in nore sancti Savini cum cimiterio de predicta ecclesia, & est predicto cimiterio duodecim pedes donni Liuprandi rex*. Eam autem offerunt ad proprietatem ecclesiæ sancti Salvatoris, & monachorum, qui ibi degunt & successorum suorum, ut faciant quidquid velint secundum legem. Eodem *anno millesimo sexajesimo octavo mense julius indictione sexsta* Constantinus Arretinus episcopus & comes confirmat & judicat monasterio Prataliæ & Hieronymo ejus abbati medietatem de uno manso *de plebe sancte Marie in Partina, & de casale Contra*. Subscribit post episcopum Paganus vicedominus, & Teuzo clericus. Utramque chartam ex tabulario Fontis-boni proferimus in Appendice una cum tertia ex archivo sanctarum Floræ & Lucillæ, qua *anno millesimo sexagesimo octavo, regnante Henrico rege mense augusto indictione sexta*, Venerandus Bari & Guillia filia Terni ejus conjux tradunt terras proprias, earum medietatem ecclesiæ sancti Petri *piccolo*, & alteram medietatem ecclesiæ sancti Clementis, quæ subjecta erat monasterio Pratalienfi, ut vidimus ex donatione Theodaldi episcopi ad annum 1031. Judicant insuper pro animabus propriis libras viginti denariorum Lucensium, ut post ipsorum obitum ita distribuantur; *fraternitas plebis sancte Marie in Gradis, qui ordinati sunt, habeant libras tres, pauperibus erogentur libras*

 sex,

Ann. Chr. 1068.

sex, per unum quodque monasterium Arretini comitatus dentur solidi quinque, & per unamquemque plebem concedantur solidi tres. Fideicommissarios atque distributores hujus pecuniæ instituunt Bellum fratrem Venerandi, & Guidonem ejus cognatum. Ex Baroncinii summariis habemus Guinizum monachum Camaldulensem emisse ab Imiza quondam Azi *per consensum Rainerii quondam Ugonis, qui fuit marchio, ipsius venditricis domini*, terram cum vinea positam in *plebe sancti Cassiani sito Cornito vocabulo Renzana*.

Ab Alexandro II. Romano pontifice *Roma ad Lucensium preces proficiscente, & in itinere*, dum per partes Clusini episcopatus transiret, definitum fuit hoc ipso anno, *ut episcopus Clusinus medietatem omnium primitiarum, tertiamque totius oblationis cunctarum ecclesiarum episcopatus vivorum ac mortuorum, tam in terris, quam in vineis, mobilibus vel immobilibus seu cujuslibet generis possessionibus* haberet, *oblationibus antiquorum monasteriorum exceptis, videlicet sancti Anthymi, sancti Salvatoris, necnon sancti Benedicti & sancti Petri in Campo. Datum Perusie* III. *kalendas januarii per manus Petri clerici fungentis vice Petri sancte Romane ecclesie subdiaconi ac bibliothecarii anno ab incarnatione Domini M.* LXVIII. *pontificatus vero domni Alexandri* II. *anno* VIII. *indictione* VI. Bulla integra ex archivo cœnobii sancti Salvatoris de Monte-amiato affertur ab [a] Ughellio.

[a] *T. III. col. 629.*

Ann. Chr. 1069.

VIII. Legatio apostolica Damiani in Germaniam.

CONTIGIT hoc anno legatio apostolica Damiani cardinalis in Germaniam. In ipsius epistolis nullibi vestigium apparet hujusce legationis, sed ejus meminit, & quidem fuse ad hunc annum Lambertus Schafnaburgensis monachus. Occasio hujus itineris ea fuit, quia Henricus, qui nupserat anno 1067. Berthæ filiæ Adelaidis ducissæ, divortium ab ea facere quærebat, Sigifridi Moguntini archiepiscopi ope implorata, ad quam causam dignoscendam legatus cum potestate apostolica fuit sanctus senex Petrus Damianus directus. Sed ex Lamberto [b] totam historiam audiamus: *Imminente jam die, qui scindendo regis conjugio dictus fuerat, rex Maguntiam concitus properabat. Et ecce inter eundum comperit legatum sedis apostolicæ, suum Maguntiæ adventum præstolari, qui dissidium fieri prohibeat: & episcopo Maguntino apostolicæ animadversionis sententiam minitetur, quod tam nefariæ separationis se authorem promiserit. Consternatus illico, quod rem diu exoptatam perdidisset e manibus, pariter, quo venerat, in Saxoniam redire volebat. Vix & ægre tamen amicorum consiliis superatus, ne principes regni frustraretur, quos summa frequentia sibi Maguntiæ occurrere jussisset, Franconefurt abiit: ibique eos, qui Maguntiæ convenerant, statuto die adesse jussit. Quod dum frequentes venissent, Petrus Damianus, is legatus erat sedis apostolicæ, vir ætate & vitæ innocentia admodum reverendus, mandata exposuit Romani pontificis, pessimam rem & ab nomine Christiano, nedum ab regio, multum abhorrentem esse, quam moliatur. Si minus humanis legibus, vel canonum sanctionibus terreretur, parceret saltem famæ & æstimationi propriæ, ne scilicet tam fœdi exempli venenum, ab rege sumpto initio, totum commacularet populum Christianum, & qui ultor esse debuisset criminum, ipse auctor & signifer fieret ad flagitium. Postremo si non flecteretur consiliis, se necessario vim ecclesiasticam adhibiturum, & canonum lege scelus prohibiturum. Ad hæc suis manibus numquam imperatorem consecrandum fore, qui tam pestilenti exemplo, quantum in se esset, fidem Christianam prodidisset. Tum vero in eum coorti omnes, qui aderant, principes ajebant: Æqua censere Romanum pontificem, & per Deum rogabant, ne crimen inferret gloriæ suæ, & regii nominis maje-*

[b] *Annal. ad 1069. ap. Pistor. T. I.*

majestatem tam turpis facti colluvione macularet. Præterea ne parentibus reginæ causam defectionis & justam turbandæ reipublicæ occasionem daret. Qui si viri essent, quum armis & opibus plurimum possent, tantam filiæ suæ contumeliam proculdubio insigni aliquo facinore expiaturi essent. Hac oratione fractus magis, quam inflexus: Si id, inquit, fixum, obstinatumque est vobis, imperabo egomet mihi, feramque, ut potero, onus, quod deponere non valeo. Ita efferato magis per studium concordiæ odio, annuit quidem, ut in regni consortium regina revocaretur.

IX. Ejusdem epistola ad Alexandrum II. circa ecclesiam Eugubinam sibi olim commissam.

REFERENDA ad hunc eumdem annum venit Damiani ad Alexandrum II. papam epistola, [a] qua modeste quidem, sed libere, injuria quadam affectum se declarat ab eodem pontifice, & cum ipso conqueritur, quod ecclesia Eugubina, quæ dudum sibi commissa fuerat ab ipsius prædecessoribus, nunc omnino confusa sit & abjecta. Forte quis accusaverat apud Alexandrum Damianum dixisse, culpa Romani pontificis in eo statu tunc jacere præfatam ecclesiam. Exprobrat eidem Alexandro, quod talia munera sibi redhibeantur, qui toties *in sanctorum pontificum conciliis perorator causæ* ipsius extiterat, & *in legationum* ejus *curis & negotiis distentus frequenter in secularium, laicorumque conventu, quasi quidam causidicus* declamaverat, qui in ipsius *hostes violenter invectus, & loquendo & scribendo* destruxerat, ejusque *memoriam & egregia laudis præconia etiam apud posteros* propagaverat. *Agat ergo, qui læsit*, subdit, *sicut dignum est, pœnitentiam, ut is, qui læsus est, non compellatur dignam exaggerare querelam*. Orat ad calcem epistolæ etiam pro *infelicissimo Ravennate episcopo* Henrico, qui, quod partibus favisset Cadolai, excommunicatus fuerat, fortasse in concilio Mantuano ante biennium, vel juxta Laudensem, in Romana synodo, orat nimirum, ut ipsum solvere dignaretur ab excommunicationis pœna, juxta illud, quod olim facere idem summus pontifex decreverat, *ne per unius offensam tam innumerabilis hominum multitudo deperiret*. Cum Eugubinam ecclesiam sibi traditam ab ejus prædecessoribus, non ab ejus prædecessore, scribat Damianus, deducitur sanctum cardinalem inibi ab anno 1058. præsedisse, sub duobus nimirum pontificibus Stephano IX. & Nicolao II. vicesque suas commisisse primum Rodulpho, deinde Hugoni, & forte etiam Mainardo, qui potius appellandi erunt episcopatus Eugubini coadjutores & administratores sub Damiano.

[a] *Epist. XIV. Lib. I.*

X. Donatio bonorum facta monasterio S. Gregorii Ariminensis.

ÆDIFICAVERAT idem Damianus ad honorem Dei & sancti Gregorii monasterium in territorio Ariminensi juxta fluvium Concam, in loco, qui dicebatur Fontana-vecchia, & in prædio cujusdam Petri filii bonæ memoriæ Bennonis, ibique abbatem & monachos venerabili illi loco servientes constituerat. Hoc itaque anno idem Petrus Bennonis latifundiorum & locorum largitionibus monasterium præfatum locupletavit, & quodammodo dotavit, omnia bona sua prædicto cœnobio concedens, ad arbitrium tamen, ac plenam dispositionem ejusdem Petri Damiani, quem elegerat *inter mortales magis idoneum*, & quem existimaverat *commendatione ad hoc opus* dignum, *cui omnia sua committeret*, quemque viventem adhuc *sanctissimum anachoritam patrem nostrum appellat. Anno* proinde *millesimo sexagesimo nono & sedis domini Alexandri pape anno octavo die* XVII. *mensis junii indictione ....* quæ tamen erat septima, ipse Petrus una cum uxore sua Alganga donat partem ecclesiæ, *cui vocabulum est sancti Johannis evangeliste & palatium domnicatum & casas & curtes atque hortos*, quæ ad se pertinebant intra totam civitatem Arimini, & in suburbio ipsius, curtem etiam positam *tam in plebe sancti Laurentii, qui vocatur in monte Apodiano, quam in plebe sancti Johannis in Bulgaria, & in plebe sancti Johannis*

Ann. Chr. 1069.

nis in Bulgaria, & in plebe sancti Johannis in cella Jovis, cum sua quarta parte castri & curtis, *que vocatur Faitani, seu in plebe sancti Viti, & sancti Martini, qui vocatur Viburduclo, sive in plebe sancti Paterniani*. Concedit etiam eidem monasterio, & Petro Damiano *dispositori castrum Monzanum cum curte sua, & cum omnibus suis pertinentiis in territorio castri Conche in plebe sancti Gregorii. Curtem* pariter de Fagniano positam *in plebe sancti Erasmi* cum omnibus aliis rebus sui juris sitis *in plebibus sancti Savini, & sancti Laurentii in Strata*. Castrum quoque, *quod vocatur Mons-dainus*, & castrum aliud appellatum *Lappole cum monte, qui vocatur Nurs; item infra plebem sancti Lauditii & in plebe sancti Laurentii*. Insuper largitur omnia ad se spectantia *infra civitatem Pisauriensem & in toto comitatu ipsius, curtem scilicet de Fageto & de Monteclo, quod olim fuit inceptum ad faciendum castrum a Carbone filio Moranti. In territorio* vero *Fertrensi*, hoc est Feretrano, castrum suum *de Monte-mogantum qui vocatur Pinnarussa & Monte-segizo, qui vocatur Florentino, & Monte-deodato, qui vocatur Casule, & tertiam partem de Monte-cucco*, suasque pertinentias *de montibus qui vocantur Gemini, & quartam partem de monte qui vocatur Bonio* &c. Edidit donationis chartam ex archivo ejusdem monasterii, quod modo incolunt monachi congregationis Montis-oliveti, ejusdem instituti assecla & abbas domnus Secundus Lancellottus anno 623. & ex Lancelotto in suam Italiam sacram in episcopis Ariminensibus iterum produxit Ughellius. Nos ex Lancelloto denuo edimus in Appendice. Testis est constructionis hujus monasterii etiam Johannes Laudensis in Damiani vita scribens: *Construxit alterum quoque in Ariminensi territorio in loco, qui Murcianum nominatur*. Murcianum, juxta Lancellottum, ibi erat, ubi exsurgebat ecclesia sancti Johannis-evangelistæ, quæ prima nominatur in prædicta donatione Petri filii Bennonis. Plebs sancti Laurentii in Monte apodiano ad annum 975. nominatur in chartis tabularii archiepiscopalis Ravennæ, sicut in iisdem chartis nominantur ad annum 1057. plebs sancti Viti, & ad annum 911. plebs sancti Martini, quæ tamen appellatur in Bardunculo, & ad annum 1156. illa sancti Paterniani. Ad annum 1052. mentio habetur plebis sancti Georgii, non Gregorii, in Concha, & plebs sancti Erasmi memoratur ad annum 1042. Ad annum autem 907. plebs sancti Savini, & ad annos 958. & 997. illa sancti Laurentii, sicut ad annum 1052. plebs sancti Lauditii, quæ omnes erant vel in urbe, vel in territorio Ariminensi. Sed de monasterio Ariminensi sancti Gregorii cetera dicemus ad annum 1071.

Epitaphium [a] hic addimus a Damiano elucubratum ad perennandam memoriam Bennonis patris Petri donatoris.

a Oper. P. Damian. T. IV. Carm. CCXIV.

Ariminum luge, lacrymarum flumina funde,
Laus tua Benno fuit, proh dolor, ecce ruit;
Benno decus regni, Romanæ gloria gentis:
Ipse pater patriæ, lux erat Italiæ.
Hunc socium miseri durum sensere superbi,
Lapsos restituit, turgida corda premit;
Fit leo pugnanti frendens, tener agnus inermi,
Hinc semper justus perstitit, inde pius.
Hic Fidei dum jura colit, dum cedere nescit,
Firma tenens rigidæ pondera justitiæ.
Recticolæ jugulus pravorum pertulit ictus:
Per quem pax viguit, bellica sors periit.
Obsecro tam diram sapientes flete ruinam,
Et pia pro socio fundite vota Deo.

Mo-

ANN. CHR. 1069.

XI. Chartæ Faventinæ & Pratalienses.

MONASTERII sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia primam mentionem fecimus ad annum 1022. occasione donationis Ildebrandi episcopi Faventini, qui circa ea tempora cœnobio illi & Johanni abbati capellam seu ecclesiam sancti Antonini elargitus fuit. Hoc anno *ab incarnatione Domini millesimo sexagesimo nono, temporibus domni Alexandri pape secundi, & regnante domno Enrico filio quondam Enrici secundi imperatoris die martii decimaquarta indictione septima* præerat *Marinus venerabilis abbas monasterii sanctorum Laurentii & Hippolyti de Faventia*, qui libellum conscripsit emphyteusis Andreæ & Guillæ ejus jugali, Johanni & Dignicasæ ejus uxori, Gerardo & Ermengardæ ipsius conjugi de horto posito *extra portam, que dicitur da Ponte in pogium, qui dicitur de sancto Antonino*, ubi etiam modo residet ipsa sancti Antonini ecclesia, & insuper de insula posita *in fundo Agulino*, pensionem annuam mense martio constituens denariorum duodecim monetæ Venetiarum; *calciarii* autem *nomine* accepit idem abbas *libram unam pro solidis numeratis quadraginta denariorum Veneciarum*. Successit facile Marinus Hieronymo abbati, quem memoravimus ad annum 1054.

Fuscho quondam Martini offert hoc ipso anno monasterio Prataliensi, & Hieronymo ejus abbati bona sua constituta infra plebem sancti Martini, casali *Marcina*. Id discimus ex archivo [a] sanctæ Mariæ in Gradibus; ex Baroncinii [b] autem excerptis habemus Farolfum quondam Lamberti donasse eidem Hieronymo omnes res, quæ sui juris erant in casali *Rode*, & accepisse pro hac oblatione *meritum centuplum, & vitam eternam possidendam*; manu Teuzi notarii. Actum Arretii.

a *Arch. S. Mariæ in Gradibus num.* 11.

b *Donatio* 137. *A.* 1. 49.

ANN. CHR. 1070.

XII. Epistola Damiani ad Petrum senatorem Urbis.

PETRUM senatorem Urbis, qui monasterium vel ecclesiam construere aggressus, nescimus qua de causa, ab incœpto destiterat, ad opus sanctum perficiendum hortatur [c] Damianus, ostendens verum non esse, quod nonnulli effutiebant, *mercedem non tribui a Deo ædificatoribus ecclesiarum*. In hujus rei gratiam Salomonis exemplum affert in medium, & aliud sibi ab *Alphano Salernitano archiepiscopo, viro veraci & prudenti*, relatum, quod is didicerat in urbe Constantinopolitana de quodam imperatore cœco, qui visitata ecclesia sancti Laurentii martyris ab ipsius uxore ædificata, visum receperat. Tertium vero, quod a Desiderio abbate Casinensi sibi narratum fuerat de *Bella sanctimoniali in monasterio beati Petri apostoli urbis Beneventanæ*, quæ spreverat mundanas nuptias, ut cœlestes contraheret; & de Offa, Bellæ magistra, quæ noctu sacrosancta altaria incensabat, ac morti proxima *diu librata perstitit*, toto corpore *sublevata in aerem*, super cujus quoque tumulum saccus frumenti plenus a rustico positus, vi ventorum, sed melius divinæ potentiæ, aliorsum est propulsus. Haud scit Mabillonius [d], an ad hoc usque tempus, idest ad annum 1070. pervenerit Offa sancti Petri intra Beneventum parthenonis abbatissa. Nos tamen existimamus eam obiisse aliquot annis ante hæc tempora; transitum enim Offæ ad Deum intellexerat Desiderius, qui primus hæc in scripta redegit in suis Dialogis, ex relatione Bellæ amitæ patris sui. Bella quoque Offæ discipula hujusque superstes videtur jam diem suum obiisse, antequam Desiderius ista narrasset Damiano; nimirum de Bella dicitur, quod *dum advixit, religiosæ vitæ tramitem non reliquit*. Quare tam Offæ, quam Bellæ mors ante annum 1063. vel saltem ante annum 1066. probabiliter est statuenda, quo familiariter simul degentes Damianus & Desiderius narrationum hujusmodi miscebant invicem colloquia. Epistola vero Damiani ad Petrum senatorem post ipsos annos fuit data, quam nos hic locavimus cum aliis sequentibus nota chronica carentibus.

c *Epist. V. Lib. VIII.*

d *Annal. T. V. pag.* 32.

a AL-

Ann. Chr. 1070.

a Epist. III. Lib. VIII.

XIII. Aliæ ad Albertum & Albericum nobilissimos viros.

[a] Albertum itaque, nobilissimum virum, potentia & nobilitate illis temporibus insignem ad debitam parentibus exhibendam reverentiam provocat; audierat enim illum matrem suam non, quo decebat, honore, pro uxoris, quam *Serenissimam* appellat, amore, prosequi, nullumque illi jus circa domesticam rei familiaris ordinationem concedere; quod ut grave crimen exaggerat. Narrat in epistola historiam de *Arderico Mediolanensi*, quam sibi *pridie post vesperam ex ore ipsius Alexandri papæ contigerat eum audire*. Ardericus matri alapam incutiens, faciem suam pessimo vulnere sauciatam reperit, a quo tamen meritis beati Nazarii, matre intercedente, sanatus fuit. Albericum pariter senatoriæ dignitatis virum, ejusque uxorem Ermilinam, quibus filius infans recens mortuus fuerat, consolari nititur [b] Damianus, ostendens hujuscemodi obitum lætitia potius, quam mærore esse excipiendum. G.. virum nobilissimum ægrotum confortatur [c], docens tribulationes electis Dei servis divinæ prædestinationis esse indicia; quare monet, ut a desperatione caveat, & ad passionum tolerantiam erudit. Epistola [d] demum ad quemdam ægrotum ipsissima est commendatio animæ, qua utuntur sacri ecclesiæ ministri pro tertia oratione in obeuntium levamen, ut animadvertunt Gavantus & Baruffaldus in commentariis ad Rubricas Missalis, & ad Rituale Romanum.

b Epist. IV. Lib. VIII.

c Epist. VI. Lib. VIII.

d Epist. XV. Lib. VIII.

Cum Lucæ hoc anno nonis octobris esset Alexander II. amplissimo privilegio sub sedis apostolicæ tutela suscepit monasterium sanctæ Mariæ de Florentia, & Petrum ejus abbatem. Bulla legitur apud Puccinellium [e], & cum notis chronicis apud Margarinium [f], in qua Alexander utitur his verbis: *Hac ergo causa, tum etiam reverentissimi atque sanctissimi episcopi Petri Damiani Hostiensis & cardinalis nostri interventu ac dilectione plurima*; & inferius: *interveniente Petro episcopo & cardinali nostro confirmamus* &c. ex quibus inferri posset hoc anno Petrum Damianum Lucam ad Romanum pontificem divertisse.

e Chron. abb. Flor. pag. 255.

f T. II. pag. 100.

XIV. Obitus Boni abbatis S. Michaelis Pisarum, inde Gorgonæ.

Communis fert opinio, hunc annum fuisse postremum vitæ beati Boni conditoris & abbatis monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum. In eo tamen errant plerique scriptores, quod Bonum obiisse Pisis arbitrantur, ibique in suo sancti Michaelis cœnobio fuisse tumulatum, cum verisimilius sit ipsum translatum anno 1048. ex regimine abbatiæ sancti Michaelis ad illud monasterii Gorgonæ, ut sub anno 1040. sentit etiam Mabillonius, ibidem quoque sepulcri honore fuisse decoratum. Farullius noster Boni obitum statuit ad annum 1048. immo Minium pariter nostrum redarguit, qui ad annum 1070. assignat ipsius mortem, eoque fundamento innititur Farullius, quia anno 1049. Martinum quemdam reperiri asserit abbatem sancti Michaelis in contractu emptionis bonorum Salviani. Verum licet in repertorio archivi, quod seculo elapso ordinavit abbas tunc sancti Michaelis, episcopus deinde San-miniatensis, domnus Maurus Cursius, statuatur ad eum annum Martinus abbas, ejus tamen nomen errore appositum fuit, cum Martinus non anno 1049. sed post duo integra secula anno 1249. vixerit, ut clarissime colligitur ex nominibus personarum, quæ in eo contractu nominantur, quæque omnes ad seculum XIII. pertinent. Delendus est ergo a serie abbatum sancti Michaelis fictitius ille Martinus, qui irrepsit etiam in dissertationes Camaldulenses Grandii nostri, & substituendus Rusticus immediatus Boni successor, non tamen ob Boni propterea mortem, sed ob dimissum regimen monasterii sancti Michaelis, & ob susceptam alterius abbatiæ insulæ Gorgonæ administrationem. Falsa pariter est vulgata traditio beatum Bonum humatum fuisse in eccle-

ANN. CHR. 1070.

ecclesia sancti Michaelis prope veterem turrim, cui traditioni occasionem facile dederit sepultura data in eodem monasterio anno 1120. beato Egi-noni abbati Augustano sancti Udalrici, dum Pisas transiens ibique infirmatus, & hospitio receptus in monasterio sancti Michaelis extremum diem obiit, & vulgus confuderit abbatem Bonum cum abbate Eginone. Ad diem tertiam aprilis refertur Boni elogium in menologio monastico Buccellini. De ipsius sanctitate, licet vetera monumenta non existant, quæ ejus gesta posteriora, virtutes & obitum indicent, argumentum inde desumi potest, quod ab immemorabili hunc sibi titulum vindicaverit tam apud scriptores rerum Pisanarum Troncium, Cardosum & alios, quam apud Camaldulenses Fortunium, Ractium, Minium, Grandium, & apud exteros quoque Wionem, Buccellinum ceterosque. Ipsius memoriam excitavit postremis temporibus idem domnus Guido Grandius ejusdem monasterii abbas, dum e regione januæ cœnobii, tamquam conspicuiori loco, inter ceteras imagines beatorum Pisanorum Camaldulensis congregationis, illam beati Boni statuit cum sequenti epigraphe.

BEATO. BONO. PISANO

HVIVS. MONASTERII. ANNO. M. XVIII. FVNDATORI

EIVSDEMQVE. PER. XXX. ANNOS. ABBATI

DOMNVS. GVIDO. GRANDIVS. ABBAS. S. TH. DOCTOR

COENOBIO. POST. VII. SECVLA. RESTAVRATO

ANTECESSORI. BENEFICENTISSIMO

MON. HOC. POSVIT. ANNO. M. DCC. XVIII.

XV. Beatricis ducissæ placitum pro abbatia Berardingæ.

INSIGNI charta donati sumus a Cl. V. patricio Senensi & equite divi Stephani Johanne Peccio, quæ continet placitum Beatricis ducissæ & comitissæ ad favorem monasterii sancti Salvatoris de Fonte-bona, quod postea denominatum fuit etiam de Berardinga & Berardingorum. Dum ergo Beatrix resideret in judicio ad justitias faciendas in civitate Florentia & in platea ecclesiæ sancti Johannis-baptistæ, præsentibus & simul cum ea sedentibus pluribus comitibus & judicibus, venit Ardimannus abbas ecclesiæ sancti Salvatoris una cum Gerardo advocato suo postulans ratam legitimeque possessam sibi declarari curtem de *Caspreno* una cum ecclesia sancti Michaelis ibidem ædificata. Cum ergo nullus accederet causam aliquam contra eam curtem & ecclesiam dicturus, pronunciavit Beatrix legitimam esse possessionem Ardimanni & monasterii, pœnamque decrevit contra molestiam afferentes. Placitum signatur: *Anno Dominice incarnationis millesimo septuagesimo post mille octavo calendas junii indictione octava*, stilo scilicet Romano. Nomen Ardimanni abbatis occurrit in codice collectionis monumentorum hujus abbatiæ, qui postea devenit ad Marium Ugurgerium patricium & canonicum Senensem, juxta Benvoglientii, qui eo usus est, syllabum, ab anno 1063. usque ad annum 1081. Successor fuit Petri, de quo diximus ad annum 1056. & distinguendus ab alio Ardimanno abbate, qui floruit sub anno 1007.

XVI. Charta Sanvictoriana. Obitus Gothifredi ducis.

ANNO *don.. pontificatu dogno pape se in sede beatu Petrus principes apostolorum, & sunt anni Domini mille septuainta, & temporibus dongno Gotefredu dux & marchio agno ejus* XIV. vel XII. non enim claræ admodum sunt hæ notæ numerales, *& die mense november per indicione octava*, quæ

 perti-

Ann. Chr. 1070.

pertinet ad hunc annum 1070. Acto presbyter filius quondam Johannis & Berta soror ipsius monasterio sancti Victoris de Clusis & Murico ejus abbati terras donant positas *infra ducatum Spolitinum infra territoriu Castello Petrosu in vocabulo Bovanum*. Notarius ignorabat tunc proprium Romani pontificis nomen; ignorabat etiam Gotifredum ducem & marchionem jam obiisse die vigesima-prima decembris anni antecedentis, ut clare habetur in historia Andaginensi sub numero 32. De ejus obitu consulendi annales ordinis sancti Benedicti in additionibus. Inter cetera habetur fassum illum fuisse *ex edicto Alexandri papæ separatum se esse a marchisa Beatrice, & pro ejusdem separationis conditione structurum congregationem monachorum de communibus possessionibus utrimque Deo devovisse, easdem quoque possessiones amborum consensu denominatas prædictum papam auctoritatis suæ privilegio confirmasse, quocumque sibi placeret, illas adiicere.* Consentanea sunt hæc iis, quæ diximus ad annum 1064. de proposito mutuo Gothefridi & Beatricis servandæ pudicitiæ ex Damiano. Vidimus Beatricem ipsius conjugem viduam jus dicentem die 25. maji, quare mense novembri hujus anni in vivis amplius non erat Gothifredus. Si confugium haberi posset ad annum Pisanum, postrema charta pertineret ad annum antecedentem Romanum, quo mense novembri jam incœperat a septembri indictio octava. Sed annus Pisanus non usurpabatur in Camerinensi marchia, quare ignoratio refundenda est in imperitum notarium. Utramque & superiorem, & postremam chartam, illam ex nostris collectionibus, hanc ex autographo archivi sancti Blasii de Fabriano edimus in Appendice. Ceterum Beatrix, defuncto viro suo Gothifredo duce & marchione Thusciæ, sola deinceps in Thuscia dominium tenuit, assumpta quandoque Mathilda filia in consortium imperii, & quandoque etiam Gothifredo gibbo seu Gozelone filio Gothifredi magni ducis Lotharingiæ, & Mathildæ viro. In tabulario enim sancti Pontiani urbis Lucensis placitum vidimus anni 1073. XVI. kalendas februarii indictione XI. *Cum in Dei nomine in civitate Pisense in palatio domini regis in judicio resideret domina Beatrix hac ducatrix una cum Gotefredo duce & marchione ad causas audiendas* &c. *Bernardus abbas sancti Pontiani* &c.

Ann. Chr. 1071.

XVII. Damianus scribit ad universos suæ congregationis eremitas.

AGNOSCENTEM Damianum viribus se destitui, & versus obitum suum properare, arbitramur hoc circiter tempore epistolam scripsisse [a] *ad universos suæ congregationis eremitas*, eos moniturum, ut se decedente, cuilibet monasterio & eremo restituerentur omnes res illæ, quæ alicubi inventæ fuissent ad alterum locum pertinere. Tempore enim sui regiminis, & quoadusque vixit, in locis a se ædificatis vel sibi commissis communia erant fere omnia, & res necessariæ huc illucque perferebantur, prout fraterna exigebat unanimitas.

a *Lib. VI. epist.* 36.

XVIII. Idem cedit monasterium S. Gregorii episcopo Ariminensi. Subscribit concilio Romano.

HAC eadem propterea de causa factum fuerit, ut Damianus, qui ante biennium monasterium sancti Gregorii juxta Concham fluvium in territorio Ariminensi excitaverat, cuique munificas largitionis tabulas conscripserat Petrus Bennonis filius, hoc anno ipsum cœnobium ad integritatem necdum redactum, neque adamussim perfectæ disciplinæ exactum, concederet atque transferret in jus, & omnino submitteret dispositioni Opizonis Ariminensis episcopi. Integram hujusmodi translationis chartam non ediderunt Secundus Lancellottus, [b] neque Ughellius, [c] sed hæc dumtaxat memoriæ prodiderunt. *Quia*, inquit idem Petrus Damianus Opizonem episcopum alloquens, *in vestra diœcesi positum est, & quia utile & congruum utrisque sanctis locis futurum esse putavimus, & commo-* dius

b *Lib. II. hist. Olivet. pag.* 202.

c *T. II. col.* 421.

dius ac modestius vestro patrocinio gubernari, & subsidio ac defensione credimus subveniri, & munificentia quasi bonæ matris vestræ ecclesiæ misericordia exaltari, qua de re hæc omnia Deo auctore incepimus, & sub hac spe perfecimus &c. Sequenti vero subscriptione submissionem præfatam Petrus adprobavit: *Ego Petrus peccator monachus consensi & subscripsi*; addito etiam signo abbatis, quem inibi constituerat, nimirum: *Ego Ungarus presbyter monachus atque abbas sancti Gregorii consensi & subscripsi*. Sequitur postea duorum monachorum, & scribæ testimonium. Ipse vero episcopus Opizo his verbis utitur in signum receptionis ejusdem monasterii: *Ego Opizo Ariminensis episcopus* &c. *spondeo & obligo in perpetuum de monasterio prædicto fundato juxta Concham in prædio bonæ memoriæ Petri Bennonis per domum Petrum Damiani religiosum anachoretam & præsulem* &c. Ughellius scripsit Obizonem electum fuisse Ariminensem episcopum anno 1071. sed sibi non constat, dum post paucas lineas asserit eo præsule in Ariminensi agro celebrem abbatiam sancti Gregorii ordinis sancti Benedicti excitatam fuisse a sancto Petro Damiano episcopo cardinali Ostiensi anno 1069. &c. ergo non anno 1071. electus fuit episcopus, cum saltem anno 1069. eam cathedram obtineret. Favit deinde Opizo Guiberto antipapæ, fuitque unus ex tribus, teste Bertholdo Constantiensi, qui eumdem in Romanum pseudo-pontificem inaugurarunt. De Ungaro seu Ungano abbate mentio recurret etiam ad annum 1080. Damianus vero solito suo titulo peccatorem se subscribit, ut in aliis bullis pontificiis eatenus se subscripserat. Ceterum abbatia sancti Gregorii post varias vices anno 1402. a Carolo Malatesta Ariminensi principe eremitis sancti Paulli collata fuit, sed iis breve post tempus loco cedentibus, utpote quia Germani ut plurimum & Hungari Italicam vitæ rationem ignorabant, Martinus V. Romanus pontifex anno 1421. Ariminensi episcopo Hieronymo ordinis eremitarum sancti Augustini dedit in mandatis, ut Paullinorum domicilia & templa vel Cartusianis, vel Olivetanis, vel quibus tandem idem Carolus vellet, traderet. Carolus præ ceteris monachos Montis-oliveti elegit. Nicolaus V. anno 1447. literas dedit, ut ad Scholchense monasterium tamquam supremum essent posthac referenda templa sancti Laurentii in Monte, & sancti Gregorii juxta Concam, atque sancti Spiritus xenodochium. Jura ergo in præfata loca & in Gregorianum Ariminense monasterium obtinuerunt ab eo tempore monachi congregationis Olivetanæ, qui ad hodiernam diem eorumdem locorum sunt possessores.

Circa hæc tempora celebratum fuit ab Alexandro II. Romano pontifice concilium in causa Gratiani & Samuelis episcoporum Ferrariensium, quorum ille pro legitimo habitus est, hic vero excommunicatus & anathematizatus. Interfuit huic synodo & Petrus Damianus, qui tertio loco post Alexandrum, & episcopos Albanensem & Portuensem Bonifacium & Johannem subscripsit. Cl. vir Dominicus Mansius, [a] qui concilium hocce ex veteris Ferrariensis codicis tenebris eruit, post annum 1067. habitam synodum scribit, immo forte post annum 1070. Certe ante initia anni 1072. est statuenda, cum secundo mense ejus anni ad Deum evolaverit Petrus Damianus. Leguntur in hoc concilio nomina plurium episcoporum, vitiata equidem enormiter, quibus medicam manum apponere satagit idem Mansius. Andulfus Selestranæ ecclesiæ episcopus juxta nos est Andulfus Feretranus episcopus, qui hoc tempore vivebat. Ubaldus Eugubinus episcopus est Ugo vel Hugo hujus nominis II. post Dominicum, cum enim facile per initialem literam V. designatum fuisset ipsius nomen, exscriptor Ubaldum pro Ugone supposuit. Unichilelus Senogalliensis nomen corruptum

a *Supplem. Concil. T. III. col.* 1383.

ANN. CHR. 1071.

Guillelmi, cujus supersunt ad hæc tempora alia monumenta, sicut & Benedicti Foro-sempronienſis, & Lotharii Auximani. De Dominico Gradensi patriarcha vide, quæ diximus ad annum 1068. Abizo abbas forte Albizo abbas sancti Januarii Campi-leonis. Dedatricus Firmensis episcopus idem ac Oldericus, cui extat inscripta epistola Damiani. Johannem Sutriensem ex Lucentio memoravimus alibi floruisse ad annum 1066. Cetera nomina ad rem nostram non faciunt.

XIX. Constantinus ep. Arretinus consecrat ecc. S. Petri Piccoli.

CONSTANTINUS episcopus Arretinus cum presbyteris & diaconibus sollemni ritu consecravit ecclesiam *sancti Petri*, *qui vulgo cognominatur Piculo* hoc *anno millesimo septuagesimo primo regnante Henrico rege octavo kalendas februarii indictione nona*. Inter hujusmodi sollemnia Ugo, Albertus & Rainerius fratres filii quondam Petri per fustem, quem tenebant in manibus, & pro redemptione animæ genitoris sui tradiderunt in manus Constantini episcopi totam & integram decimationem de suis frugibus in terris & vineis in toto comitatu Arretino: episcopus vero ipsam decimationem præfatæ ecclesiæ concessit. Chartam exscripsimus ex tabulario monasterii sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio & in Appendice edimus, sicut ex illo Fontis-boni aliam exemplavimus, qua idem Constantinus Arretinus episcopus & comes *anno millesimo septuajesimo primo mense december indictione decima*, quæ initium sumpserat a mense septembri, tradit & confirmat monasterio sanctæ Mariæ & sancti Benedicti de Pratalia, ubi erat abbas domnus Hieronymus, terram cum silva *in plebe sancte Marie sito Partina & casale Martignano in avocabulo Vespolo* &c. cui post ipsum subscribit Paganus vice-dominus.

XX. Chartæ Sanvictorianæ, Vangaticienses, & Pisanæ.

MONASTERIO sancti Victoris de Clusis & Murico ejus abbati Petrus Johannis filius donavit hoc eodem anno res suas, quas habebat *infra comitato Kamarinensi*, *& in loco*, *qui dicitur a la Cuccu da sanctum Johannes*. Donationis hujus autographum reperitur in archivo sancti Blasii de Fabriano; sicut in illo sanctæ Mariæ Vangaticiæ alia legitur facta a Petro Caliaro filio quondam Petri de loco Carpi eidem monasterio & Petro abbati largitio rerum, quas possidebat *in comitatu Veronensi & in finibus isola de Carpi*. Animadversione dignum est in ipsa charta hoc *anno millesimo & septuagesimo primo quarto kalendas genuarius indictione nona* monasterium sanctæ virginis Mariæ, quod erat constructum in finibus Vangaticiæ, denotari constitutum in loco, *ubi dicitur Petra*, & conservasse nomen, quod obtinebat etiam circa medietatem seculi elapsi. Petrus abbas custos & rector ipsius monasterii est Petrus Vangaticiensis scriptor vitæ sancti Theobaldi, qui ante plures annos successerat Andreæ in regimine ejusdem monasterii. Hæ omnes veteres chartæ locum habent in nostra Appendice, ad quam remittimus alias duas ad monasterium sancti Michaelis in Burgo Pisarum, & ex ejusdem loci archivo transcriptas, signatas quidem, primam *anno ab incarnatione Domini mille septuagesimo secundo*, *quarto kalendas aprilis indictione nona* sed more Pisano, nam stilo Romano indictio pertinet ad annum 1071. & alteram *anno millesimo septuagesimo secundo quartodecimo kalendas octobris indictione decima* inchoata a mense septembri. Prima continet donationem Williæ filiæ Teuti, quæ, consentiente Fralmo mundualdo suo, offert *Deo & monasterio sancti Michaelis*, *qui est posito foras civitate Pisa prope porta*, *que dicitur Samuelis*, *ubi domnus Rusticus abbas preesse videtur* terras *in loco*, *qui dicitur Carragna sancti Pepuli*, *capo uno tenet in terra & monasterium sancti Zenonis*, *& alio capo tenet in terra Comunalia*, *lato uno tenet in Carraria*, *& alio lato tenet in terra & monasterio sancti Mazzen*.. *Actum Pisa prope ecclesia*

sancto-

sanctorum Justi & Clementis. Secunda vero est donatio cujusdam Bellæ concedentis terram in loco, *ubi dicitur Fossa bandi* eidem monasterio. *Actum foris civitatem Pise prope ecclesiam sancti Petri a vinculis*. Illustrari possunt his chartis a doctis Pisanis ecclesiæ & monasteria ejusdem urbis.

ANN. CHR. 1071.

Algozo quondam Bonhomi [a] promittit ecclesiæ sancti Clementis, & Cunizoni ejusdem ecclesiæ præposito, servaturum se quasdam res, quas tradiderat eidem ecclesiæ. Erat ecclesia hæc, ut sæpe monuimus, subjecta abbatiæ Prataliensi.

a *Arch. S. Mariæ in Grad. n.* 12.

ANN. CHR. 1072.

XXI. Henrico Ravennati archiep. succedi Wibertus.

HENRICO Ravennati archiepiscopo extra Romanæ ecclesiæ communionem defuncto Wibertus jampridem ante annum 1062. regius in Italia cancellarius, & eo munere ipso anno spoliatus, substituitur præsenti anno ad eam ecclesiam regendam ex electione Henrici regis, quam tamen ægro animo confirmavit Alexander papa II. Rubeus & Ughellius putant Henricum Ravennatem decessisse anno 1070. Baronius vero ipsius obitum statuit ad annum 1072. & rectius quidem judicio nostro. Cum enim statim post ipsius mortem Alexander II. Damianum legatum miserit Ravennam pro ea ecclesia cum Romana concilianda, & functus legatione sua Damianus vix ex ea urbe rediens obierit die XXII. februarii hujus anni, videtur vel ad finem præcedentis, vel ad initium præsentis anni consignandus decessus Henrici Ravennatis archiepiscopi.

XXII. Damianus Montem-casinum petit.

ANTEQUAM postremam hanc Damiani legationem referamus, quid ipse præstiterit, & quænam ipsam legationem præcesserint, ni fallimur in conjecturis nostris, in medium producamus. Arbitramur nimirum Damianum una cum Alexandro II. & cum ceteris cardinalibus & Romanis episcopis convocatum a Desiderio abbate interfuisse dedicationi basilicæ novæ Montis-casini, de qua Leo Ostiensis loquitur capite XXX. ibique peracta dedicatione aliquantum temporis commoratum fuisse usque ad initium hujus anni, quo audita Henrici Ravennatis morte, Ravennam directus fuerit ab Alexandro, & ita in Monte-casino constitisse a kalendis octobris, quo die sollemnis facta fuit ecclesiæ consecratio, usque ad novum inceptum annum. Ut id asseramus, movet nos [b] epistola a Damiano scripta Mainardo episcopo Eugubino, in qua testimonium profert historiæ *hesterna die* sibi relatæ a *Johanne Marsicanæ ecclesiæ quondam archipresbytero, nunc autem religioso in Casinensi cœnobio monacho*. Porro Johannes archipresbyter anno dumtaxat præsenti 1072. vestem monasticam induit in eo cœnobio, ut constat ex sequenti monumento, quod [c] ex Montfauconio [d] & Mabillonio subjicimus.

b *Ep. VIII. lib. IV.*

c *Diar. Ital.*
d *Annal. T. V. pag.* 49.

Anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo secundo indictione decima, cum post transitum sanctissimi & eximii patris Benedicti in hoc ejus venerabili cœnobio Casinensi, ubi sacratissimum ejusdem patris & legislatoris nostri, atque ipsius egregiæ sororis Scholasticæ corpora honorifice humata quiescunt, septimo & tricesimo loco domnus Desiderius venerabilis abbas præesset; inter cetera suorum monimenta magnalium, quibus præ omnibus suis antecessoribus mirifice floruit, hunc quoque pulcherrimum librum describi præcepit, continentem scilicet eas lectiones, quæ in vigiliis præcipuarum festivitatum, id est Nativitatis Domini, sancti Stephani, sancti Johannis-evangelistæ, epiphaniæ, resurrectionis, ascensionis, ac pentecostes debeant legi. Quem videlicet librum ego frater Johannes, Marsicanæ dudum ecclesiæ archipresbyter, nunc autem ultimus ejusdem sancti loci famulus, ob meam meorumque salutem ex propriis sumtibus componere feci; ipsique sanctissimo patri Benedicto eo die, quo ejus habitum suscepi, super ipsius altare devote obtuli; con-

Ann. Chr. 1072.

contestans, ut si quis hunc quolibet obtentu ex hoc sancto loco auferre præsumpserit, cum illis mansionem sortiatur æternam, quibus in extremo judicio dicturus est Christus: Ite maledicti &c.

Inscriptum est hocce monumentum in tabella ejusdem codicis continentis lectiones, quæ in vigiliis præcipuarum festivitatum recitantur, & oblati a Johanne præfato monacho sanctissimo patri Benedicto super ejus altare die, quo veste monastica donatus fuit.

XXIII. Historia Alberici episcopi Marsicani.

Colligitur ex his liquido initio hujus anni Damianum Casini moras traxisse, & allocutum fuisse Johannem olim archipresbyterum, nunc monachum, quem ante hunc annum, aliis nimirum vicibus, quibus Casinum adivit, utpote nondum monachum, alloqui non potuit. Porro historia, quam ei narravit Johannes monachus Casinas, quamque integram retulit Damianus in epistola ad Mainardum Eugubinum, continet factum Alberici Marsicani episcopi, qui *obscœnæ meretriculæ prolectarius adhærebat*. Timens Albericus Ottonis augusti adventum, meretricem *sacro velamine indutam sanctimonialem* constituit, sed post imperatoris abscessum, *ad pristinæ fœditatis ignominiam rediit, & ex eadem tartarei postribuli victima filium procreavit*, quem pater sibimet in episcopali dignitate substituit. Insuper dominandi cupidine abreptus *locutus cum quibusdam pestilentissimis monachis, deinde cum nonnullis Deum nescientibus laicis, centum librarum Papiensis monetæ* pretium spopondit, ut cæcato abbate, qui tunc præerat (is erat Manso) Casinense monasterium sibi traderetur. *Corrasis undecumque potuit, atque congestis aureis muliebribus ornamentis sexaginta librarum pretii, ad beati Germani oppidum per suos complices* eam summam misit; *satellites autem Satanæ comprehenso violenter abbati oculos eruunt, eosque linteolo protinus involutos* ad complices transmittunt, qui festinanter ad propria remeantes, tamquam voti compotes, a peregrino inquirunt, quid novi ferret? & peregrinus Albericum, qui dudum fuerat episcopus, obiisse respondit, *illa signanter hora, qua abbati lumen avulsum est. Filius autem ejus, apostolus videlicet anti-christi, quem in ecclesiasticæ dignitatis apicem pater allexerat, quanto tempore supervixit, multas calamitatum atque contentionum amaritudines pertulit, postremo ferocibus suorum gladiis undique perfossus occubuit*. Historiam hanc consulto retulimus ex Damiano de Alberico & ejus filio, quam etiam integram habemus in Leone Ostiensi, quia Ughellius [a] multa silentio præteriit de Alberico, quem anno 970. Marsicanis datum fuisse episcopum scribit, & anno 981. consensisse judicato in gratiam abbatis sancti Vincentii de Vulturno, circa annum vero 994. successorem accepisse Quinizium filium suum spurium affirmat. Ex Leone [b] autem liquet Albericum obiisse anno 997. vel 998. *octabo decimo KL. decembris*, qua die obcæcatus fuit Manso, ut idem habet; cum enim Manso ex ipso Leone [c] successerit Aligerno defuncto die XXIII. novembris anno 986. & *sederit annis undecim*, conficitur ipsum non anno 994. ut putavit Ughellius, sed neque anno 995. ut existimavit [d] Mabillonius, verum anno 997. seu etiam 998. die XIV. novembris lumine oculorum privatum fuisse, eademque die statuendam esse Alberici Marsicani episcopi mortem.

[a] T. I. col. 888.

[b] Lib. II. cap. 16.

[c] Ibid. cap. 12.

[d] Annal. T. IV. p. 103.

XXIV. Epistola Damiani ad Mainardum ep. Eugubinum.

Mainardus monachus olim, ut creditur, sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, & Damiani propterea discipulus, Eugubinæ tunc ecclesiæ, post Hugonem, de quo ad annum 1062. præfecturam obtinebat. Tempore sui episcopatus, *prædia ecclesiæ prodige secularibus fuerant tradita, ornamenta diversi generis nocenter exposita*. Admonet itaque ipsum Damianus, ut *insigniora vel optima ablata* recuperare conetur; hortatur insuper, ut mores suos corrigat, nec delectetur fallacium divitiarum copiis, neque de cathe-

dræ

dræ ambiat honore, & superiori historia eum deterret a malis peragendis. Scimus Ughellium inserere medium inter Rodulphum & Hugonem Mainardum, quem postremum ad annum M.LXI. vixisse tradit; Sartium vero referentem obitum Rodulphi ad annum 1066. post eum annum locum facere Mainardo. Verum allata a Damiano historia certiorem ipsius sedis tempus ad hunc annum statuere videtur. Immo, cum ipsum objurget Damianus tempore sui episcopatus prædia ecclesiæ prodige secularibus fuisse tradita, verba hæc indicant non ante annum vel ad summum ante sesqui annum Mainardum post Hugonem eam cathedram conscendisse, sed ab aliquo tempore ecclesiam Eugubinam rexisse; quare in dubium revocaremus indictionem octavam appositam sententiæ Alexandri II. contra episcopum Senogalliensem occasione ecclesiarum massæ Sorbituli, de qua egimus ad annum 1062. eamque latam non anno 1070. sed 1062. putaremus, ut affertur in Conciliorum editionibus, adeo ut Hugoni post annum 1062. successerit in regimen ecclesiæ Eugubinæ Mainardus, ac ita ad multum tempus prodegerit bona suæ ecclesiæ; vixerit autem proxime usque ad annum 1074. quo Gregorius papa VII. scribens clero & populo Eugubino IV. nonas januarii optime usurpare potuerit verba hæc. *Ex quo ecclesiam vestram pastore viduatam esse cognovimus, multa pro vobis sollicitudine anxii fuimus. Atque eo magis hac de causa sollicitamur, & attentius Deo preces effundimus, quoniam retroactis temporibus non sat vigilantem vobis pastorem præfuisse cognovimus*, respiciens nimirum ad tempora Mainardi. Electus autem post ipsum fuerit Eugubinus episcopus Hugo II. hujus nominis, memoratus in veteri charta anni 1076. apud eumdem Sartium. Ceterum Mainardi nomen legirur in necrologio Avellanensi ad diem octavam decembris: *Obiit dn. Mainardus episcopus Eugubinus monachus nostræ congregationis*, qui proinde obierit anno 1073. viginti-quatuor diebus ante Gregorianam epistolam.

XXV. Ejusdem legatio Ravennas, quæ postrema fuit.
a Cap. XXI.

NUNC postremæ Ravennatis legationis Damiani historiam verbis ipsius Johannis Laudensis, qui comes erat itineris, referamus. *Jussu Alexandri II. Romani pontificis*, ait, *Ravennam patriam suam proficisci præcipitur, rem valde necessariam saluti totius urbis, cleri ac populi peracturus. Erat quippe tunc temporis defunctus ejusdem urbis archiepiscopus, qui pro sua protervia sententia Romanæ synodi olim fuerat communione privatus, qui tamen cum nimia temeritate nequaquam ob illatam sibi sententiam tremefactus, ab archiepiscopali temperaret officio, consentaneum sibi populum sua contagione misere fœdavit, totamque ecclesiam illicitis ausibus prophanavit. Tandem vero de medio prophanatore sublato, præfatus apostolicus tam numerosi populi exitiale contagium fraternis visceribus miseratus, tantum patrem, qui auctoritate apostolica eumdem reconciliando absolveret illo delegare decrevit: neminem scilicet ad hoc opus gerendum digniorem vel aptiorem existimans, eo quod is non modica existeret auctoritate subnixus, ac per regenerationis gratiam ejusdem esset ecclesiæ filius, ipsiusque hortatu, idem sæpe numero ad hanc clementiam provocatus. Quam utique legationem ille, licet jam ætate confectus, ut strenuus filius, maternis beneficiis non ingratus, optato suscepit. Nam gratulabatur se tandem reperisse aliquid, quod ob sui debitum obsequii piæ posset persolvere matri. Quo cum Domino suffragante prospero pervenisset itinere, in manu civium susceptus ingenti cum lætitia sui causam patefecit accessus: super quo cives illi immodice jucundati, immensas Deo, qui eos respexerat, Christique vicario, qui hunc talem & tantum virum ad se direxerat, gratias referentes, prævaricationis suæ pœnitentiam humiliter egerunt: unde & reatus veniam, quam suppliciter postulabant,*

Ann. Chr. 1072.

bant, atque absolutionem, ex apostolicæ auctoritatis munere, gratulabundi percipere meruere. Absoluto itaque ab excommunicationis illius vinculo, cunctæque ecclesiæ dono gratiæ maternæ concesso, tota urbe immanis effecta est exultatio.

XXVI. Faventiæ sanctum Deo spiritum reddit.

Completa legatione, Ravenna discedens sanctus senex, febre mox correptus, Faventiæ subsistere coactus fuit, ubi etiam ætate & laboribus ac pœnitentiis fessus & attritus sanctum Deo spiritum reddidit. Sed præstat individuum horum posteriorum temporum comitem, discipulum suum & vitæ scriptorem Johannem Laudensem audire. *Istis vero* [a] *aliisque nonnullis negotiis, quæ tantum virum gerere decebat, patratis, iter suæ legationis, egressus urbe, pergere cœpit. Cumque prima mansione Faventiam tenuisset, apud venerabile monasterium quoddam beatæ Mariæ Dei genitricis, quod foris portam nuncupatur, decenter susceptus, mox febre correptus decubuit. Qua nimirum in dies invalescente, circa medium octavæ noctis silentium, quæ cathedræ beati Petri apostoli anniversariæ diei celebritatem ducebat, exitus sui horam appropinquare cognoscens, extemplo, nobis lectulo circumstantibus, nocturnum seu matutinale officium totum peragere jussit, volens utique prius sollemnitati apostolicæ vota persolvere, ac sic demum securus abire. Tota ergo peracta synaxi, sanctum post modicum Domino spiritum corporeis reddidit nexibus absolutum, ut ea videlicet die, qua præsens meruit ecclesia in pastorali Petrum sede locare, eadem Petri discipulum cœlestis curia in beata susciperet sede. Cum ergo ipsius transitus illico nuntiatus in urbe fuisset, ab iis videlicet, qui circa eamdem domum excubabant, ne vel corpus exanime a suis monachis, qui de vicino ipsius monasterio advenerant, furto asportari potuisset, tota civitas repente ad ejus exequias ingenti concursu læta properavit. Quorum multitudine, dum ecclesia, qua locatus fuerat, subito referta fuisset, & qui pio funeri prius accedere unanimiter gestirent, undarum more retrorsum se invicem repellebant, tantoque tardior cuique accessus patebat, quanto celerius pervenire tumultuando satagebat. Quicumque autem ad ipsum accedere, ejusque loculum merebantur attingere, pia gratulabantur oscula, illatis muneribus ejus pedibus seu linteaminibus ipsis, infigere. Porro mausoleum interea officiosissime præparatur. Ab alia siquidem basilica quadam eminus sita immane labrum lapideum nitido candore decorum mira facilitate quantocius non absque ipsorum quoque deferentium admiratione, ac si levissima materies quælibet advehitur, atque in ipsa beatæ Dei genitricis basilica a fronte chori, juxta gradus videlicet, quibus ad altare ascenditur, decenter componitur, ibique sacerdotis Christi venerabile corpus summa cum exultatione cunctorum reverenter reconditur, omnibus in psalmis & hymnis voces in excelsum tollentibus, dignaque Deo gratiarum præconia totis viribus exhibentibus, cujus munere tanto se ditatos fore beneficio gratulabantur. Ipsi gloria, laus, virtus, honor, & decus, atque imperium sit nunc, & semper & omne per ævum. Amen.*

[a] Cap. XXII.

Abbas monasterii sanctæ Mariæ foris portam Faventinæ urbis erat hoc anno Andreas, nominatus in chartis tabularii hujus cœnobii ad annum 1071. indictione nona, & rursus ad annum 1074. indictione duodecima. Is facile successerat Eleuchadio, de quo verba fecimus sub anno 1052. Hic etiam, licet extra locum suum, animadvertimus Eleuchadii nomen signatum quoque esse ad annum 1022. in iisdem chartis, quamvis ad annum 1033. sub Conrado imperatore & indictione prima abbas ejusdem monasterii appelletur Guarinus, & juxta Tonduccium ad annum 1026. præfecturam loci obtineret Johannes.

XXVII. Ipsius obitus ab anno 1072. non removendus.


Postremum hunc fuisse annum vitæ Damiani testem omni exce-

ptione

ptione majorem, adhibemus Bertholdum Constantiensem presbyterum scriptorem coævum, qui in Auctario ad Hermanni Contracti chronicon sub anno 1072. hæc habet. *Petrus Damiani piæ memoriæ cardinalis episcopus jamdudum mundo crucifixus migravit ad Dominum* VIII. *kalendas martii, cui dominus Geroldus revera monachus, scientia Scripturarum insignis, & moribus suo prædecessori non impar in episcopatum successit*. Eidem Geroldo seu Giraldo Ostiensi episcopo anno sequenti pridie kalendas maji post dies octo a Gregorii VII. electione, idem Romanus pontifex literas dedit, „ ut jam appareat, inquit Baronius, ipsum Petrum esse defunctum, at„ que post obitum eumdem successorem habuisse, quem vivens, licet diu „ multumque petiisset, consequi numquam potuit. “ Reperitur tamen Giraldus Ostiensis episcopus subscriptus diplomati Philippi regis Francorum pro dedicatione ecclesiæ sancti Martini de Campis ad annum 1066. ut proinde constanter reluctanti Damiano suffectus videatur in episcopatu Ostiensi etiam dum hic viveret, licet Ostiensis episcopi titulo vel post annum 1066. Damianus insigniatur. Nos propterea latet, quibus fundamentis innixi Fortunius noster, Sigonius, Rubeus, Ricordatus, Wion aliique quamplures differant Damiani obitum ad annum 1080. asserantque ipsum missum fuisse legatum Ravennam post hunc annum, & quidem a Gregorio VII. pro ea urbe reconcilianda cum Romana ecclesia. Hæc siquidem habet Fortunius: „ Jam vero in senectutem vergens & nimia vitæ austerita„ te defatigatus, cum de propinqua rescissione tabernaculi corporis sui co„ gitare cœpisset attentius, rursus a Gregorio pontifice legatus apostolicus „ Ravennam mittitur, quod populus ibi archiepiscopum damnavisset, & „ expiationis piaculo cum ipso indigeret. Eo cum se vir beatus contulis„ set, & omnia habita concione in bonum statum pontificia auctoritate „ reposuisset; exinde Ravenna digressus, monachos, quos Faventiæ insti„ tuerat, visitare voluit. Erat tunc cœnobium extra urbis portam, quod „ nunc intra urbem receptum cernitur. Ubi febre correptus & laboribus „ consumptus, peregrinationem hujus vitæ pariter cum legatione absolvit „ felicissimo, & angelico ad cœlos transitu ad VIII. kal. martii nocte an„ tecedente M. XXC. “ Pejus errat Johannes-antonius Flaminius Foro-corneliensis in vita ejusdem sancti doctoris, qui agnoscens Petrum Ravennam fuisse destinatum ab Alexandro II. post obitum archiepiscopi illius urbis, qui certe fuit Henricus, & peracta legatione, dum Romam redibat, Faventiæ ingravescente morbo substitisse, ibique octava die ad superos evolasse, ad calcem tamen habet: „ Beatus autem Petrus circa annum Do„ mini millesimum & octogesimum diem suum obiit, septennio nimirum a morte Alexandri II. Sed omnium superavit errorem anonymus monachus Avellanensis (floruit hic circa annum 1537.) qui Damianum sub anno 1100. IV. idus aprilis diem clausisse extremum, testatum reliquit. Addunt etiam prædicti auctores „ ab eodem Gregorio VII. constitutum fuisse Da„ mianum suum de latere legatum per totam Italiam, ut promulgaret „ decreta de dicendo officio beatæ Mariæ Virginis, quod ubique siluerat, „ simul ut jejunium sextæ feriæ in honorem sanctæ Crucis indiceret, quod „ obliteratum esse videbatur, munusque hoc Petrum ardentissima caritate „ obiisse, multis ac multis difficultatibus Deo juvante superatis. “

Super januam ecclesiæ sancti Donati in Citille in valle Grevis diœcesis Fesulanæ lapis prominet, in quo sculpta est sequens inscriptio, cujus exemplum humanissime ad nos transmisit Cl. V. Antonius-franciscus Gorius.

Ann. Chr. 1072.



HÆC. ECCLESIA. DE
DICATA. EST. AD
HONOREM. DEI. ET. SANCTI. DONA
TI. ET. SANCTI. NICHOLAI. A. PETRO
EPISCOPO. ROMANÆ. ECCLESIÆ. CARDI
NALI. ANNO. DOMINI. NOSTRI IHESV
CHRISTI. M. LXXII.
INDICTIONE. X.
XII. KAL. NOVEMB.

Cujus tamen ecclesiæ dedicatio referri nequit ad Petrum Damianum Ostiensem episcopum, quippe qui ante octo menses ad Deum evolaverat; requirendus propterea alter Petrus cardinalis & episcopus, qui Alexandri II. temporibus floruerit, & mense octobri hujus anni supervixerit.

Quoad diem pariter obitus Damiani dubitare nos non sinit laudatus Johannes Laudensis, qui scribit: *Circa medium octavæ noctis silentium, quæ cathedræ beati Petri apostoli anniversariæ diei celebritatem ducebat, exitus sui horam appropinquare* cognovisse, & *ea die, qua præsens meruit ecclesia in pastorali Petrum sede locare, eadem Petri discipulum cœlestem curiam in beata suscepisse sede*, hoc est die vigesima-secunda februarii. Consulantur notæ ad Sacramentarium, quod habetur in Appendice, ex quibus liquet tempore Damiani in ecclesia unicum agnitum fuisse cathedræ sancti Petri festum diem ad diem 22. februarii, quo & Antiochenæ, & Romanæ cathedræ celebrabatur memoria. Eamdem diem assignant Petri morti martyrologia & catalogi omnes nostri. Quare errori scriptoris necrologii Avellanensis tribuendum est, quod ad diem XXIII. martii habeatur: *Depositio patris nostri Petri Damiani cardinalis Romanæ ecclesiæ & episcopi Ostiensis*; scilicet mensem martium pro februario scriptor sumpsit. In eodem tamen necrologio ad diem XXII. februarii legitur: *Obiit domnus Petrus Damianus*; verum cum hac die notatus nullo adjuncto titulo insigniatur, arbitramur

hunc

Ann. Chr. 1072.

hunc fuisse Petrum Damianum Avellanensem monachum, qui posteriori ævo vixerit.

XXVIII. Quanta falso dicta de vario Petri Damiani monachatu.

Mirari subit, quanta de Petro Damiano, ejusque vario monachatu enuntiaverint auctores, quæ falsitatis omnino convincuntur. Anonymus monachus, qui vixit circa annum 1480. in historia monastica ms. penes Constantinum Cajetanum scribit: " Damianum dimisso episcopatu monachum „ induisse in monasterio sanctæ Mariæ sito Faventiæ ordinis monachorum „ congregationis sanctæ Crucis Avellanæ, qui vestiuntur albo & cuculla „ alba, ibique multa pœnitentia peracta obiisse monachum in præfato „ monasterio XI. kalendas martii. " Ricordatus vero asseruit in eodem monasterio cœnobiticam assumpsisse cucullam Damianum, antequam ad dignitates ecclesiæ raperetur. Trithemius [a] Petrum nostrum monachum Vivariensis cœnobii facit, cui etiam tribuit opus *de situ & fundatione* ejusdem *monasterii*. Franciscus Petrarcha Avellanensis eremi tunc primitus incolam fuisse Damianum autumat, cum ab episcopatu se abdicavit. Eadem asserunt in vita sancti Johannis Laudensis anonymus auctor ille, qui floruisse creditur circa annum 1125. & alter auctor chronici Gualdensis, qui scripsit circa annum 1325. apud eumdem Cajetanum. Arnoldus Wion ipsum præterea confundit cum Petro de Honestis; & Volaterranus insuper inter professores regulæ divi Augustini Damianum recenset, quem vixisse putat in monasterio sanctæ Mariæ Ravennatis. Idipsum testantur Alphonsus Ciaconius, Augustinus Ticinensis canonicus regularis, pluresque ex eorumdem canonicorum scriptoribus. Atque illud in hujus sententiæ testimonium adducunt, quod Danthes, incola aliquanto tempore eremi Avellanensis, mentionem faciens Petri Damiani, hæc cecinerit:

[a] De viris illust. O. S. B. Lib. II. cap. 93.

In quel luogo fui io Pietro Damiano,
Et Pietro peccator fu nella casa
Di nostra Donna in sul lito Adriano.

Non animadvertentes de duplici Petro eo loco sermonem habere Danthem, & utrumque quidem Ravennatem fuisse, at primum monachum & cardinalem, secundum vero clericum peccatorem, ut se præ humilitate vocabat, & auctorem regulæ, quam ex sanctis patribus concinnavit pro clericis, & confirmavit Paschalis papa II. quique in litore maris Adriatici in honorem beatæ virginis Mariæ monasterium excitavit, vulgo dictum *santa Maria in Porto di Ravenna*. Possevinus vero Petrum Portuensem confundit cum Damiano, constituens illum monachum & cardinalem, omniaque illi tribuens, quæ ad Damianum spectant. Videatur Cajetani præfatio in regulam Petri clerici peccatoris, ubi eruditione multa & rationum copia unum ab altero diligenter distinguit.

Hucusque allatas de Petro Damiano, ejusque vario monachatu diversas opiniones missas facimus, neque in præsenti oppugnamus, cum ex iis, quæ copiose digessimus in Annalibus nostris, atque ex testimonio Johannis Laudensis, comitis & discipuli intimi Damiani, luce clarius innotescat ipsum monasticæ seu eremiticæ vitæ nomen dedisse primum & unice in monasterio sancti Andreæ, seu sanctæ Crucis de Fonte-avellana, & ab eo abstractum, ut ecclesiæ Dei, sedique apostolicæ inserviret, numquam quievisse, nisi cum copia ei iterum facta fuit eamdem eremum, aliasque ab eo fundatas repetendi, sanctoque otio indulsisse partim, partim legationibus functum fuisse, donec prope septuagenarius, præsenti Christi, & sexagesimo-sexto ætatis suæ anno, obiit in monasterio sanctæ Mariæ foris portam Faventiæ.

Defecisse magnum lumen & ornamentum christianitatis ob ipsius scien-

Ann. Chr. 1072.

tiam, rarumque zelum, qui in ejus actionibus enitet & in libris, qui testes etiam sunt felicissimi & piissimi ipsius ingenii observat [a] Muratorius, qui alibi [b] eum appellat astrum magnum sanctitatis & literaturæ. In his tamen, subdit, optandum foret, ut magis pepercisset allegoriarum copiæ, majoremque cautionem adhibuisset in prodendis tot visionibus & miraculis, quæ in dubitationem inducere possent etiam de veritate certiorum factorum. Verum alibi occurrimus Muratorio, ostendimusque non Damiani, sed hanc fuisse seculi indolem, omnesque pene narrationes suas Damianum fulcire consuevisse auctoritatibus summorum virorum, qui tunc florebant, ut puta Leonis IX. Desiderii seu Victoris II. Alexandri II. Hildebrandi & Humberti cardinalium, Raynaldi episcopi Comensis, Hugonis abbatis Cluniacensis, Agnetis imperatricis &c. scimusque, quantum a mendacio aliena foret mens Damiani, neque putandum est ipsum falsis vel inverisimilibus narrationibus confirmare voluisse res, quibus certissimas aliunde probationes feracissimum ejus ingenium poterat suppetere, & etiam suppetebat.

a *Annal. T. V. pag.* 230.

b *Ibid. T. V. p.* 158.

XXIX. Ipsius elogia.

Zeli ipsius causa *Hieronymum juniorem* Damianum appellavit Baronius; idque mutuatus fuit a Bernardo seu Bertholdo Constantiensi presbytero, qui in libro de evitanda excommunicatorum communione *alterum Hieronymum in nostro tempore* vocat. „ Deus quoque, ait idem Baronius, in „ hoc deploratissimo seculo cum excrevisset ad ecclesiam obruendam dilu„ vium carnis, dedit Mundo tantum virum, qui austerissimæ vitæ exem„ plo, verbique prædicatione & scriptis exsiccaret tantam putredinem, „ pariterque pugnaret adversus simoniacam hæresim, quæ ubique locorum „ grassabatur impune. “ Supradictus Bertholdus semper cum honore Damianum nominat. Ad annum 1057. *Sic piæ memoriæ Petrus Damiani cardinalis episcopus suis in literis testatur*. Ad annum 1058. *Hunc etiam papam*, Nicolaum II. *Petrus Damiani piæ memoriæ episcopus ad corrigendam juxta canones clericorum incontinentiam provocavit*. Ad annum 1066. *His temporibus venerabilis Petrus Damiani ex eremita cardinalis episcopus multa conscripsit & incontinentiam sacerdotum satis rationabiliter in scriptis suis confutavit*. Alibi retulimus insignes laudes, quibus Damianum ornavit in epistolis ad Gallicanos episcopos Alexander papa II. In actis concilii Romani anni 1078. sive in Berengarii recantatione ex ms. codice Gemblacensi apud Martene [c] Petrus Damianus *non inferior lima eruditionis Lanfranno*, sive Lanfranco Cantuariensi archiepiscopo, *non inferior dignitate christianæ religionis appellatur*, *multo Lanfranno operosior in studio Divinæ lectionis* asseritur. Quod autem subdit idem Berengarius Petrum Damianum Romæ non consensisse *de sacrificio ecclesiæ* dictis Lanfranci, non omnimoda ipsi adhibenda est fides, ut animadvertit Martene dicens: „ quibus non „ magis credendum, quam his, quæ in se acta in concilio Suessionensi „ scribit Abaillardus? Petrum Damianum multoties, sed præsertim anno 1050. visere & alloqui potuit Berengarius primum damnatus in concilio Romano ejusdem anni, & in subsequentibus, quibus certum est Damianum interfuisse. Sancti doctoris elucubrationes omnes magno labore & diligentia in unum collectas initio seculi præteriti edidit Romæ Constantinus Cajetanus Siculus abbas Casinensis. Eæ iterum in Galliis pluries impressæ, ac postremo Venetiis anno 1743. aliquam in hac editione nobis etiam operam præstantibus.

c *Thes. Nov. T. IV. col.* 103.

XXX. Miracula tempore vitæ ab ipso patrata.

Quandoquidem miracula patrata tempore, quo vixit Petrus, notis chronologicis destituuntur, hic per extensum ea subjicere operæ pretium visum est ex narratione ejusdem Johannis Laudensis, qui eorum notitiam habuit statim post ejus obitum a fratribus monasterii Aceretæ, &

eremi

ANN. CHR. 1072.

eremi Gamugnensis: *Sed his paululum intermissis*, [a] inquit, *jam de illis aliqua loquamur, quæ Dominus per eum fecisse dicitur, in quorum sane relatione, Deo opitulante, quidquam immiscere mendacii velut ex proprio, prorsus vitare curabo, illorum traditione fideliter exequendo, qui se vel ipsis interfuisse, vel ab his, qui interfuerant, accepisse, seu etiam qui erga se ea, quæ memorabant, gesta fuisse dicebant.*

a Cap. VII.

[b] *Quadam igitur die apud præfatum Gamonium cum in cella consisteret, fratri, qui ei ministrabat, ex fonte sibi potum afferre jussit; qui statim pergens, festinus jussum complevit. Quod magistro gustante, vinum esse deprehenditur. Increpare itaque discipulum cœpit, quod pro aqua sibi vinum tulisset. Illi vero asserenti, hausisse se ex fonte, quod obtulerat, eumdem se potum magister porrexit, jubens gustando ipsam, experiri, quo valeret, se teste fallax convinci. Cui gustanti licet vinum sapuisset, quod erat, nihilominus tamen, ut bene sibi conscius, potum illum ex fonte se hausisse affirmabat. Cumque illi fides nequaquam daretur, alius ad eumdem fontem frater dirigitur, cujus gressus, ne fallere similiter posset, observari præcipitur. Qui ergo ex eodem fonte, mox pleno vasculo, hauriens, concitus rediit, potum, quem hauserat, magistro tradidit. Verum dum hic quoque potatur, optimam esse vini speciem æque vere probatur. Fratres quoque, qui cum eo erant, ex eodem gustantes, vinumque optimum comperientes, Deum præ gaudio collaudaverunt omnes. Quibus Petrus illico prostratus supplicat, immo sub obedientia interdicit ac mandat, quatenus, se in carne degente, nulli prorsus mortalium, quod factum noverant, pandant. Quo factum est, quod ad nostram notitiam id, ante ipsius obitum, nequaquam pervenire potuerit, sed postquam illius sepulturam Faventiæ celebrassemus, indeque redeuntes, apud præfatum monasterium suum Aceretæ prima mansione hospitaremur, ibidem non solum istud, sed & alia quædam, quæ, faciente Domino, miraculo huic subdere curavimus, nos addiscere contigit, referentibus eadem quibusdam ejusdem monasterii fratribus, necnon & prædictæ eremi, qui tunc illo convenerant.* Simile miraculum a Bononio factum ad annum 1019. & parum dissimile a Guidone abbate Pomposiano ad annum 1046. retulimus.

b Cap. VIII.

[c] *Aliquando vir Dei buttem vini repositam apud quamdam suam capellam habuerat; accidit autem, ut die quadam militum turma prope ipsam capellam pertransiret, qui dum siti æstuarent, requirunt presbyterum, si eis vinum præbere posset. Quibus ille respondit, nil prorsus vini eo loci haberi, præter unam tinam domini Petri, quam ipse contingere non auderet. Quo audito, is, qui ceteris præerat, quique, ut ajunt, eumdem virum Dei subexosum habebat, respondit dicens: Utique si domini Petri est, ex ipso ego libentius bibo; moxque sibi famulantibus jussit, quatenus ex vino illo sibi, ac sociis propinare curarent. Qui nempe conciti alacriter, ut genus illud hominum solet, ad hujusmodi obsequium currunt, sed evulso tenello nil prorsus vini suscipiunt; vertuntur ad alium, tantumdem reperiunt; tum cuncta foramina pandunt, & oh prodigium! dolii aditus patent, & liquor interius, ac si quid solidum, nihilominus latet. Superius itaque spiramen pandentes, & si quid intus meri contineatur, curiose rimantes, dimidio tantum palmo vas semum invenerunt. Stupentes ergo hujuscemodi eventum, arbitrantes tamen adhuc, ne quid forte obstaculi lateret intus, quo liquoris impediretur egressus, ingerunt singulas aditibus patentibus virgas, quibus deductis, eas quidem madere conspiciunt, vinum tamen introrsum nihilominus hæret inclusum. Illa nimirum virtus, quæ Israelitico quondam populo rubri maris profunda calcanti aquarum fluenta, murorum ad instar, dextra lævaque*

c Cap. IX.

Ann. Chr. 1072.

lævaque suspenderat, liquoris hujusmodi fluxum constrinxerat. Et qui hostiles tunc adversariorum acies, ne gressus piorum impediri possent, aquis potenter immersit, ipse nunc istorum proterviæ, ne suo nocerent famulo, mirabiliter obstitit. Nam ut illorum rabida fames, interempto Dei populo, manubiorum præda satiari nequivit, sic istorum vesana sitis rapina ejus famuli restingui minime valuit. Dum suos itaque vesanos conatus superna virtute delusos, frustratosque perpendunt; divinæ cedentes virtuti confusi, arentesque discedunt. His autem profectis, viator quidam adveniens eidem flagitabat presbytero, ut sibi quantolibet vini dignaretur poculo subvenire, cui sacerdos eadem, quæ prioribus verba, respondit. Cumque viator precibus instaret, quatenus ex eodem caritatis sibi gratia subveniret, sacerdos, quæ militibus illis contigerant, ei seriatim enarrare curavit, ne ultra sibi importunus insistere debuisset. Ille tamen a sua petitione minime desistens ajebat: Se jam magis ex ejus sperare beneficio, quod rapinæ arrogantium ita abstractum fuerat, dum ipse sibi bene notus jam dudum fuisset, suumque frequenter exhibuisset. Jam igitur presbyter tanta postulatus instantia, fideque mollitus, licet timide, accessit ad dolium, & quoniam, ut scriptum est: Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam, liquoris fluxus facili mox attactu est haurientis manum secutus. Itaque mitis obtinuit inermis, quod armatis fuerat negatum superbis.

a Cap. x.

[a] Dum quadam die advesperascente, idem pater fessus, cum eodem, qui hoc mihi retulit, fratre, a silva rediisset, sola panis quadra cum crudis oleribus cœnanti apponitur, quem ille totum socio largiens, solis oleribus vescens, hortabatur convivam, quod patienter illam ferret pauperem cœnam, ditiorem habiturus in crastino mensam. Factumque est. Sequenti etenim die tanta est allata ciborum copia, quæ cunctis illic degentibus in plures dies sufficere poterat.

b Cap. xi.

[b] Vir quidam, magnus admodum, viro Dei devotus, onusta piscium exenia in præcipuis ei sollemnitatibus legare consueverat; accidit, autem ut aliquando Domini propinquante natale nequaquam hujusmodi potuisset pisces invenire, quos digne ei posset juxta morem dirigere, cumque super hoc modica angeretur molestia, tandem in ipsa sacra Dominicæ nativitatis nocte, grandis ei piscis advehitur; exhilaratus ergo, & plurimum gavisus præcepit, ut Dei viro illico deferretur. Porro nox tetris densata tenebris nullum stellarum lumen radiabat; via quoque nimis laboriosa & difficilis erat, quam lutosæ nivis salebra omnino consperserat, piscis tamen portitor nulla difficultate diei lucem præstolari permittitur. Eo itaque cœpti itineris viam carpente, ad obscuram quamdam ripam, profundamque pervenit, cujus extrema, dum nimium, velut ignarus, persequeretur, lapsis repente vestigiis, in ima præcipitatur; & cum tantus fuerit casus, ut solvi potuissent totius corporis nexus, meritis tamen viri Dei virtute divina totus servatur illæsus. Incolumis ergo & validus, onus excussum cervicibus lætus resumpsit, sicque ad Dei hominem hilariter properavit, Domini sui munus obtulit, quodque ex mortis faucibus ipsius fuisset meritis ereptus, gratias egit. Cui ille, noli, inquit, fili, noli homini deputare peccatori, quod Deus tibi dignatus est sola sui miseratione largiri; ei tantum ex collatæ salutis munere gratias age, qui numquam sibi famulantibus in tribulatione deest.

c Cap. xii.

[c] Hic unum ex discipulis ad quemdam aliquando direxit abbatem, quem dum in monasterio frater ille minime reperisset, eum, quo diverteret, sollicitus requisivit; quod cum egisset, regressus ipsius mora adeo protelata est, ut die, qua expectabatur, nequaquam redire potuisset: cumque ob id de correptione cœpisset trepidare, suscepto socio, iter suum arripuit sub silentis

noctis

noctis obscuro, ac dum simul paululum processissent, ejus conviator paulatim se subtrahens, furtim abscessit. Quo facto monachus ille viæ, quam cœperat, prorsus ignorans, cœpit vehementer tristari, cum nec ulterius progredi, nec regredi, qua venerat, nosset. In arcto itaque situs, hoc a Domino supplicans postulavit, quatenus iter suum meritis illius dirigeret, cui satagebat obedientiam exhibere; cumque oratione facta abire cœpisset, quoddam bivium reperit, ubi dum paululum hæsisset, ambigens, cujus tramitem terendum assumeret, unum tandem elegit, quem aptiorem sibi fore putavit, in quem dum conaretur jumentum dirigere, non consensit, sed alterum capiens, obstinate pergere cœpit. Sessor vero toto annisu calcibus atque verberibus instabat ad suum votum ipsum reducere, illuc nihilominus tendebat, quo cœperat pergere. Cum autem hac colluctatione diutius certatum fuisset, nec tamen rector jumentum sibi ad obtemperandum ullo modo revocare potuisset, jam demum suspicatus, ne forte brutum illud animal ita sibi contra morem divino instinctu resisteret, totas illi laxavit habenas, quatenus jam liberum pergeret, quo ipsum Deus dirigere vellet. Mane itaque facto, jam lucescente diluculo, erectis oculis, quæque nota conspexit, seseque divino munere, rectissimo tramite directum fuisse agnovit. Ergo suas preces magistri meritis exauditas esse cognoscens, Deo gratulabundus gratias egit, necnon & suo magistro, quem adeo dignum Deo fore perspexit.

[a] *Alio quoque tempore quemdam nuntium cuidam destinabat episcopo, qui dum aquæ rivulum in via reperisset, eum quidem facile transvadavit, sed mox in ejus egressu, tanto ipsius equus infigitur luto, ut nullo conamine ex eo potuisset exurgere; eques vero ita se impeditum considerans, & quid ageret prorsus ignorans, deprecatus est Dominum, quatenus sibi dignaretur illius meritis subvenire, cujus se noverat obedientiam gerere. Qua supplicatione ad Dominum fusa, confestim equus prosiliens, concitus in aridam exivit, correptoque spatio agilis ad urbem pervenit. Cum autem ad episcopum, cui missus fuerat, pervenisset, nequaquam episcopum, quem quærebat invenit, reperto tamen quodam ejusdem familiari honeste ab eo susceptus est. Qui plane pro tanti viri reverentia, cum omni domus ipsius familia ei officiosissime deservivit; in hoc uno tamen non modico erga eum deliquit, quod dum istum stratum locasset, cunctis recedentibus, solum in spaciosa illa mansione cubantem dimisit. Quod nimirum dum ille persensit, tantus eum horror invasit, ut vix quantumlibet soporis illa nocte potuisset admittere. Verumtamen nec juvenis ille impunis evasit, qui ejusmodi erga eum negligentiam duxit. Eadem quippe nocte, dum ille somno resolutus, in strato suo jaceret, vir Dei Petrus in eum violenter insiliit, dureque virgis validis intentatis exterruit, eo quod legatum suum tam immaniter sua negligentia contristavit. Qua vero visione completa, illico expergiscens, cœpit diurnam lucem præstolari, quod suum hospitem revisere & alloqui posset. Primo itaque lucescente diluculo ad illum properans, diligenter eum inquisivit, quid negligentiæ, quidve delicti circa ejus fuerat commissum obsequium, quod in se domnus Petrus tam se terribilem invexerat, tantisque se minis ac probris objurgaverat atque terruerat. Cui protinus ille: Tantum, inquit, hac nocte cunctis vobis recedentibus, solum me relictum fuisse expavi, ut cum gravi molestia insomnem pene totam protraxerim noctem. Quibus vicissim revelatis, admirati viri Dei potentiam, glorificaverunt Deum, qui tantis prodigiis se mirabilem in Sanctis & servis suis ostendit. Cujus videlicet signi, is qui missus fuerat, ita est admiratione compunctus, ut ad virum Dei reversus, confestim se illi commiserit, promittens se jam seculo abrenuntiaturum, & regularem habitum ex ipsius benedictione ad famulandum Deo assumpturum.*

[a] Cap. XIII.

Ann. Chr. 1072.

rum. Quod quidem ipse post modicum implevit; idemque hoc nobis, ut digessimus, ex ordine totum enarravit.

XXXI. Quis in regimine Avellanensis cœnobii Damiano successerit?

Quis in regimine monasterii Avellanensis successerit Damiano, non ita compertum. Suffectum fuisse ajunt in ejus locum Johannem Laudensem; is tamen, dummodo præfecturam assumpserit immediate post Damianum, quod certo non liquet, ad brevissimum tempus eam retinuit, & Damiano juniori senioris nepoti locum dimissione sua fecit. Anonymus pariter Avellanensis scriptor vitæ sancti Johannis, dum Johannem *sequenti tempore* in priorem electum scribit, innuere videtur immediatum ipsum non fuisse Petri Damiani cardinalis in Avellanensi regimine successorem. Porro *anno ab incarnatione Domini millesimo septuagesimo-quarto temporibus domini Gregorii pape anno ejus tercius die mense agusti indictione* XIIIma reperitur [a] *domnus Damianus rector heremi sancte Crucis de Fons ovellane* in charta archivi Avellanensis, ex earum scilicet numero, quas Sartius noster jure postliminii donatas revehendas curavit in tabularium dicti monasterii, & cujus fragmentum ipse profert [b] in vita sancti Johannis Laudensis. Damianus junior ob propria, & etiam ob merita avunculi Petri, post paucos annos ab hujus obitu tum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalatu, tum abbatia Nonantulana fuit decoratus a Gregorio VII. Hinc est, quod in veteribus monumentis titulum aliquando obtinet etiam abbatis, ratione nimirum Nonantulani monasterii, cum titulo tantum frueretur prioris, ratione cœnobii Avellanensis. Cardinalatus honore insignitus legitur ad annum 1076. ejus enim nomen ornatum hac dignitate reperitur in bulla Gregorii VII. pro monasterio Avellanensi ad eum annum spectante, & iterum Damiani cardinalis mentio occurrit ad annum 1077. in quodam judicato inter episcopatum Florentinum & abbatiam sancti Miniatis. Quare verisimiliter Aliprandus præfecturam Avellanensem subiit iisdem temporibus pro Damiano juniore, qui ecclesiasticis fungens officiis, monasticis nequibat interesse. Aliprandi prioris meminit charta Avellanensis apud eumdem Sartium [c] scripta *anno Domini millesimo septuagesimo octavo temporibus domini Gregorii pape & die mensis martius indictione prima*. Anno 1079. rursus prodit Damianus, sed eodem anno & sequenti usque ad mensem majum Aliprandus prior. Demum in chartula venditionis ejusdem tabularii *Johannes prior ecclesie eremi sancte Crucis* nom natur *anno ab incarnatione Domini millesimo optuagesimo, secundum tempora domni Gregorii pape regnante domnus Enrigus rex & die mense madii indictione tertia*. Ejusdem Johannis nomen legitur etiam sub annis sequentibus, sed ab anno 1085. ad annum 1099. denuo Aliprandi prioris nomen apparet. Exeunte eo anno 1099. rursus Johannes prior inducitur. Has personarum in regimine mutationes factas existimamus ratione vel alterius præfecturæ, qua distenti tunc essent alteruter ipsorum; vel dimissionis officii prioratus ad tempus, ut eorum magister Petrus Damianus actitare consueverat. Quare de Johannis regimine Avellanensi commodius agemus ad annum 1080. Subjicimus quidem interim, quæ in Johannis laudem post Damiani mortem in medium profert Avellanensis anonymus. *Post felicem vero*, [d] inquit, *illius viri obitum, cum subditus jam sacerdotali esset officio, sic jam sacris Missarum mysteriis pene quotidianus satagebat vacare, ut priora sua exercitia nequaquam omitteret; sic Dominicis pedibus assidebat cum Maria, ne frequens tamen ministerium oblivisceretur cum Martha; sic pulchræ rapiebatur Rachelis in gremium, ut lippientis licet Liæ non horreret amplexum; sicque ab activa vita in theoriam tendebat calefaciendus, ut a contemplativa in activam rediret calefacturus; ut scilicet ebrius debriaret, flammatus igniret.*

[a] Fasc. VI. n. 1.
[b] Pag. 49.
[c] Pag. 50.
[d] Cap. V.

ret. O quam sunt in mundo rara hujus dignitatis vasa! Non enim in hoc exilio positis Christi ecclesiis credo defore, sed cupientia sunt latere; ne qua scilicet incuria opercula amittant, & sic de mundis immunda fiant. Scriptum namque in lege est: Vas, quod operculum non habet, inter immunda reputatur. Quid enim rationalis vasis est operculum, nisi omnium interioris exteriorisque hominis custodia sensuum, quam si quis eis non semper adhibet, mors per eos criminum ad animam penetrat? Unde per prophetam dicitur: Intravit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras. Ceterum hoc, de quo loquimur, vas divinum nesciebat deponere, vel ad momentum operculum, ideoque eum Dominus in phialam dignatus est vertere, dum suæ per eum ecclesiæ sapientiam statuit propinare.

ANN. CHR. 1072.

XXXII. Privilegium Alexandri II. concessum Rustico priori Camaldulensi.

REFERUNTUR a Baroncinio in suis summariis sub hoc anno sequentes donationes factæ eremo Camaldulensi. Mense februario Dominicus [a] quondam Johannis terram donat cum domo intra civitatem Arretinam prope ecclesiam sancti Laurentii; mense augusto [b] Berta filia Guezonis, & Ugo & Albertus ejus filii nomine judicii offerunt domno Rustico priori terram cum silva positam in casali *Bucena* territorio sanctæ Mariæ in Partina vocabulo *Vignale*, juxta terram Camaldulensis eremi, & terras Guillermingam, Tebaldingam, Berardingam cum suis ædificiis & omni jure suo. Sed memoria & illustratione dignius est apostolicum privilegium, quo hoc anno IV. kalendas novembris indictione X. anno duodecimo pontificatus sui, Alexander II. Romanus pontifex eremum Camaldulensem, & Rusticum ejus priorem decoravit. Inter bona, quæ confirmat, nominat Alexander in primis *oratorium sancti Salvatoris in Campo amabili constructum, & omnes cellas ipsi adherentes & circumcirca adjacentes, & omnia ad ipsum pertinentia*. Secundo, *hospitium ejus, quod dicitur Fons bonus*. Tertio *cenobium, quod est constructum in loco, qui dicitur Cerreto, qui est infra comitatum Vulterrensem*. Hoc erat dicatum una cum ecclesia sancto Petro apostolo, de cujus donatione facta eremo Camaldulensi egimus ad annum 1059. Quarto, quinto, sexto & septimo enumerat loca *in Agna, in Monte & Soci, in Arcina, in Chaliano & Punina*. An latifundia tantum vel etiam eremos in his locis excitassent Camaldulenses eremitæ non liquet, verisimilius tamen est ibidem possedisse prædia & terras, & etiam ecclesias subditas oratorio seu eremo sancti Salvatoris. In Agna certe exstabat ecclesia sanctorum Bartholomæi & Miniatis, cujus medietatem anno 1027. Theodaldus, alteram medietatem Immo episcopi Arretini donaverant eremo Camaldulensi. Anno 1117. in Arcena exsurgebat hospitale dictum de Montione eremo Camaldulensi confirmatum a Guidone episcopo Arretino. Octavo *locum, qui dicitur Chio & ecclesiam sancti Savini*. De hac sermonem habuimus ad annos 1062. & 1066. Nono nominat locum, *qui dicitur Fogiano*. Statuit insuper Alexander, ut *jamdictum oratorium cum cellis suis omni tempore eo modo atque tenore, quo prius inchoatum est, & ad hec tempora productum, maneat in suo vigore atque stabilitate, scilicet ut semper eremitico tramite contemplative vite celsitudine perseveret, nec liceat cuiquam umquam aut abbatem ibi ponere, aut cenobium facere, sed semper solitarie vite locus ipse sit deditus & firmitate continua dedicatum*. Postulaverat quoque Rusticus, ut quemcumque episcopum catholicum liceret sibi adire pro evehendis ad ecclesiasticos ordines eremitis, qui in oratorio sancti Salvatoris seu in aliqua ex ecclesiis & cellulis suis habitarent; id quod concedit summus pontifex, si quando episcopus, ad cujus parœciam pertinerent dicta loca, simoniaca labe foret depravatus. Datum est privilegium Lucæ *per manus Petri sancte Romane ecclesie presbyteri*

[a] §. Donatio. 145. A. 1. 14.

[b] Ibid. 143. A. 1. 10.

Ann. Chr. 1072.

byteri cardinalis & bibliothecarii. Sed integrum producimus in Appendice & autographum ex tabulario Fontis-boni.

XXXIII. Chartæ aliquorum monasteriorum.

Alteram chartam ex archivo sanctæ Catharinæ de Fabriano amandamus ad eamdem Appendicem, quæ refert donationem factam monasterio sancti Victoris, in qua rursus Moricus appellatur *episcopus & abbas & custos* ejusdem cœnobii. Aliam pariter producimus ex tabulario cœnobii sancti Michaelis in burgo Pisarum, quæ continet oblationem Willæ mulieris Walpiti & filiæ Rodilandi, quam de bonis suis fecit Rustico abbati & ejus monachis. Charta hæc stilo Pisano profert annum millesimum septuagesimum-tertium, tertiam diem ante kalendas julii & indictionem decimam, quæ notæ more Romano respondent præsenti anno 1072.

Ex tabulario nosocomii Senensis sanctæ Mariæ de Scala descripsit Benvoglientius, & ad Muratorium misit placitum habitum hoc anno in comitatu Clusino a Beatrice ducissa Thusciæ ejusque filia Mathilda, in quo *Roca* sive arx de Scanzano adjudicatur Mauro abbati sancti Salvatoris de Monte-amiato contra Lanfrancum episcopum Clusinum & Bonizonem abbatem sancti Petri de Campo, qui litem Mauro moverant. Promiserunt autem ii sub pœna bis centum librarum argenti nullam molestiam futuris temporibus illaturos prædicto monasterio de Monte-amiato. Placitum ab eodem Muratorio [a] publici juris jam factum fuit. Bonizo abbas sancti Petri in Campo facile successerat Johanni, de quo loquuti sumus ad annum 1055.

a *Antiq. medii ævi T. II. col.* 955.

Consecratas fuisse a sancto Stanislao episcopo Cracoviense & martyre hoc anno ecclesias dicatas sanctis martyribus & eremitis Polonis, ædificatas in civitate Casimiritana a Casimiro rege Poloniæ, jam præmonuimus ad annum 1041.

Leguntur sub hoc anno donationes factæ Mainardo monacho & eremitæ a comite Ugone seu Ugolino & ab ejus uxore Ugolina, assensu Bonfilii episcopi Fulginatis. Is pontificatu Alexandri papæ II. amore solitudinis cum socio Dionysio secesserat in montem, qui Vecli dicebatur in territorio Fulginate, ibique oratorium ad pedem montis extruxerat in honorem beatissimæ virginis Mariæ. Anno 1085. monasterium Saxi-vivi condidit, palatium suum donante Gualterio comite filio Ugonis comitis, ad hoc ut in cœnobium converteretur, cui nomen, monastica veste induta, inter primos dedit Albertus Gualterii filius, aliique a Mainardo suscepti. Consecratum fuit monasterium a Bonfilio episcopo sub titulo sanctæ Crucis & sanctorum Carpophori & Abundii martyrum, translatis eorum reliquiis ex oratorio in novum monasterium. Observamus denuo Mainardum fundatorem monasterii Saxi-vivi alium fuisse a Mainardo monacho Sitriensi a Damiano commemorato, præsertim si vera sint, quæ tradit Jacobillius in historia cœnobii Saxi-vivi Mainardum abbatem ad annum 1106. vitam protraxisse. An vero Damianum audierit in eremitica disciplina Mainardus Saxi-vivi abbas, antea monachus & eremita, omnino incertum, licet certum sit Damianum post Romualdum mirifice propagasse eremiticam vitam & conversationem.

Ann. Chr. 1073.

XXXIV. Obitus Johannis Gualberti congreg. Vallis-umbrosanæ, fundatoris.

Supremus hic annus fuit Johannis-gualberti, incolæ ad tempus eremi Camaldulensis, congregationis Vallis-umbrosanæ illustrissimi subinde conditoris, sanctitate & meritis valde insignis, qui obiit IV. idus julii septuaginta & octo annos natus, ut, accedente etiam breviarii Romani auctoritate, ostendit pluribus Grandius noster. Successit Johanni in congregationis regimine Rodulphus ad triennium, Rodulpho vero Rusticus ad sexde-

Ann. Chr. 1073.

sexdecim annos[†]. Viguit a primis ad hæc usque tempora inter utramque Camaldulensem & Vallumbrosanam familiam mutua necessitudo & caritas, quæ originem tunc habuit, ut alibi vidimus, cum Johannes, relicta Camaldulensi solitudine, Aqua-bellam se contulit, novæ congregationis semina positurus. Tunc ictum fuit fœdus, quod multoties est repercussum temporibus subsequentibus: *Statuimus*, inquit Martinus III. prior generalis Camaldulensis in suis decretis anni 1253. *ut fratres nostri ordinis Vallis-umbrosanos, & sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, quasi uno caritatis officio, monachi cum monachis, conversi cum conversis hilariter & benigne suscipiantur a nostri ordinis prælatis, & subditis universis*. Anno 1323. XXV. augusti [a] domnus Bonaventura prior pariter generalis Camaldulensis dedit literas patentes & commendatitias brevifero ordinis, seu qui nomina defunctorum deferebat, tam eorum qui nostri ordinis Camaldulensis fuerunt, quam ordinis Vallis-umbrosæ, *quem ab antiquo fraternæ caritatis & familiaritatis in Domino copulavit*, ut simul ac ad ordinis loca pervenerit, scribantur in matriculis, & affigantur, ac pro illis defunctis, quorum nomina deferuntur, in divinis officiis & aliis privatis operibus debita suffragia offerantur, cum campanarum pulsatione sollemni, prout in breviferi receptione fieri devotius consuevit. Anno pariter 1372. confirmatum fuit statutum: *Ut monachi Vallis-umbrosæ & sanctæ Crucis de Avellana tam in eremo, quam in monasteriis ordinis recipiantur in choro & in refectorio, ac si essent ordinis Camaldulensis, & eorumdem ordinum brevia per breviferarium ordinis deferantur* &c. Testis quoque est Didacus Franchius [b] abbas Vallumbrosanus, in antiquis Vallis-umbrosæ constitutionibus, ante tempora beati Michaelis abbatis generalis ejusdem congregationis, præcipi similem monachorum Camaldulensium susceptionem, perinde ac recipi deberet Christus ipse, & monachi Vallis-umbrosani susciperentur; legi quoque in iisdem constitutionibus mutuas hinc inde dari consuevisse epistolas defunctorum nomina præferentes, quam caritatem, quia nonnihil tepuerat, abbas generalis domnus Simon Gavillensis una cum priore Camaldulensi ad pristinum vigorem & observationem reducere curavit. Laudat autem ad oram libri hæc verba epistolæ dicti generalis, quæ incipit: *Prout novit* &c. dataque est die XXV. februarii anni 1378. *Contulimus*, ait, *cum reverendo patre nostro domino generali priore sanctæ Camaldulensis eremi, ut juxta morem antiquum recipiantur brevia per breviferum pro animabus non solum defunctorum, sed etiam pro vivis fratribus*. Eadem quæ Franchius, & similia tradunt ceteri scriptores Vallumbrosani, ut legitur fusius apud Grandium [c] in libro, cui titulus: Responsiones ad Quæstiones Vallis-umbrosanas Soldanii. Hinc nil mirum, si apud Vallumbrosanos sancti Romualdi festum, & si apud Camaldulenses illud sancti Johannis-gualberti sollemni ritu peragi consueverint. In cœremoniali Camaldulensi edito anno 1625. a nostro Victorino Totinio, congregationis decreto, libro II. capite III. n. 2. statuitur, ut sub ritu duplicis majoris celebretur ejusdem sancti Johannis-gualberti festum cum oratione propria: „ De sanctis, inquit, „ religionis peculiaribus sat est officium duplex per annum majus, & sic „ de sancto Johanne-gualberto apud nos; siquidem aliquandiu in nostra „ Camalduli Thusciæ eremo ob institutum illud capiendum vixit, atque „ a sancto patriarcha Romualdo, cui se dedicaverat discipulum, venerabilis instituti Vallumbrosani vaticinium sumsit. " Non sub Romualdo, sed ad annum 1036. vidimus id contigisse sub priore Petro Dagnino. Idipsum constat ex veteribus breviariis Camaldulensibus, sicut ex Vallumbrosanis breviariis liquet eodem ritu duplicis majoris Vallumbrosanos co-

a *Arch. Fontis-boni* §. *Notabilia*. 13. *n*. 9 12.

b *Pag*. 77.

c *Cap*. VIII. *p*. 60.

Ann. Chr. 1073.

luisse festum sancti Romualdi mense februario, & antiquiore tempore ipsius festum cum officio proprio celebrasse etiam mense junio. Ex eadem necessitudine, quæ Vallumbrosanos inter & Camaldulenses semper cessit, factum est etiam, ut sancti Johannis-gualberti imagines aliquibus in locis alba veste indutæ prodirent. Alba cuculla contectus visitur in fronte libri ipsius vitæ, quam edidit anno 1583. Eudoxius Locatellius ejusdem congregationis scriptor; eumdem colorem exhibent duæ imagines ejusdem Sancti Romæ impressæ anno 1612. jussu abbatis generalis Vallis-umbrosæ domni Thesauri Veli. In ecclesia sancti Miniatis prope Florentiam, ubi Johannes-gualbertus habitum monasticum sumpsit, extat ara antiquissima eidem Sancto dicata, in qua effigies ipsius conspicitur candidis vestibus superinduta. Hæc occasione obitus sancti viri collegimus, ut declararemus reciprocam, quæ stabilis viguit inter utriusque congregationis monachos, animorum conjunctionem & officiorum vicissitudinem.

XXXV. Donatio monasterii Pulliciani facta eremo Camaldulensi.

Insignis facta fuit circa hunc annum eremo Camaldulensi accessio monasterii positi in loco, qui dicebatur Pullicianum. Historiam unionis hujus monasterii ex charta autographa archivi Fontis-boni integram exhibemus in Appendice, hic vero per compendium referimus. Herimannus episcopus Volaterranus dolore concussus, quod ad eam usque diem parum sollicitus fuisset in visitatione monasteriorum & domorum canonicarum suæ diœcesis, ac in examinandis fratribus simul congregatis, quo nimirum religionis more, & sub quo obedientiæ statu regulam propriam observarent, animadvertens circa hæc tempora monasterium Pulliciani *non stetisse ordine, quo debuit, nam fratres ibi hactenus degentes non juxta beati Benedicti precepta steterunt, sed potius multis voluptatibus pluribusque lasciviis dediti vixerunt*, in optatis quidem habebat medicam his malis manum apponere, sed multoties condoluit, multisque vicibus deflevit, quod reperire nequiret monachum Deum timentem, regulam suam diligentem, quem illis posset constituere in patrem. Tandem Deo favente, eodemque concedente, prout cupiebat, quem diu desideraverat, quem longo tempore quæsierat, invenit fratrem ad hoc opus idoneum, divinisque moribus instructum, quem multis precibus & multis supplicationibus postulavit, ut abbatis munus in eo monasterio susciperet. Qui demum devictus Herimanni episcopi flagitationibus & consiliis acquievit, communi accedente fratrum ibi degentium consensu. Ipsum tamen aliter superare nequivit episcopus, nisi refutando abbatiæ omnem imperandi potestatem, & pollicendo se non amplius ea facturum, quæ inibi hucusque fecerat, excepta abbatiæ investitura, & abbatis consecratione. Spondet ergo Herimannus proprio & suorum successorum nomine, se inter cetera non acceptaturum *ultra unum Bysantium*, & si quando ipse aut sui successores ab abbate & a ceteris fratribus inquisiti fuerint aliquid egisse in abbatiæ præjudicium, nisi emendaverit ipse, aut episcopi sibi succedentes infra triginta dies, dummodo fuerint in patria & incolumes, persoluturos se loco pœnæ centum libras auri, medietatem *eremitorio de Camalduli*, alteram vero *potestati*, vel viro, ad quem causam & querelam abbas & monachi traxerint. Decernit insuper, ut si abbates, vel monachi præfati monasterii de Pulliciano instigante diabolo *mediocres fuerint*, idest ut nos explicamus, si fuerint laxiores, minusque ferventes, & regulam vel non observaverint, vel observari non fecerint, atque a monastico rigore desciverint, tunc prior prænominatæ eremi Camaldulensis potestatem habeat ejiciendi monachos devios, & eorum loco ibidem constituendi idoneos ac Deum timentes. Statutum hoc fuit ab Herimanno, atque corroboratum in synodo generali

ab

ANN. CHR. 1073.

ab ipso celebrata octavo idus mensis augusti, accedentibus subscriptionibus Farolfi archipresbyteri, Ugonis archilevitæ, Petri presbyteri & canonici, Dominici presbyteri, Azonis levitæ & Guidi subdiaconi. Synodum hanc Muratorius[a] ad annum circiter 1070. refert, in medium adducens ejusdem Herimanni constitutionem in eodem suæ diœceseos concilio latam ad restituendam vitam communem canonicorum ecclesiæ suæ, in qua synodo subscribunt iidem Ugo archidiaconus, Farolfus archipresbyter, Petrus presbyter, Azo diaconus aliique. Verum cum in privilegio Alexandri II. quod anno elapso concessum fuit Rustico priori Camaldulensi, inter loca subjecta eremo non recenseatur monasterium Pulliciani, recenseatur vero in altero privilegio, quod eidem Rustico dilargitus est mense martio anni sequentis 1074. Gregorius papa VII. non inverisimile videtur hoc anno intermedio 1073. Camaldulensi eremo aggregatum fuisse monasterium istud. Ita proinde res se habuerit. Ante hunc annum Herimannus visitationem instituit diœcesis suæ, cœnobiorum quoque & domuum canonicarum. Indoluit monasterium Pulliciani præ ceteris e regulari statu dilapsum reparatione indigere. Diu quæsivit & tandem invenit, quem abbatem loco illi præficeret. Die sexta mensis augusti hujus probabiliter anni synodum coegit, in qua confirmatæ fuere omnes ipsius episcopi privatæ constitutiones, & ad majus disciplinæ monasticæ ejusdem cœnobii robur visum est episcopo & clericis congregatis, vel abbati & fratribus monasterii Pulliciani, ut cœnobium leges & consuetudines eremi Camaldulensis susciperet, vel saltem a monachis Camaldulensibus reformaretur.

a Antiq. T. V. col. 215.

Ceterum Herimannus successerat in episcopatu Volaterrano Guidoni, qui eam ecclesiam regebat etiam anno 1052. eo enim anno ab Henrico III. imperatore privilegium obtinuit Guido, ut clerici a jure comitum eximerentur, immo episcopus Volaterranus erat Guido anno pariter 1060. quo Guilielmus comes, qui & Bulgarellus, eidem restituit quædam castra coram Nicolao II. papa in civitate Florentina. Hujusmodi chartæ referuntur a Muratorio[b] in antiquitatibus medii ævi. Extat ad Herimannum episcopum Volaterranum etiam epistola Johannis Gualberti, & paucis annis post præsentem fuit superstes. Hoc eodem anno XV. kalendas februarii indictione XI. interfuit *Herimannus Dei gratia quamvis indignus episcopus sancte Wlterensis ecclesie* una cum Widone episcopo Pisano, & Rainerio episcopo Florentino placito, quod in urbe Pisarum tenuere Beatrix ducissa, & Gothifredus dux & marchio ex tabulario sancti Pontiani urbis Lucensis. Distinguendum est monasterium sanctæ Mariæ castelli de Pulliciano ab altero, quod titulum gerebat sancti Sepulcri; hoc postremum *Adelmus bone memorie cum uxore sua per chartulam oblationis Volterrensi ecclesie* jampridem contulerat una cum castello de Pulliciano. Adelmus, cujus uxor erat Gisla, ut ex altera constat ex indicatis chartis, videtur fuisse, auctor pariter alterius monasterii siti in eodem comitatu Volaterrano, quod sanctæ Mariæ Adelmi dictum deinceps fuit, de quo, ut etiam de illo Pulliciani, utpote subjectis eremo Camaldulensi, erit in aliis annis differendi locus.

b T. VI. col 227.

XXXVI. Chartæ Camaldulenses.

Jocundus archidiaconus Arretinus & præpositus canonicæ sancti Donati hoc eodem anno libellario nomine concessit domno Martino eremitæ & confratribus ejus eremitis degentibus in eremo, *qui dicitur Camalduli*, decimam curtis de Mojona. Subscribunt post Jocundum Johannes & Ildebrandus presbyteri & canonici, Arnulfus & Ubertus diaconi & canonici, atque Bonizo canonicus & subdiaconus. Charta autem confecta est *anno millesimo septuagesimo tertio regnante Henrico rege mense junio indictione undecima*. Martinus Camaldulensis vel syndicus erat, vel vicarius eremi,

nam

Ann. Chr. 1073.

nam Rusticum, quem Camalduli priorem anno præterito vidimus, etiam anno sequenti in eodem officio perseverasse visuri sumus. Jocundi archidiaconi & præpositi Arretinæ ecclesiæ mentio habetur in enarratione eorum, quæ perverse a custodibus ecclesiarum sancti Stephani & sancti Donati in civitate Arretina gesta sunt, scripta circiter annum 1092. & edita ex veteri pergamena, adservata in archivo canonicorum Arretii, a Muratorio [a] in antiquitatibus medii ævi. Ibi Jocundus appellatur filius Teozonis, & frater Bosonis, quorum patrui fuerant Viventius clericus & Signorellus fratres.

[a] T. V. col. 217.

Ipsis anno, mense & indictione Rando filius quondam Bulgari per testamentarias tabulas obtulit ecclesiæ sancti Salvatoris de Camaldulo, *ubi dicitur Campo-amabilis*, res omnes juris sui sitas in comitatu *Castro-Felicitatis infra plebe sancte Marie sita Munte*, medietatem quoque castelli *de Plantarano* cum tertia sua portione ecclesiæ *sancti Laurentii de castello*, & *infra plebe sancti Petri sita Teverina*, & suam portionem castelli *de Corzano*, & ecclesiam *sancti Angeli de ipso castello*, & suam portionem *castelli de Veturita*, & *in plebe sancti Donati de Oppiniano*, & *infra plebe sancte Marie sita Camora*, portionem quoque suam *castelli de Pietina*, & ecclesiæ *sancti Leonis*, & ecclesiæ *sancti Martini de Perito cum uno servo, filiis*, & *filiabus* &c. Hanc donationis chartam una cum superiori ex tabulario Fontis-boni damus in Appendice.

XXXVII. Ecclesiæ donatæ monast. Vangaticiensi a Welfone duce Bajoariæ.

Welfo dux *Barrianorum* (sic in apographo Vangaticiensi, quod in eadem Appendice edimus) idest Bajoariorum, filius marchionis Azonis, professus ex natione sua lege vivere Langobardorum, consentiente genitore suo, *anno millesimo septuagesimo tertio*, *undecimo kalendas julii indictione decima* (corrige *undecima*) oblationis nomine donavit monasterio sanctæ Mariæ *sita super flumen Atesis in finibus Vangaticie in loco, qui dicitur Petra, ubi nunc presenti tempore domnus Petrus venerabilis abbas ipsius monasterii ordinator & rector esse videtur*, pro anima sua & genitricis suæ Cunizæ duas ecclesias in comitatu Vicetino constitutas in loco, qui nominatur *Alberedo*, unam in honorem sanctæ Mariæ constructam, alteram in honorem sancti Petri, cum suis cœmeteriis & cum omnibus ad easdem ecclesias pertinentibus una cum decima. Insuper largitus fuit eidem monasterio capellam positam infra civitatem Veronam, & ædificatam ad honorem sancti Salvatoris, ejusque genitricis super flumen Athesis cum curte, domibus, hortis &c. *Actum in loco Adeste*. Welfo filius Azonis marchionis Estensis & Cunegundæ seu Cunizæ, ab Ermengarda Cunegundæ matre, post Welfonis III. filii sui obitum in Germaniam vocatus, hæresque omnium possessionum institutus, ut ait Urspergensis, cum esset vir illustris, acer & bellicosus, testimonio Bertholdi Constantiensis, Lamberti Schafnaburgensis, monachi Weingartensis anno 1071. per interventum Rudolphi ducis Suevorum Henrici regis cognati ducatum Bajoariæ, quo donatus fuerat ab eodem Henrico, regendum susceperat, deposito Ottone Bavariæ duce, qui arma in regem ipsum impugnaverat, cujus Ottonis filiam matrimonio sibi junxerat Welfo. Is, licet in Germania constitutus, bona plura paterni juris obtinebat in Italia; obiitque anno 1101. & progenitor fuit nobilissimæ prosapiæ Brunsvicensium & Luneburgensium ducum. Ecclesia autem sancti Salvatoris, ejusque genitricis juxta fluvium Athesis infra urbem Veronensem condita fuerat a Berengario I. imperatore, cui etiam anno 915. eadem bona Berengarius obtulerat, quæ nominantur in donatione suprarelata Welfonis, ut constat ex documento, quod ex miscellaneis rectoris ecclesiæ sanctæ Cæciliæ publici juris fecit Cl. V. Johannes-baptista Blan-

Ann. Chr. 1073.

Blancolinius [a] in notitiis ecclesiarum Veronæ, quodque ad illustrationem ecclesiæ nostræ sancti Salvatoris iterum producimus in Appendice una cum præfata Welfonis donatione, & cum altera charta anni 1070. ex qua in cognitionem venimus præsedisse eo anno eidem ecclesiæ presbyterum Eriprandum. In hac ecclesia Berengarium I. imperatorem proditorie trucidatum fuisse verisimile est, vel certe in aliqua ex proximis ecclesiis. Appellabatur etiam ecclesia sancti Salvatoris *in curte regia*, quia, ut ait Berengarius in supralaudato præcepto, constructa fuerat *in curte nostra*. Auctor suppar translationis corporis sancti Theobaldi scribit Petrum abbatem Vangaticiensem anno sequenti 1074. *Veronæ in cella sua sancti Salvatoris cum noctis tempore obdormisset*, visione ejusdem sancti Theobaldi illustratum fuisse. De ecclesia sancti Salvatoris, subjecta prius Vangaticiensi, quæque subinde monasterium evasit ad jus pertinens eremi Camaldulensis, deque ejus varia fortuna suis annis aliqua dicemus.

[a] T. II. pag. 702.

XXXVIII. Paginarum ad varia monasteria spectantium synopsis.

Occurrit sub hoc eodem anno in tabulario archiepiscopatus Ravennatis nomen Bernardi abbatis monasterii sancti Petri in Vinculis in territorio ejusdem urbis, cujus monasterii primordia tradidimus sub anno 1023. Ipsi Bernardo donavit Mainfredus de Balneo medietatem molendini in *Carpinella* territorio Ravennate *plebe sancti Petri in Quinto*.

Permutavit terras aliquot Adelasia filia quondam Jannecti de Sariano, consentiente Centio filio Leonis de ..... marito suo, cum Petro religioso abbate monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe *anno pontificatus domni Alexandri* &c. *secundi pape ..... mensis januarii die tertia*; sed ad calcem libelli habetur *in mense & indictione predicta undecima*, quæ revera decurrebat hoc anno 1073. duodecimo pontificatus Alexandri II. qui XXI. aprilis hujusce anni decessit. Petrus electus fuerat abbas ejusdem monasterii in locum Stephani cardinalis.

Monasterium sancti Salvatoris Sextensis in diœcesi Lucana regebat hoc anno Benedictus abbas, qui *Joco* appellabatur. Ipsi enim & Widoni filio Rodulphi, qui centum solidorum argenti *meritum* dederat (hic cœnobii vel advocatus, vel ministerialis fuisse videtur) per repromissionis paginam spondet Rainerius, filius Guidonis comitis, & nepos Rainerii item comitis, nullam molestiam illaturum domibus, terris & rebus, quæ monasterium Sextense possidebat in territoriis Volaterrano & Lucense, cum obligatione etiam adimplendi omnem censum & justitiam debitam præfato monasterio sancti Salvatoris, vel ejus ministeriali. Confecta est pagina *anno millesimo septuagesimo tertio idibus januarii indictione undecima*. Confundendus non est Rainerius comes, filius Guidonis comitis, & nepos Rainerii comitis cum Rainerio marchione filio Ugonis item marchionis, de quo verba fecimus ad annum 1066. neque Guido comes pater Rainerii cum Guidonibus comitibus, quorum genealogiam breviter texuimus ad annum 1058. de quibus etiam imposterum plura occurrent in his Annalibus. Rainerii chartam ad prosequendam illustrationem monasterii Sextensis producimus in Appendice ex autographo tabularii monasterii sanctorum Bartholomæi & Pontiani de Luca.



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER VIGESIMUS.

Ab anno CHRISTI M.LXXIV. *ad annum* M.LXXIX.

Ann. Chr. 1074.

I. Translatio corporis sancti Theobaldi Vicetia Vangaticiam.



SANCTUS Theobaldus moriens mandaverat, ut corpus suum humaretur in propria cella, in qua spiritum Deo erat redditurus, sed Vicetini thesauri hujus possidendi desiderio illecti armorum vi sacrum corpus abripuerant, & in cathedrali eorum basilica condiderant, ubi frequentia patrabantur miracula. Verum fratres eremitæ, & Petrus in primis abbas Vangaticiensis, qui ægre ferebant exuviis sancti viri privari, post octennium, qua ratione sacrum corpus furarentur, suisque restituerent laribus, serio cogitare cœperunt. Existit historia translationis sacrorum pignorum ex Vicetia Vangaticiam, quam integre hic proferimus ex mss. Uticensi, & ex Menardino apud Mabillonium [a]. Ejus auctor non est Petrus Vangaticiensis vitæ Theobaldi scriptor, ut putarunt Fortunius, Wion, & recenter Muratorius, sed anonymus, qui se pluribus in locis supparem huic translationi prodit, & a Petro abbate se clarissime distinguit. Sic ergo exorditur. *Inter cœlicolas, quos divina clementia & paterna pietas super astra provexit, moderni temporis evolvente curriculo,* (en ætas anonymi) *Theobaldus vir per omnia venerandus, nobilissima Francorum stirpe progenitus, quasi sidus in astris relucens emicuit. Mortalium laudes, & humanas infulas antiqui Poetæ soliti pompare, tyrannorum regumque victorias in publicis theatris enarrare, ac posteris pro tempore memoriæ commendare. Illa vero, tamquam umbra præterierunt. Nos vero, qui super Pythagoram & Empedoclem perennis vitæ cupimus hæredes fieri, Syrenarum relinquentes cantum, & philomelæ spernentes lascivam melodiam, cœlestis regni callem modis omnibus aggredi satagimus, cujus iter angustum probatur & arctum, testante Domino: Angusta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui intrant per eam. Vita igitur prædicti viri sancti, quantum est meritis clarior, tantum est voce populorum crebrior. Atque hæc hactenus. Quomodo vero de patris domo exierit, vel quam pie ac dure omni tempore vitæ suæ vixerit, seu per quot annos Langobardiæ in loco, qui dicitur Sallanica, conversatus*

a *Act. SS. Secul. VI. pag.* 175.

versatus fuit, & quomodo de hac vita ad cœli conscendit palatium, ab abbate Petro monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ de loco Vangadicia, ubi pretiosorum martyrum Primi & Feliciani sacratissima corpora requiescunt, luculento sermone edita, nobili exarata stylo. A quo jamdicto abbate documentis spiritalibus plenius est instructus: semina vero fœcundo jactata agro, centuplicatum reddiderunt fructum. Ab ipso enim non solum sustentatus est præsentis vitæ adminiculis, sed etiam cœlestibus quam maxime doctrinis. Bene etenim potuit psallere cum psalmista: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. Prædictus etenim sanctus Theobaldus per omnia & in omnibus quasi filius patri obediens proprio, in nullo deviavit ab ejus præcepto. Enimvero prædictus abbas Spiritus-sancti gratiam in illo redundare cernens, assidue adsistere in Domini servitio, mox cœpit illum non ut subjectum, sed ut proprium venerari dominum usque ad extremum vitæ suæ obitum.

Interea, dum sub jugo prædicti patris non tantum monasticam normam, verum etiam anachoritarum arctam duceret vitam, quidam de patria, Odo nomine, consecutus est illum. Quem ipse in tantum dilexit, ut post abbatis imperium intimus ei efficeretur consiliarius, necnon & omnium secretorum suorum existeret conscius. Sicque custos boni thesauri effectus, quem vivum voluit custodire amore summæ dilectionis, mortuum noluit derelinquere, aliquo sibi imminente periculo persecutionis, ut rei postea probavit eventus.

Post aliquot vero annos jam multo confectus jejunio, nimioque languore corporis correptus, cognoscens se ingredi viam universæ carnis, accersito ad se Petro abbate, confessus est sibi non diu communem vitam ducere, & inter multas & amaras confessionis lacrymas, sanctum corpus ab ejus manibus accipiens, spiritum Deo reddidit. O quantus conventus Fidelium, quantus fratrum mæror, quanta pupillorum & indigentium lamenta, quos pius pater benevolentia caritatis sustentabat assidue, imitatus Job, ipse enim fuit oculus cæco, & pes claudo. Locum vero sepulturæ suæ in prædicta cellula, ubi sancte & religiose conversatus fuerat, ante maternos oculos pie decreverat, ut dolorem & solitudinem matris leniret præsentia corporis nati. Divino spiritu futurorum præscius, hujus rei temerarios terrore anathematis prohibuit, quod testantur elogia ab ipso nuncupata, a supradicto Petro abbate edita. Vicentini vero, quia illorum civitas & oppida vicina & contigua erant, magno impetu & tumultu aggressi, infelici rapina rapuerunt illud. Quantum dolorem matri suæ & abbati, ceterisque fratribus iniecerint, injuriamque contulerint, præsens stylus evolveret, nisi ad altiora tenderet.

Præfatus igitur Petrus abbas cum prædicto Odone custode ejus & matre, cunctoque collegio ejusdem cœnobii læsi tanta injuria, cæsi enim sunt, vulnerati, dilaniati, timore mortis perterriti, nimio dolore mortis intrinsecus tacti, prætentaverunt per potentum præsidia (marchionis scilicet Estensis Azonis *) vel quovis modo facultatis pretiosum pignus sanctissimi confessoris recuperare. Cumque potentum præsidia deficerent, nec humana facultas suppeteret, solius divinæ clementiæ auxilio unanimiter institerunt, jejuniis & orationibus & vigiliis vacantes, sua quæque indigentibus erogantes, Christi immensi regis potentiam exorantes, ut quandoque daretur facultas eripiendi sanctissimi corporis glebam. Hos enim Dominica confirmabat promissio: Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, credite, & fiet vobis.*

Post longum vero temporis, divina inspirante clementia, animoque divinitus suadente, inclusus est prædictus Odo, custos ejusdem sanctissimi viri, juxta ecclesiæ Vicentinæ parietes, ubi sanctum corpus quiescebat, ut murus miræ latitudinis & altitudinis & spatium non parvum sibi & sepulcro interesset,

ANN. CHR. 1074.

ressent, eo animo & deliberatione, ut subterraneo specu sanctissimum corpus effoderet, si divina faveret pietas, nullo humanæ possibilitatis auxilio nixus, solius divini nutus juvamine confisus. Orationibus vero & eleemosynis jejuniisque vacans se totum affligebat. Fratres autem, qui cum eo erant, quotidie ejusdem urbis ecclesias nudis pedibus circuibant eadem oratione instantes. Tandem divina cooperante clementia, is vidit in somnis personam senis candidissimam, sacerdotalibus vestibus præter colobium indutam, his verbis futura admonentem: Surge & labori insiste, complebitur tibi desiderium tuum. Quod cum tertio contingeret, & quisnam esset, qui cum ipso loqueretur, quæreret, Angelus infit: Ego sum missus a Deo, custodio corpus hoc. O gloriosa confessoris merita, cui custodia instat Angelica, & per visiones de eo futura prædicat! Vere enim psallimus: Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te. Nimirum & de multis aliis confessoribus & martyribus hoc idem contigisse sacra tradit historia.

Præter hanc visionem Angelicam adhuc dubitanti, & ne ante eventum rei hoc secretum manifestum fieret, metuenti, visus est idem confessor Dei eadem de incipiendo opere suadens. Cumque tot visionibus monitus deficeret, & multiplicibus angeretur cogitationibus (spes enim suadebat, animus ardebat, sed metus tumultus populi perturbabat) contigit, ut psallendo psalmos juxta altare sedens, obdormisset, illud Davidicum psallens: Cantate ei canticum novum; adest iterum species sanctissimi viri olim notissima, sic inquiens: Quid agis mundanæ vitæ minister, & inseparabilis funeris & corporis custos? Qui cum adhuc dubitaret, quid ageret incertus: Quid, inquit, moraris? Tu eris compos voti, si fodere incœperis, ut sæpe dictum est tibi. Apprehensaque manu corporeo motu ducens ad locum fodiendum: Hic, inquit, fodies juxta murum, donec ad imum fundamenti pervenias. Cumque eo perveneris, sub fundamento fodias contra sepulcrum meum; sic me invenies. Sentiens igitur corporaliter se moveri, evigilans vidit speciem sanctissimi viri in tanto fulgore, quantum humanorum oculorum acies ferre non posset, procidensque in faciem suam, semivivus diu jacuit. Nec mora resumptis viribus, tot ac tam manifestis visionibus confisus, sumpto fossorio ipse prior ad locum accessit, & effodiens quantum pro viribus valuit, hoc opus perficiendum duobus ministris suis commendavit, Johanni scilicet & Martino. Qui diu effodientes juxta murum, cum ad imum pervenissent fundamentum, descenderant ferme ad spatium viginti pedum, incerti quid agerent (situs enim tumuli non adeo descendebat) reversi sunt ad prædictum Odonem. Qui cum diu orationi hac de causa instaret, meruit iterum in somnis ab eodem confessore Christi moneri, ut fundamentum subtus effodiendo transiret. Erat autem fundamenti latitudo duodecim pedum. Quod cum magno labore perfecissent, immo divina favente clementia, non enim humana vis hoc posset, nisi divinis adjuta præsidiis, pervenerunt ad quamdam pillam, qua Confessionis columna superimposita nitebatur. Metuentes vero ne usque ad supernum pavimentum ascendissent, ubi clerici in choro morabantur, imperfecto opere, jam dicto magistro nuntiaverunt. Iterum per visionem monitus est his verbis: Cava in sinistram partem per rectam lineam, & postea per obliquum in dextram, sic invenies me.

Evigilans igitur venerabilis & religiosus Odo, idem ipse sumpta virgula ferrea, accessit, immissaque ea terræ per rectum, sepulcrum, ubi requiescebat sanctissimi viri corpus, tetigit. Incertus tamen, an illud esset, vel quilibet oppositus lapis, prædictos ministros fodientes dimisit. Qui diu fodientes cum multo anhelitu, pervenerunt ad desideratum tumulum gloriosissimi & incluti confessoris Theobaldi, & frangentes illud ferreis subuculis, ceterisque

ferreis

ANN. CHR. 1074.

ferreis instrumentis, divino refecti spiritu, magna audacia tantum aperturæ dederunt, quantum ad accipiendum corpus sancti viri sufficeret. Factum est hoc hebdomadis tribus & diebus quatuor. Oh admiranda divinæ potentiæ clementia, & gloriosa erga Sanctorum ejus merita ubique gentium prædicanda! Quod centum hominibus impossibile videretur ferme per anni spatium, hoc peractum est a duobus spatio trium hebdomadarum & dierum quatuor, nec semper operantibus, nisi quando hominum absentia, & solitudo in ecclesia præstabat tempus. Erat vero funis cingulo cavantis alligatus, quem tenens, qui in fundamento putei effossam terram suscipiebat, monitus superno signo, ne hominibus in ecclesiam advenientibus streperet, adtrahens funem monebat; & quoties frequentia hominum abscedebat, iterum fossor admonitus satagebat. Iisdem namque religiosus vir in supernis stans, signa operandi & quiescendi pro temporis qualitate dabat.

Nec solum per angelicam visionem & spiritualem admonitionem prædicto custodi suo Dominus hoc revelare dignatus est, verum etiam præfatus Petrus abbas cum Veronæ in cella sua sancti Salvatoris noctis tempore obdormisset, hac de causa vigilans sollicitus & nimia cura positus, vidit in somnis candidissimam speciem ignoti viri ita dicentis: Quæ te remordet & sollicitat cura hujus rei, quæ tuo versatur animo, facilis erit eventus non ad longum tempus, si quis effoderit; Odonem, quem similis cura angit, hortare in hunc modum operis. Cujus visionis evigilans memor, per quemdam familiarem matris, Andream nomine, altera die ad se venientem, (ut Domino placuit) ipso tempore operis cum adhuc Vicentiæ perficeretur, qualiter sibi revelatum esset, misit.

O quanta lætitia & audacia divino refectus spiritu aggressus est sæpe dictus religiosissimus custos gloriosissimum corpus! Celebratis enim Missarum sollemniis miro odore thimiamatum, magis tamen redolente sepulcro accessit, diutiusque orans exorsus est his verbis: Si placet, mi pater, ut tibi serviam, corpusque tuum custodiam, sicut tu jussisti, en ego paratus audacter accedo, nihil nostris viribus præsumens, tuis tantum imperiis satisfaciens. Et apprehenso corpore, totum a sepulcro cum parte carnis, quæ supererat, evulsit, & linteolo mundissimo involvens apud se mira celebritate custodivit. Hoc fidele furtum tuetur ab infamia laudatum furtum tactæ fimbriæ ad mulieris salutem, & discipulos Johannis corpus ejus furtim rapuisse Evangelica narrat historia. Martini quoque præcipui confessoris corpus in Turonis direptum scripta de eo testantur ecclesiastica. Marci quoque evangelistæ corpus ad nobilem Venetiam legimus simili modo translatum. Hujusmodi exempla adeo multa sunt in promptu totiesque scripta, ut nostro stilo non indigeant. Hic nimirum discipulus & minister fidelissimus Domini præcepta secutus, tot visionibus admonitus, nullo est crimine notandus, immo ore omnium hominum collaudandus. Effossum est autem beatissimi viri corpus idibus julii anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo quarto indictione XII.

Eodem vero die placuit Domino per sancti confessoris merita, ut credimus, congruentem pluviam super faciem terræ mittere, quæ diuturna indigentia aquarum per quinque menses nimia siccitate aruerat.

Interea prædictus Petrus abbas divino nutu & spiritu suggerente adveniens causa visitationis, cellulam, ubi moratur mater confessoris Christi Theobaldi inclusa, aliquandiu ibidem mansit. Inde accepta licentia Vicentiam adiit, quem familiari hospitalitate & magno gaudio prædictus sancti Theobaldi minister suscipiens, omne sui arcanum fideli confessione perdocuit. O quantis gaudiis lætati, & præ lætitiæ magnitudine lacrymati, diu mutuis amplexibus non sunt separati. Hic participem sui arcani patrem & magi-

Ann. Chr. 1074.

strum desiderabiliter faciebat, & adjutorem futurorum indubitanter sperabat; alter evenisse quod optabat, & se scire summo Deo immensas gratias referebat, cooperatorem futuri laboris fideliter promittebat. Sic unius diei spatio ibidem manens, sequenti die accepta licentia, tempore redeundi constituto in quinto-decimo die, ad monasterium suum rediit. Hoc secretum quibusdam fratribus & amicis accepta & firmata fide confessus est.

Eo vero tempore ambo cum suo collegio in orationibus perstiterunt, die noctuque Dominum deprecantes, quo perferri sanctum corpus vellet, ostendere dignaretur. Ad constitutum vero diem rediens Vicentiam, iterum ab eodem cum suis militibus fraterne est hospitio susceptus: moxque inito consilio, magna diligentia exeuntes urbem intempestæ noctis silentio, facili itinere, ut Domino placuit, pervenerunt cum sanctissimo corpore ad monasterium venerabile, quod est situm juxta fluenta Adesis, ubi dicitur Vangaditia. Quod satis patet divinitus esse patratum, ut in eo loco corpus ejus quiesceret, a cujus patre studuit cœlestis vitæ doctrinam suscipere. Quod in Martini quoque funere contigisse legitur. Turonis enim & Pictavis de ejus corpore sacro litigio litigantibus, victoria Turonicis cesserat, quorum monachus fuerat. Jam vero dici non potest, quibus laudibus suscepti sunt, quot millia hominum illuc convenerunt. Immensis enim laudibus monachorum & clericorum, utriusque sexus turba virorum ac mulierum, puerorum ac virginum infinita obvia pertulerunt in basilicam sanctæ & gloriosæ ac virginis Mariæ, ubi multa magnalia ad laudem & gloriam summi conditoris, per ejus præsentiam, & intercessionem fiunt, præstante ipso Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat in secula.

II. Privilegium Gregorii VII. concessum eremo Camaldulensi.

Rusticus Camaldulensis prior, qui sub finem anni 1072. apostolicum obtinuerat privilegium ab Alexandro II. Romano pontifice, alterum præsenti anno vigesima die martii obtinuit a Gregorio VII. qui Alexandro obeunti mense aprili anni elapsi datus fuerat in Romana cathedra successor. Enumerat Gregorius loca, quæ recipit sub sancti Petri protectione, ut ante ipsum recensuerat Alexander, sed illis addit *infra comitatum Vulterrensem & abbatiam sancte Marie virginis supradicto loco adherentem*, hoc est cœnobio sancti Petri de Cerrito, *positam in loco qui dicitur Pulliciano*. Privilegium *datum* est *Rome* XIII. *kalendas aprilis per manus Petri sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis archibibliothecarii anno primo pontificatus domni VII. Gregorii pape, anno videlicet Dominice incarnationis millesimo septuagesimo-quarto indictione tertia-decima*. Error tamen vitio transcriptoris irrepsit in indictionem, quæ hoc anno erat duodecima. Bullam ex authentico tabularii Fabrianensis sancti Blasii edimus in Appendice.

III. Rustico priori Camaldulensi suffectus Rodulphus.

Post hunc mensem amplius non apparet nomen Rustici tertii post Romualdum prioris Camaldulensis in monumentis ejusdem loci, qui proinde ultimum diem obiit hoc anno, suffecto in ejusdem locum Rodulpho, cujus tempore multæ largitiones obvenerunt eremo Camaldulensi. Ex summariis Baroncinii ipsi Rodulpho priori [a] mense augusto hujus anni Rolandus olim Alberti & Adaleita ejus uxor donant terram in loco dicto *Pratale* in territorio sancti Martini de Fojano. Viventius pariter quondam Petroni [b] eodem mense offert omnes terras suas, hortos & vineas, quæ habebat in territorio sancti Martini in Sala, curte Fojani. Ipso mense Berta quondam Berardi filia una cum Bosone quondam Viventii viro suo partim donat [c], partim vendit eremo Camaldulensi, & domno Rodulpho *preposito ecclesie sancti Salvatoris Campi amabilis* tres partes domorum & rerum, quæ olim fuerunt Bernardi, & postea Segnorelli ejus filii, quæque erant

a §. *Donatio.* 149. *A.* 1. 26.

b §. *Amissæ* 24. *A.* 167.

c §. *Emptio* 94. *A.* 1. 25.

Ann. Chr. 1074.

erant positæ in plebatu sanctæ Mariæ de Chio Casali *de Piano* & *Vignale*. Mense septembri Aritius quondam Andreæ & Berta quondam Pezzonis uxor ejus [a] donant terram cum domo posita in civitate Arretina prope ecclesiam sanctæ Agnetis. In vetustioribus autem instrumentorum summariis Camaldulensis eremi digestis ab anno 1001. ad annum 1269. a domnis Simeone & Rainerio monachis Camaldulensibus Fontis-boni, hæc legimus sub præsenti anno: [b] *Constantinus episcopus Arretinus cum consensu suorum canonicorum per se suosque successores in perpetuum pro remedio anime sue suorumque antecessorum & successorum donavit & obtulit Camaldulensi eremo jus & proprietatem totius poderis cum terris vineis casis & silvis, quod fuit olim Ugonis de Cignano positi in plebe sancte Marie in Partina in loco nominato Soci & Monticellus, sub anno Domini* 1074. *mense maji manu Aritii notarii*. Juxta Baroncinii pariter indices Hieronymo abbati Pratalìensi successerat Guido, nam huic mense septembri [c] Johannes, qui Pagano vocatur, filius Bezzo donat terram in fundo, qui vocatur *Rivocavo*. Actum in territorio Popiliensi juxta tribunam capellæ sancti Johannis in Rivo-cavo; manu Martini notarii Meldulensis & scriptoris Popiliensis. Hæc sancti Johannis ecclesia temporis progressu evasit prioratus, prius Pratalìensi abbatiæ, inde eremo Camaldulensi subditus, vocatus posterioribus seculi prioratus sancti Johannis-baptistæ de Richò.

a §. Donatio 153. A. 1. 31.

b Pag. 62.

c §. Donatio 152. A. 1. 30.

IV. Ecclesia sancti Clementis conceditur monast. Bifurcensi.

MONASTERII sancti Benedicti in Bifurco territorii Faventini mentionem fecimus ad annos 1003. 1004. & 1022. quibus annis partim sub magisterio & doctrina, partim sub præsulatu sancti Romualdi eremitica simul cum cœnobitica conjungebatur in ipso vita. Hujus monasterii, & Petri abbatis ejus loci nomen occurrit in charta autographa præsentis anni, a nobis exscripta ex tabulario archiepiscopali Ravennæ, quam producimus in Appendice. Scimus ex ipsa Wibertum, qui *apostolicus pater patrum sancte catholice Ravennatis ecclesie archiepiscopus* nominatur in pagina, concessisse ad lucrum & utilitatem dicti monasterii Johanni monacho vice Petri venerabilis abbatis monasterii sancti Benedicti, qui vocatur in Bifurco, *ecclesiam vel capellam, cujus vocabulum est sancti Clementis cum cimiterio suo & case* &c. Notæ chronicæ sunt hujusmodi: *Anno Dominice incarnationis millesimo septuagesimo quarto, regnante Heinrico filio quondam Heinrici anno octavodecimo, die quartodecimo mensis madii, indictione decima Ravenne*. Vitiosa est indictio, & loco decimæ reponenda est duodecima; mense autem majo adhuc decurrebat annus decimus-octavus Henrici regis a morte Henrici imperatoris ejus patris defuncti anno 1056.

V. Gregorii VII. literæ Sigebaldo abbati S. Salvatoris de Monte-acuto.

CŒNOBIO sancti Salvatoris de Monte-acuto in territorio Perusino præerat hoc anno Sigebaldus abbas, cujus consilio Gregorius papa VII. Romanus pontifex Albericum quemdam abbatem monasterii sancti Anastasii a Petro episcopo venerabilis memoriæ, & ab aliis duobus episcopis administratione & regimine privatum, & excommunicatione innodatum absolverat, ac permiserat, ut in pristinum locum restitueretur, & melior electus sine ratione, & violenter ejiceretur. Verum cum tutioribus notitiis certior factus fuisset idem Gregorius Albericum multis criminibus esse irretitum, graves ad eumdem Sigebaldum literas dedit, [d] præcipiens, ut vel Albericus abbatiam quantocius dimitteret, locumque cederet recens electo, aut cum ipso Sigebaldo Romam se conferret ad purganda crimina, quorum accusabatur. Si vero in alterutro obedire renueret, sciret Albericus se dubio procul a sancta sede apostolica excommunicandum. Datæ sunt literæ Gregorii Romæ *idibus novembris indictione decima-tertia* incepta a septembri. Hactenus existere sancti Salvatoris monasterium Perusinum,

d Lib. II. epist. XVII.

Ann. Chr. 1074.

num, eremo scilicet nostrorum Coronensium adjunctum, & de quo verba fecimus ad annos 1007. & 1055. agnoscit [a] Mabillonius, at sancti Anastasii monasterium illi ignotum. In tabulario tamen ejusdem monasterii sancti Salvatoris Ottonis IV. imperatoris diploma invenimus, in quo cellæ & ecclesiæ eidem cœnobio subjectæ recensentur. In his numeratur *cella sancti Anastasii juxta viam Flaminiam*; huic facile cellæ seu parvo monasterio præsidebat Albericus. Petrum memoratum in epistola Gregorii Perusinum episcopum facit Ughellius [b]; verum non liquet ipsum eam ecclesiam rexisse, cum ab anno 1059. usque ad annum 1084. constanter in tabulis veteribus Gothifredus episcopus Perusinus legatur. Alterius itaque ecclesiæ episcopus fuerit Petrus, qui insuper tempore literarum Gregorii defunctus jam erat.

a T. V. Annal. p. 86.

b T. I. col. 1160.

VI. Ejusdem bulla Lamberto Bononiensi ep. Historia Monasterii S. Michaelis in fundo Paterno.

Spectat ad hunc eumdem annum, licet antecedentem proferat, bulla a Gregorio VII. concessa Lamberto episcopo Bononiensi. Data est enim *decimo kalendas aprilis per manum Petri sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, anno primo pontificatus domni Gregorii septimi pape anno millesimo septuagesimo tertio indictione undecima*. Porro Gregorius electus fuit Romanus pontifex post diem XXI. aprilis anni antecedentis, quæ fuit postrema vitæ Alexandri II. ergo decimo kalendas aprilis, hoc est XXIII. die mensis martii anni 1073. qua nondum ad Romanam cathedram fuerat evectus, præfatum privilegium concedere nequivit, quod propterea spectat ad præsentem annum 1074. ut possit componi cum anno primo sui pontificatus. Corrigenda est etiam indictio, & loco undecimæ substituenda *duodecima*. In hac bulla confirmantur sedi Bononiensi, & Lamberto ejus episcopo bona, ecclesiæ & monasteria eidem episcopatui subjecta, inter quæ recensetur *monasterium sancti Michaelis archangeli positum in fundo Paterno cum omnibus rebus & pertinentiis suis*. In dubium tamen revocatur, an legitima sit, vel supposititia, aut vitiata hujusmodi confirmationis pagina. Quis enim toti antiquitati incognitus Johanninus imperator, qui in eadem bulla nominatur, ut donator *monasterii sancte Marie in massa, quæ vocatur Monte-pulense*? An-ne Jovianus? Quare licet a Ghirardaccio, a Sigonio & ab Ughellio in medium proferatur tamquam genuina, spuriam ipsam judicat [c] Muratorius, qui tamen addit: „ Nihilosecius ex hujusmodi confictis tabulis elici fortasse possunt varia non „ conficta monasteria, quæ tunc in Bononiensi urbe, ejusque agro nume„ rabantur. “ Re enim vera existebat præfatum monasterium sancti Michaelis in fundo Paterno appellatum etiam sancti Arcangeli, cujus tamen, licet antiquissima, obscurissima sunt primordia. Octo mille passibus distabat cœnobium hocce ab urbe Bononia, & exsurgebat eo loci, ubi vetus castrum, Brittorum dictum, situm erat. Si fides habeatur anno antiquæ inscriptionis marmoreæ existentis in atrio monasterii nostri sanctorum Cosmæ & Damiani de Bononia, florebat jam pridem ante initium seculi XI. hujusmodi cœnobium. Laudatur siquidem in ea Gerardus abbas monasterii sancti Michaelis, *quod residet in arce Brittorum*, eo quod ampliaverit & renovaverit prædictam ecclesiam sanctorum Cosmæ & Damiani ad Pontem-ferri in urbe Bononia, jam olim a fundamentis extructam cura & labore anteriorum monachorum ejusdem cœnobii sancti Michaelis. En ipsa inscriptio:

c Antiq. medii ævi T. V. c. 397.

Verum

Ann. Chr. 1074.

+PRESENSAVLADEIFVNDATALABORE PRIORV
CENOBIIFRATRVRESIDENTISINARCEBRITORV
ANPLIATHANC ABBAS SAPIENS RENOVATQVEGERARDVS
NOBILISETPRVDENSNECADALMANEGOTIATARDVSCV
DSAPALEADIVISERITORDINEMGRANVMFAVTORESHA
BEATCOSMAMPIVSETDAMIANVM A·D·M·VII.

PRESENS. AVLA. DEI. FVNDATA. LABORE. PRIORVM
CENOBII. FRATRVM. RESIDENTIS. IN. ARCE. BRITORVM
ANPLIAT. HANC. ABBAS. SAPIENS. RENOVATQVE. GERARDVS
NOBILIS. ET. PRVDENS. NEC. AD. ALMA. NEGOTIA. TARDVS. CVM
DEVS. A. PALEA. DIVISERIT. ORDINEM. GRANVM. FAVTORES. HA
BEAT. COSMAM. PIVS. ET. DAMIANVM. A. D. M. VII.

Verum dubitamus lapidarii vitio errorem irrepsisse in notas chronicas, & loco Anni Domini M. VII. reponendum esse annum M. CC. VII. præsertim cum ejusdem monasterii sancti Michaelis abbas, Gerardus nomine, legatur in chartis veteribus huic anno proximis. In archivo pariter sanctimonialium sanctæ Christinæ de Bononia apographam paginam reperimus, seculo XII. ut nobis videtur, exaratam, & annum millesimum undecimum referentem, in qua per regium præceptum confirmantur & recensentur ecclesiæ ac monasteria subjecta principi monasterio præfato sancti Michaelis. Si tamen notas chronicas hujus diplomatis, nomen regis Romanorum ipsum concedentis, nobiles testes subscriptos, notarii demum nomen ad examen revocemus, tot vitia ipso primo conspectu in charta animadvertimus, ut illam spurium fœtum alicujus male feriati vel oscitantis hominis statim judicare cogamur. Quis enim anno ab incarnatione Jesu-Christi millesimo undecimo novus, nullique cognitus, & contra historiæ veritatem, *Carolus divina favente clementia Romanorum augustus*? Quis insuper princeps & imperator *Fuscarius* in regia hac pagina tamquam donator & benefactor nominatus? Subscribunt in hoc diplomate Rainaldus Maguntinus, Fridericus Coloniensis, Bernardus Spirensis, Ugo Constantiensis, Henricus dux, Fridericus dux, Simon dux, Bretholdus dux, Gothifredus dux. Nullum autem horum episcoporum & ducum ad signatum annum in tota antiquitate vestigium; immo in tota serie Moguntinorum episcoporum nullus umquam & usquam Rainaldus legitur. Apud Leibnitium Rothardus Moguntinus episcopus obiit anno 1109. An-ne loco Rothardi imperitus amanuensis Rainaldum transcripsit? Fridericus Coloniensis archiepiscopus electus anno 1099. dicitur [a] apud Pistorium, obiisse [b] autem anno 1131. Ejus nomen legitur in Sigeberto ad annum 1110. & ad annos 1112. & 1118. apud [c] Hanzisium. Alter Fridericus Coloniensis nominatur ad annum 1158. [d] Bertholdus dux Carinthiæ reperitur [e] ad annum 1076. Alter Bertholdus Zeringensis dux electus anno 1096. profertur [f] a Frehero, & etiam ad annum 1138. nominatur. Simon dux Lotharingiæ circa annum 1132. [g] nobis innotescit ex Gloschero apud [h] Eckardum. Gothefridus Lotharingiæ dux ad annum 1075. ex [i] Hanzisio, & ad annum 1100. apud [k] Pistorium. Inter Germanicarum rerum scriptores nullus Constantiensis

a T. I. col. 664.
b Ibid. c. 673.
c German. sacra T. II. p. 210. & 215.
d Pistor. T. III. c. 204.
e German. sacra T. II. p. 180.
f T. I. col. 506.
g Ibid. col. 235.
h T. II. c. 2196.
i T. II. p. 179.
k T. I. col. 664.

Ann. Chr. 1074.

tiensis episcopus similiter reperitur Ugo appellatus. Bernardi autem Spirensis episcopi tempora spectant ad seculum XII. Demum Regberti sacri palatii notarii, qui chartam scripsit, nomen in nullis aliis imperialibus præceptis invenitur. Omittimus titulum augusti non reperiri sine altero titulo regis, aut imperatoris in genuinis diplomatibus; imperialia aut regia præcepta similiter a solo notario non subscribi, sed ab archicancellario, vel ab aliis *ad vicem* &c., non consuevisse pariter adhiberi episcopos & principes in diplomatibus tamquam testes, nisi duodecimo seculo. Quare omnibus perpensis, hujusmodi chartam libentissime vel ad maxime vitiatas, vel etiam ad illegitimas rejicimus, ultimum propterea ei assignantes locum in nostra Appendice. Ad summum ipsam confectam credimus initio seculi XII. & vice Caroli legendum putamus Conradum II. hujus nominis, filium Henrici IV. imperatoris, qui obiit anno 1101. quique patre anathematis vinculo innodato Italiæ regnum obtinuerat. Illud tamen veri ex ea colligi potest, ut superius diximus collegisse Muratorium, monasteria scilicet & ecclesias, quæ in ipsa numerantur, revera pertinuisse ad monasterium sancti Michaelis in Massa Paterno, cum & sequentibus seculis in genuinis & certis diplomatibus & chartis plura ex iisdem locis recenseantur. Sed regii præcepti synopsim afferamus. Datur hoc Guildulfo abbati, presbytero & monacho per id tempus præfato monasterio præfecto, de quo tamen nullum aliud monumentum in chartis nostris superest, cui a rege confirmatur monasterium sancti Michaelis archangeli, quod dicitur *ab imperiali manu constructum*, & corroborantur omnia, quæ ei monasterio concessa sunt per antecessores reges. Ea porro sunt *monasterium sancte Marine, aliud sancte Marie super Stratam, cenobium sancti Quirici, alterum sancti Benedicti, monasteria insuper sancti Archangeli in Curalupo, sancti Laurentii in Malano, sancti Dalmatii, sancti Archangeli in Cinado, sancti Bartholomei, quod est juxta Bononiam, & sancti Andree, & monasterium sancti Martini in fundo Sisiano*. Tum enumerantur fundi & castra, inter quæ *castrum, quod vocatur Casula, destructum cum septem capellis* &c. In fine habetur: *Si aliquis prophanus & Deo odibilis contra hoc preceptum facere presumpserit, si habet, unde pena pati possit in rebus, medietatem suarum rerum omnium regis camera habeat, & medietatis partem in usum monasterii cedat. Si autem nihil ex toto habet, per tres episcopatus virgis cesus sine ipsa possessione semper maneat* &c. *Actum juxta fluvio Ren*: De monasterio sancti Michaelis certiora deinceps producemus sub aliis annis, seculo præsertim sequenti, quo disciplinæ eremi Camaldulensis paruit, & semel ei reformandum traditum per plura secula, licet variis vicissitudinibus obnoxium, in congregatione nostra permansit.

Hic loci aliqua antiquiora & ad præsens seculum ac sequens pertinentia obiter adjungimus, spectantia ad monasterium sanctæ Mariæ super Stratam. Anno 1085. [a] *Ugo filius Ugonis offert Johanni abbati sancte Marie in Strata bona* &c. *vice & nomine sancti Blasii de loco Rostito posita in castro de Curte cum capella, Fredulfo notario*. Anno 1086. [b] *imperante Enrigo rege Deo propitio anno tertio, quarto kalendas decembris indictione* X. *Azo & Atto q. Rothaldi concedunt per emphiteosim domno Johanni abbati monasterii sancte Marie in Strata integram portionem ecclesie sancte Marie, que est edificata in loco Panigale, Fredulfo notario. Septimo kalendas februarii indictione* XI. *anno* 1103. [c] *Ubertus & Guido donant tibi Gandulfus gratia Dei abbati de monasterio sancte Marie in Strata* &c. *integram portionem de ecclesia sancte Marie de Baulini cum cimiterio, Fredulfo notario*. In suspicionem venimus Gandulfum abbatem sanctæ Mariæ de Strata

a *Arch. S. Michael. in Busco Bon. T. I. num.* 1.

b *Ibid. T. I. n.* 2.

c *Ibid. T. I. num.* 3.

ta eumdem esse cum Guildulfo abbate sancti Michaelis de Massa Paterno, qui utrique cœnobio præsideret; robur addit conjecturæ nostræ legi in supraelato regio diplomate monasterium sanctæ Mariæ super Stratam concessum fuisse per antecessores reges alteri sancti Michaelis. Hæc si admittantur, non incongrue diploma spectat vel ad finem hujus seculi, vel ad initium sequentis, & ad annos, quibus jus dicebat in Italia Conradus II. filius Henrici IV. imperio dejecti. Post Gandulfum legitur ad annum 1123. [a] Paullus abbas sanctæ Mariæ in Strata, cui die secunda maji Ragimundus archipresbyter de plebe sancti Johannis in Presecata una cum consensu suorum majorum fratrum canonicorum concedit & promittit ordinare ecclesiam sanctæ Mariæ de castro Bagno *cum canonicis tantum scilicet, cum presbyteris & aliis clericis ad serviendum Deo. Actum in villa Casalini anno Dominice incarnationis* M. C. XXIII. *regnante Henrico filio quondam Henrici die secundo ingrediente mense madii indictione* XV. *Et ego Girardus causidicus & tabellius* &c. Petrus abbas legitur ad annum 1142. Wido ad annum 1153. Johannes ad annum 1166. Gerardus ad annum 1194. Autographas hujusmodi paginas legimus in tabulario monachorum Montis-oliveti sancti Michaelis in nemore Bononiæ. Monasterium sanctæ Mariæ in Strata cum altero sancti Michaelis de castro Brittorum per Sixtum V. Romanum pontificem unitum fuit collegio Montis-alti ejusdem urbis.

ANN. CHR. 1074.

a Ibid. T. I. n. 4.

ANNO integro intumulatum jacuit in ecclesia Vangaticiensi corpus sancti Theobaldi, cujus rei rationem reddit auctor secundæ translationis corporis sancti viri Latiniacum his verbis. [b] *Postquam pretiosi corporis gleba, nondum humata a Vicentino præsule, & a suis rapta, sepulturam non sibi gratam accepit, quam & citius per manus domni Odonis sui individui comitis mutavit, factis sibi multis visionibus, sed idem monentibus, & postquam per indefessum ejusdem domni Odonis laborem, divina tamen præcedente & concedente gratia, ad locum Vangadiciæ revecta est, quod superiora plenius legenti clarebit, domno Petro abbati ejusdem loci, & Azoni terræ illius marchioni, ceterisque sane sapientibus id sedit consilii, quatinus illa sancti corporis margarita usque ad anni evolutionem servaretur incondita. Hoc autem consilium sapienter est institutum, ut sicut fama volante totius provinciæ aures invasit raptus sancti corporis, qui per Vicentinos factus fuerat, sic etiam ejusdem sancta relatio palam omnibus fieret, & certis argumentis videndi seu palpandi relatum corpus vires sumeret, & gaudium omnibus pareret relatio, quibus mœrori fuit ablatio.*

ANN. CHR. 1075.

VII. Miracula S. Theobaldi Vangaticiæ patrata.

b Act. SS. Ord. S. B. Secul. VI. p. 182.

Quantis vero hoc anno, & deinceps in Vangaticiensi basilica effulserit signis & prodigiis sacrum illud corpus, pluribus enarrat scriptor primæ translationis e Vicetia Vangaticiam [c]. *Igitur postquam ad prædictam ecclesiam sanctæ Mariæ a jam sæpius nominato abbate & prædicto Odone sanctissimus thesaurus translatus est, qualia & quanta miracula rex omnipotens ibi per sanctissimi confessoris sui merita mirifice ostendere dignatus est, quorum numerus, licet facultatem scribendi excedat, tamen pauca, quæ vidimus & cognovimus, Deo teste, referamus.* En alterum anonymi scriptoris eadem ætate viventis indicium; eaque repetit sparsim in miraculis, quæ subinde narrat. *E castro enim, quod dicitur Sancti-Donati, puella quædam ferme ætatis octo annorum a parentibus est allata ad gloriosa confessoris suffragia, cui pedum contractio negabat gressum, & articulorum manuum, linguæque simul negabat officium. Quam his officiis prius egentem, postea vidimus incedere, & extentis manibus attrectare, & loquentem audivimus summo*

c Ibid. pag. 179.

ANN. CHR. 1075.

Deo gratias referentem, ad laudem & gloriam Salvatoris, interventu sui confessoris. In villa, quæ dicitur Arquada, quidam jam provectæ ætatis fuerat, cui omnia membra a genibus usque ad imum contracta a nativitate nullum præstabant officium. Adveniens autem ad prædictam basilicam manibus & scamellis erectis super bases pedum, propriis gressibus, interventu beati confessoris Theobaldi ad propria remeavit. Cujus tantæ infirmitatis insignia magnæ in natibus fossæ erant, quas impressi calces tempore infirmitatis offenderant.

Mulier quædam ex villa, quæ nominatur Lusia, multorum per tempora annorum unius oculi lumine carens, alteroque penitus adorbata, divina favente clementia, ad præclaram confessoris advenit præsentiam. Cumque ante prælucidissimi confessoris patrocinia flexis poplitibus, diversis gemitibus, acerrimisque lacrymis immensas effunderet preces Deo summo regi, Sancto interveniente, lumen unius oculi diu obfuscatum meruit habere clarefactum. Quæ vero evidenti gaudio commota, confessoris magistro Deo pias impendens gratias, utriusque sexus circum adstantibus patefecit se hujus mundi machinas proprio videre lumine; hoc enim immensus populus attentis accipiens auribus Christo magnificas reddentes laudes, cumque Davidico carmine ita approbantes: Magnus Dominus noster & magna virtus ejus, innumerabilia Sancto, unusquisque suo pro posse, attulerunt munuscula; ut pius orphanorum pater in solita permanens clementia, quæ antiqui deceptor parentis eos impie committere compulit, ipse pie auferre dignaretur, sanctissimo Theobaldo intercedente.

Ubi cum singulis diebus, prout voluntas quemque vel facultas veniendi trahebat, catervatim irruerent, contigit, ut femina quædam spiritu immundo plena, ab his, qui eam diligebant, qui salutem illius quærebant, deducta veniret. Et illi quidem de Castello-veteri eam advenisse dicebant. Nota persona de vicino repente cognitores, & qui ei affectu misericordiæ compaterentur, invenit. Unde Christo, & beato confessori Theobaldo, quicumque convenerant, pro illa devotissime supplicabant. Itaque spiritus ille vasis alterius pervasor, & si quietam paullo ante ad horam reliquerat, cum femina ecclesiæ ingressus peteret, limen calcaret, ad præsentiam corporis sancti festinaret, vim virtutis Sanctique meritum persensit, & quasi dominaturus ad modicum, quas habuit vires, erexit, & medullas, ossa, nervos, compages, venas, arterias inferiorum membrorum, in quibus ante doloribus affligens feminam regnaverat, celerius reliquit, ac in vultus superiores diversivoce erupit. Et continuo latratus, gannitus, balatus, hinnitus, mugitus, sibilos & garritus diversorum, ac irrationabilium animalium imitans, modo velut aliquid rationabile movens, modo sensus in diversa retorquens, quis qualisve esset interius, his atque aliis horribilibus modis prætendebat exterius. Erat ergo muliercula spectandum miraculum facta turbis, dum & inimicum in humano corpore conspicerent insanissime sævire, ægram nihil tantæ ægritudinis sentire. Ita quippe patientis membra stupor affecerat. Sed dum de divinis specialius aliquid ecclesiæ ministri, sive populus adveniens recitaret, modo pavidam timere, modo audacem resilire, vel in homines insilire videres; & aliquando beatum Theobaldum strenuum mundi contemptorem prædicare, sanctum Deoque carum; aliquando vero revolutum ad immania, tam de eo, quam de ceteris electis dicere nefaria, & ipsis hominibus indigna. Cogebatur etenim, ut est credibile, a sancto Angelo vel illa prædicare, vel ista dicere sinebatur, moderante nutu cuncti-potentis Dei. Cum itaque tam fratres monasterii, quam reliquus populus circumstarent, & attentius Sancti suffragia postularent, contigit illustrem virum Azonem marchionem, illius videlicet

delicet monasterii possessorem advenire, & sicut ante gesta solo auditu, sic eodem visu cognoscere. In ejus praesentia venerabilis Odo monachus, saepedicti confessoris in vita praecipue dilectus accedens, & manu dextera guttur mulieris, & in ea debacchantem spiritum constringens, indubitanter etenim de virtute beati viri praesumebat: Da, inquit, honorem Deo, & glorioso confessori Theobaldo, spiritus immunde. Hodie certe nullum tibi ad inferiora, unde conscendisti, diffugium, Deo probibente, patebit, donec iste populus agnoscat, quam gloriosum servum suum, coram cujus gleba supplices adsumus, & expulsione tua Christus Dei filius ostendere dignetur. Ad haec verba praestigiator ille confusus per os, per quod ingressus fuerat, regressus est; atque multo vomitu sordidissimi, & cruentissimi, & nimii foetoris immunda vestigia reliquit. Mulier igitur sanitati restituta, postquam sibi de se paullatim cogitare praestitum est, & se purgatam cognovit, Deo & beato Theobaldo confessori gratias quantas, & quotiens potuit, exsolvit. Azo denique supra memoratus marchio, cum universis, qui aderant, prae gaudio resolutus in lacrymas, postquam Christo Domino in immensum, & pro debito gratias solvit, iterum manus ad coelum extendens universorum creatorem benedixit, quod se suaeque ditionis populum in adventu beati, & omni laude celebrandi confessoris Theobaldi visitaverit ad laudem & gloriam sui Sancti, quod est benedictum in saecula. Amen.

Die quadam puer, ut videbatur, annorum duodecim, a patre & avunculo, postquam fides aliquorum adoleverat miraculorum praeconio, ad Sancti praesentiam deductus est, cui spiritus infirmitatis ita jugulum contraxerat, & caput depresserat, ut mento pectori penitus inhaerente numquam recto contuitu aliquid contueri, nisi suppositum valeret. Hic aetate puer, actu silicernius, a Venetia deportatus, vicissim per dies quatuor Sancto fideli commendatione oblatus, ultimo die meruit liberari. Erecto quidem vultu circumposita superiora, & inferiora conspiciens, stupebat de salute consecuta, & mirantes mirabatur. Cumque repente universi, qui aderant, tam egregium in humano corpore miraculum ad invocationem coelestis auxilii actum viderent, Dominum glorificantes benedixerunt, qui gloriosus est in omnibus operibus suis, quique beatum Theobaldum glorificare dignatus est in gloria coelesti; ac genitor & avunculus, qui puerum ductores advexerant, vota Deo sanctoque confessori voventes, eum, quem sanatum acceperant, famulatibus Sancti devoventes, una cum eo ad suos redierunt.

Castellum vero est, quod a monasterio supradicto quinque millibus distare videtur, quodque Merlaria vulgo nominatur. In hoc denique mulier a nativitate muta pariter & surda concreverat, quae nullos animi sui motus reddere, vel alterius capere, nisi nutibus valebat. Huic autem per significationes, quibus potuit, nutibus innutum est, quod Sanctus ille, qui quondam in silva cum matre propria vixerat, quem defunctum Vincentinus populus eripuerat, per quem Deus multa miracula illic ostenderat, modo ad monasterium reginae coeli matris Domini nostri, qui passus est pro nobis, ab abbate & a monacho quodam deportatus sit, & per eum daemonia ab obsessis corporibus expellantur, & aliae sanitates fiant. Mulier itaque surda, quae nominatim per significantes motus minus cognoscere rerum gesta, quae significabantur, plene potuit agnoscere, & credens atque sperans, quod per Sanctum, qui nutibus ostendebatur, audire simul & loqui facile posset, ad monasterium venit. Cumque populum in confrequentationibus constitutum ante Sancti praesentiam videret, magis confidere, magisque sperare, atque ubertim flere. Prostrata igitur coram veneranda memoria pectus utrisque manibus ferire, terram deosculari, & quaeque dependentia a Sancti sacrario faciei suae cir-

Ann. Chr. 1074.

cumducere, auribus & ori imprimere festinabat. Et quantos in occulto suæ voluntatis affectus illa habebat, tum lacrymis, tum confusæ vocis murmure, tum membrorum motibus in aperto circumstanti populo demonstrabat, unde & ad misericordiam flexit universos. Cum ergo omnes in unum pro muliere salutem votivis supplicationibus postularent, & inter orationis verba frequenter ingeminarent: Sancte Theobalde adjuva nos; sancte Christi confessor intende votis nostris, effunde super mutam præsentem pietatis tuæ viscera, surda per auditum aliorum verba haurire, & per linguam propria formare potuit, & perfecte quidem surditatis obice repulso, atque soluto linguæ nexu, egit Deo gratias, oris sui plena confessione, quæ salutem petitura venerat tantum cordis oratione. Illi ergo, qui prius eam cognoverant, cum esset surda & muta, & in eo tanta summi Dei videbant opera, laudes omnipotenti Deo reddiderunt, & circa sanctum Christi confessorem devotionis suæ famulatus obtulerunt.

De castro Beneceto in Parmensi territorio, mulier quædam multo oppressa dæmone, & diu fatigata accesserat, tantaque erat vis in ea sævientis spiritus, ut eam ad altare, vel ad sacri corporis locum trahere sex homines non sufficerent. Cumque ad sacrum locum accederet, immundus spiritus magis invalescebat, omnium animalium voces imitabatur, nunc mugiens, nunc hinniens, nunc rugiens, ceteraque similia. In cujus facie horrenda deformitas, & oculorum torvitas prodebat vitium. Immundus tandem ille spiritus, ante sancti corporis præsentiam coactus, cum multo cruore sordidissimo, & valde fœtenti per os effugit, & immenso clangore populi laudantis & benedicentis Deum.

Mulier quædam, Italia nomine, a nativitate muta, ab urbe Ravennatum beatissimi corporis oratorium petens, antequam accederet, aperte loqui cœpit. Stephanus quidam de Vignola castro manu et brachio contractus per visionem monitus ad prædictum locum properans, sanus Deo gratias recessit. Ab episcopatu Bononiensi de castello, cui nomen est Calcar, advenit mulier, Maria nomine, manifesto obsessa dæmone, quæ in loco ejusdem sacratissimi corporis curata est, nimium fœtenti spuma diversi coloris per os et nares effusa, prodente fugam dæmonis VII. *idus junii. Sequenti die continuo altera, Dominica nomine, de villa, cui nomen est Praguma in episcopatu Tridentino, ibidem simili modo curata est, fœtentissimo cruore per nares indicium curationis prodente.*

Subjicimus etiam hic in nominata loca brevissimas adnotatiunculas. Villa *Arquadæ* altera est in Pollicinio XV. milliaribus distans ab Abbatia, sive a Vangaticia. Altera in Patavina diœcesi prope Atheste celebris ob Francisci Petrarchæ incolatum.

Villa *Lusiæ* novem milliaribus abest a Vangaticia, sita autem est juxta Athesim.

Castrum-vetus XII. milliaribus dissitum est a Vicetia versus occidentem.

Merlaria quinque juxta scriptorem hujus narrationis, vel septem juxta Maginium milliaribus distat ab Abbatia sive a Vangaticia. Existebat hoc castrum etiam seculo X. ut vidimus in donationibus Amelrici marchionis & Franchæ ejus conjugis.

Benecetum alias Bercetum in territorio Parmensi celebrius loci nomen est, quam ut indigeat illustrari.

Vignolæ castrum reperitur in finibus Bononiensis territorii juxta Panarum fluvium prope Spilambertum.

Calcar & *Praguma* jam explicantur, ut loca sita in Bononiensi & Tridentino episcopatibus.

PORRO

ANN. CHR. 1075.

VIII. Azonis marchionis Estensis donatio facta monast. Vangaticiensi.

PORRO Azo marchio, qui & Albertus dicebatur non contentus obsequiorum pompa, qua honorabat sacrum sancti Theobaldi corpus, munificentissima donatione hoc eodem *anno millesimo septuagesimo quinto* VI. *kalendas octobris indictione* XIII. locupletatum voluit monasterium Vangaticiense, ubi *& corpus*, inquit, *beatissimi confessoris Theobaldi adesse videtur*. Obtulit itaque in sumptum & stipendium monachorum ibidem Deo servientium, vel qui ibidem pro tempore fuerint ordinati, *decimam portionem de paludibus positis in comitatu Patavensi et in finibus de Vigezolo, et in finibus Palso, Miliadino, Altadura, in comitatu Vicentino in loco, qui nominatur Albaredo, duas ecclesias in honorem sancte Marie et sancti Petri*. Ecclesias has, Azonis patris sui consensu, obtulerat eidem monasterio Welfo ipsius filius ante paucos annos. Ea autem omnia donat Azo pro mercede animæ suæ & Cunicæ quondam conjugis suæ, *cujus corpus ibidem requiescit*. *Actum in loco Este*. Chartam ex apographo seculi XIII. a nobis exscriptam ex tabulario Vangaticiensi ad Appendicem reservamus.

IX. Chartæ Valle-castrenses & San-gregorianæ. De Eugubinis episcopis.

LEGITUR sub hoc anno in protocollo XV. archivi sancti Blasii de Fabriano donatio facta monasterio sancti Romualdi Vallis-castri a Francisco comite omnium bonorum suorum, quæ ita describuntur: *Per viam asinariam in planum Nequili, per viam a la serra de la sporta in plano Vite ad aquam de Arella per caput de le cartechette ad fontem civitelle a la chiusa ad monte Martino in planum forche luparie* &c. Hi limites in hac donatione nominati respondent omnino limitibus, qui usurpantur in charta donationis Farolsi comitis anno 1005. ut ibi diximus, quare potius est confirmatio donationis, quam vera donatio, & Franciscus comes videtur unus fuisse descendentium comitis Farolsi.

Anno secundo pontificatus domni Gregorii VII. *pape indictione tertia decima mensis martii die secunda* Robertus filius .... a Balneomucino, consentiente Adohara conjuge sua, largitur & inrevocabiliter donat post mortem suam, filiorum & nepotum monasterio sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe, ac Petro rectori & abbati ejusdem loci castrum cognominatum de Guido cum suis pertinentiis positis foris portam sancti Pancratii, & vult, ut post obitum sepeliatur corpus suum, filiorum ac nepotum in dicto monasterio, pensionem annuam spondens interea *causa investitionis ipsius castelli*.

Datam hoc anno IV. nonas januarii indictione decima-tertia legimus epistolam Gregorii papæ VII. clero & populo Feretrano, atque clero & populo Eugubino, qua viduatam eorum ecclesiam pastore agnoscens mandat, ut omnino obediant abbatibus sancti Sabbæ, & sancti Bonifacii Urbis Romanæ, qui diligenter inquirant, ut ipsorum cathedræ idoneo pastore provideantur. Diximus alibi Mainardum Eugubinum episcopum eam sedem tenuisse usque ad diem octavam decembris anni præteriti. Hoc proinde anno in ipsius locum suffectus fuit Hugo II. hujus nominis, qui *temporibus Gregorii pape mense marcius indictione quartadecima*, hoc est anno sequenti, memoratus reperitur in veteri charta archivi Armanni apud Sartium [a]; pariter ipsius nomen legitur in alia pagina archivi ecclesiæ Eugubinæ *anno tertio* sedis Gregorii, qui tertium annum auspicatus fuerat a die vigesima-secunda aprilis hujus anni.

Post Hugonem II. electus fuit episcopus Eugubinus Dominicus ex Avellanensi familia, quem inter episcopos sanctitate illustriores habendum asserit Guernerius Bernius Eugubinus in ms. codice apud Muratorium [b], virum nimirum miræ abstinentiæ & purioris vitæ. Nulla majora de Dominico suppetunt monumenta, cujus dumtaxat nudum nomen, & episcopatum

a *De episc. Eugub. pag.* 59.

b T. XXI. *rer. Ital. script.*

ANN. CHR. 1076.

tum ad annum 1070. post Hugonem episcopum refert Ughellius. Ex allatis monumentis post annum 1076. statuenda est sedes Eugubina Dominici.

X. Donationes factæ eremo Camaldulensi.

RODULPHO priori Camaldulensi hoc *anno millesimo septuagesimo sexto regnante Henrico rege mense februarii indictione quarta decima* Constantinus sanctæ Arretinæ sedis episcopus & comes, ad *usum & sumptum fratrum in congregatione eremitarum ecclesie constructe ad honorem Salvatoris nostri sita Campus amabilis Deo famulantium*, concedit *integram terram illam & mansum in loco Caprena*, quam terram Leo presbyter & sui consortes ex parte episcopii sancti Donati detinebant in comitatu Arretino *infra plebe sancte Marie sita Partina* cum alia parte terræ *in Biblena*, & insuper *viginti quatuor sextaria de terra cum silva posita in advocabulo Broilo*.

Eodem anno mense aprili Guilla filia quondam Rainerii, & conjux Berardi filii quondam Lamberti per chartam sponsionis obligat se, & filios ac hæredes suos Rodulpho filio quondam Ungani *de integra una curte in comitatu Arretino infra plebe sancti Quirici sita Vegugnano in casalibus Vegugnano cum ecclesia sancte Marie cum muris .... & cimiterio, cum offersionibus, murtuariis & tenimentis ubicumque invenitur*. Hæc prædia una cum ecclesia sanctæ Mariæ de Vegognano paullo post, hoc est anno 1084. in jus transierunt eremi Camaldulensis.

XI. Hospitium pauperum prope ecclesiam SS. Martini & Frigdiani Pisarum traditur eremo Camaldulensi.

REFERRI debent ad eumdem annum, melius quam ad sequentem donationes factæ eidem eremo Camaldulensi rerum positarum in urbe Pisana, cum probabile sit usurpari annum Pisanum in his duabus sequentibus chartis signatis quidem anno 1077. sed indictione XIV. Prima ergo scripta *anno millesimo septuagesimo septimo hoctavo kalendas madii indictione quarta decima*, continet largitionem Biniæ relictæ quondam Donichi, & filiæ Dominichi, qua, consentiente sibi Bernardo clerico filio Johannis mundualdo suo, offert *ecclesie sancti Salvatoris de erimo, ubi dicitur Campo amabilem, ubi nunc domnus Rodulphus prior preesse videtur*, suam *portionem de omnibus cassinis, terris et rebus*, quæ obvenerant viro suo per chartulas scriptas a Raginerio & Teuperto notariis a Farolmo, qui Rusticus vocatur, filio Gherardi, & a Willia uxore filia Rodilandi, quæque posita erant *infra civitate Pisa, ubi ecclesia et hospitium sanctorum Martini et Frigdiani sunt constructa in loco et finibus, ubi dicitur Ghello*. Hæc autem relinquit omnipotenti Deo & prædictæ ecclesiæ sancti Salvatoris, *ut sint jure proprietario dicte ecclesie, itaut permaneat semper ad ordinem monachicum, et sit in potestatem predicti Rodulphi prioris et consilio integre congregationis sue, et ejus successorum regendi et disponendi predicta loca et constituendi monachos et eligendi priores* &c. *Actum foris Pisa prope ecclesiam sancte Marie*, nempe prope cathedralem basilicam. Post Biniam Sismundus judex signat se hoc versu:

Adfuit his sacris Sismundus Binie datis.

Scilicet his temporibus judices & testes, qui doctrina ceteris præpollebant, gestiebant carminibus nomen suum celebre reddere, quare idem Sismundus in placito Beatricis ad annum 1073. relato cecinit:

Legum Sismundus subscripsi dogmate fultus.

& alter judex Adierius:

Adierius laudat, quod præsens chartula monstrat.

Secunda similiter charta easdem chronicas notas præfert, & donationem continet Heritii filii Enrighi, qui fuit judex, & Gontaldæ ejus uxoris filiæ

liæ Balduvini, qui offerunt eidem eremo sancti Salvatoris & Rodulpho priori omnia, quæ ipsi Heritio contigerant per chartam Andreæ notarii a Leone presbytero filio Walprandi, facta eadem potestate Rodulpho eligendi prioris, consilio tamen eorum, ipsorumque hæredum, *si fuerimus*, inquiunt, *in comitatu Pisense, et adesse voluerimus spiritualiter absque ullo seculari respectu*. Ex his paginis in cognitionem venimus ecclesiam & hospitium sanctorum Martini & Frigdiani, quæ posita erant in urbe Pisarum, tradita fuisse cum pluribus bonis circa hunc annum regenda Camaldulensibus monachis & eremitis. Eam ecclesiam administrabat, hospitiique præses erat anno 1061. Leo presbyter, ut ad eum annum vidimus, occasione donationis factæ eidem loco a Bello filio Dominici, & anno 1062. alterius largitionis, quam fecit Sesmundus judex sacri palatii. Sub anno 1063. sententiam attulimus Gothifredi ducis & marchionis Pisis residentis ad favorem ejusdem Leonis ratione bonorum, quæ prædicto hospitio obtulerat Bonectus judex, injuste autem detinebat alter judex Wido. Anno 1067. domum & terras vendiderat eidem presbytero Leoni Druda mulier Oddi. Ipsi pauperum & peregrinorum hospitali oblationis tabulas confecerat anno 1073. die XX. februarii idem Leo, qui erat rector, atque anno 1074. XII. decembris Waldrada vidua Bonecti judicis & filia Widonis bona donaverat, & demum XII. die augusti anni 1075. Guilielmus Contulini bona permutaverat cum eodem Leone rectore. Ad hujus Pisani monasterii illustrationem chartas ad hunc annum spectantes edimus in Appendice ex tabulario Camaldulensi Fontis-boni; sicut ceteras partim ex archivo sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, vel ex summariis instrumentorum ejusdem monasterii, partim ex illo sancti Michaelis in burgo Pisarum sub suis annis in eadem Appendice produximus.

XII. Aliæ chartæ Camaldulenses.

Ex indicibus autem D. Eduardi Baroncinii hæc excerpsimus ad Camaldulensem eremum spectantia. Mense januario [a] Rainerius presbyter filius quondam Guinizi donavit eremo sancti Salvatoris & domno Rodulpho priori omnes possessiones suas in casali *Camenza*; mense octobri [b] Venerandus monachus vice ejusdem prioris terras emit; mense novembri [c] Gerardus quondam Rigi, & Panzulinus & Bulgarellus fratres filii quondam Panzi una cum Gualdrada eorum matre obtulerunt monasterio sancti Salvatoris *de loco qui dicitur Campo-magno* terram in plebatu sanctæ Christinæ vocabulo *al monte*. Actum *Fluscio* manu Pagani notarii. Mense decembri [d] Paganellus filius olim Fuscherii vendidit domno Rodulpho priori Camaldulensi terram positam in territorio sancti Antonini in Socona juxta fluvium Arni, & terram sancti Archangeli. Monasterio autem Prataliensi, & altari sancti Petri constructo in eadem ecclesia mense majo [e] Rainerius quondam Rustici donavit terram in casali *Campi* juxta fluvium *Corsalone*.

[a] §. *Donatio*. *A*. 1. 42

[b] § *Emptio*. 98. *A*. 1. 39.

[c] §. *Donatio*. 155. *A*. 1. 40.

[d] §. *Emptio*. 99. *A*. 1. 41.

[e] §. *Donatio*. 154. *A*. 1. 37.

XIII. Aliprandus prior Avellanensis.

Cum in veteribus chartis Avellanensis cœnobii post Damianum juniorem adnotetur nomen Aliprandi ipsius loci præfecti vel prioris, officium hocce suscepisse videtur Aliprandus eo tempore, quo ecclesiasticæ dignitates eidem Damiano fuere demandatæ. Proinde cum hoc anno in bulla Gregorii VII. inferius referenda nominetur Damianus cardinalis sanctæ Romanæ ecclesiæ, non inverisimiliter ab hoc jam tempore ipsum Avellanense cœnobium regebat prior Aliprandus, qui certe hoc titulo donatur ad annum 1078. & deinceps. Haud incongrue itaque ad hunc circiter annum spectat elucubratio Johannis Laudensis, qua eleganti stilo vitam descripsit sui magistri sancti viri Petri Damiani, dicatam domno Liprando priori & ceteris senioribus eremi Fontis-avellanæ. Aliprandum quemdam reperi-

Ann. Chr. 1076.

reperimus ad Damianum & ad Fontis-avellanæ cœnobium convolasse admodum juvenem, quo etiam sanctus cardinalis utebatur tamquam ministro ad epistolas conscribendas. Alterum Liutprandum legimus, quem venerabilem patrem vocat idem Damianus opusculo XXXIV. Probabilius hic postremus præfecturam gerebat his annis Avellanensis eremi, & junior adhuc facile erat hoc tempore Aliprandus Damiani olim ab epistolis, quam ut loci administrationem susciperet. Certius illud est scriptorem vitæ Petri Damiani fuisse Johannem Laudensem, non Johannem alterum, quem fingunt Ravennatem, ut validis argumentis demonstrat [a] Sartius noster in vita ejusdem sancti Johannis Laudensis. Scriptor enim vitæ Damiani *tanto patri* (Damiano) ut de se ipse testatur, *licet in extremis pene temporibus, individuus comes* adhæsit; id quod quadrat Johanni Laudensi, de quo Avellanensis monachus suppar in ejus vita hæc habet: *Quantocius igitur studuit eum ad sacerdotium provehere, secumque huc illucque, quo ipse velut mundi lampas discurrere solebat, minare*. Præcipua ratio, qua Johanni Laudensi denegabatur olim hujusmodi opusculum, ea erat, quia Johannes, qui vitam Damiani scripsit, ipsam Aliprando priori dicatam voluit. Porro si Johannes Laudensis Damiano seniori immediate suffectus fuit, ut olim certo tenebatur, in regimen Avellanensis cœnobii, quod retinuit, donec ad episcopales Eugubinas infulas fuit tractus, tempus nullum reperitur, quo ipse Johannes Laudensis vitam Damiani dicare potuerit Aliprando priori; multo minus si Aliprandus prior post Johannem Laudensem, immo post Petrum Ariminensem cœnobium Avellanense regendum suscepit, in qua hypothesi requirendus esset profecto alius tempore posterior Johannes Damiani vitæ scriptor. Verum alibi animadvertimus certam rem non esse Johannem Laudensem fuisse immediatum Damiani in præfectura Avellanensi successorem, sed probabillimum esse, immo indubium, Damiano seniori juniorem Damianum, huic Ariprandum, Ariprando vero ipsum Johannem Laudensem suffectum fuisse.

a Pag. 26.

XIV. Huic Johannes Laudensis dicat vitam Petri Damiani.

Obedientia ergo adactus Aliprandi & ceterorum seniorum eremi, qui ejus *parvitati* opus injunxerunt, vitam Damiani collegit Johannes Laudensis, partim *ex ipsius ore* susceptam, partim *ex quodam condiscipulorum suorum, qui ejus contubernio ante se familiarius inhæsere*, forte Aliprando a secretis sancti viri Damiani, partim *relatu cujusdam propinqui*, ut ex sequenti prologo constat, quem integrum subjicimus.

Domno Liprando priori & ceteris senioribus eremi Fontis-avellanæ Johannes.

OPUS mirabile, patres, quod sanctitati vestræ placuit meæ injungere parvitati, quam meis sit perarduum viribus, & impar ingenio, ipsemet liquido perpendo. At quia non præsumo vestro quidquam abnegare imperio, licet sensus hebetudo illustres tanti viri actus inerti devitet committere stilo; ne dum superiora sibi aggreditur, lectorem magis ad nauseam, quam ad legendum excitare videatur; confidens tamen de vestris sanctis orationibus, almisque ipsius pii patris nostri Petri Damiani meritis, ad cujus vos acta exaranda meam obedientiam provocatis, devotus aggrediar vestris obtemperare mandatis. Ipsemet enim consultius fore censueram, ea me quovis rudi stilo interim annotare, quo digne posimodum a peritioribus elucidata scriptoribus ad notitiam futurorum possent profutura pertingere, quam imperitiæ notam nimium declinando intacta prorsus relinquere, ne forte post modicum caligine oblivionis obducta non parvo mei discrimine de cunctorum omnino laberentur memoria. Nam cum omnibus pateat neminem gestorum illustrium

strium

strium virorum conscium absque culpæ macula ignavo silentio tegere, quanto magis constabit non parvo me obnoxium fore delicto, qui tanto patri, licet in extremis pene temporibus individuus comes inhæserim, si ejus mirabilia gesta silentio præterire, quam divulgare maluero. Eorum igitur, quæ relaturus sum, partem me ex ipsius ore suscepisse memini, partem ex quodam condiscipulorum meorum, qui ejus contubernio ante me familiarius inhæsere; quædam autem relatu cujusdam ipsius propinqui, viri gravis & honesti; quæ videlicet illius conversionem præcesserant, audivi; cetera quidem propria præsentia ipsemet annotavi. Verum jam nostri sermonis articulus ad historiæ ipsius vertatur exordium.

Ann. Chr. 1076.

XV. Gregorii VII. bullæ pro eremis Avellanensi, & S. Johannis inter ambas Paras.

Bulla Gregorii VII. quam superius indicavimus, data est Laterani x. kalendas aprilis per manus Petri sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis bibliothecarii anno tertio sui pontificatus, qua sub protectione apostolicæ sedis recipit ecclesiam sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, & omnia, quæ ipsius eremi sunt, scilicet monasteria, eremos, cunctasque illis suppositas ecclesias & capellas, vicos, villas, prædia &c. *amore carissimi filii nostri Petri Damiani hujus Romane ecclesie cardinalis*. Manifestus autem error, amanuensis vitio, irrepsit in hujus bullæ transumptum, cum certo certius liqueat Petrum Damianum diem suum a quadriennio clausisse, neque tantillum attigisse tempora pontificis Romani Gregorii VII. Detruncandum ergo est nomen *Petri*, & retinendum illud dumtaxat Damiani, junioris scilicet & nepotis Petri, qui ab eodem Gregorio VII. prope hæc eadem tempora cardinalatus honore decoratus fuerat tum ob sua merita, tum ob venerabilem memoriam sancti avunculi sui; quem etiam *filium*, utpote non episcopum, Gregorius vocat, cum e contra Petrum Damianum Ostiensem episcopum *fratrem* vel *confratrem* nominasset, ut ipsum nominaverant Nicolaus II. & Alexander II. Romani pontifices. Bulla Gregorii VII. inserta legitur alteri Honorii III. in favorem ejusdem monasterii Avellanensis.

Alteri eremo sancti Johannis inter ambas Paras positæ partim in Sarsinate, partim in Mont-feretrano episcopatu, & Gebizoni ejus abbati eumdem Gregorium Romanum pontificem privilegium concessisse circa hæc tempora, testis est omni exceptione major Petrus Feretranus antistes, qui anno 1125. beneficiis cumulans præfatum locum & Laurentium priorem Gebizonis successorem, privilegium beatæ memoriæ Gregorii, apostolicæ sedis auctoritate, *in quantum est ipsi possibile*, laudat & confirmat.

XVI. De monasterio S. Mariæ de Paterno in agro Arretino.

Hoc primum anno occurrit in chartis veteribus mentio nostri monasterii sanctæ Mariæ de Paterno positi in territorio Arretino; quod unitum primitus alteri abbatiæ pariter nostræ sancti Petri de Rotis ejusdem territorii, disciplinam eremi Camaldulensis una cum supradicta abbatia suscepit. Bonizo clericus Petri filius tradit eidem cœnobio hoc anno bona sua constituta in comitatu Arretino in pleberio sancti Felicis in Sibiano *in vocabulo Paterno*, receptis pro pretio triginta libris; anno vero sequenti Nicola quondam Millani per testamentarias tabulas donat eidem monasterio bona sua sita in eodem similiter pleberio. Hæc intelligimus [a] ex tabulario sanctæ Mariæ in Gradibus Arretinæ urbis.

[a] *Num.* 16. 17.

XVII. Chartæ Galeatenses & Sanvictorianæ. Obitus Beatricis ducissæ.

Pertinet ad hunc eumdem annum Mainfredi presbyteri, monachi atque abbatis monasterii sancti Hilari de Galeata concessio seu confirmatio facta Wiberto archiepiscopo Ravennati castri Civitellæ una *cum casalibus & appendicibus suis & capellis & curtis & cum terris* &c. *Castri* pariter *Vetuli cum curte & monte suo & cum casalibus* &c. quæ castra sita erant in territorio Foro-popiliensi, & in plebe sancti Petri in Galeata. Subscribunt

Ann. Chr. 1076.

bunt post Mainfredum *Grimaldus monachus presbyter monasterii sancti Ilari Galigata*, & post utrumque *Petrus Pupiliensis episcopus*. Ughellius [a] Petrum in episcopis Foro-popiliensibus recenset his verbis: „ Petrus I. hujus „ ecclesiæ præsul anno 1079. reperitur subscriptus in quadam concessione, „ quam Haufridus abbas sancti Hilarii in Galeata Uberto Ravennæ ar- „ chiepiscopo fecerat; " in quibus corrigenda sunt nomina abbatis & archiepiscopi Ravennatis, & insuper annus concessionis; nam ea concessio facta fuit vel postremis mensibus hujus anni, vel primis sequentis, ut licet expiscari ex his chronologicis notis: *Anno Dominice incarnationis millesimo septuagesimo .... filii quondam Heinrici imperatoris anno vicesimo primo die vigesimo quarto ....o........* Et ad calcem chartæ: *die autem mense & indictione predicta quintadecima Ravenne*. Indictio scilicet XV. pertinet ad annum sequentem, vel sumpto exordio a mense septembri pertinet quoque ad menses posteriores hujus anni, & ita etiam XXI. annus Henrici regis a morte Henrici III. imperatoris ejus patris optime quadrat cum anno præsenti. Autographum transcriptum a nobis ex archivo archiepiscopali Ravennæ amandamus ad Appendicem.

a T. II. col. 600.

In qua pariter membranam edimus ex archivo Fabrianensi sancti Blasii; per ipsam Quiricus filius quondam Lamberti & Incas ejus uxor donant monasterio sancti Victoris ædificato in monte Castellano & Morico episcopo dimidium rerum suarum positarum *in loco, qui dicitur in fundo de Risano & Mussicano, & in monte Castellano, & in Cisano, & in Cellano & ecclesiam beati sancti Anelos*, idest Angeli, *cum cupis & tectis, altaris, libris, cum omnibus patrociniis Sanctorum & cum terris* &c. Pro qua donatione non requirunt *pretium, neque Launeildo, sed orationem & repromissionem de peccatis suis. Anno Domini millesimo settunegesimo sesto, & temporibus domnus Gregorio universalis papa die mense september indicione prima in comitato Castellano*. Quomodo vero in hac pagina usurpetur indictio *prima*, quæ hoc anno erat quarta-decima, & ad summum mense septembri incœperat esse quinta-decima, nos latet, nisi ad errorem confugiamus notariorum, qui indictionis numerum ignorarent, ut frequenter alibi observavimus, cum ceteroquin charta, aliæque plures a nobis relatæ ex tabulariis monasteriorum sancti Blasii & sanctæ Catharinæ de Fabriano, in quibus erratur circa indictionem vel circa alias chronicas notas, omnino sint autographæ.

Obiit hoc anno multis nominibus de Petro Damiano optime merita Beatrix ducissa Thusciæ, die 18. aprilis, Pisisque honorem sepulcri obtinuit. Donizonis versus retulit Muratorius in Annalibus, quibus indignatur, eo quod in ea urbe, potiusquam Canossæ, terræ humata fuerit celeberrima virago.

> .... *Dolor*, inquit Donizo, *heic me funditus urit,*
> *Quum tenet urbs illam, quæ non est tam bene digna.*
> *Qui pergit Pisas, videt illic monstra marina.*
> *Hæc urbs Paganis, Turchis, Lybicis quoque, Parthis*
> *Sordida. Chaldæi sua lustrant littora tetri.*
> *Sordibus a cunctis sum munda Canossa, sepulcri*
> *Atque locus pulcher mecum. Non expedit urbes*
> *Quærere perjuras, patrantes crimina plura.*

Quid sibi velit Donizo his postremis versibus, non facile intelligitur, ait Muratorius. Verum cum illustre emporium esset his temporibus urbs Pisana, ad quod admittebantur Orientales, Afri, ceterique populi infideles, mercibusque undequaque allatis abundaret, atque in coemptionibus & venditionibus ut plurimum veritas exulet, falsitates vero & perjuria adhibean-

Ann. Chr. 1076.

beantur frequenter, indignatus fuit Donizo, quod sepulta fuerit Beatrix in urbe, in qua perjuria audiebantur, patrabanturque crimina plura; quam urbem non expediebat quærere, cum Canossa suppeteret religionis & puritatis urbs tunc celebris.

Ann. Chr. 1077.

XVIII. Obitus Agnetis imperatricis.

Postremus hic annus fuit vitæ Agnetis imperatricis, quæ in piissimo suo instituto perseverans excubandi ad sacra limina apostolorum in asceterio sanctæ Petronillæ prope sanctum Petrum, morbo lethali correpta, ad Lateranense hospitium, Gregorio pontifice mandante, deducta fuit, ubi sanctum Deo spiritum reddidit die XIV. decembris. Depositum prius fuit ejus corpus in basilica Lateranensi, die vero V. januarii anni sequentis ad basilicam sancti Petri translatum sollemni pompa. Epitaphium ipsius ex Vegio antiquitatum veteris basilicæ Vaticanæ conservatore refert Baronius. Præter Petrum Damianum cardinalem, quem, dum vixit, loco magistri & spiritualis patris sui suspexit semper Agnes, & præter Johannem Fiscamnensem abbatem, quorum elogia de Agnete alibi attulimus, summis laudibus ipsam celebrarunt Bertholdus Constantiensis, Sigibertus, abbas Urspergensis & Lambertus Schafnaburgensis, qui postremus illam *in jejuniis & in vigiliis humanarum virium naturam excessisse* asseverat. In necrologio Avellanensi ejus obitus refertur ad diem quintam-decimam decembris. Paucis diebus ante ipsam decesserat Giraldus episcopus Ostiensis, & Damiani in ea sede successor.

XIX. Damianus cardinalis interest cuidam judicato.

Damianus cardinalis hoc anno adstitit judicato, quod firmatum & stabilitum fuit, *domino patre Gregorio*, nempe Romano pontifice, *jubente*, observandum futuris temporibus episcopatum Florentinum inter, & abbatem sancti Miniatis de Monte circa distributionem Litaniarum plebium Florentini episcopatus. Chartam publici juris fecit Ughellius [a] in episcopis Florentinis, in qua inter ceteros præsentes juxta monasterium sancti Michaelis, post Ubertum Prænestinum episcopum & post Cononem cardinales S. R. E. nominatur præfatus *Damianus item cardinalis*.

a T. II. col. 82.

XX. Gregorii VII. privilegium pro monasterio S. Michaelis in burgo Pisarum.

Rustico abbati monasterii sancti Michaelis in burgo Pisarum successerat circa hunc annum Leo abbas. Leonem ejusque cœnobium nobili privilegio ditavit hoc anno Gregorius papa VII. accipiens *in tutelam & defensionem sancte Romane ecclesie prefatum locum, & omnia sibi pertinentia, nec non & congregationem fratrum inibi Deo servientium*, ac statuens, ut quicumque *ibidem ad monasticam vitam regulariter conferre se voluerint*, possint *recipi*. Præterea sancit, *ut nemo fideles christianos in eodem monasterio sepeliri cupientes contradicat, vel missam aliquo modo cantare prohibeat, aut helemosinas, quas vivorum aut defunctorum aliquis ibidem destinavit, aut pro amore Dei destinaverit, inde evellere, aut aliquo modo subtrahere presumat*, *juxta quod*, subdit, *beatus GG. Agapito Urbis-vetere prescripsit*. Ita legitur in autographo, quod asservatur in eodem monasterio sancti Michaelis; quare cessat scrupulus, ut animadvertit etiam Grandius [b], ab eruditissimo Mabillonio [c] olim excitatus, qui post Ughellium [d] legens in eadem bulla: *Preterea statuimus, & juxta quod beatus papa Agapitus urbis prescripsit, firma protestatione censemus, ut nemo fideles christianos in eodem monasterio sepeliri cupientes contradicat* &c. intulit, Bonum non fuisse conditorem monasterii sancti Michaelis, quod ante ipsum extabat, quippe quod privilegio Agapiti papæ decoratum fuerat, cum Agapitus longe ante tempora Boni abbatis vixerit, etiamsi Agapiti nomine veniat Agapitus hujus nominis II. qui ad seculi elapsi medietatem pertinet. Sed jam liquet Gregorium VII. allusisse ad epistolam Gregorii magni

b *Epist. de Pandect. p.* 142.

c *Annal. T. IV. p.* 435.

d *T. III. col.* 361.

ANN. CHR. 1077.

gni duodecimam libri I. Agapito Urbe-vetano abbati scriptam, in qua generatim decernit idem sanctus pontifex, ne quis contradicat fideles sepulturam habere in monasteriis. Multoque minus audiendus est Fortunius noster, qui ex falsa intelligentia verborum ejusdem bullæ sibi persuasit temporibus Gregorii papæ I. sacellum seu oratorium in eodem monasterio extitisse. Ait enim: [a] „ Emicat interea Pisis æque cœnobium sancti Michaelis in „ burgo Pisarum, cujus exordia fuerunt hujusmodi, sicut in antiquiori „ registro mandatum est memoriæ. Fuit extra portam Samuelis suburbium, cui capella sancti Michaelis vocabulum erat, a sacello archan- „ gelorum principi ibi dicato, indulgentiisque a sancto Gregorio papa „ olim nobilitato, sicut ex alio diplomate Gregorii VII. constare vidimus, „ literis Langobardis scripto, quod Vincentius Borghinius latinis characte- „ ribus legibile nobis reddidit. " Ceterum bulla Gregorii VII. data est *Florentie* IIII. *idus augusti per manus Cononis cardinalis presbyteri anno ab incarnatione Domini millesimo septuagesimo septimo, pontificatus vero domini Gregorii pape quarto, indictione quintadecima*. Incœperat tamen quintum pontificatus sui annum Gregorius, qui ad Romanam sedem evectus fuerat vix humato Alexandro II. suo prædecessore, cujus obitus contigerat die XXI. aprilis anni 1073. & si ordinationis tempus respiciatur, consecratus fuerat die 29. junii ejusdem anni. Ex his tamen chronicis notis posset confirmari opinio Lamberti Schafnaburgensis scribentis Gregorium VII. consecrationis munus obtinuisse die secunda februarii anni sequentis 1074. verum tam ex ipsius vita a cardinali Aragoniensi nobis servata, quam ex regesto epistolarum ejusdem pontificis satis liquet celebratam fuisse ipsius consecrationem die sacra sanctis apostolis Petro & Paullo. Ipse Gregorius mense augusto hujus anni 1077. [b] Florentiæ aliquantulum constiterat, Romam contendens, postquam anteactis præsentis anni mensibus, ut ab Henrico se subduceret, diuturniorem moram traxerat in terris Rhegiensis comitatus pertinentibus ad comitissam Mathildem, quæ post mortem Beatricis matris suæ, & Gothifredi seu Gozelonis gibbi viri sui, quorum uterque decesserat anno antecedenti, sola jus dicebat in amplissimis ditionibus, quæ possidebat. Conon autem cardinalis idem est, qui astiterat judicato, cujus superius meminimus. Assensu Landulphi Pisani episcopi præfatum privilegium a Romano pontifice Gregorio obtinuit Leo abbas, cujus exemplar Maurus Cursius ejusdem monasterii præsul ab autographo descripsit & ad Ughellium transmisit; emendatum proinde recudimus in Appendice.

[a] Hist. Cam. P. II. L. II. cap. 9.

[b] Murat. Annal. T. V. pag. 252.

XXI. Chartæ Pisanæ & Victorianæ.

EIDEM Leoni abbati Landolfus filius Quirici & Guntelda ipsius uxor, ac filia Widi donant hoc *anno millesimo septuagesimo octavo*, stilo Pisano, XI. *kalendas junii*, *indictione quintadecima* terras *in Montione & Silva-longa & Columgnola & Titiniano*. Ugo pariter filius Bonati ab eodem Leone libellario nomine recipit terras in finibus *Sciano*, ubi dicitur *Campo di Pero*; & alter Ugo filius Carli, & Leo filius Franchi pro quadam repromissionis pagina anulum aureum exhibent. Quas omnes chartas ex archivo ejusdem monasterii sancti Michaelis edimus in nostra Appendice, in qua & aliam proferimus ex tabulario Fabrianensi sanctæ Catharinæ, per quam Musco filius Petri, qui Carvone vocatur, & Sibilla ejus conjux, ac Beliarda Musconis mater monasterio Victoriano & Murico ejus abbati terras dilargiuntur *infra territoriu Castellu Pretosu in locu, qui dicitur Collina*. Muricus, qui in aliis donationibus annorum antecedentium, præter abbatis, altero titulo gaudet episcopi, in hac charta abbas tantum nominatur. Scripta est pagina: *Anno Domini mille septuagesimo septimo & regnante Inrico mannum imperatore & die mense jenuariu per indicione quinta*.

ta. Notarius in scribendo omisit superaddere *decima* cum quinta-decima indictio occurreret hoc anno.

ANN. CHR. 1077.

In privilegio apud Muratorium [a] concesso hoc anno ab Henrico rege marchioni Estensi Azzoni & filiis ejus Ugoni & Fulconi, inter cetera bona, quæ possidebat præfata illustris familia, recensetur *abbatia Vangadicia*, ut ex aliis documentis hujus temporis ostendimus, præsertim ad annum 1074. revera pertinuisse dominium ejusdem cœnobii, & locorum ipsi subjectorum ad eosdem Estenses marchiones.

a *Antiq. Esten. P. I. cap.* VII.

ANN. CHR. 1078.

XXII. Translatio partis corporis S. Theobaldi.

SECUNDA hoc anno facta fuit, sed portionis tantum corporis sancti Theobaldi translatio ex Vangaticia in Latiniacense monasterium. Prostat relatio hujus translationis apud Mabillonium [b] conscripta ab auctore subæquali, qui vivebat cum iis, qui miracula viderunt ad tumulum novum sancti viri. Eam libenter licet prolixiorem ad gloriam sancti Theobaldi his nostris Annalibus inserimus. *Porro id temporis*, inquit ipsius auctor, *frater Rodulfus, qui a beato viro decenter nutritus, & dulci moralitate instructus, post ejus decessum in Franciam redierat, accepta benedictione a venerabili viro, domno scilicet Arnulfo Latiniacensi abbate, fratre prædicti Sancti, illuc parabat reverti, ut frequens & officiosus deserviret domnæ matri Villæ, & religiosus & assiduus persisteret circa sancti corporis excubias. Illuc eundi felix fuit dispositio, felicior, inquam, reditio. Galliæ siquidem gazas invexit, quales nec Augustus cæsis Parthis victrices aquilas deportando Romam revexit, quæ suo plenius dicentur in loco. Quo postquam contigit illum pervenire, contigit etiam illinc eum citius redire. Domnus siquidem abbas Petrus, & marchio Azo, audito prædicti fratris adventu, abundanti gaudio sunt exhilarati, & læto corde refecti. Nullam patiuntur moram convocandi fratrem. Adest. Nulla fit loquendi circuitio, nullæ texuntur ambages, sed ut decebat, seriatim evolvitur rei veritas, & sui consilii palam fit integritas, scilicet quid de Sancto Dei vellent agere, & quo dierum termino omni circa regioni vellent eum manifestum fieri; se etiam huic revelationi fratrem viri Dei interesse, ut ipse quidem reficeretur exoptata fratris visione; & de multa sancti corporis reliquiarum donatione, si eum contingeret impigrum festine ostensioni præsentem interesse. Nullus, inquiunt, fidelius & citius te hoc suo fratri nunciabit, & ad veniendum nemo instantius sollicitare poterit. Hæc illis orantibus, eorum petitioni ab ipso non facile præbetur assensus. Nam frater ille, cui intendebant, celerem peragere reditum, cautius obniti, fortius obluctari, insuper obtendere cœpit, quasi sibi levis inesset adolescentia, cui nulla esset fides adhibenda. Domnum præterea Arnulfum abbatem, virum prudentem, totum jam ex virtutibus consistentem, ajebat non debere huc veniendo elaborare, nisi aliquo frueretur commodo sanctarum reliquiarum fratris cum visione; quippe qui primum bonus habitus, post melior, nunc vero habetur optimus, cujus intra & extra vel provisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acute feruntur.*

b *Act. SS. Secul. VI. P. II. pag.* 182.

Observat Mabillonius Clarium in chronico sancti Petri Vivi Senonensis urbis tomo II. Spicilegii Dacheriani pag. 746. veteris editionis laudare ad annum 1075. Arnulphum abbatem sanctæ Columbæ ejusdem civitatis Senonensis, *qui detulit de Italia reliquias de corpore sancti Thebaudi fratris sui, & posuit in eadem abbatia, cœpitque ædificare ecclesiam in honore ejus Sancti, quæ est euntibus de civitate ad eamdem abbatiam juxta viam ad dexteram manum*, & quærit, an idem Arnulphus utriusque loci fuerit abbas? quod pro certo habemus, cum in nostra relatione Arnulphus abbas Latiniacensis appelletur frater sancti Theobaldi, & transtulisse

insu-

Ann. Chr. 1078.

insuper dicatur ex Italia in Gallias reliquias sancti fratris sui, quod de Arnulpho abbate sanctæ Columbæ tradit Clarius. In actis quoque translationis corporis sancti Florentini martyris [a] ex loco Pseuduno in monasterium Latiniacense legitur, *abbatem Latiniacensem, nomine Arnulphum, sancti Theobaldi fratrem germanum a Burgundia ad suam ecclesiam scilicet Latiniacum sacrum sancti Florentini martyris tali ordine venerabile transtulisse corpus. Quadam die cum esset cum quibusdam religiosis monachis in ecclesia sanctæ Columbæ juxta Senonensium civitatem constructa* &c. Quare Arnulphus videtur plurium monasteriorum fuisse rector, adinstar sancti Romualdi, Olibæ Ausonensis episcopi & aliorum. In iisdem actis legitur translationem corporis sancti Florentini contigisse: *Anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo quarto, regnante Philippo rege anno imperii sui tricesimo tertio, præsidente quoque in urbe Parisiorum Gaufrido episcopo, Arnulpho abbate regente ecclesiam Latiniacensis cœnobii anno siquidem introitus ejus vigesimo octavo.* Electus itaque fuit Arnulphus Latiniacensis abbas anno 1066. qui fuit emortualis sancti fratris ejus Theobaldi. Errore in Annalibus [b] Muratorius fratrem Theobaldi appellat Rodulphum. Rodulphus, qui in anonymi relatione nominatur, adjungendus est ceteris sancti Theobaldi sociis & discipulis in eremo Salanicensi, Waltero nimirum, Odoni, Johanni, Martino, Andreæ aliisque in superiori relatione ad annum 1074. recensitis, quibuscum sanctus Theobaldus vivebat, ipsisque præerat; & sententia nostra confirmatur Salanicensem solitudinem iisdem legibus communitam fuisse, quibus communitæ fuerant eremi, quas fundaverat sanctus Romualdus, ubi scilicet eremitica simul & cœnobitica florebat vivendi ratio. In laudatis sancti Florentini translationis actis reperimus Radulphum quemdam monachum Latiniacensem adhibitum fuisse ab Arnulpho abbate pro detegendis & devehendis ossibus præfati martyris. An Radulphus idem est ac noster Rodulphus? Vides etiam ex anonymi relatione Petrum Vangaticiensem abbatem superstitem fuisse usque ad hunc annum, quem & ad plures annos supervixisse videbimus.

a Apud Mabill. ibid. pag. 794.

b Pag. 240.

Sed præfati anonymi narrationem Latiniacensis translationis corporis sancti Theobaldi resumamus: *Hæc & his similia cum multis aliis frater ille prosequeretur, & ab illis, ut eorum rogata perficeret, rogaretur, ille nullo modo protestans tantum se laborem subiturum, nisi fixis eorum assertionibus redderetur certus, si domnum abbatem nullo modo illuc transire posset persuadere, ipse quidem, & qui cum eo delegarentur a domno abbate, non cassarentur sanctarum reliquiarum militis Christi votiva donatione, nisi etiam totam sui reditus causam literis commendatam bulla eorum firmaret & muniret. Grata fit eis hujusmodi petitio. Super quibus quærebat, fit assertiva promissio, & literarum traditur bullata confirmatio. Redit Latiniacum, venitur, negotii summa patri cum fratribus aperitur, sed literarum testis veritas nondum exponitur. Sæpe numero frater legationem repetit, sæpenumero domnus abbas refugit. Terrebat eum viæ prolixitas, terrarum asperitas, & ardentis aeris nociva inæqualitas. Legatus mærore contabescit, & pene deficit. Divina tamen præventus gratia devenit, ubi consederat generalis fratrum conventus, & alternis se refovebat sanctorum Patrum collationibus. His intererat quidam domnus Yvo, albescens jam veneranda canitiæ, prænitens honesta facie. Huic erat sententia illic debere quantocius iri, & si minus erat viatici, quicquid pretiosum inerat, & ecclesiæ omnia debere distrahi, & tam honesto & commodo itineri debere satisfieri. Se quoque ajebat iturum cum eo, & etiam si ire domnus abbas omnino deficeretur, ipse nihilominus hujus operis legatione fungeretur. Postquam id persuasionis in omnibus*

nibus

nibus stetit, abbas affuit, arguiturque quod negligenter egerit; arguitur quod non perpenderit quanta vel qualis, & quam honesta commoditas esset accessura, non suæ tantum ecclesiæ, sed etiam toti Galliæ de tam felici profectione. Ad calcem hujus narrationis nominatur Yvo abbas sancti Dionysii, qui alius omnino videtur ab Yvone mox relato, cum alter *domnus*, inde *frater* appelletur, & venerabilis potius videatur monachus senex cœnobii Latiniacensis; alter vero abbatis titulo decoretur.

ANN. CHR. 1078.

Prosequitur anonymus: *At legatus certus ob nocivam aeris temperiem abbatis concidere animum, necessitate compulsus literas exponit signatas, ut saltem obtineret earum lectio, & impressa signorum visio, quod non poterat legati jugis & vehemens suggestio. Quibus lectis & repetitis, totum jam divino nutu abbatis animum in vires colligit, se securum omnis periculi alacriter iturum promittit. Frater quoque ille jam vegetatus ex læta sui patris sponsione, ejusdem patris viam præcedit unius diei itinere. Consulto facta fuit hæc præmissio, ut si quo adverso casu sequentis domni abbatis fieret recrastinatio, ille præcedens obtineret suo precatu, ut illa felix ostensio differretur in fratris adventu. Sed hoc non fas fuit evenire, Deo præcedente, & sancto Theobaldo subsequente. Tam felix enim fuit veniendi copia, ut statuta dies præveniretur toto triduo. Tam enim fuit prospera illa ambulatio, ut non videretur ambulatio, sed deambulatio. Sæpedicto fratre Radulfo magni laboris viro Vangadiciam reverso lætatur Odo & marchio.*

Accepto domni abbatis adventu, insatiabili tripudiant gaudio, & satagunt, ut ei occurratur ab eodem Radulfo. Infatigabilis præcursor in patris occursum contendit, & Deo prosperante laborem suum, in quemdam saltum occurrit. Altrinsecus visi congaudent, cum pio lacrymarum rore oscula figunt, & de sui itineris qualitate quærunt. Omnia jocunda utrique referunt. Ad quamdam summæ nobilitatis matronam perveniunt, quæ circa eos velut altera Martha facta, cum officiosa devotione procurat omnia. Ipsa manibus infundit aquam, ipsa circumfert prandia, ipsa miscet pocula, & parat lectisternia, quæ tunc erant illis pernecessaria; post aliquantulum dormitionis equis ascensis omnium laborum obliti, Vangadiciam contendunt. Fama prævolat, tantum virum adesse pronuntiat. Populus convenit, cum multo plausu occurrit. Certe non Arar, non Albis, non Rhodanus, non indomitum caput Rheni tantum triumphum præstitit Cæsari. Certe non ille magnus Euphrates, non ille velox Tigris, non illa etiam magna Roma tantum triumphum Augusto exhibuit, postquam cæsis Parthis, jam diu captas aquilas Urbi victor invexit. Tantus enim triumphus Dei athletam sanctum Theobaldum decebat, qui diabolum debellavit, & inimicam carnem sibi subegit. Cœpta me revocant. Igitur cum magna triumphali gloria, cum multa lætantis populi, et primatum frequentia, ille venerabilis viri Dei frater ad sancta Dei ducitur luminaria. Quid gemitus, quid planctus, quid singultus, quid lacrymarum ibi profusum fuerit, scriptor dicere non elaborabit. Perlucidum enim cuiquam est quid abundans gaudium insperatæ rei prævaleat. Oratum est. Sedent, se grata verborum vice demulcent, multa quærunt, et multa conferunt.

Auditorio soluto tunc demum nobilis ille peregrinus, ut erat curialis vir facundiæ, omnibus amotis, cum quibus suorum placuit, domnum marchionem amica convenit allocutione. Vir, inquit, amice Dei, subtiliter animadverte, quid de thesauro tibi divinitus commisso agendum videatur. Sponsionem tuam erga me, ut tanto viro competit, non dedigneris exsequi. Sum etenim, etsi indignus, frater ejus, et ejus præcordiali causa tot emensus sum terrarum pericula, tot montium cacumina, tot saltuum devia, et his proculdubio omnibus

Ann. Chr. 1078.

bus me securum faciebat Sancti Dei familiaris oratio, et de votivis ejusdem Sancti reliquiis per literas tuas promissa donatio. Est etiam inconveniens, unius modioli angusto premi tantum luminare. O quam longe distans ab hac petitione fuit marchio in sua responsione! Asserebat sibi abesse tanti effectus posse, se nolle tanti pretii thesauro regionem suam depauperare, et alienam ditare. Si aliqua suspicionis nare Langobardica feritas olfaceret, se male mulctandum, vel insuper detruncandum. Sed Dei pietas, in cujus manu est cor regis, cito mutavit sententiam principis. Nam post breve Sancti Dei fratrem convocavit, & participem sanctarum reliquiarum præter spem effecit. Dedit enim ei brachium dextrum cum splenta, & nervum ulnæ, orcam, costas duas, duos nodos spinæ, particulam carnis, quatuor dentes, cilicium.

Acceptis tanti desiderii reliquiis jam non erat eis tutum sanctas ædes revisere, ne a patientibus spiritum immundum proditi punirentur. Proinde frater Yvo, cujus supra facta est mentio, cum ipsis ad piæ memoriæ matrem Sancti Willam dirigitur. Tunc quiddam scriptura dignum erga sanctum Dei contigit videri, quod fuit hujusmodi. Nam priusquam fieret publica revelatio, visum fuit quibusdam altioris consilii viris, coronam ejus debere abradi, quia aliquantulum capitii inhæserat capiti. Inter radendum cutis illa subtus incisa, lactis guttulas fudit pro sanguine. Quotquot affuerunt scriptori fidem asserunt. Ut jam ad cœpta redeatur, prædictus abbas pro libitu omnibus evolutis, subsequitur Yvonem visurus divæ memoriæ matrem. Quam uberi gaudio mater exsultat de filio, quam uberti gaudio filius exsultat super matris colloquio! Ostenso dominæ filii sui brachio lætata est illa sancta femina, quod non luserat illos Langobardorum fallax versutia. Peractis aliquot diebus, in quibus dulcis fuerat commoratio, paratur in Franciam reditio. Tunc demum certe omnium turbantur pectora, utrimque profluit lacryma. O quam sæpe filii sui Arnulfi matrem respexit oculus! quam sæpe ad matrem redit filius! O quam sæpe repetita matris benedictio tendit in filium, quam sæpe materna oratio Dominicis manibus commendat filium!

Tandem utrinque facto vale, transactoque multo terrarum spatio, prospero cursu pervenitur ad castrum Joviniacum in Burgundia situm, (vulgo Joigni ad Icaunam fluvium) *ibidem pausatur & pernoctatur. Primo illucescente diluculo præmittitur, qui nuntiaret hæc domno Richerio Senonensi archiepiscopo, & universæ civitati. Gaudium fit omnibus, occurritur ab omnibus. Non clerus, non populus ab hac officiosa sedulitate secernitur. Dei nomen glorificatur, sancti Theobaldi nomen cum laudibus & precibus ingeminatur. Cum ingenti itaque omnium tripudio, ad sancti Stephani ecclesiam pervenitur,* (metropolitanam nimirum basilicam Senonensis urbis, ad quam spectabant sanctæ Columbæ & Latiniaci monasteria) *præ omnibus in laude clerus persistit, quia quanto in ordine Deo vicinior, tanto etiam in hymnorum dulcedine frequentior. Nec mora gaudia gaudiis ingeminantur; & quanti apud Deum esset hospes ille nobilis meriti, palam fit omnibus, mirificante Deo Sanctum suum. Aderat quidam huic tripudio de villa Selbona, quæ civitatis satis est contigua. Huic adventus sanctarum reliquiarum gaudium quidem præstabat, sed imperfectum illud erat, quia suæ faciei incommodum tolerabat. Nasum enim adeo morbus canceris exederat, ut jam non nasus, sed nasi locus videretur. Felix imperfectio, cui supplementum adhibuit sancti viri intercessio. Nam ille nasi locus, tactus sancti viri brachio, integritatem accepit per totum faciei decorem. Tum vero laudes accrescunt, ad alta voces ascendunt. Nihil ibi erat cernere præter gaudere, & interdum præ gaudio flere. Exeuntes a civitate cum lætanti & frequenti comitatu, totum Pruvinum*

castrum

castrum excipit non minori plausu vel minori apparatu. Hac de causa propensius ei deserviunt, & quia familiarius super suis omnibus eum consulunt, nec præterito temporis multo rotatu ecclesiam illi statuunt, ubi multa beneficia fiunt in populo, præstante Dei pietate, & sancto Dei Theobaldo pro suis interveniente. Non ibi fuerit moræ, quia Latiniacum accelerant pervenire. Fama velox percurrit, castella, vicos, villas, civitates in ejus occursum emittit.

Igitur cum magno tripudio Latiniacum pervenitur. Ecce Parisius civitas via regalis, Meldis insula fertilis, civitas nobilis & omnis circumjacens regio, properat in occursum tanti amici Dei, per quem sibi crederent affutura multa divinæ caritatis beneficia; scilicet rumpenda peccatorum vincula, captorum & compeditorum solvenda ligamina. Igitur lætantibus Angelis & exsultantibus populis, illæ sanctæ reliquiæ inferuntur in sanctam Jerusalem civitatem Dei, id est in ecclesiam sancti Petri apostolorum principis. Ecclesia Latiniacensis sancto Petro apostolo erat dicata; in eam, ut inferius dicitur, præter sancti apostoli reliquias, & sanctorum Innocentium, Arnulphus abbas anno 1094. corpus transtulit sancti Florentini martyris ex loco Pseuduno in Burgundia. Quas sacras reliquias observat Mabillonius a Calvinistis violatas & concrematas fuisse præter sacerdotalia indumenta sancti Fursei, quæ hactenus in abbatiæ thesauro sacro asservantur. Hæc proinde anonymi relatio post annum 1094. fuit conscripta, tamen se supparem huic translationi pluries facit. Subdit deinde: *Tum vero personant laudes, ingeminantur preces, non desunt organa, non lyra, non cithara & quicquid variat dulcis musica. Libet ac licet felicem prædicare Latiniacum, ut pignoribus illius magni Petri honestatum, qui mundo cordis oculo meruit contueri: Tu es Christus filius Dei vivi; sanctorum quoque Innocentium floribus adornatum. Non desunt inibi pretiosa venerabilis martyris ossa Florentini, post longe delata ab ipso Arnulfo abbate fratre sancti Theobaldi, cui non minorem venerationis exhibitionem aspera exhibet Burgundia, qualis sancto Areopagitæ Dionysio noscitur exhiberi in Francia. Non abest Furseus, ille magnus & vere mirificus, cujus sancta prece etiam nunc manat fons jugis aquæ, & suæ orationis pro eodem loco apud Deum assiduitas, & multorum Dei fidelium secum assumpta societas. Hos inter emicat sancti Theobaldi stella præfulgens & prælucida. Hæc stella præclarius cum aliorum inibi quiescentium orationibus totum Latiniacum expediet a peccatorum tenebris, & nebulis æternæ mortis.*

Cum igitur omnibus in pace compositis res sederet in tranquillo, Robertus quidam natione Brito cibum manu quæritans illa morabatur in vicinia. Hic dum una noctium se dedisset sopori, quadam divina monetur visione, quatinus supradicto Yvoni nuntiaret, ut illinc beatum Dei Theobaldum transferret in locum silvæ, quæ Fagos dicebatur. Hoc visu homo ille angebatur animo, nulli putans tutum aperiri, quod semel viderit. Secundo super eodem monitu fit visio. Necdum etiam ratum habuit homo cuilibet hoc detegere. Tertio fit ei nominata visio, sed aeris & objurgata increpatio, cui dum ille positus in visione responsum haberet se metuisse, ne sopori tantum, & non monitioni deputaretur, & ob id nil fidei verbis suis haberetur, se quoque ignorare, ubi primi aditus futuræ domus jacienda essent fundamenta, jubetur sequi. Venitur ad condensum, & opacum ejusdem sylvæ locum. Hic, inquit, quod quæris prima nascentis ecclesiæ surgent limina: hic vero (jam enim ad locum transierant ab hoc perparum distantem) hic qui accedet integro corde rogaturus. Ecce, inquit, audisti, locum vidisti. Nihil dissimulationis ulterius obtendi poterit, nil desidiæ, nil socordiæ ultra patiaris

Ann. Chr 1078.

in patrando tibi divinitus delegatum officium, hæc ostendens, hæc præcipiens erat ipsemet beatus Theobaldus, vultu serenus, visu præclarus. Homo prædictus de visione jam certus, facto die, prædicto Yvoni quicquid sibi jussum fuerat per visum fideli relatu exposuit; domno quoque abbati res palam facta est: uterque ut frivolum neglexit. Pauperculus autem locum sibi signatum futuri putei cavare totis viribus elaborabat, & egestis ruderibus emundabat. Prima scatebra laticis ebulliente immerso sancti Theobaldi brachio; ceteris quam multis Sanctorum pignoribus sanctificatur aqua, quæ multis infirmorum laboribus erat profutura.

Hujus primum tale Deus dedit experimentum. Muliercula quædam de Torciaco septennio cæca, illuc perducta est, quæ peractis Dominicæ noctis vigiliis, ea quidem tunc fuit aqua tot pignoribus Sanctorum consecrata, oculorum loca perfudit, visumque recepit, & nullius egens adminiculo gaudens sua repetivit. Fama circumvolante, & tam insperatam salutem deportante, magnus infirmorum concursus illuc fuit. Aqua putei resperguntur, & sic febres fugiunt, imperfectis artubus quolibet ingruente casu perfectæ sanitatis accedunt. In his omnibus Dei pietas magnificatur, & sui fidelis Theobaldi nomen ampliatur. Benedictus Deus per omnia. His & similibus prædictus sancti Theobaldi frater, domnus scilicet Arnulfus, & Yvo prænotatus locum præmonstratum in silvula, quæ Fagos dicitur, demundant, dumos, spinas, & multa hujusmodi evellicant, locum futuræ ecclesiæ coaptant. Paries vimineus texitur, quo locus ille totus ambitur, in quo Deo manum apponente, paullo post structura nobilis habebat consurgere. In illa viminea quasi quædam tentoria sancti Theobaldi excubant pignora. Ibi erat cernere, qui venerant claudi sanos redire, & qui venerant aliqua membrorum parte deintegrati, reintegratos, & lætos ad sua regredi. Ne videamur per multa diffluere, & quasi quadam ampullosa verborum ambage diffundi, dignum videtur aliquid proprium, & de quavis nota persona subnotari, cui præsentium fides debeat adhiberi, & subsequentium credulitas confirmari ad laudes Dei & gloriam beati Theobaldi.

Quædam Albereda internodis poplitum contractis, quibusdam scabellulis innixa, utcumque ad locum Sancti pervenit, ibi per aliquot menses perstitit, quia nondum tempus divinæ propitiationis ei advenit. Hæc dum divinæ sanitatis exspectatione frustraretur, & necessitate familiaris rei vexaretur, ad propria volens remeare, a quibusdam sani consilii viris consultum accepit, ut etiam nunc ad breve persisteret, nec de Dei & fidelis sui Theobaldi pietate diffideret. Perstitit. Facta nocte Dominica, ipsa cum aliis interfuit ante venerabilem viri Dei memoriam. Erat jugis in prece, Theobaldum vocat, Theobaldum inclamat. Nec mora, Dei pietas affuit. Mulier enim tota in spe, manibus circumreptans, quo potuit annisu, sanctum altare contigit; & inde ruptis nervorum nodis, & profluente sanguinis rivulo, in pedibus læta perstitit. Omnes illico consurgunt, cum impetu currunt; quid acciderit, vel quomodo acciderit, diligenter inquirunt. Ipsa res per se loquitur, mulier de se ipsa miratur, de recepta sanitate lætatur. Voces in Dei laudes attolluntur, & inde Angelici cœtus jocundantur. Illucescente totus Latiniacus illuc affuit, nec etiam honestus monachorum chorus abfuit, quibus pium erat flere Theobaldo, & pium erat gaudere Theobaldo.

Huic tam nobili divinæ curationi quiddam non inferius placuit adnecti. Divionensis quidam Johannes, nativo pedum officio destitutus, nervis correptis contractus apparebat, & se qualicumque scabellorum amminiculo circumferebat. Hic audita viri Dei potentia, ad ipsius locum aselli vehiculo delatus pervenit. Nec diu moratum est in reddenda corporis æqualitate. Dum

enim

enim sequenti die frequens venisset populus, ipse extra ædes sanctas jacens, subito vociferari cœpit. Cujus vociferationis subito motu fratres cum multis aliis eo loci venerunt. Quærentibus curnam esset tanta vociferatio, infirmus sanctum Theobaldum dicit advenisse, nervos contractos extendentem, & poplites male inflexos explicantem. Inter hæc verba bonus ille medicus in integrum corruptum illum reformavit. Qui protinus ad Sancta-sanctorum lætus excurrens, pro accepto beneficio Deo, & amatori suo Theobaldo gratias retulit, & populo magnam lætitiam præstitit. Sanatus itaque cum ejusdem locis fratribus triennio commoratus est, ipsis, ut oportebat, in omnibus officiose deserviens.

Noviomacus civitas pernobilis & ipsa persensit efficaciam tanti medici. In hac erat quidam, qui ex incommodo filiæ, cæca enim erat, graviter fatigabatur. Audito viri Dei rumore, pro posse citius affuit, filiamque una secum adduxit. Dum autem infra ecclesiam per aliquot dies nihil pietatis acciperet, ad supradictum puteum abiit, de cujus aqua dum loca oculorum filiæ perfunderet, filia lumen recepit, & ecclesiam repetens, fratribus sancta Missarum mysteria tractantibus gaudens occurrit. Gaudii causa in promtu erat, scilicet filia ex non vidente videns facta. Gaudia gaudiis accrescunt, fratres cum omni populo voces jocundas ad cœlum mittunt. Nihil ibi erat tunc audire vel dici, nisi super his omnibus admirari, & Deum magnificare, qui per servum suum talia dignabatur operari.

Accedit aliud, quod se vehementer ingerit, & dici vehementer exposcit. Muliercula nescio ubinam terrarum commorans, quemdam celebrem diem negligenter agens, nescio quid resarciens vel consuens, ultionem condignam pertulit, acus in mediam palmæ molam casu labens incidit, manus etiam tota super incurvata acum operuit. Nullatenus acum jam erat extrahi, nullatenus jam erat per plexionem manus explicari. Mulier assiduis punctionibus urgebatur, acerrimis doloribus puniebatur: & multo jocundius fuisset penitus manu caruisse, quam tantis doloribus paullatim deficere. Hæc, audita viri Dei clementia, advenit persemet rogatura. Oravit & exoravit. Nam cito per misericordem Deum, intercedente dilecto suo Theobaldo, & manus ab inflexione est revoluta, & acus educta. Benedictus Deus, qui voluntatem timentium se facit, & deprecationem eorum exaudit, & eos salvos facit.

Latiniaci erat quædam haud ignota, sed genere & re satis fortunata, dicebatur autem Ascelina. Hujus dextera diriguit, quæ pollicem immenso & ceteris digitis in condylum perplexis contabuit, & ulterius ad nihilum utilis emacuit. Quæ quia vicina erat & dolor impellebat, & Dei pietas latenter attrahebat, cum amica sua Odelina supplex ad sanctum viri Dei altare accessit. Quia vero humili corde & plena fidei constantia venit, cito voti compos fuit. Nihil enim hæsitans, cilicium viri Dei plena fide tetigit, post cujus tactum diu condylata manus resolvitur, & officio suo restituitur: Benedictus Deus, qui orationem fidelium suorum non amovet a se, & misericordiam suam non repellit ab ullo timentium se.

Britannia meruit non secludi a participio tanti beneficii. In hac cuidam patri & matri filius tanta membrorum inæqualitate diminutus, ut sola mortis imago videretur in eo. Non erat ille contractus, non encleticus, non paralyticus, sed jacens tota mole extensus, nullam mutationem lateris poterat facere, nisi hoc paterni & materni doloris tristi labere. Internodia poplitum nulla solutionis utebantur vicissitudine, ipsa quidem genua quasi cohærentia stringebantur, crura, pedes invicem collidebantur, & nisi paternus & maternus labor vel panniculos, vel aliquid ejusmodi curaret interserere, innexionem sibi invicem videbantur facere. Manus & brachia quasi nec essent,

Ann. Chr. 1078.

sent, sic torquebantur inutilia. Hunc tam miserum, tanta defectione imperfectum, uterque parens, audita sancti viri Theobaldi fama, birotæ superposuerunt: & quia omni carebant adminiculo, se ipsos applicuerunt, & sic post multum sudorem & angorem, post multam famem & sitim, pervenerunt, quo eos desiderium suum impellebat. Videntes quique mirabantur, & ne quid hujusmodi paterentur, Deum deprecabantur. Ejus curatio differtur aliquot dierum intervallo, ut quotquot testes habuit ejus miseria, tot etiam testes haberet pietas divina de tandem adhibita medicina ei. Igitur qui olim dixit: Et si non surget eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit ei quotquot habet necessarios; ille, inquam, ipsius parentum lacrymis tandem evictus, per dilectum sibi filium Theobaldum integre sanat infirmum. Huic curationi plures interfuerunt, qui etiam nunc superstites veri testes habentur. De percepta infirmi medicina ingens omnium oritur lætitia, Deus laudatur, beatus Theobaldus glorificatur. Benedictus Deus, qui non amovit a se orationem pauperum, & misericordiam suam ab omnibus timentibus eum.

Ex more quædam nupsit viro, bona fuit eorum copula, sed angusto tempore mansit concordia ejusdem copulæ. Occulto siquidem Dei judicio, qui solus novit quæ fiunt, cur ita fiunt, uxorem illam cæcitate percussit, maritus quoque ejus ab ejus amore paullatim se cœpit subtrahere, nec de ejus dilectione curare. Interdum querebatur, interdum conviciabatur; illa amaro animo esse, tristis & plorans omnia perferre. Infandus autem ille olim maritus diabolica fraude circumventus, furtim arcam, in qua res cellæ ejus erant, fregit, & omnibus acceptis fugit. Misera autem ad sanctum Dei Theobaldum confugit, & ideo promeruit solatium, & visum recepit. Tunc lætatur muliercula, quæ ex dolore surgit lætitia, dum sibi est restituta sanitas insperata.

Yvo abbas sancti Dionysii martyris Christi quemdam suorum pro culpis, ut ajebat, nexum catenæ collo injecit, & ipsam catenam ultra murum misit, ut nulli facilis ad solvendum esset. Inexorabilis & acer Yvo in suo perseverabat proposito, nec flectebat eum aliqua divinæ pietatis jussio. Catenatus fidelem Dei Theobaldum inclamat, Theobaldum ingeminat. Abbate vero in sui adamantini cordis duritia permanente, quod mirum est dictu! murus ille, cui catena erat trajecta, in oculis omnium ruinam fecit, & catenam quasi sibi commissam solvit. Omnibus videntibus vinculatus ille liber & expeditus ad sanctum Dei Theobaldum pervenit, testemque suæ solutionis catenam secum detulit, quæ ante sanctum altare appensa testatur, quia melius est confidere in Domino, quam confidere in homine.

XXIII. Major tamen pars semper servata Vangaticiæ.

Prolixa hujusmodi narrationis historia satis abunde eorum scriptorum opinionem convellit, qui totum divi Theobaldi corpus & ossa in Gallias translata mordicus tuentur. Auctor siquidem coæqualis, quantum ex ea narratione colligitur, brachium dexterum, costas duas, duos nodos spinæ, quatuor dentes tantum nominat ab Azone marchione Estensi Arnulpho abbati sanctæ Columbæ Theobaldi fratri dono data, quæ profecto non totam hominis machinam constituunt, sed tantum portionem. Pariter si integra fere lypsana e Vangaticiæ monasterio Latiniacum deducta fuissent, idem Arnulphus Willæ matri commoranti in Salanicensi tugurio, non brachium tantum ostendisset filii sui Theobaldi, sed integrum sacrum corpus. Verum occasionem huic opinioni dedere antiquorum historicorum verba, qui Theobaldi ossa in Galliam translata fuisse asseruerunt, hi cum de ossium parte explicari deberent, de ossibus in integrum loqui crediti fuere. *Ossa ejus*, inquit Sigebertus, *in Gallias translata multam multis in*

locis

Ann. Chr. 1078.

locis venerationem meruere. Vitam Theobaldi ita concludit Reinerus Leodiensis: *Denique sacri cineres illius a sorore postmodum in Gallias translati sunt, plurimumque pluribus meruere in locis venerationem*. Quid sibi velit Reinerus, dum cineres advectos in Gallias a sorore autumat, ipse viderit, dum in nulla narratione sorori Theobaldi, sed tantum fratri tribuatur hujusmodi translatio. Auctor chronici monasterii sanctæ Columbæ Senonensis *ossa ejus*, ait, *in Galliam deferuntur*. Vincentius Bellovacensis Sigebertum exscribit. Galesinius, *ejus reliquiæ ad eam provinciam, Franciam nimirum, translatæ pie reconditæ, religiose coluntur*. Eadem dicunt Saussajus, Wion, Henschenius, Bailletus, Calmetius. Addenda iis auctoribus martyrologia, & breviaria plurima, quæ Theobaldi ossa in Gallias translata venerationem ibi obtinere constantissime enuntiant. Illud insuper in corroborationem hujusce sententiæ adducit, pluribusque ex Carolo Jamotte scriptore vitæ Theobaldi confirmat Henschenius, quod sancti Theobaldi reliquiæ per totum Senonensem archiepiscopatum, per Burgundiæ regnum, per Lotharingiæ ducatum, & Flandriæ comitatum ita sunt distributæ, & quidem ipsarum non parva fragmenta, sed insignes portiones, ut proinde ejus socius Papebrochius [a] Theobaldum appellaverit per Galliam & Belgium propter reliquias varie distributas *celeberrimum*. Et quidem in Senonensi archiepiscopatu Provini, quæ patria fuit sancti confessoris, e regione domus ipsius paternæ ecclesia est erecta, in qua statua argentea asservatur cum osse sancti Theobaldi, alia ossa custodiuntur in lipsanotheca lignea inaurata. Fama est ibidem aliquando depositum fuisse ejusdem caput. In collegiata sancti Quiriaci ejusdem oppidi, aliud os brachii divi Theobaldi publico cultui exponitur. In ipsa Senonensi civitate apud sanctam Columbam majorem theca argentea magnificentissima habetur, qua totum fere corpus ejus contineri dicitur. In episcopatu Tullensi extat abbatia ordinis sancti Augustini, Calmostratum dicta, in qua fert fama servari caput sancti Theobaldi cum duabus tibiarum ossibus. In ducatu Luxemburgensi in pago Mercuria insignis pars cranii sancti Theobaldi colitur, obtenta a capitulo Mettensis ecclesiæ, sicque fuse prosequitur Henschenius pro demonstranda hac illacque sparsa in Galliis veneratione & reliquiarum distributione sancti Theobaldi; præter ea, quæ Latiniaci recondita jam diximus. Sed si Henschenio concedimus aliquot sancti viri reliquias Latiniacum fuisse advectas, ex quo loco deinde subdivisæ in plures regiones fuerint asportatæ, illud etiam concedat nobis Henschenius necesse est, majorem harum sacrarum reliquiarum portionem Vangaticiæ custodiri, ex quo loco a nemine, præter illas dono datas anno præsenti a Petro Vangaticiense abbate & ab Azone marchione Arnulpho abbati, alibi fuere translatæ.

Quod antequam solidius & uberius probemus, operæ pretium facturos nos arbitramur, si unde profluxerit hæc tanta divi Theobaldi reliquiarum copia per Gallias & Belgium sparsarum, ostendamus. Non aliis armis Henschenium impugnabimus, quam suis. Paragrapho III. [b] animadvertit de hoc Sancto varia controversa occurrere, eo quod ab aliis ejusdem nominis sanctis viris non fuerit distinctus. „ Primus itaque potest censeri, „ inquit, *sanctus Theobaldus archiepiscopus Viennensis* avunculus aviæ hu„ jus Theobaldi eremitæ, quasi hic fuisset etiam episcopali dignitate insi„ gnitus; unde in martyrologio Coloniæ & Lubecæ anni 1490. ista ad „ kalendas julias leguntur. *In territorio Proviniaco beati Theobaldi episcopi* „ *& confessoris. Hic seipsum seculo subripuit; & eremiticam vitam per no*„ *vem annos expetens, pro Christo pauperrime vixit: quem propter vitæ* „ *sanctitatem Angeli de cœlo infula pontificali decoraverunt*. Ex hoc erro„ re

[a] T. III. SS. Maii p. 628.

[b] T. V. Junii p. 591.

Ann. Chr. 1078.

„ re imagines sancti Theobaldi apud Luxemburgenses, Lindenses & Tenen-
„ ses pinguntur cum cappa chorali seu pluviali, mitra & pedo episcopa-
„ li: & Rutilienses arbitrantur se habere *juncturam sancti Theobaldi epi-
„ scopi*; immo cultus sancti Theobaldi episcopi refertur etiam ad kalen-
„ das julii, uti ad ejus acta diximus XXI. maji. Alter *sanctus Theobaldus*
„ *est Italus* apud Vicum prope Montem-Regalem natus & educatus, atque
„ Albæ-Pompejæ mortuus, cujus ibidem corpus in ecclesia cathedrali as-
„ servatur. In hujus vita, ad diem XXVII. maji edita, dicitur costa fur-
„ tim in Burgundiam delata; & cum moveri nequiret, in ecclesia ibidem
„ constructa fuit deposita; ubi mortuus resuscitatus, inde Albam-Pompe-
„ jam est peregrinatus. Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ ad dictum
„ XXVII. maji in notis asserit, huic Beato Albensi tribui, quæ *sancto*
„ *Theobaldo eremitæ* congruunt, puta, quod dictum est de mortuo resu-
„ scitato. Sed quia nihil simile de hoc reperimus inter tot antiqua mo-
„ numenta, quæ excussimus, illud sancti Theobaldi Albensis actis insertum
„ relinquimus. Tertius est *sanctus Theobaldus Camaldulensis*, cujus sacrum
„ corpus quiescit in ecclesia sanctæ Mariæ Vangaditiæ ordinis Camaldu-
„ lensis. " Addere poterat Henschenius & quartum sanctum Theobaldum Mont-merancium, a feminis parturientibus singulariter invocatum, qui floruit seculo decimotertio. Italus Albæ-Pompejæ obiit anno 1150. eremita noster anno 1066. Viennensis autem archiepiscopus circa annum 1000. En origo confusionis; ex pluribus ejusdem nominis sanctis viris unus conflatus fuit, & ex plurium Sanctorum reliquiis facta earum attributio uni celebriori Salanicensi eremitæ Theobaldo.

Ceterum hic ostendimus Salanicensem Theobaldum nostrum Vicetiæ primum humatum, inde Vangaticiam delatum, in hoc postremo loco semper requievisse his monumentis. Anno 1085. in charta, quam ad eum annum proferemus, legitur: *Monasterio sancte Marie, quod est situm juxta Atexim, ubi corpora sanctorum Primi & Feliciani & beati Theobaldi confessoris Christi requiescunt &c.* Anno 1097. Azo II. Estensis marchio una cum filio Ugone quinquaginta mansos donans monasterio Vangaticiensi, ut suo loco constabit ex charta producenda, hæc in ipsa paginæ præfatione verba usurpat: *Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo nonagesimo septimo, decima tertia die mensis aprilis indictione quinta, monasterio beatissime sancte Marie virginis Dei genitricis, quod est edificatum juxta flumen Atesim, in loco, qui dicitur Petra, ubi corpora sanctorum Primi & Feliciani & Theobaldi in pace quiescunt* &c. Azo idem est ac Albertus marchio, qui Arnulpho abbati Latiniacensi sacri corporis partem benigne dilargitus est hoc anno, ut superius vidimus. *Anno* M.CCXVII. *indictione* V. *die* IV. *ineunte augusto* in capitulo sanctæ Mariæ de Vangaticia Guido prior Camaldulensis ordinis volens ad electionem abbatis ejusdem monasterii devenire, invocato nomine sanctissimæ Trinitatis &c. & *sancti Theobaldi confessoris* &c. elegit magistrum Johannem Camaldulensis eremi in abbatem monasterii de Vangaticia *&c.* ut ex pagina, quæ asservatur in tabulario Fontis-boni. Anno M. CC. XXIII. in eadem ecclesia Vangaticiensi sub Orlando abbate, restaurata forte basilicæ parte, reperta fuere corpora sanctorum Primi & Feliciani atque Theobaldi, pro cujus inventionis memoria perennanda in saxo Histriense quadrato cælata fuit sequens inscriptio

† ANNO.

✠ ANNO. DNI.
M.C.C.XXIII. H. T
TEPLO N̄ Ē OPUS PULC.
RIUS ISTO. QN FUIT
FACTŪ CORPORA SCO
RŪ PRIMI. ET FELICIANI
ET SCI TEOBALDI. IN
VENTA FUERŪT. TU Q
CUQ: LEGIS SCIAS Q ABB
AS ORLAND. K. OP. FIERI FEC

†ANNO. DOMINI. M.CC.XXIII. HOC. IN. TEMPLO. NON. EST. OPVS. PVLCHRIVS. ISTO QVANDO. FVIT. FACTVM. CORPORA. SANCTORVM. PRIMI. ET. FELICIANI ET. SANCTI. TEOBALDI. INVENTA. FVERVNT. TV. QVICVMQVE. LEGIS SCIAS. QVOD. ABBAS. ORLANDVS. HOC. OPVS. FIERI. FECIT.

Saxum hocce post quadringentos annos ab artificibus rejectum domnus Severus Senesius e maceriis traxit, locavitque prope sacrarii januam in pariete ecclesiæ, ut narrat [a] in suo ms. Vangaticiæ opere, addita subtus primam hac secunda inscriptione

[a] Pag. 55.

NE. TAM. MEMORANDAM. ANTIQVITATIS. MEMORIAM
TEMPORIS. LONGINQVITAS. EXTINGVERET
CIPPVS. HIC. AB. INTERITV. VINDICATVS
DIGNIORI. LOCO. ERIGITVR. PERPETVAE. MEMORIAE. CAVSA.
ANNO. SALVTIS. M. DC. V. IDIBVS. MAII.
FRANCISCO. LAVRETANO. EIVS. NOMINIS. III. ABB. ET. COM. PP.

Anno autem 1411. Antonius Ferro Parmensis abbas generalis Camaldulensis, primusque Vangaticiæ perpetuus commendatarius sollemni supplicatione & circumjacentium populorum concursu ex veteri capsa injuriam temporis passa in novam ossa divi Theobaldi transtulit. Documentum ea de causa confectum in medium afferemus ad eum annum. Postremo anno 1617. precibus porrectis Matthæo Priolo abbati commendatario Vangaticiensi a Philippo Recanato cive Abbatiense, Franciscus Mocenicus ejusdem abbatis vicarius generalis, pluribus ecclesiasticis & laicis viris astantibus, capsam lapideam altaris sancti Theobaldi aperuit, in qua alia lignea capsa reperta, continens sacra lipsana sancti viri, cooperta panno variegato, supra quam crux lignea ruditer fabrefacta deposita erat, & sub panno adinventa ossa hominis juxta ordinem naturalem corporis humani, & insuper media inter operculum capsæ ligneæ & caput Sancti reperta lamina plumbea, lon-

Ann. Chr. 1078.

longitudinis dimidii pedis, & latitudinis quinque digitorum, ad cujus latus literis informibus legebatur: HIC. EST. CORPVS. BEATI. THEOBALDI. Ab alio vero latere characteribus elegantioribus adnotabatur: HOC. EST. CORPVS. SANCTI. THEOBALDI. CONFESSORIS. Quapropter altare de novo erecto & marmoribus ornato, curante eodem Recanato, anno 1626. ab Augustino Priolo abbate itidem commendatario & Matthæi fratris successore, ac a Theodoro Georgio episcopo Arbensi denuo reliquiæ sancti viri aptatæ & reconditæ intra aliam lapideam recentem urnam, & eo temporis descripta & recensita singula ossa corporis sancti Theobaldi, ut ex subjecto instrumento, quod hic edimus ad totam facti veritatem comprobandam.

a Ex Severi Senesii Histor. Vangat. ms. pag. 107.

[a] *In Christi nomine amen. Anno nativitatis ejusdem 1626. die veneris quinto mensis junii, indictione IX. pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani divina providentia Papæ VIII. anno tertio; Principatus Serenissimi D. Joannis Cornelii ducis Venetiarum secundo, & regiminis illustrissimi, & reverendissimi D. Augustini Prioli Abbatis Sanctæ Mariæ de Vangadicia nono. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat, & sit notum, quod cum quondam illustres domini Philippus, Joannes, & Recanatus de Recanatis fratres, cives Abbatiæ de Policinio usque de anno 1618. propriis sumptibus construi fecerint Capellam & Altare marmoreum (ab eorum consanquineis antiquitus dotatum) in parte sinistra Altaris majoris Ecclesiæ abbatialis Sanctæ Mariæ de Vangaditia in honorem Beati Theobaldi confessoris, olim monachi Camaldulensis, ut apparet ex inscriptione existente supra dictum Altare. Cumque illustris dominus Jacobus de Recanatis filius quondam illustris domini Philippi, & hæres ipsius, & supradictorum ejus fratrum debita cum instantia requisiverit, ut ossa supradicti sancti Theobaldi existentia in tumulo, seu tumba marmorea posita inter Altare majus, & Altare Sancti Theobaldi supradicti transferrentur in capsulam, seu arcam decentiorem constructam ad hunc effectum in dicto Altari Sancti Theobaldi nuper erecto, ut majori devotione a fidelibus venerarentur. Ideo ut hujusmodi ossium translatio fiat cum debitis solemnitatibus, ac servatis servandis die supradicto de mane ego Sanctes Piscante presbyter canonicus ecclesiæ cathedralis Clodiensis publicus auctoritate apostolica Notarius, & curiæ abbatiæ Vangadiciensis Cancellarius, de mandato supradicti illustrissimi, & reverendissimi domini, domini Augustini Prioli Abbatis, & perpetui commendatarii Abbatiæ Sanctæ Mariæ de Vangaditia nullius diœcesis Provinciæ Ravennatis, accessi ad Ecclesiam supradictam Sanctæ Mariæ, & ad capellam prædictam Sancti Theobaldi confessoris nuper ædificatam simul cum Altare, & in parte sinistra prope Altare majus Sanctissimi Sacramenti, inter quam Capellam Sancti Theobaldi, & Altare majus prædictum reperiebatur arca marmorea amovibilis super pavimentum Ecclesiæ sita, desuper cooperta alio lapide marmoreo, & clauso quatuor ferris plumbeatis, binis pro utroque capite, quæ arca (ut dixerunt monachi assistentes) alias erat in loco, ubi ædificatum est novum Altare dictæ Capellæ, & in ipsa arca (ut iidem dixerunt) reperitur Corpus Beati Theobaldi confessoris ordinis Camaldulensis, & super ipsa arca erat figura lateritia ipsius Sancti Theobaldi in suo monachali habitu præfigurata, & hanc descriptionem feci præsentibus reverendis Claudio Ferrariensi, & Marco Antonio Bronzerio clericis Abbatiæ Vangadiciensis, & domino Dominico Rigoni quondam domini Francisci, & domino Hieronymo Urgiano quondam domini Francisci de Abbatia supradicta testibus habitis, vocatis ac rogatis. Post prandium vero die supradicta aperta fuit supradicta arca accensis luminaribus, & qua decet devotione, in præsentia perillustris,*

Ann. Chr. 1078.

ſtris, & reverendiſſimi domini Joannis Pauli Savii Protonotarii Apoſtolici, Vicarii & locumtenentis generalis ſupradicti illuſtriſſimi, & reverendiſſimi domini Abbatis, nec non præſentibus illuſtri, & admodum reverendo domino Chriſtophoro Stuano Archipresbitero Parochialis eccleſiæ Sancti Joannis Baptiſtæ Terræ ſupradictæ Abbatienſis, & aliis teſtibus infraſcriptis, & in ipſa inventa fuit capſa lignea ſine clave, in cujus ſummitate erat parva crux lignea poſita ſuper quodam panno vetere laneo virgato, quo cooperiebantur caput & oſſa infraſcripta ſancti Theobaldi, & in ipſa capſula erat quædam laſtra, ſeu tabula plumbea antiqua, magnitudinis, & latitudinis deſignatæ in infraſcripta figura, in qua etiam notata ſunt infraſcripta verba, & charactere ſequenti, videlicet

†HIC Ē CORPUS

BEATI TEO

BALDI:--

A tergo vero ejuſdem tabulæ adſunt hęc verba.

†SCS TEOBALDUS

In ipſa autem capſula reperta ſunt oſſa infraſcripta, videlicet:

Primo Caput integrum cum quinque dentibus, tribus in parte ſuperiori, & duobus in parte inferiori.

Item ſpatula una integra.

Item quatuor oſſa integra, ſcilicet duo femorum, & duo crurum.

Item duo oſſa integra, quibus junguntur oſſa femorum cum corpore.

Item duo oſſa ſubtiliora ſimiliter crurum.

Item tria oſſa brachiorum.

Item ſex oſſa coſtarum.

Item quatuor oſſa tergoris.

Item tres partes parvæ aliorum oſſium, quæ non noſcuntur, cujus partis ſint.

Deinde ſub dictis oſſibus repertum eſt pannum quoddam parvum vetuſtiſſimum laneum longitudinis, & latitudinis unius palmi.

Item repertum eſt aliud pannum ſimiliter vetuſtiſſimum laneum longitudinis, & latitudinis unius brachii.

Capſula autem erat longitudinis trium palmorum & dimidii, latitudinis unius palmi & dimidii, altitudinis vero unius palmi.

Erant autem partes capſulæ pro latitudine ex cypreſſo, partes vero ejuſdem capſulæ pro longitudine, & in parte inferiori ex abiete, pars vero ejuſdem capſulæ ſuperior erat ex cypreſſo.

Quibus viſis, & ex dicta capſula extractis, ea iterum reverenter repoſita ſunt in eadem capſula una cum tabula plumbea ſupradicto ordine ſupra deſcripto, præſente illuſtriſſimo, & reverendiſſimo domino Abbate ſupradicto, illuſtriſſimo, & reverendiſſimo domino domno Theodoro Georgio Veneto monacho

Ann. Chr. 1078.

nacho Casinensi, Episcopo Arbensi; nec non præsentibus, & videntibus supradictis, & infrascriptis testibus, videlicet, reverendo domino Augustino Veneto Priore monasterii dictæ Abbatiæ; reverendis domnis Franchino de Dominis, Augustino de Pissonibus, Vincentio de Zuccatis, Dominico Sartorio Sacerdotibus Abbatiæ Vangadiciensis, domno Demetrio Cremonensi, domno Prospero Veneto monachis Camaldulensibus; dicto illustri domino Jacobo de Recanatis quondam domini Philippi, domino Marco Dente quondam Apolonii, dominis Christophoro Bertinceri quondam Baptistæ Coloniensis, Lelio Bosio quondam Hieronymi Vicentino, Antonio Sardi quondam Francisci Piamontensi familiaribus prædicti Illustrissimi, & reverendissimi domini Abbatis testibus habitis, vocatis, & rogatis, nec non aliis quampluribus testibus tam clericis, quam laicis. Et quia supradicta capsula lignea non poterat capere in loco destinato in supradicto Altari, idcirco mandato illustrissimi, & reverendissimi domini Abbatis supradicti jussum est, ut capsula prædicta redigeretur ad formam minorem, ac convenientem loco supradicto, in quo reponenda, & conservanda erat, denuo extractis, & remanentibus interim supradictis capite, & ossibus super Altari majori coopertis panno lineo cum duobus intortitiis accensis, cum præsentia illustrissimi, & reverendissimi domini Abbatis, ac illustrissimi, & reverendissimi domini Episcopi supradicti, & illustris, & reverendissimi domini Vicarii supranominati, & supradictorum testium, & cum capsula fuisset ad formam, de qua supra, redacta, in ipsa reverenter iterum posita fuerunt caput, & ossa supradicta una cum supradictis pannis, & lastra plumbea, & insuper cum alio panno lineo, & fuit statim reposita in sacrario in loco decenti clavibus clauso, munito etiam sigillo prædicti illustrissimi, & reverendissimi domini Abbatis, cui & claves consignatæ fuere retinendæ, donec, &c. *Tunc die sequenti dominico, septimo dicti mensis de mane supradicta capsula cum prædictis capite & ossibus Sancti Theobaldi ex dicto loco Sacrarii, præsentibus supradictis domino Vicario, & domno Augustino Veneto Priore testibus, reverenter extracta posita fuit in medio Ecclesiæ supradictæ super quodam palcho decenter ornato, ubi erant quatuor intortitia cerea ardentia, ac umbella albi coloris supradictas reliquias cooperiens, & in dicto loco permansit dicta capsula, donec missa solemnis pontificaliter cantata fuit a supradicto reverendissimo domino Episcopo Arbensi, assistente prædicto illustrissimo, & reverendissimo domino Abbate, ac illustrissimo domino Potestate Terræ Abbatiæ, ac toto clero, & quampluribus civibus, & populis, tum ex loco Abbatiæ, tum ex aliis locis vicinis confluente. Finita Missa solemni cantoribus cantantibus litanias, supradicta capsula processionaliter a quatuor Sacerdotibus Ordinis Camaldulensis amictis dalmatica fuit delata per locum Abbatiæ sub umbella prædicta, quam deferebant quatuor Sacerdotes pluvialibus albis induti, comitantibus supradictis maxima cum devotione. Finita processione fuit iterum reposita super dicto palcho modo quo supra, ubi permansit per totam diem prædictam, concurrente maxima populi multitudine. De sero autem dictæ diei, in præsentia supradicti domini Vicarii, & domni Augustini Prioris testium fuit iterum reposita in Sacrario in loco, & modo quo supra, & ibi remansit usque ad diem martis nonam supradicti mensis post prandium, quo tempore cum multis luminaribus, ac cum debitis cæremoniis fuit reposita in arca lapidea fabricata in dicto Altari sancti Theobaldi, ibique lapidibus, & ferris ita clausa, ut videri quidem per quosdam cancellos, non autem amoveri possit; Antequam autem in dicto Altari reponeretur, fuit in supradicta capsula posita tabula plumbea, in qua scripta erant verba sequentia.* Anno 1626. die dominico, septimo junii, Summi Pontificis Urbani VIII. anno

no tertio, Joannis Cornelii ducis Venetiarum secundo, & Augustini Prioli Abbatis Vangaditiensis nono, assistente Reverendissimo domino domno Theodoro Georgio Veneto monacho Cassinensi Episcopo Arbensi Episcopatus sui anno quinto, facta fuit Translatio harum Reliquiarum Corporis Sancti Theobaldi Ordinis Camaldulensis cum solemnibus cæremoniis ad Altare eidem Sancto dicatum. *Super quibus omnibus, & singulis respective rogatus fui, ut præsens publicum conficerem Instrumentum, præsentibus ad supradicta omnia, & singula prædicto perillustri, & reverendissimo domino Vicario, admodum reverendo Priore supranominato, & aliis supranominatis respective testibus vocatis, & rogatis* &c.

XXIV. Disquisitio de corporibus SS. Primi & Feliciani.

COMPERTUM redditur ex donationibus Azonis marchionis Estensis, aliisque piorum virorum largitionibus, ex scriptoribus vitæ & historiæ translationum corporis sancti Theobaldi, necnon ex monumentis omnium fere seculorum post undecimum, etiam corpora sanctorum martyrum Primi & Feliciani recondita fuisse in basilica Vangaticiensi, ibique cultum & venerationem obtinuisse, uti reconditum fuerat, ac venerationem obtinebat corpus sancti confessoris Theobaldi. Observat Godefridus Henschenius [a] in prævio commentario ad acta ipsorum martyrum Anastasium bibliothecarium in vita Theodori I. Romani pontificis tradere hujus papæ temporibus, hoc est circa annum DC. XXXXVIII. *revelata* fuisse *corpora sanctorum martyrum Primi & Feliciani, quæ erant in Arenario sepulta via Nomentana, & adducta in urbem Romanam, ac recondita in basilica beati Stephani protomartyris in Cœlio monte;* insuper, teste Baronio, in ea sancti Stephani ecclesia ejus ævo perseverasse vetustissimas ipsorum sacras imagines musivo opere intextas. Animadvertit ulterius idem Henschenius, quod tempore, quo ipse hæc scribebat, non amplius Romæ existebant ullæ notabiles reliquiæ eorumdem martyrum, quod colligit etiam ex indice reliquiarum per Octavium Pancirolum edito *in Thesauro abscondito urbis Romæ*, ubi nihil de illis, ne in ecclesia quidem sancti Stephani in Cœlio monte, asseritque ex Paullo Morigia & ex Galesinio Sergium II. Rom. pont. sancti Primi corpus concessisse Eremberto illustri viro una cum reliquiis sancti Feliciani anno DCCC. VI. sed ut melius ipse emendat anno DCCC. XXXVI. indictione IX. Angilberti archiepiscopi Mediolanensis anno XXIII. Demum post recensita varia loca, in quibus cultui habentur ipsorum reliquiæ, in Carniolæ oppido Stain, sive in urbe Lithopolitana, sacra ipsorum lipsana asservari ex documentis sibi ex eo loco missis tradit. Neque de Vangaticiensi abbatia verbum facit, destitutus fortasse monumentis, quæ ad manus nostras sunt, in quibus constanti & numquam interrupta septem seculorum traditione affirmatur corpora sanctorum martyrum Primi & Feliciani in sarcophago marmoreo ad altare nunc Crucifixi custodiri. Chartæ enim omnes & monumenta, quæ de Theobaldi corporis existentia in Vangaticiensi basilica fidem faciunt, fidem etiam de existentia corporum Sanctorum Primi & Feliciani faciunt. Eaque viget opinio Hugonem magnum Thusciæ ducem & marchionem, insignem hujus abbatiæ fundatorem seu benefactorem, vel a Gregorio V. vel a Silvestro II. Romanis pontificibus, vel etiam ab Ottonibus imperatoribus ad condecorandam præfatam ecclesiam ipsorum corpora vel magnam partem obtinuisse, reverenter in ea collocasse, & ab eo tempore in Vangaticiensi basilica fuisse adservata. Hinc in compilatione statutorum municipalium oppidi Vangaticiæ juxta reformationem Nicolai marchionis Estensis anno 1441. inter dies vetitos rectoribus pro jure dicundo, specialis mentio fit sanctorum Primi & Feliciani ac sancti Theobaldi, ut eorum dies habeatur festiva tamquam pecu-

[a] *Junii T. II. p.* 149.

ANN. CHR. 1078.

culiarium oppidi patronorum, in quorum honorem ab immemorabili quotannis Missæ & vesperæ sollemniter celebrantur in prædicta Vangaticiæ ecclesia, cum supplicationibus & delatione reliquiarum ipsorum, ut adnotat Johannes-hieronymus Bronzerius [a] in *Originibus & conditionibus Pollicinii Rhodigii*. Qui insuper affert carmina exarata super altare sanctorum Primi & Feliciani jussu Ambrosii Bernardi abbatis commendatarii Vangaticiensis.

Feliciane simul cum te quoque Prime teneret
Hic minus ornatus corpora sancta locus,
Non tulit Ambrosius Bernardæ gentis alumnus
Mundatum forma dat meliore locum
M.D.XXI. *kalendis martii.*

In necrologio Vangaticiensi, quod exscripsimus, habetur: *V. idus junii sanctorum Primi & Feliciani martyrum, plena sollemnitas.*

Adversus tamen tot veterum chartarum & monumentorum fidem admonet nos idem Bronzerius anno 1617. ea occasione, qua aperta fuit arca sancti Theobaldi [b] ab eodem abbate Francisco Mocenico vicario generali Matthæi de Priolis abbatis commendatarii Vangaticiensis, postea cardinalis, in opinionem venisse eumdem Mocenicum reserandi etiam urnam marmoream altaris sanctorum Primi & Feliciani, & reperiisse tantummodo duo capita in duobus globis vitreis, & quia alia ossa non reperiit, denuo arcam clausisse, & ad ulteriorem requisitionem non processisse. Subdit deinde idem Bronzerius anno 1625. Wladislaum Sigismundi regis Poloniæ & Sueciæ filium obnixe petiisse a Romano pontifice Urbano VIII. reliquias eorumdem sanctorum Martyrum, qui Romanus pontifex in mandatis dedit Laudivio Zachiæ de Nobilibus, episcopo tunc Montis-falisci, domus & palatii apostolici præfecto, postea S. R. E. cardinali, ut se conferret ad ecclesiam sancti Stephani Rotundi in Cœlio monte, insignemque partem sacrarum reliquiarum utriusque corporis sanctorum Primi & Feliciani, quæ in eadem ecclesia adservantur, auctoritate pontificia extraheret. Conferens autem se præfatus episcopus ad dictam ecclesiam „ reperiit ab uno capite laminam plumbeam cum sequenti inscri-„ ptione RELIQVIAE. SANCTORVM. PRIMI. ET. FELICIANI. Qua „ lamina amota & ablata subtus eam invenit sacrosanctas reliquias præ-„ dictorum Sanctorum, ex quibus propriis manibus reverenter accepit „ infrascriptas partes: duo femora sive ossa cosciæ; duo humera sive ossa „ superioris partis brachii; tres radios, sive ossa inferioris partis brachii, „ quatuor parva frusta ossis cranii sive capitis, quas in vase ibidem præ-„ parato reposuit, & capsulam marmoream, in qua antea jacebant, „ cum aliis reliquiis in ea remanentibus reaptari & claudi, sigillo muni-„ ri & in eodem loco & sub eodem altare reponi diligenter curavit, præ-„ dictasque reliquias, ut supra extractas & acceptas in vase, in quo repo-„ sitæ erant, secum asportavit ad effectum exequendi mandatum SS. Dn. „ nostri papæ sibi injunctum. “ In confirmationem ejusdem rei Bernardinus Castori rector collegii Germanico-hungarici de Urbe & Johannes-baptista Toschi præfectus ejusdem ecclesiæ sancti Stephani in Rotundo S. J. anno 1629. die XIII. julii fidem fecerunt „ eodem anno 1625. die VIII. „ januarii extractas fuisse præfatas reliquias, sed de sacris capitibus reper-„ ta non fuisse nisi frusta cranii. “ Horum omnium notitiam dat nobis idem Bronzerius, qui animadvertit insuper Ferrarium in suo catalogo Sanctorum ad diem VI. octobris memorare alios duos sanctos Martyres Primum & Felicianum, qui pro Christo vitam & sanguinem dederunt in Galliis,

a Pag. 167.

b Pag. 171.

ANN. CHR. 1078.

Galliis, & in martyrologio Romano novem Martyres nomine Feliciani, sex autem nomine Primi recenseri. Pariter adnotat noster Senesius in sua historia Vangaticiensi, [a] quod in kalendario diœcesano urbis Faventinæ officium duplex præscribitur de sanctis Primo & Feliciano, & additur: *quorum corpora in diœcesi requiescunt*; scilicet in ecclesia abbatiæ sancti Benedicti de Crispino in Alpibus sub dominio magni ducis Ethruriæ, ubi conduntur in sepulcro lapidis albi & nigri coloris cum literis sculptis: *Leo papa* IV. *hoc in loco corpora sanctorum Primi & Feliciani sine capitibus propriis manibus collocavit*. Idem Bronzerius Ferrarii opinionem affert, qui putat Sanctorum præfatorum corpora recondita esse in villa Alexandrinæ diœcesis, appellata Quadringento; & Guallæ, qui in Sanctuario lib. V. cap. 19. scribit, Partharim Langobardorum regem *Liberatori Deo, almæque Mariæ virgini, & divæ martyri Agathæ templum ædificasse, venerandis divorum martyrum Primi & Feliciani reliquiis illustratum*. In Germania quoque reperiri Primi & Feliciani corpora subdit idem Bronzerius. Hoc propterea contigit sanctis nostris Martyribus, quod pluribus aliis Sanctis, quorum corpora in variis dissitisque locis condita perhibentur; nimirum corporum sacrorum nomine veniunt reliquiæ hinc inde dispersæ, vel Sancti confunduntur cum aliis ejusdem nominis, qui alibi venerationem & cultum obtinent.

a *Pag.* 45.

Quare attenta urnæ marmoreæ aperitione facta jussu Matthæi Prioli anno 1617. non incongrue dici potest, Vangaticienses nomine corporum sanctorum Primi & Feliciani intellexisse reliquias insignes, quales profecto sunt capita eorumdem sanctorum Martyrum, quos tamen celebriores arbitramur ejusdem nominis, & eos qui cultum obtinent ad diem IX. julii. Mirum in modum optamus legere opusculum ms. Johannis Marangonii Vicetini & canonici Anagniensis in pace defuncti Romæ die V. februarii anno 1753. inscriptum: *De veritate seu identitate corporum sanctorum Primi & Feliciani martyrum anno 1734. jussione sanctissimi Dn. nostri Clementis papæ* XII. *ab eminentissimo Antonio Xaverio cardinali Gentilio detectorum in tutelari sua ecclesia S. Stephani in monte Cœlio* &c. Sed hoc reperiebatur inter codices ceteros ejusdem cardinalis. Hæc de existentia corporis sancti Theobaldi, & corporum sanctorum Primi & Feliciani in basilica Vangaticiense.

XXV. Obitus Johannis abb. Fiscamnensis.

OBIIT hoc anno Johannes abbas Fiscamnensis, ob corporis exilitatem Johannelinus dictus, qui Ravennas patria, postquam eremiticam vitam duxerat sub patribus & doctoribus eremitarum, Romualdo nimirum, Martino & Willelmo in patrio solo, ad alterius Willelmi Divionensis abbatis disciplinam transierat, a quo paullo ante suum obitum præpositus fuit abbatiæ Fiscamnensi, quam annis quinquaginta & uno rexit juxta Mabillonium [b], quadraginta autem & octo annis juxta chronographum San-benignianum. Una cum Fiscamnensi ad parvum tempus rexit etiam Divionensem sancti Benigni. In necrologio ejusdem monasterii sancti Benigni Johannis obitus notatur VIII. kalendas martii; ejus nomen legitur etiam in altero sancti Germani a Pratis. Vir fuit seculi sui præclarus tum eruditione, tum rebus gestis, ut habet idem Mabillonius, qui in Annalibus ipsius facta gloriosa describit.

b *Annal. T. V. p.* 134.

XXVI. Donatio monasterio Prataliensi.

ANNO *millesimo septuagesimo octavo temporibus domni Gregorii pape in apostolica sede beati Petri apostoli Domini sedentis anno sexto regnante domno Henrico filius quondam domni Henrici imperatoris die nono kalendas januarii indictione secunda*, quæ inchoaverat a mense septembri, Rainerus, qui

Ann. Chr. 1078.

qui vocatur Bulgarus & Ricca jugalis & Petrus &c. *pro oblatione & illuminatione seu eterne remuneratione anime* largiuntur Martino presbytero & monacho *pro persona & vice domni Guidonis abbatis* (Guido successerat Hieronymo) *& sancto hac beatissimo venerabilis regule monasterio sancte Marie in Pratalia, more salario permanendum* id quod habent *in rivo de Vignole in loco, qui vocatur Roncoveclo, & in loco ubi jam fuit ecclesia sancti Christophori cum omnibus sibi pertinentibus territorio Pupiliensi plebe sancte Marie Castri-novi. Actum in monte, qui vocatur de Renclesi.* Mos salarius idem est ac donarius. Similis formula usurpatur ab Honesto archiepiscopo Ravennate in charta oblationis bonorum, quam fecit anno 974. altari sancti Probi, usurpatur etiam in alia donationis Petroniæ monasterio sancti Severi in Classe, quas dedimus in Appendice ad Tomum primum pagg. 93. & 108. sed & alibi passim occurrit in nostris, aliisque hujus ætatis paginis formula hujusmodi. Chartam autographam ex archivo Camaldulensi exhibemus in Appendice.

Ann. Chr. 1079.

XXVII. De Damiano cardinale nepote S. Petri Damiani.

DAMIANO cardinali & abbati Nonantulano Bruno Astensis monachus, & per hæc tempora designatus Signinus episcopus, commentaria sua in Isajam prophetam dicavit. Id ipse Bruno testatur altera præfatione sua in librum super Apocalypsim: *Et prius quidem*, ait, *quam ad episcopatus dignitatem Christo Domino non meis meritis me revocante conscenderem, Ingoni Astensi episcopo Psalterium, Senensibus vero canonicis, cum quibus & ipse qualiscumque canonicus victitabam, Cantica canticorum, prout potui, exposui. Post episcopatum autem hanc beati Johannis Apocalypsim propter caussam superius memoratam, & ante hanc prophetarum nobilissimum Isajam, rogatu Damiani venerabilis abbatis, satis compendiose lucideque disserui.* Petrus diaconus sub Urbano II. dumtaxat Brunonem electum fuisse episcopum Signinum asseruit, sed domnus Maurus Marchesius Panormitanus, & Casinensis decanus, qui sancti Brunonis opera omnia in publicam lucem prodire jussit, existimat amanuensis errore substitutum in Petro diacono pro Gregorio VII. Urbanum II. atque proinde Brunonem a Gregorio VII. in demortui per ea tempora Signini episcopi locum suffectum, ob ipsius doctrinam, ingeniique vires in refellendis Berengarii sophismatibus, quibus hic temere & impie oppugnabat Christi præsentiam in eucharistiæ sacramento, cum liqueat hoc ipso anno 1079. ut subdit idem Marchesius, ex urbe Senensi Romam profectum hospitio receptum fuisse Brunonem a Petro cognomento Igneo, Albanensi episcopo & cardinale, & in eadem urbe Berengarii dogma impugnasse eodem tempore. Addimus certissimum esse Brunonem electum fuisse episcopum Signinum a Gregorio papa VII. & quidem ante annum 1081. Ipso enim anno, *Gregorii VII. papæ nono, IV. nonas maji*, interfuit cum aliis cardinalibus & episcopis *Bruno episcopus Signinus* concilio Romano, in quo actum fuit, *utrum bona ecclesiarum possint poni in pignore pro pecunia colligenda ad resistendum Guiberto archiepiscopo Ravennati Romanam sedem invadere conanti*; quod concilium ex tomo VII. pag. 69. Miscellaneorum Baluzii recusum fuit [a] in novissima conciliorum editione.

Eidem Damiano collectanea seu excerpta ex operibus sancti Petri Damiani cardinalis & ipsius avunculi dicavit monachus potius Avellanensis, quam Nonantulanus, quæ inscribere ipsi placuit *testimonia veteris & novi Testamenti de speculis reverendi Petri Damiani.* Observat collector stilum Petri perspicuum esse & popularem, eruditione tamen multa refertum,

a T. XII. col. 667. & Marten. T. VII. Vet. Script. col. 64.

tum, & sacrarum Scripturarum testimoniis copiosum. Junior Damianus hanc provinciam dederat prædicto monacho sacras Scripturas illustrandi ex operibus ejusdem sancti cardinalis, ut præfatur idem monachus: *Dum vestra*, inquit, *nuper industria beatæ recordationis patris nostri Petri episcopi avunculi vestri acta velut quibusdam nectareis epulis oblectata crebra meditatione percurreret, insigne in eis reperi, quod utilitate quammaxima redundare persensi* &c. Extant hæc collectanea Cajetani cura edita post opera sancti Petri Damiani.

XXVIII. Placitum Constantini ep. Arretini pro Camaldulensibus.

UGO comes filius quondam Alberici comitis obtulit hoc anno eremo Camaldulensi sanctissimi Salvatoris, & Rodulpho ejus priori terras & vineas in comitatu Æsino in loco, qui appellabatur *Murrus*. Videbimus ibidem post breve tempus excitatam eremum, seu monasterium sub titulo sancti Georgii, cujus mentionem facit Paschalis papa II. in suo privilegio anni 1105. pro eremo Camaldulensi. Chartam in Appendice edimus ex archivis sancti Blasii de Fabriano & Fontis-boni, ubi servantur autographa; & ex hoc alteram pariter, quæ continet placitum Constantini episcopi Arretini & Ugonis comitis, qui *ad justitias faciendas ac deliberandas* cum pluribus judicibus tunc residebant *in palatio episcopatus Arretini*. Controversia erat hujusmodi. Quidam Rainerius filius Fuscherii in infirmitate constitutus per ultimæ suæ voluntatis tabulas canonicæ sancti Donati reliquerat tertiam portionem castelli & curtis *Caliani*, & tertiam portionem curtis de *Sesto*; Camaldulensi autem eremo judicaverat tertiam portionem castelli & curtis de *Subiano*, totamque partem suam alterius castelli de *Soci*, vineam insuper & dimidium curtis in hoc postremo loco. E contra Rainerius de Paurano & Teuducius nomine uxorum suarum, quæ sorores erant Rainerii filii Fuscherii, quem sine testamento decessisse opinabantur, coram Constantino episcopo se sistentes jus in supradicta bona prætendebant. Sed testamentariis tabulis Rainerii in medium productis Constantinus episcopus & Ugo comes ad favorem canonicæ sancti Donati, & eremi Camaldulensis sententiam tulere, pœnam etiam indicentes duorum millium Bizantiorum auri, si prædicti Rainerius & Teuducius causa ejusdem hæreditatis molestiam de cetero inferrent præfatis canonicæ & eremo; & sic liti finis fuit impositus, consignato notitiæ hujus exemplari *Joculo* præposito sancti Donati (nomen est corruptum *Jocundi* præpositi canonicæ Arretinæ).

XXIX. Donatio Camaldulensi eremo facta in castro de Soci.

IN summariis Rainerii & Simonis monachorum Fontis-boni sub anno præsenti mense decembri manu Ildebrandi notarii hæc leguntur [a]: *Ugho filius olim Minutuli per se suosque heredes in perpetuum pro remedio anime Rainerii filio olim Fuscherii* (is, qui supra nominatur in placito Constantini episcopi) *& parentum ejus donavit & obtulit Camaldulensi eremo partem suam, quam habebat in castro de Soci, & vineam donicatam, quam habebat in curte de castro predicto, & integrum suum jus & actionem, quod & quam habebat in curtibus & mansis cum suis donicatis vineis & hedificiis & pertinentiis aliis positis sparsim in diversis locis ab ingressu Arclani in Arnum, & usque ad confines ville vel castri de Gressa, & ville de Campana, & curtis predicti castri de Soci cum pratis & silvis, & aquarum decursibus.*

a Pag. lxii.

XXX. Chartæ pro aliis monasteriis.

LEONI abbati sancti Michaelis in burgo Pisarum Ubertus filius Petri, & Berta conjux filia Willelmi judicis, interrogata etiam de sua voluntate ab Ugone judice sacri palatii, concedunt portionem terrarum positarum *in loco & finibus Colognolla prope fluvio Arno*. Donationis charta ex archivo ejusdem cœnobii habetur in Appendice.

Repe-

Ann. Chr. 1079.

Reperimus [a] in miſcellaneis Ferdinandi Melioris hoc anno Guidonem filium bonæ memoriæ Guinizi obtuliſſe parthenoni ſanctæ Mariæ de Roſano eccleſiam ſancti Bartholomæi in loco *Erkli*. *Actum in monte de Crucis judiciaria Florentina*. De parthenone Roſanenſi plura diximus ad annum 1054.

a T. LXXX. pag. 92. n. 28.



APPEN-



APPENDIX
TOMI SECUNDI
ANNALIUM
CAMALDULENSIUM

Vetera Monumenta & Diplomata complectens.

I.

Bulla Paulli pp. II. qua jurisdictioni ecclesiæ Ravennatis denuo subjicit monasterium sancti Hilari de Galeata.

Anno 759. nonis februarii.

Ex veteri apographo tabularii archiep. Ravennæ. Caps. A. n. 2.

Ad lib. XII. n. 27.



AULUS episcopus servus servorum Dei. Integritatem pro studio atque sollerti efficacia nostre insistit cure peragenda, inter hec vero quotiens contra equitatis ordinem quedam pro flagitata irrepserint affatim satagimus irrita studuendum exigit, & justitiæ suadit vigor oppido propagante promulgari, atque apostolice preceptionis paginam exarantes rata soliditate sanciri, quatenus scripture testimonio confert a nulla penitus cuiquam adversantium subsistat copia refragandi, sed potius inconbulsa in cunctis permaneat temporibus, ob hoc enim lucri potissimum premium ab auctore omnium Domino promerebimur, dum justitie consentaneum statuentes venerabilia loca ad meliorem fuerint sine duvio statum perducta. Ideoque petentium votis ad cultum Dei pertinentibus ultronee auctoritatis accommodamus annisum. Igitur dum divino nutu ante horum paululorum paucitatem annorum sancte recordationis dominus & germanus noster beatissimus Stephanus hujus apostolice sedis presul ad redimendam cunctam hanc Italiam provinciam, simulque & exarchatu Ravennancium de manibus gentium Francie properasset regionem, contigit eo revertente suum peragari iter per monasterium beati Ylari scitum territorio Pupuliense, cessante emulorum sevicia gratissime atque cum maxima honoris humilitate susceptus est ab Anscauso quondam Pupuliense episcopo & abbate ipsius venerabilis monasterii, & optime eumdem beatissimum pontificem.... prelatus quondam Ascausus episcopus affluenter ipsius itineris subsidia illi tribuit, & dum isdem beatissimus noster predecessor hujus apostolice sedis antistes suo laborioso certamine provinciam illam, videlicet exarchatum Ravennacium, a jugo servitutis de manibus gencium Dei providencia redemit, tunc vicissitudinem impensi beneficii eidem Anscauso episcopo irrogans prefatum monasterium diebus vite sue fruendum illi concessit, unde & nos hujuscemodi concessi presidii largitatem sub apostolice preceptionis pagina

gina confirmavimus, atque jurisdictionem ſancte noſtre ecclefie ſummiſimus eum. Nunc vero divina vocatione ipſo Anſcauſo de hac migrante luce, agnoſcentes rei veritatem, quod predictum venerabile monaſterium juris ſancte Ravennatis ecclefie a diuturnis exiſtere temporibus, ideoque perpendentes contra omnem rationem eſſe, ut ipſe venerabilis locus a ſancta Ravennate ecclefia abſtrahatur, & ſuperſcripta ea que pridem pro ejus ſubtraccione promulgata ſunt, incongrue atque inrationabiliter omnino irrita & invalida eſſe, ſtatuentes ſtatuimus, unde per hujus noſtre apoſtolice preceptionis paginam denuo ipſum venerabile monaſterium beati Vlari cum omnibus ei pertinentibus ſub jurisdictione ſancte Ravennatis ecclefie atque reverende fraternitatis tue ſucceſſorumque tuorum perpetuis atque perhennis temporibus ſtatuimus permanendum, & ut tue ..... ſanctitatis ſucceſſoribuſque tuis placuerit.... perenniter ipſe venerabilis locus diſponatur, ſtatuentes apoſtolica cenſura ſub anathematis interdicione & divini judicii obteſtatione nulli cuilibet perſone magne vel parve coquo modo licere eumdem venerabile monaſterium a jurisdicione ſancte Ravennatis ecclefie atque tue fraterne reverencie ſucceſſorumque tuorum auferre, ſed & ſi colibet monimen de eodem monaſterio contrarium ecclefie veſtre Ravennatis repertum fuerit, vacuum & inane eſſe decernimus, nullam in ſe habens firmitatem. At vero pro ampliori firmitate & cautela predicte Ravennatis ecclefie hanc promulgavimus ſancionem, & ſupraſcripte domini noſtri beati apoſtolorum principis Petri auctoritate ſtatuentes ſancimus, ſi quis ſe preſumpſerit tranſgredi aut refragari, que in hujus precepti pagina continentur adnexa, ſit innodatus anathema maranata, & à regno Dei alienus cum diabolo & ejus atrociſſimis pompis in eterno incendio concremetur. Porro, qui cuſtos & obſervator hujus noſtre extiterit pie promulgate conſtitutionis, benedictio, gratia, pax & miſericordia a Chriſto Domino Deo noſtro illi miniſtretur & vite eterne particeps efficiatur.

† BENE VALETE †

Data nonas februarias imperante domno piiſſimo auguſto Conſtantino a Deo coronato magno imperatore anno quadrageſimo, & pacis ejus anno viceſimo, ſed & Leone majore imperatore ejus filio anno ſeptimo indicione duodecima.

II.

Præceptum Berengarii regis Italiæ pro ecclefia ſancti Salvatoris in Curte-regis Veronæ.

Anno 915. prid. kl. aprilis.

Ex Monumentis eccleſiar. Veronenſium Cl. V. Johannis Baptiſtæ Blancolinii. T. II, p. 702.

IN nomine ſancte & individue Trinitatis. Berengarius divina favente clementia rex. Quia quicquid pro amore Dei agitur hoc procul dubio reſurrecturis animabus profuturum non dubitamus, id circo noverit omnium fidelium ſancte Dei ecclefie noſtriſque preſentibus & futuris, nos in curte noſtra in urbe Veronenſi juxta flumen Atheſim eccleſiam conſtruxiſſe, quam in honorem Domini Salvatoris, ejuſque genitricis dedicare cupientes res quaſdam regni noſtri pertinentes de comitatu Veronenſe maſſaritiam unam in fundo Fondens, vico ſcilicet Variano, que regitur per Dagonem liberum hominem, & terram cum vineis in loco, ubi dicitur Aqua Traverſa, & maſſaritiam unam in vico Porciles, inſuper & terram que pertinet de comitatu Vicentino in eodem loco Porciles, & regitur per Stabilem liberum hominem eidem, & devenire pro dotes ſcilicet ſecundum canonicam inſtitutionem conferentes ſtatuimus & firmiter habendum eamdem cenſemus eccleſiam, ut nullo unquam tempore, aut regalis poteſtas eaſdem res a predicta valeat ſubtrahere ecclefia, ſed in perpetuum ſtabilitate eas poſſideat & vindicet. Eo videlicet ordine, ut presbiter, qui pro tempore in eadem ecclefia fuerit ordinatus ac ad militandum conſtitutus, ipſas res uſufructuario nomine ad victitandum habeat & teneat coad vixerit, & in nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti in eccleſiam ejuſdem genetricis beate ſemper virginis Marie in epiſcopio duos cereis pro cenſu presbiter annualiter offerat. Si quis igitur, quod non credimus, contra hoc noſtre inſtitutionis ſeu conceſſionis preceptu mcontraire temptaverit, auri obrici libras centum ſolvere cogatur, medietatem camere noſtre, & medietatem prelibate ecclefie, ibique Deo militantibus. Quod ut verius ab omnibus credatur, manu propria ſubter roborantes de anulo noſtro inſigniri juſſimus.

Ad lib. XIX. 37.

Signum

Signum domini Berengarii serenissimi regis.

Johannes cancellarius ad vicem Ardinci episcopi & archicancellarii recognovi & subscripsi.

Datum pridie kalendas aprilis anno Dominice incarnationis DCCCC. XV. regni vero domini Berengarii serenissimi regis XXVIII. indictione III. Actum Verone in Dei nomine feliciter. Amen.

III.

Literæ Guidonis Arretini monachi ad Michaelem monachum Pomposianum, quibus eum certiorem facit de ejus colloquio cum Johanne papa circa novum suum adinventum artis Musicæ.

Circa annum 1026.

Ex codice monasterii VVillingensis apud Mabillonium Annal. T. IV. ad ann. 1026. *ex Baronio* T. XI. ad ann. 1022. *&* *ex Pezio* Cod. diplom. col. 223.

Ad lib. XII. n.2.

a Michaeli Guido.

BEatissimo atque dulcissimo fratri (*a*) M. G. per anfractus multos dejectus & anctus. Aut dura sunt tempora, aut divinæ dispositionis obscura discrimina: dum & veritatem fallacia, & caritatem persæpe conculcet invidia, quæ nostri Ordinis vix deserit sanctitatem, qua Philistinorum concio Israeliticam puniat pravitatem: ne, si mox fiat quicquid ut volumus, a Deo in se confidens periturus decidat animus. Tunc enim est vere bonum id quod facimus, cum nostro Factori adscribimus omne quod possumus. Inde est, quod me vides prolixis finibus exulatum, ac te ipsum ne vel respirare quidem possis invidorum laqueis suffocatum. Qua in re simillimos nos cuidam dico artifici, qui cum Augusto Cæsari incomparabile, & cunctis inauditum seclis thesaurum, flexibile videlicet vitrum, offerret, quia aliquid super omnes potuit, ideoque aliquid super omnes promereri se credidit, pessima sorte jussus est occidi, ne si, ut est mirabile vitrum, posset esse durabile, regius omnis thesaurus, qui de diversis erat metallis, fieret extemplo vilis; sicque ex illo tempore maledicta semper invidia, sicut quondam paradisum, & hoc quoque mortalibus abstulit commodum. Nam quia invidia artificis nullum voluit edocere, potuit regis invidia artificem cum arte perimere. Unde ego, inspirante Domino, caritatem non solum tibi, sed & aliis quibuscumque potui summa cum devotione ac sollicitudine a Deo mihi indignissimo datam contuli gratiam, ut quia ego & omnes ante me summa cum difficultate ecclesiasticos cantus didicimus, ipsos posteri summa cum facilitate discentes mihi & tibi, & reliquis adjutoribus meis æternam apportent salutem, faciatque per misericordiam Dei peccatorum nostrorum remissionem vel modica tantorum ex caritate oratio. Nam si illi pro suis apud Dominum devotissime intercedunt magistris, qui hactenus ab eis vix decennio cantandi imperfectam scientiam consequi potuerunt; quid putas nobis pro nostris adjutoribus fiet, qui annali spatio, aut si multum, biennio perfectum cantorem efficimus? Aut si hominum consueta miseria beneficiis tantis ingrata extiterit, numquid justus Dominus laborem nostrum non remunerabit? An quia Dominus totum hoc facit, & nos sine illo nihil possumus, nihil habebimus? Absit. Nam & Apostolus cum gratia Domini sit id quod sit, cantat tamen: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ. Securi ergo de spe retributionis, insistamus operi tantæ utilitatis, & quia post multas tempestates rediit diu optata serenitas, navigandum est feliciter. Si quid diffidit tua de libertate captivitas, rei ordinem pandam. Summæ sedis apostolicus Johannes, qui modo Romanam gubernat ecclesiam, audiens famam nostræ scholæ, & quo modo per nostra antiphonaria inauditos pueri cognoscerent cantus, valde miratus, tribus nuntiis me ad se invitavit. Adii ergo Romam cum (*b*) D. GR. ML. reverendissimo abbate, & (*c*) D. P. Arretinæ ecclesiæ canonicorum præposito, viro pro nostri temporis qualitate scientissimo. Multum itaque pontifex meo gratulatus est adventu, multa colloquens, & diversa perquirens, nostrumque velut quoddam prodigium sæpe revolvens antiphonarium, præfixasque ruminans regulas, non prius destitit, aut de loco, in quo sedebat, abscessit, donec unum versiculum inauditum sibi voti compos edisceret, ut quod vix credebat in aliis, tam subito in se recognosceret. Quid plura? infirmitate cogente Romæ morari non poteram vel modicum, æstivo fervore in locis maritimis & nobis alpestribus minante excidium. Tandem condiximus, mox hieme redeunte, me illac debere reverti, quatinus hoc opus prælibato pontifici suoque clero debeam propalare. Post paucos dehinc dies

b f. Domno Gregorio Mediolanensi abbate.

c f. Domno Petro.

dies patrem vestrum atque meum domnum Guidonem (a) PP. abbatem, virum Deo & hominibus merito virtutis & sapientiæ carissimum, ut patrem animæ videre cupiens visitavi: qui & ipse vir perspicacis ingenii nostrum antiphonarium, ut vidit, extemplo probavit & credidit: nostrisque æmulis se quondam consensisse pœnituit, & ut Pomposiam venit, veniam postulavit, suadens mihi monacho esse monasteria episcopatibus præferenda, maxime Pomposiæ, propter studium, quod modo est per divinam gratiam, & reverentissimi Guidonis industriam nunc primum in Italia repertum. Tanti itaque patris orationibus flexus, & præceptis obediens, prius auxiliante Domino volo hoc opere tantum & tale monasterium illustrare, meque monachum monachis præstare: cum præsertim simoniaca hæresi modo prope cunctis damnatis episcopis timeam in aliquo communicari. Sed quia ad præsens venire non possum, interim tibi de inveniendo ignoto cantu optimum dirigo argumentum, nuper nobis a Domino datum & utilissimum comprobatum. De reliquo domnum Martinum priorem sacræ congregationis, nostrumque maximum adjutorem plurimum saluto, cujusque orationi me miserum peccatorem commendo. Fratrem quoque Petrum memorem memoris esse commoneo, quia nostro lacte nutritus, non sine labore maximo, agresti vescitur hordeo, & post aurea pocula vini confusum bibit acetum.

a Pomposianum

IV.

Ejusdem Guidonis literæ ad Theodaldum episcopum Aretinum de eodem argumento.

Circa annum 1026.

Ex Baronio Annal. T. XI. ad ann. 1022. *& ex codice Uticensi apud Mabillonium, ut supra.*

(b) Diuturnitate moris, totiusque prudentiæ fulgore clarissimo, dulcissimo patri & reverendissimo domino Theodaldo, sacerdotum ac præsulum dignissimo Guido (c) suorum monachorum utinam minimus quidquid servus & filius salutem.

Dum solitariæ vitæ saltem modicam exequi cupio quantitatem, vestræ benignitatis dignatio ad sacri verbi studium meam sibi sociari voluit parvitatem, non quod vestræ desint excellentiæ multi & maxime spectabiles viri & virtutum effectibus abundantissime roborati & sapientiæ studiis plenissime adornati, qui & commissam plebem una vobiscum competenter erudiant, & divinæ contemplationi assidue & ferventer inhæreant; sed ut meæ parvitatis & mentis, & corporis imbecillitas misera vestræ pietatis & paternitatis fulciatur munita præsidio, ut si quid mihi divinitus utilitatis accesserit, vestro Deus imputet merito. Qua de re cum pro ecclesiasticis utilitatibus exercitium musicæ artis, pro quo, favente Deo, non incassum sudasse me memini, vestra jussit auctoritas proferri in publicum, ut sicut ecclesiam beati episcopi Donati & martyris, cui Deo adjutore, jure vicario præsidetis, mirabili nimium schemate peregistis, ita eidem ministros ecclesiæ honestissimos, decentissimoque quodam privilegio cunctis fere per orbem clericis spectabiles redderetis. Et revera satis habet miraculi & optionis, cum vestræ ecclesiæ etiam pueri in modulandi studio perfectos aliorum usquequaque locorum superent senes. Igitur nostri quoque meriti per hæc plurimum cumulabitur celsitudo, cum post (d).... patrem tantæ ac talis ecclesiæ per vos studiorum provenerit claritudo. Itaque quia vestro tam commodo præcepto nec volui (e)..... nec valui, offero solertissimæ paternitati tuæ musicæ artis regulas, quanto lucidius & brevius potui explicatas, philosophorum, neque eadem via ad plenum, neque eorumdem insistendo vestigiis, id solum procurans, quod ecclesiæ opportunitati nostrisque subveniat parvulis. Ideo enim hoc studium hactenus latuit occultatum, cum revera arduum videretur, ut est, a quolibet humiliter explanatum. Quod qua occasione olim aggressum, quave utilitate & intentione, perpaucis absolvam.

Cum me & naturalis conditio, & locorum mutatio communis utilitatis diligentem faceret, cœpi jure cogitare aliam musicam pueris tradere, tandem affuit divina gratia, & quidam eorum imitatione cordæ & nostrarum notarum usu exercitati, ante unius mensis spatium, versus & inauditos cantus ita primo intuitu indubitanter cantabant, ut maximum plurimis spectaculum præberetur; quod tamen, qui non potest facere, nescio qua fronte se musicum vel cantorem audeat dicere. Maxime itaque dolui de nostris cantoribus, qui etsi centum annis in canendi studio perseverent, num-

Ibidem.

b *Divini muneris, totiusque* &c. Cod. Utic.

c *Utinam servorum suorum minimus*, Ibid.

d *Post priores patres*. Codic. Utic. Ibid.

e *Contraire nec valuit*. Cod. Utic. Ibid.

numquam tamen vel minimam artem per se valent afferre, semper discentes, ut ait (a) Apostolus, numquam ad scientiam veritatis pervenientes. Cupiens itaque tantum nostrum studium in communem utilitatem expendere, de multis musicis argumentis, quæ, adjutore Deo, per varia tempora quæsivi, quædam, quæ cantoribus proficere credidi, quanta potui brevitate perstrinxi, quæ enim ad canendum minus prosunt, aut si quæ ex iis, quæ dicuntur, valent intelligi, nec memoratu digna judicavi, non curans de his, si quorumdam livescat invidia, dum quorumdam proficiat disciplina.

a II. Tim. 3.

V.

Teutha ædificat pro virginibus monasterium sancti Matthæi juxta Pisas.

Anno 1027. xv. kl. junii.

Ex archivo ejusdem parthenonis.

Ad lib. XI. n. 11.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesi. vigesimo septimo, quintodecimo kalendas junii indictione decima. Manifesta sum ego Teutha mulier Idilberti, qui Albitho vocatur, & filia bone memorie Henrici, quia consentiente mihi infrascripto viro meo, ubi & secundum legem interesse videtur notitia Gesberti judicis domini imperatoris, a quo secundum legem interrogata & cognita sum, eo quod nulla me passa sum violentia, sed pura & integra mea bona voluntate sequens edicti paginam per hanc chartulam offersionis pro anime mee remedio, & pro remedio anime ipsius Albithonis viri mei, & filii bone memorie Ermingarde, seu pro remedio omnium peccatorum meorum optimum duxi componere, & edificare in proprio territorio meo monasterio puellarum sancti Benedicti abbatis, & sancti Matthei apostoli & evangeliste, & sanctorum Cosme & Damiani, & sancte Lucie foris civitate Pisa in loco & finibus, ubi dicitur Suartha, prope fluvio Arno non longe a suprascripta civitate, ubi nunc domnus Bonus reverentissimus abbas preesse videtur. In primis offero, dono, trado consentiente mihi suprascripto viro meo, tibi omnipotenti Deo ad honorem sancti Benedicti abbatis, & sancti Matthei apostoli & evangeliste & sancti Cosme & Damiani, & sancte Lucie, idest una petia de terra mea illa cum suprascripta ecclesia super se habentem, & hortum & terram laboratoriam infra se & super se habentem totam insimul amembratam, que est posita in suprascripto loco & finibus Suartha, & non longe de jam dicta civitate, & prope suprascripto fluvio Arno, & tenet unum caput cum uno latere in via publica recta fluvii Arno, & aliud caput cum alio latere tenet in terra mea, quam mihi reservo, quomodo signa ibi posita sunt. Hanc istam petia de terra cum jam dicta ecclesia sancti Matthei apostoli & evangeliste, & sancti Benedicti, atque sanctorum Cosme & Damiani, & sancte Lucie, seu hortum & terra laboratoria intra se & super se habentem cum fundamento & omne edificio suo, qualiter ab omni parte circumdata est per designata loca, que est insuper tota ad justam perticam mensurata stariorum triginta & duo in integrum, cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressionibus suis, & cum omni jure & proprietate sua, consentiente mihi suprascripto viro meo, offero, dono, trado tibi omnipotenti Deo & sancto Benedicto, & sancto Mattheo apostolo & evangeliste, atque sanctis Cosme & Damiano, & sancte Lucie, excepto & antepono exinde ex partibus Orientis juxta viam publicam, que percurrit ad dictum fluvium Arnum, que est per transversum ad pedem, qui dicitur Liuprandi regis, pedes viginti quatuor usque ad suprascriptam petiam de terra, quam mihi reservo, in qua Ursus massarius ibidem residere & habitare videtur. Item offero consentiente mihi suprascripto viro meo, dono, trado tibi Deo omnipotenti & supradicte ecclesie & monasterio sancti Benedicti, & sancti Matthei apostoli & evangeliste, & sancti Cosme & Damiani, & sancte Lucie has tres petias de terra mea illa, quam habeo unam ex ipsis in loco & finibus, ubi dicitur subtus muro vetere, & vocitatur Vignale, que tenet ambo capita cum ambobus lateribus in terra Comitarum, & est pro mensura ad seminatura sextajora vigintiquatuor, & illa alia petia de terra ubi vocatur ad Furcam, & non longe de loco ubi dicitur de Ganglo, & est tenens unum caput in via publica, & aliud caput cum ambobus lateribus in terra mea, quam mihi reservo, & de consortibus meis, quomodo fossa intermedia esse videtur, & est pro mensura & ad seminaturam sextariorum quadraginta, & illa tertia petia de terra in loco & finibus, ubi dicitur Agello,

gello, & prope loco, ubi vocitatur Palanca, que petia ipsa de terra, que est vignale, tenet unum caput cum uno latere in via publica, & aliud caput tenet in terra & vignia ecclesie & episcopatus sancte Marie, & aliud latus tenet in terra mea, quam mihi reservo, quomodo signa ibi posita sunt, & in aliquantulo tenet in terra suprascripte ecclesie sancte Marie, & est per mensuram ad seminaturam sextariorum duodecim. Has suprascriptas tres petias de terris in predictis locis qualiter ab omni parte circumdate & mensurate sunt per designata loca in integrum cum inferioribus suarum & superioribus suarum, seu cum accessionibus & ingressionibus suarum, tibi omnipotenti Deo, & jam dicto sancto Benedicto, & sancto Mattheo apostolo, & sanctis Cosme & Damiano, & sancte Lucie, consentiente mihi suprascripto viro meo offero, dono, trado, & si plus de meo jure & dominio de predictis tribus petiis de terris, que superius leguntur, aliquando in aliquo tempore plus inventa fuerit, quam ut supra per mensuram legitur, in integrum cum inferioribus & superioribus suarum & ingressionibus tibi omnipotenti Deo & jam dicte ecclesie offero, dono, trado, & per presentem (a) cautelam offertionis in istam ecclesiam confirmo in libertatem omnium personarum ibidem persistentium, consentiente suprascripto viro meo, in vos confirmo. Sed taliter volo atque instituo, ut neque ego, que sum Theuta, neque meus heres, neque ullus de mea cognatione non habeamus potestatem aliquam de suprascriptis petiis de terris cum jam dicta ecclesia sancti Benedicti, & sancti Matthei apostoli & evangeliste, & sanctorum Cosme & Damiani, & sancte Lucie, neque de omnibus illis rebus & terris ad eamdem ecclesiam pertinentibus, aut que ibi in antea pertinere videbuntur, nec vendendi & donandi, neque per ullum ingenium alienandi, sed semper in ista ecclesia libere omnia persistant, eademque ratione & libertate, quod numquam in aliquo tempore obsurgat ulla potestas tam regis quam ducis, seu marchionis, sive episcopi atque abbatis, vel qualiscumque personarum potestas ad dicendum, quod absit, quod suprascripta petia de terra cum jam dicta ecclesia sancti Matthei apostoli & evangeliste, & sanctorum Cosme & Damiani, & sancte Lucie ibi consistentium, neque de omnibus illis terris ad eamdem ecclesiam pertinentibus, aut de omnibus, que ibi in antea pertinentia fuerint, dicendum quod de publico pertineat, aut in publico revocare valeat. Preterea volo atque instituo suprascripto viro meo consentiente, ut ego que sum Theuta, vel mei heredes & proheredes usque in perpetuum simus vocati in suprascripta ecclesia & monasterio ad abbatissam mittendam, qualem congregatio meliorem elexerit, ut nihil exinde premium accipiat, & si de ipsa congregatione talis non inventa fuerit; tunc qualem meliorem aliunde invenire poterit, ipsa congregatio ibi eam abbatissam mecum vel cum heredibus meis eligat & constituat, ut dictum est sine aliquo premio. Et si ego vel meus heres, vel aliqua persona aliquid inde accipere voluerit, vel aliquem amorem ibi attenderit, nisi quoad anime salutem, & loci utilitatem, & congregationis voluntatem pertineat, tunc predicta congregatio libere abbatissam qualem meliorem providerit, eligat, & constituat sine aliqua adsistente persona. Denique volo atque instituo consentiente suprascripto viro meo, ut predicta ecclesia & monasterium sancti Matthei apostoli & evangeliste, & sanctorum Cosme & Damiani, & sancte Lucie cum suprascriptis petiis de terris & cum fundamento, & cum omnibus edificiis suis & aliis rebus ad eamdem ecclesiam pertinentibus, aut que ibi in antea pertinentia fuerint, sit in potestate abbatisse, que pro tempore ibi a suprascripta congregatione electa fuerit, habendum, tenendum, fruendum, regendum, gubernandum, ordinandum, seu officiandum, & ritum sancti Benedicti abbatis ibi in perpetuum faciendum, & querendum, & defendendum pro pugna, & sacramenta cunctis requisitionibus secundum legem ea omnia, quomodo ad suprascriptam ecclesiam pertinent, vel in antea pertinere debent. Ita tamen ut nulla abbatissa, que pro tempore ibi ordinata fuerit, non habeat potestatem, neque licentiam de rebus illis, que ad eamdem ecclesiam & monasterium sancti Matthei apostoli & evangelistæ, & sanctorum Cosme & Damiani, & sancte Lucie pertinentes sunt, vel pertinere debent, nec dandi, nec vendendi, neque alienandi, neque per precariam, nec permutationis cartulam, nisi causa meliorandi, sicut lex continet, nisi tantum per libellum, & si aliter factum fuerit, irrita sit ipsa traditio, & venditio, quia sic mea decrevit voluntas. Sed tantummodo supradicta ecclesia habeat, detineat, firmiterque possideat ad sumptum seu dispendium cunctarum monacharum, tam que modo ibi militant, quam que in antea ibi Domino

(a) Lege chartulam.

no militare debent, faciendum de fructibus & de laboribus, seu censuum atque redituum, que Dominus annue dederit legaliter & rationabiliter quidquid ei melius provisum fuerit. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego que sum Theuta, vel meus heres, vel proheres, quod absit, seu quelibet persona fuerit, que contra hanc paginam offertionis venire quandoque tentaverit, aut eam infringere seu disrumpere quesierit, & si non permiserit remanere sic, ut supra legitur, tunc sit compositurus ille heres vel proheres meus, qui hoc facere presumpserit, ad partem suprascripte ecclesie & monasterii sancti Matthei apostoli & evangeliste, & sanctorum Cosme & Damiani, & sancte Lucie, aut illi abbatisse, que pro tempore ibi ordinata fuerit, penam auri optimi libras centum, qua pena data atque soluta hec presens cartula offertionis, ut dictum est, in sua permaneat firmitate & robore, soluta suprascripta pena & obligatione, & insuper habeat Dei maledictionem ejusque genitricis Marie, & omnium sanctorum & sanctarum Dei, qui hoc infringere quesierit sive heres, sive meus proheres, aut rex, vel dux, sive marchio, comes, aut quecumque personarum potestas, nec vivus munera capiat, nec mortuus sepulcrum habeat, & illud accipiat donum, quod Judas recepit in dolum, & sic damnatus cum Caipha & Pilato ad dexteram numquam sedeat, sed ad sinistram resurgat, Abrahe sinu nunquam recipiatur simul cum mendico, sed cum divite in inferno simul ardeat, quia mea sic confirmavit voluntas pro mercede & remedio anime mee & jam dicti Ildiberti viri mei, seu pro remedio omnium peccatorum meorum. Hanc chartulam offertionis mee paginam Johanni notario domini imperatoris scribendam dedi atque rogavi, & etiam sibi testibus obtuli ad roborandum.

Actum Pisa.

Signum manus suprascripte Theute, que hanc chartulam offertionis pro mercede, & remedio anime mee fieri rogavi.

Ego Ildibertus, qui Albitho vocor, vir ipsius Theute consentientes.

Ego Andreas rogatus testis.

Gosbertus judex domini imperatoris interfui.

Pandolfus notarius domini imperatoris interfui.

Johannes notarius domini imperatoris post tradita complevi & dedi.

VI.

Jacobus episcopus Fesulanus monasterium sancti Bartholomæi prope Fesulas pluribus bonis & ecclesiis ditat.

Anno 1028. IIII. kl. martii.

Ex Ughellii Italia sacra. T. III. col. 224.

Ad lib. XI. n. 14.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus vigesimo octavo post mille, imperiique Conradi Romanorum imperatoris augusti primo IIII. kal. martias indictione XI.

Opportunum valde est humani generis universitatem de eterne felicitatis beatitudine semper cogitare, ac justis operibus insistendo, eterni regis gloriam volentibus animis desiderare. Idcirco ego Jacobus sancte Fesulane ecclesie episcopus, ex genere videlicet Bajovariorum, manifestus sum, sicut multis patet hominibus, quod postquam felicis memorie D. Henricus imperator hanc predictam sedem mee parvitati ad regendam commiserit, & successorem Regembaldi ejusdem sedis episcopi me esse voluit, tota intentione, & studioso opere ad reparandum mee ecclesie quasi jam perdite & desperate honorem animarum intendi, siquidem ut vera manifestum est ratione foris a pravis conculcata hominibus, intus vero negligente squallore fedatur, clericorum ordine inculta manebat. Erat enim episcopatus longe a predicto oppido, atque difficultate itineris per devexi montis latus, raro a clericis frequentabatur. In hac siquidem ecclesia corpus beati Romuli martyris cum pluribus aliis martyribus confessoribus quiescebat. Decrevi igitur mecum, atque sapientum consilio habito prius, juvante Domino, intus meam ecclesiam ordinavi, atque de loco, in quo sanctum corpus predicti martyris fuerat, sedem episcopatus auferens, volentibus clericis & laicis simul cum predicti martyris sacro corpore, intra urbem Fesulanam episcopatus cathedram locavi, & quoniam predictus locus multorum Sanctorum remanserat honore decoratus, multorumque episcoporum tumulis insignitus, non passus sum tantum decus oblivioni tradere, atque perpetua abolitione delere. A prudentibus ergo viris consilium accepi, atque multis vicibus per revelationem admonitus sum, ut in eodem loco monasterium facerem, ubi episcopatus honorem, simulque cathedram abstuleram. Feci igitur ini-bi

bi monasterium per consilium & jussionem domini Johannis summi pontificis & universalis pape, simulque domini Conradi piissimi imperatoris, ejusdemque conjugis Gisle serenissime imperatricis, atque consilio religiosorum episcoporum, sapientumque laicorumque, consecravi denique predictam ecclesiam, quam ipse destrueram, atque vocabulo Sanctorum secundum hunc ordinem mutavi, majus vero altare, quod ad honorem sancti Petri consecratum fuerat, sancti Bartholomei apostoli nomine dedicavi, alterum vero, quod ad honorem sancti Romuli fuerat, ex nomine sancti Stephani vocavi, & juxta nostre qualitatem possibilitatis reverenter recondimus, & quomodolibet ibidem Deo servientes vivere potuissent, ordinavimus. Ego siquidem Jacobus ipsius sancte Fesulane ecclesie presul indignus pro Dei amore, meeque remedio anime, speque remunerationis future, & pro animabus antecessorum meorum & successorum episcoporum istius sancte Fesulane ecclesie & civitatis, nec non pro anima bone memorie Henrici imperatoris, seu pro anima domini Conradi imperatoris, sueque preclare conjugis Gisle, & filiorum ejus, atque pro animabus imperatorum sive regum istius Italici regni, seu pro animabus omnium illorum, qui de suis rebus ad prelibatum monasterium dederunt, vel daturi sunt, & pro omni populo Christiano, sepedictam sancti apostoli ecclesiam, sancti Petri & sancti Romuli propriam, que sita est infra territorium de plebe sancti Alexandri sita in civitate Fesule, ad monasticum ordinem confirmo, atque una cum consensu & auctoritate sacerdotum, clericorum, atque omnium canonicorum, totiusque cleri, necnon & cum benevolentia laicorum istius Fesulane civitatis, de prediis nostre ecclesie ad recreandam necessitatem fratrum ibidem sub regula vel abbate Deo servientium perpetualiter concedo, locum videlicet, in quo positum est ipsum monasterium cum terris & vineis circa ipsum monasterium & cemeterium ipsius ecclesie totum ab uno tenentes; item decernimus terris & vineis & rebus illis, in quo loco predicta ecclesia & monasterium sancti Bartholomei apostoli sita est, & ad perticas de duodecim pedes, qui dicitur Luitprandi. Res justemensurate, qua de uno latere decurrit ejus fluvio Munione, habentes exinde perticas quinquaginta septem & pedes uni; ex alio latere terra sanctorum Petri & Romuli inter medio casale, & muricia & via decernit, & ex latere angulato habentes exinde perticas centum septem; ex tertio latere ipsius sancti Petri & sancti Romuli inter medio muricia & signaida decerni, habentes deinde perticas quatuordecim & pedes tres; ex quarto latere terra & vinea domnicata ipsius sancti Petri & sancti Romuli inter medio casale & signaida decerni, & ex alia parte decurrit eis via habentes exinde perticas nonaginta & sex; simul ibidem concedo unam petiam terre, quod est Prato ibique propinquum, & ab ipsa petia legitima mensurata, ex uno latere fini prefata terra, quod in ipso monasterio concessi, habentes exinde perticas tredecim, ex alio latere sancti Petri, & sancti Romuli inter medio signaida decernit, habentes exinde perticas triginta, ex tertio latere via decurrit habentes exinde perticas sex; ex quarto latere terra ipsius sancti Petri & sancti Romuli inter medio signaida decurrit decernitur, simul exinde sunt perticas triginta, necnon terra & sylva, ubi nominatur Carege, qui ex duobus lateribus sancti Johannis de civitate Florentie, & terra sancti Petri & sancti Romuli, quam detinuit Davisio vicedomino & Petrus germano suo, & alie due parti via decurrit, & quatuor mansas, una que vocatur Cannito, quam detinet Martino, alia in loco Cava, quam detinet Petro, tertia in loco Carege, quam detinet Martino Acti, quarta vero in loco Vallaja, *quam detinet Gherardo presbiter cum terris & vineis & castaneto, ibique que sunt domnicate, & quinta sorte in loco Vallaja, quam detinet Johannes filio Boniti. Do & concedo in eodem monasterio, simul constituo, atque simul concedo cenobium sancti Salvatoris situm in loco Alina infra comitatu Pistoriensi, quem ego prefatus Jacobus episcopus ad bonam memoriam domini Henrici imperatoris per sui prescripti paginulam cum rebus ibidem pertinentibus pro prelibato episcopatu nostro sancti Petri & sancti Romuli acquisivi, & in eadem ecclesia & monasterio do medietatem de curte & domnicato in predicto loco Alina, cum medietate de sorte & rebus ad eamdem curtem pertinentibus, necnon & curte & ecclesia sancti Salvatoris integra, que est posita juxta fluvium Bisentium una cum integris casis, sortibus, & domnicatis ad eamdem curtem & ecclesiam pertinentibus, atque ecclesia & oratorio sancti Potiti in loco & vocabulo Montepuli cum terris & omnibus rebus ibidem pertinentibus in eadem ecclesia & monasterio do & concedo se ..... & ecclesiam, que in honorem sancti

* Lege tres.

cti Hilarii cum sua pertinentia in loco & vocabulo in eodem monasterio confirmo. Curte integra quoque, que vocatur sancto Domnino prope Fluvium arnum, cum sortibus, domnicatis, terris & rebus illis ad eamdem curtem pertinentibus in prefato monasterio concedo & confirmo. Et manso uno in loco Petriolo, ubi, & ripa vocatur, quas jam detinuerunt Sichelmo, & Willelmo germani filii...... viventi & alio manso in loco Biviliano, quibus jam detinuerunt Raynerii filii olim Gherardi & Gheitio filio suo, & medietate de ecclesia ibique, quod est in honorem sancte Marie, & una cum domnicato & rebus ibidem pertinentibus, & integra ecclesia cum terris & rebus ibidem pertinentibus, cujus est vocabulo sancti Andree in loco, qui dicitur Ripalta, a predicto monasterio sancti Bartholomei concedo atque confirmo; & ecclesia sancti Donati in Franzano cum territorio & decimationibus suis concedo & confirmo. Idcirco prenominatis curtibus, ecclesiis, domnicatis & mansis, terris & vineis, ut supra leguntur, cum omnibus suis pertinentiis, casis, curtibus, sortibus, & domnicatis, cum omnibus suis edificiis, vel omnia supra se & infra se habentibus, ubicumque exinde pertinentibus esse inveniantur una cum (a) sex servis, hec sunt nomina eorum: Rodulfus filius Benitrude, Petrus filius Ursi bone memorie, Teuzo filius bone memorie Petrini, & insimul do & concedo in ipso monasterio integram sortem, & res in loco Fontanula, quam detinet filius Petri jam dicto monasterio do & concedo atque confirmo. Hæc omnia, que prescripta habemus sancti Bartholomei apostoli, suoque monasterio & queque illuc unquam dedi vel donaturus sum per hujus chartule scripturam perpetualiter confirmo & pro Dei amore felicisque retributionis, ut in futuro exinde remunerari merear de meis usibus presentialiter subtraho, & in potestatem, usumque predicti monasterii sancti Bartholomei apostoli, & abbatis, qui ibidem pro tempore ordinatus fuerit, necnon & spiritualium fratrum, quos sibi Deus in eodem loco congregare dignatus fuerit, in integrum possidenda concedo, necnon & firmiter constituo, ut nulla persona hominum de predicto monasterio, seu de prefatis rebus potestatem aut aliquod dominium ullo modo tenere possit, excepto abbate, quem ego cum meis successoribus ad jus atque sub defensione sancti Petri & sancti Romuli ibidem ordinamus. Ego quoque Jacobus episcopus cum communi consilio, atque electione nostrorum clericorum & fidelium laicorum, abbatem in eodem monasterio per pastoralem baculum investiens constitui Leonem monachum atque presbyterum, ut ab hac hora, quousque vixerit, sit abbas monasterii sancti Bartholomei apostoli, habeatque potestatem per meum consensum, seu successorum meorum de predictis rebus, vel monasterium secundum Deum recto moderamine quicquid voluerit facere. Abbates vero, qui sibi in prescripto loco vicissim succedunt, vel per socium intrant, stabili lege confirmo. Item quod cum donum sancti Spiritus, quod cum gratia spirituali debent acquirere per unicam non teneant pecuniam emere, reguleque prescripta in omnibus studeant observare, & subditos eadem doceant facere, quod si quis umquam hoc Dei donum presumpserit vendere aut emere, omnium canonum excommunicationibus subjaceat, & cum Simone mago perpetuas penas tormenti sentiat. Quod si forsitan quis meorum successorum hanc meam sibi maledictionem non nocere contendit, evangelica rescripta animo revolvat, canonumque, atque antiqua decreta memorie tradat, & se sine mea maledictione maledictum esse cognoscat. Quia vere certissime scio, quod naturaliter Angelos non habeo successores, sed homines, ut ego sum, mortales, deprecor humiliter eos, qui sibi vicissim in nostra sede succedent, ut hoc opus, quod pro mea, ipsorumque salute incoavi, & perficiendo secundum meum posse curavi pro Dei omnipotentis amore, & pro eadem, qua ego profeci, future remunerationis spe in melius semper crescere faciant, fratrumque necessitatibus sedulo ministrent: si quis vero cujuscunque ordinis hanc suprascriptam chartulam negligere aut contemnere presumpserit, & que in ea roborata sunt, destruere voluerit, componat auri libras ducentas ad predictum monasterium sancti Bartholomei apostoli. Hanc vero chartulam vero Ugo notarius scribendo atque laudando confirmavi.

Acta Fesule.

Ego Jacobus sancte Fesulane ecclesie episcopus, que supra leguntur, confirmando ss.

Ego Regembaldus primicerius consensi & subscripsi.

Ego Petrus presbiter & canonicus subscripsi.

Ego Petrus judex domini imperatoris interfui & ss.

Ego Raynerius archidiaconus confirmando consensi & subscripsi.

Ego Petrus presbiter & cantor subscripsi.

(a) Lege *tres*.

Ego Andreas presbiter canonicus subscripsi.

Ego Adalbertus judex in hac chartula manu mea hic subscripsi.

Ego Teuzo presbiter & canonicus consensi & ss.

Signum manus Johannis, qui & Gorbulo vocatur, rogatus ss.

Signum manus Widi filii olim Berardi rogatus ss.

Signum manus Bellini filii olim Gherardi rogatus ss.

Ego Ugo notarius scriptor post tradita complevi.

VII.

Charta donationis terrarum factæ monasterio sancti Victoris de Clusis.

Anno 1028. mense augusti.

Ex autographo archivi sancti Blasii de Fabriano.

Ad lib. XI. n. 17.

IN nomine Domini .... anni Domini .... Domini nostri Jesu Christi quod sunt .... te domno Conradu magno imperatore ordinante provid........ augusto, anno ejus primum & temporibus .... dux & marchio anno ejus sesto & die mense..... ne undecima. Ideoquem nos q......ctis ....mu filius quondam Berto..... .....semsu & voluntate da fratris sui... .... in presentia multorum inter nostra bo........ nostram lege dedimus atque tradedimus .... filium quondam Johannis per pretium denariorum....... .....ta infra ducatu Spoletino infra...... Petrosum in locum qui dicitur Victurianu redeti.........mus nos suprascripti inominati tibi suprascripto u....... cartulam...........ome de....jura de acti, & de Ingrezo, & de Adamo........ma nostra ipsa res nostra infra loca vel vo... ......confine terra..........& a secundum latere ....ipsa casa de na..... .....dum.........anso, a quarto latere de.......... fuerit........quod est ipsa res suprascripta........de ipsa petia in ipsa suprascripta vinea.........in integrum cum omnia, que infra se vel..... .....in integrum, itaut ab odiernum die .... possidere & facere quod vobis ....& dedimus & opbligavimus... ...... nostrisque eredis tibi suprascripto Vitale.........& si contra ista cartula ....& de........causare, retollere ex minuare....*&c.*........ Cesu scabino &........complevit.

VIII.

Præceptum Conradi regis pro monasterio Classensi sancti Severi.

Anno 1029.

Ex autographo Classensis monasterii S. Apollinaris.

Ad lib. XI. n. 18.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Chonradus superne pietatis munere rex. Oportet regalem excellentiam quanto altius elevatur culmine, tanto prolixius cultui deservire divino. Idcirco omnium sancte Dei ecclesie, nostrorumque fidelium presentium scilicet ac futurorum noverit universitas, qualiter nos pro Deo animeque nostre remedio largimur, confirmamus & firmiter corroboramus dilecto nostro fideli abbati Bonizo sancti Severi archiepiscopi Ravenne suisque successoribus in perpetuum omnes res & possessiones monasterii sancti Johannis in Armenia & sancti Stephani Attitu, que sunt site in civitate Classis, & omnes possessiones sanctorum Gaudentii, Sergii, Theodori, & sancte Agnetis, & sanctorum Cosme & Damiani, que monasteria sunt sita in civitate Classis, cum omnibus rebus & possessionibus eorum atque pertinentiis, tam in civitate Classis, quam extra vobis concedimus. Monasterium quoque sancti Pullionis, & monasterium sancte Marie Senodochie sita in civitate Ravenne cum possessionibus & rebus eorum. Et monasterium sancti Thome apostoli positum foris porta sancti Laurentii cum omnibus rebus & possessionibus suis, vel in civitate Ferrarie & in suburbiis suis, aut in comitatu ipsius in loco, qui dicitur Canaro cum ipso fundo integro, & ecclesiam sancte Sophie in eodem fundo fundata, cum omnibus rebus & possessionibus suis, & cum colonis & habitatoribus suis, & totum fundum Rustizane cum ceteris fundis ad ipsam ecclesiam pertinentibus. Preterea confirmamus vobis insulam vestram donicatam a Badaleno usque ad Candianum una cum pascuis & piscationibus ac venationibus suis, & dimidiam portam sancti Laurentii cum ripis fluminum usque ad palacium Theodorici regis. Sancimus quoque predicto monasterio beati Severi monasterium sancti

cti Laurentii, quod est situm in fundo Foliano, qui la Petula vocatur, & dicitur a Castagnola, cum castro suo, cum omnibus rebus & possessionibus suis, & cum colonis vel habitatoribus, & fundum Farnasclum, & medietatem silve de Guardengo, & mobam sancti Laurentii, & fundum Lecese, & unam partem de molfa de Savino, & ecclesiam sancte Marie, que est fundata in fundo de lo re morto cum ipso fundo integro, & cum tota sua insula, & ecclesiam sancti Blasii, que est in ipsa insula cum suis habitatoribus, & fundum le Lenze, & fundum le Coni, & fundum le Macle & insula, que dicitur a lama casa cum curte sua, & habitatoribus, & molendinis & aquarum cursibus. Item fundum sanguinetum integrum, & ecclesiam sancti Johannis, que est posita in fundo Acuano, que Terra alta vocatur, cum ipso fundo integro & cum omnibus suis pertinentiis, & fundum Felcaretum & rotam Marzanessam & Rovetale. In comitatu vero Senogallie ecclesiam sancti Johannis, que est fundata in fundo Pergomato, cum ipso fundo integro, & cum molendino suo, quod est in rivo Trepontii. Insuper cellulam sancti Benedicti de Castagnola, que est fundata in fundo Brazale cum ipso fundo integro, & fundum Ingiltruda cum molendinis & aquimolis, & aquarum cursibus & salettis, & cum ripa fluminis, & fundum de padule totum integrum, & aliam cellam sancti Andree apostoli sitam in fundo Campoliuli cum omnibus rebus & possessionibus suis, & unum mansum in fundo Campore, qui fuit de filiis quondam Fuscari, & fundum Laureti majoris & minoris, & montem Lovicum, & fundum Fontanelle, & fundum Puriola, que Petretula vocatur, & fundum sancti Marcelli. In comitatu vero Ancone monasterium sancte Marie, quod est fundatum in fundo Tugano cum omnibus rebus & possessionibus suis, & cum ipso fundo integro, & fundum Ancarianum integrum, & fundum Casanaulam, & fundum Basiliago, & fundum Azano, & fundum Livalli & fundum Monte de abbate, & fundum de Sala, & fundum de Valle locosa, & fundum de Camorata cum ecclesia sancte Marie ibi fundata, & fundum Cornaleto & fundum monte Valentino, fundum Trujano, & Vianello, & fundum Rovetulo & Castellano, & fundum Rupicellum, & fundum de Arano, que dicitur Casileclo, Cenzago, Presenzano, Rovetale, Frasineto, Lamucla, Briugno, & suis pertinentiis, & ecclesiam sancti Angeli in Casaleclo cum suis pertinentiis, & totam insulam de Casaleclo cum suis habitatoribus, & cum passagio e reditu de ponte de Casaleclo; & insuper vobis concedimus castrum de li Masi cum suis habitatoribus, & cum curte sua & districtu, & fundum de Faldo medium, & ecclesiam sancti Angeli, que est fundata in fundo Turricella cum suis pertinentiis, & medium fundum de Lamecle cum suis pertinentiis, & fundum Mimanum integrum cum castro suo, & ecclesiam sancte Marie, que est fundata in predicto fundo Mimano, & fundum Corzanum integrum. In comitatu quoque Esino de jure supradicti monasterii sancti Johannis & Stephani Attitu ecclesiam sancti Stephani in Limizano cum omnibus suis pertinentiis, & totum fundum Gorgonianum, & fundum de Mezo, & fundum Bazzati, fundum monte Ladiacono, & fundum Saturniano. In comitatu vero Senogallie de jure predicti monasterii sancti Johannis & Stephani Attitu castrum de la Fratta cum hedificiis & curte & districtu suo, & cum ecclesia sancti Johannis de Cassano cum pertinentiis suis, & undecim uncias principales de fundo Cassano, & totum mansum, quem habuit Bucco in supradicto fundo, & fundum de Pozzo, & in fundo de Vacario septem uncias principales, & in fundo Albiniano sex uncias principales, & in fundo Sicco quatuor uncias principales, & in fundo Catiliano novem uncias principales. Hoc eodem jure concedimus vobis tertiam partem de castro de Luzano cum curte sua & districtu, & tres uncias principales in fundo de la plana, & ecclesiam sancti Johannis, que est fundata in fundo Cornutula, & tres uncias principales in predicto fundo de Cornutula, & in alio loco Alisino novem uncias principales integras, & unum fundum, qui dicitur Palumbice. Volumus etiam & precipimus predictum monasterium ab omni datione, functione, albergaria, pedagaria & ripatico liberum esse & absolutum. Insuper vero eidem sacro loco concedimus, ut ab hinc aldionis sive aldiones, sive quilibet servientes ad nullum placitum vadant, nullamque districtionem, nisi in dominium & districtionem abbatis ejusdem monasterii. Sed liceat abbatem vel monachos pro Dei amore animeque nostre remedio sub nostre tuitionis protectione quiete vivere & Deo famulari, & pro nobis Dominum deprecare, omnium hominum contradictione remota. Sancimus autem ut nostra imperiali auctoritate, ut quicumque de possessionibus predicte ecclesie sancti Severi ali-

aliquid habet vel per feudum, vel per enphyteosin, vel aliquo alio modo, non liceat ei dare vel derelinquere, vel alienare in alium venerabilem locum, & quod factum est in irritum revocamus. Volumus preterea, ut ab illa gravi & inportabili collecta, quam marchiones, comites, proceres, valvasores eis suisque hominibus imponunt, eos liberos esse. Statuentes & firmiter precipientes, ut de cetero nullus archiepiscopus, nec episcopus, neque dux, nec marchiones, comites, proceres, valvasores, nulla civitas, nullaque persona, magna seu parva sepe dictum monasterium sancti Severi ejusque rectores in bonis vel possessionibus suis molestare, vel inquietare seu disvestire presumat. Si quis vero ausu temerario hujus nostre auctoritatis edictum violare presumpserit c. libras auri se pro pena compositurum cognoverit, medietatem fisco nostro, & medietatem predicto monasterio; ut autem hoc verius credatur, & ab omnibus inviolabiliter observetur, presentem paginam scribi, & nostri sigilli impressione injunximus premuniri.

Petrus Taurinensis episcopus.
Rainaldus Cremonensis episcopus.
Johannes ducis Ravenne.

Signum manus Corradi imperatoris invictissimi.



Anno ejus tertio indictione XII.
Henricus Aprocrisarius & judex in curia imperatoris. Actum est Cremone. M. XXVIIII.

Loco ✠ sigilli cerei deperditi.

IX.

Rodulphus & Acia donant suam portionem ecclesiæ sanctæ Mariæ inter Saxa monasterio sancti Victoris de Clusis.

Anno 1029.

Ex originali archivi sanctæ Catharinæ de Fabriano.

Ad lib. XI. n. 17.

IN nomine Domini. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Cristi, quod sunt anni ...... regnante domno Chonradus magno imperatore anno .... & temporibus domno Ugo dux & marchio anno ejus sexto die mense .... indicione duodecima in Castello. Ideoquem ego Rodolfo Bononto & Acia jugale de suprascripto Bononto, sicut in capitulare domni imperatoris permittitur, ut mulier per consensum viri sui licentiam & potestatem abeat..... propterea justa capitulare ego suprascriptus Rodolfo..... vindedit ad suprascripta Acia jugalem mea, & nos anbo in simul communiter nostra bona expontanea voluntate secundum nostra lege Langobardorum pro redencione & absolucione anime nostre, & ut advenientes nos ante tribunal Cristi mercedem a Domino recipere mereamur, propterea dedimus & ad presentem die tradedimus nos suprascripti jugali tibi domno Acto abbas de monasterio beato sancto Victore, idest ipsa mea porcione de ipsa ecclesia beata sancta Maria, qui edificata est inter Saxa cum muris & cellis, & libris & altario & turabulis & luminariis & cum omnia quantum ad ipsa ecclesia pertinet, insuper dedimus & tradedimus nos suprascripti jugali pro redencione anime nostre de tera nostra in locu, qui dicitur Quinzenanum modiorum unum lateribus ei de ipsa suprascripta tera, primo latere tera de ipso suprascripto monasterio & de Ugo filio de Gozo, secundo & tercio & quarto latere tera .... filio quondam de Ata, fra istis lateribus &c.

Ego Ragineri scabino & notarius scripsi, complevi & inclausit.

X.

Charta venditionis terrarum territorii Pisani factæ Gherardo quondam Johannis a VVillemo notario.

Anno 1029. VII. kl. martii.

Ex archetypo tabularii sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

Ad lib. XI. n. 18.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille vigesimo nono, & regnante Domino nostro Cumrado gratia Dei imperatore augusto. Anno imperii ejus in Italia secundo, septimo kalendas martii indictione duodecima. Manifestus sum ego Willelmo notarius domni imperatoris filio b. m. Amalberti, quia per hanc cartula vendo & trado tibi Gherardo filio b. m. Johanni, qui fuit monachus, idest quatuor petias de terris juris meis illis, que una terra & quod est vinea, quam habeo in loco & finibus Mezzana prope ec-

ecclesia sancti Luri, qui unam ex ipse petia de terra, ubi dicitur Campo Romauli, & tenet uno capo in terra ecclesie episcopatus sancte Marie & in aliquantulo in terra Lei & alio capo tenet in terra ecclesie & monasterii sancti Savini. Lato una tenet in terra supradicte ecclesie & episcopatus sancte Marie in terra Ghisolfi filii b. m. item Ghisolfi, & alio lato tenet in terra Beliti filio b. m. Willelmi, & est mensurata ad iusta perticas mensuratas sistariorum quatuordecim. Et illa secunda petia de terra, ubi dicitur Scandicio, que tenet uno capo cum uno latere in terra supradicte ecclesie & episcopatus sancte Marie, & alio capo tenet in terra & vinea, que fuit quondam Dominichi & de consortibus suis, & alio lato tenet in terra, qui fuit quondam Johanni, & est pro mensura ad justas perticas mensuratas sistariorum octo. Et illa tertia petia de terra tenentes ambas capitas cum uno lato in via publica, & alio lato tenet in terra tua, qui supra Gherardo, & est pro mensura ad justa perticas mensuratas sistariorum quinque. Et illa quarta petia de terra, quod est juncta prope loco Pratale, tenet uno capo in terra & prato Cuneradi, qui Cunitio vocatur, filio b. m. Beliti, & in aliquantulum in terra mea qui supra Willelmo notario, quas mihi reservo, comodo ibi singna posita, & una & alio capo tenet in terra, que fuit quondam Raynerii, lato uno tenet in terra ecclesie & episcopatus sancte Marie, & in terra Gumtiolini filio b. m. Beliti, & alio lato tenet in terra & in vinea Almanni filio b. m. Beliti & de consortibus suis, & est pro mensura ad justa perticas mensuratas modiorum unum, & tres portiones de uno sistariorum & scalas una. Has supradictas quatuor petias de terris una & ipse quod est vinea in eodem loco qualiter ab omnis parte circumdata & mensurata sunt per designatas locas in integrum, cum inferioribus & superioribus suarum, silicet cum accessionibus & ingressoras suarum tibi, ut supra, vendo & trado per quibus ad te pretium recepit anulo de auro uno persolvere .... in prefinito, unde repromitto ego qui supra Willelmo notarius una cum meis heredibus tibi qui supra Gherardo vel ad tuis heredibus, aut talem homini, cui vos predicta mea venditione dederitis vel habere decreveritis, ut si nos vobis eas aliquando tempore in aliquod exinde intentionaverimus aut retolli .... tragi quesierimus nos vel ille homo, cui nos eas dedissemus aut dederimus pro cholibet ingenio, & si nos exinde auctores dare volueritis, & eas vobis ab omnis homines defendere non potuerimus, & non defensaverimus, spondemus nos vobis componere istam venditionem in duplum in ferquidem loco sub estimatione, qualis tunc fuerit, sic tamen si nos exinde auctores nec defensores querere, nec dare noluerimus licentiam abeatis apsque nostra persona, si vestra fuerit voluntas exinde causas agendi, responsum reddendi, finem ponendi modis omnibus vobis eas defensandi cum cartula ista, vel qualiter justa legem melius potueritis, quia in tali ordine hanc cartula Alboni notario domni imperatoris scribere rogavi. Acta in loco & finibus Puttio martiales, & prope ecclesia sancti Angneli & sancti Andree *&c.*

Willelmo notarius domni imperatoris in hac cartula a me facta ss. ..... redilandus rogatus testis ss.

Ego Mainfredus judex sacri palatii ss.

Uvido notarius domini imperatoris rogatus testis sancti ss.

Pandolfus notarius domini imper. ss.

.... Gherardi filio b. m. Uditi testis ss.

Alboni notarius domini imperatoris post tradita complevi & dedi.

XI.

Ghisla vendit terras sitas Pisis in loco civitate vetere.

Anno 1029. v. id. Martii.

Ex autographo ejusdem archivi.

Ad lib. XI. n. 19.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille vigesimo nono & regnante domino nostro Cumradus gratia Dei imperatore augusto anno imperii ejus in Italia secundo, quinto idus martii indictione duodecima. Manifesta sum ego Ghisla mulier Balduini filia b. m. Cuneradi, qui Cunitio vocabatur, quia consentientes mihi supradicto vir meus, ubi & secundum legem interesse videtur notitia Mainfridi judex sacri palatii .... secundum legem interrogata & cognita sum, quod nulla me passa sint violentia, se pura & integra mea bona voluntas sequentis edicti paginam consentientes mihi suprascripto vir meus per anc cartula vindo .... Petrus filio b. m. Albisindi, que Albitio vocatur, idest illa meam quartam portio-

tionem ex integra de duo petiis de terris illis, quibus sunt positis in loco & finibus, ubi dicitur Civitate vetera prope ecclesia & monasterio sancti Zenonis prope loco, qui dicitur *a le grotte*; quas tibi per cartula .... Ildebrandi notarius domni imperatoris ex compar........nit ad supradicto vir meus & mihi exinde pertinere videtur ......illo mori in cap, quas supradicto vir meus quartam portionem... omnibus casis & rebus suis in me misit de jam dictis duo petiis de terris in dicto loco, & quas tibi ad in cartula.............. nuscitur, & mihi exinde pertinere videtur .... mori in cap, ipsa vero meam quartam portionem integram cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressoras suas tibi eas consentientes mihi .... vindo & trado, pro quibus ad te pretium recepit.......... in prefinito, unde repromitto ego..:.......consentientes mihi supradicto vir meus una cum meis eredibus .... Petrus vel ad tuos eredes, aut eidem omini, cui vos supradicta.... .... dederitis vel abere decreveritis, ut si nos vobis eas aliquando .... exinde intentionaverimus aut retolli..... ...fierimus nos vel ille omo, cui nos eas dedissemus aut dederimus pro colibet ingenio, & si nos exinde auctores dare volu........vobis ab omnis omines defendere non potuerimus & non defensaverimus, spondimus nos vobis componere supradicta mea venditio...... in ferquidem loco sub estimationem quales tunc fuerit.......... auctores nec defensores querere, nec dare nolueritis........ abeatis apsque nostra persona, si vestra fuerit voluntas exinde causas agendi, responsum reddendi, finem ponendi, modis omnibus vobis eas defensandi cum cartula ipsa, vel qualiter justa legem melius potueritis, & per confirmationem Eribertus notarius domni imperatoris .... rogavi. Actum Pisa.

.:........... Ghisle, que anc cartula fieri rogavi.

.... viro ipso Ghisle consentientes.

.... Mainfredus judex sacri palatii interfui.

.... imperatoris rogatus testis ss.

.... Gherardus notarius domni imperatoris rogatus testis ss.

..... Leo notarius domni imperatoris insuper rogatus testis ss.

.... domni imperatoris post tradita complevi & dedi.

XII.

Anso & Salvia donant monasterio sancti Victoris de Clusis terras sitas in Valle-domnica.

Anno 1029. mense julio.

Ex originali tabularii Fabrianensis S. Catharinæ.

Ad lib. XI. n. 19.

IN nomine Domini. Et factum est in nani Domini ab incarnacione Domini nostri Jesu Cristi, quod sunt anni Domini mille viesimo nono, & regnante domno Conrado magno imperatore providencia imperatore augusto anno ejus secundo, & temporibus domno Ugo dus & marchio anno ejus sesto, die mense julii indiccione undecima. Ideoque ego nos Anso filius quondam ...... & nos Salvia ambo pro nostra bona voluntate dedimus & tradedimus communiter nostra bona propria voluntate secundum nostra legem dedimus & tradedimus in ipsu monasteriu de sancto Benedictu & sancto Victore, qui est edificatu in loco qui dicitur Victurianum, & tibi domno Acto abbati de ipsu monasterium, & actui posterisque supcessori usque in perpetuum, ide est aliquid de res proprietatis nostra, que est posita infra ducatu Spoletinu infra territorium Castellum Pretosum, in locum qui dicitur Valle domnica, & est posita ipsa res infra loca vel sinaite finis &c.

XIII.

Martinus tradit Actoni abbati ejusdem monasterii bona sita in colle Cerquille.

Anno 1029. mense novembri.

Ex eodem archivo.

Ibidem.

IN nomine Domini, & factum est in anni ab incarnatione Domini nostri Jesu Cristi, quod sunt anni Domini mille viginti novem, & regnante domnus Conradus imperator augusto, & anni & imperii ejus in Italia anni ejus quarto, temporibus domnus Ugo dux & marchio anni in ducatu ejus sexto, & die mensis november per indiccione.

Ideo-

Ideoque ego Martinus faber filio codam Johannis cum mea propria bona voluntate secundum mea lex langobardorum dono, trado pro redencione anima mea & pro redencione anima de Maria, que fuit muliere mea, ut Deus omnipotens abeat misericordia & induligentia de peccatis nostris dono, trado de res meas in ipso monasterio de beato sancto Victore & alie patrocinia sancta, que ibi recognita sunt in ipso monasterio, qui dicitur Victoriano, & ad ipso domnus Acto vir venerabilis abbas, & ad aliis posterique successoribus, qui in ipso monasterio preordinati sunt, & est posita supradicta res in territorio Castellano in locum, qui dicitur colle de Cerquilie *&c.*

Ego Berardu judice notarius scripsit, complevit, inclausit.

XIV.

Acta beatæ Reparatæ virginis & martyris

Scripta circa annum 1029.

Ex codice membranaceo seculi XI. *penes auctores.*

Ad lib. XI. n. 19.

PAssio beatæ REPARATÆ virginis & martyris.

Rogas me, venerabilis pater Lamberte, per æquivocum tibi priorem Classensis monasterii, cui te præesse divina dispositio voluit, ut libellum de passione beatæ virginis Reparatæ compositum studiose discutiam, & eum quasi pro commonitorio ante oculos tenens, ad honorem venerandæ sollempnitatis ejus, & urbanius scribere productiori stilo augere contendam. Ego quidem sanctitatis tuæ præceptis libenter obedio, sed ne illud incurram, quod in lege prohibetur, sollicitus pertimesco. *Non plantabis*, inquit, *lucum & omnem arborem juxta altare Domini Dei tui*. Quid est enim juxta altarium lucos plantare, nisi in sancta ecclesia vana verborum folia inaniter spargere? Dum enim mendacium caveo, ad historiæ sensum addere non præsumo. Si autem brevem sensum pluribus verbis extendero, & velut ex modico fermento massam produco, quid aliud facio, nisi lucos intra sanctuarium planto? Verumtamen si vim discretionis solerter attendimus, factum hoc sine ullo vitio ab ecclesiasticis viris frequenter invenimus. Moyses enim, ut divina præcepta in corde Israhelitici populi arctius inculcaret, quæ jam dixerat, secundo retexuit, & secundam legem, hoc est Deuteronomium appellavit. Immo etiam si subtiliter indagatur, tota illa Veteris Testamenti lex ex decem præceptis prodiisse cognoscitur. Et quod in illis breviter comprehenditur, idipsum postmodum verbis multiplicibus dilatatur. Hoc igitur exemplo commonitus, & in tua, qua præcipis, oratione confisus aggrediar. Ita plane ut passionem beatæ virginis juxta oblatam mihi paginulam relaturus, nil Deo auxiliante minuam, nil ejus certaminibus addam, nec alia pro aliis dicam. Si quid autem vel verbis ejus, vel persecutoris addidero, novit omnipotens Deus non mentiendi animo, sed quia id dici potuisse conjicitur, ad honorem beatæ virginis & suæ festivitatis, ut ipse postulas, attemptabo. Sed jam se ipse historiæ tenor aperiat.

Erat igitur beata Reparata nobilis quidem genere, sed virtutum nobilior dignitate, corpore adhuc tenera, sed animi maturitate grandæva, infantia quippe deputabatur in annis, sed gravissima vigebat in mente senectus, decora facie, sed morum pulchrior venustate. (*a*) Hæc itaque cum ad id pervenisset ætatis, ut jam viro copulari carnaliter posset, mox inmortali sponso conjuncta est. Neque enim propter ipsius rei elegantiam præterire silentio possum, quia sicut leges mundanæ præcipiunt, ut puellis a duodecimo ætatis anno nubendi licentia concedatur, ita hæc beatissima virgo cum duodecim jam esset annorum, mortem subiens, jugum mortis evasit, & ad æterni regis thalamos in perpetuum cum eo regnatura pervenit. Erat autem tunc crudelissimus quidam præses nomine Decius, qui tanti furoris insania adversus Christi ecclesiam sæviebat, ut nomen etiam Christi audire cum tranquillitate vix posset. Hic igitur per omnem præsidatus sui provinciam, quasi leo frendens adversus gregem Christi cruentos malitiæ suæ dentes atrociter exacuebat, & Christianos ubicumque invenire posset, diversis tormentorum generibus laniabat. Cum autem Cæsariensem urbem fuisset ingressus, cognoscentes ministri diaboli ejus insanissimam rabiem, illico beatam virginem Reparatam velut agnam lupo optulere dicentes: Illustrissime præses, hæc est virgo, que deos invictissimos deridet & respuit, & illum, qui dicitur Christus, adorat. Cumque Decius eam vidisset, & honestam facie & nimiæ pulchritudinis, ora-

a LECTIO. II.

orator diaboli cœpit cum ea prius blandis sermonibus agere, si forsitan mollia suadendo ad sacrificia dæmonum ejus posset animum inclinare. Et velut artifex veneficii auctor in principio sermonis sui curavit mellitum saporem laudis apponere, ut postmodum facilius posset venenum sacrilegii mortiferum propinare. Tunc ait ei: O infantula, beata mulier, quæ suo partu tam elegantem speciem edidit; felix mater, quæ talem de se filiam procreavit: nam & ego cognovi, quia ex nobili genere orta es. Accede ergo nunc bonæ indolis virgo, & sacrifica diis immortalibus ad honorem natalium tuorum. Beata Reparata cum ingenti constantia & intrepido animo respondit: Ecce, inquit, jam ad duodecim annos ætatis me incrementa pertingunt; quapropter sufficiat mihi hanc erumpnosam & transitoriam vitam velut transcurrendo vidisse, quia aliam me post eam, beatam scilicet & immortalem spero in perpetuum possidere. Notum ergo sit tibi, inimice Dei excelsi, qui me talem, ut asseris, nasci voluit a visceribus matris meæ, quia ipsi in ara pectoris mei die noctuque sacrifico, ipsi hostia fieri & immolari totis visceribus concupisco, Domino meo videlicet Jhesu Christo, qui te malorum caput, & vos omnes, qui adstatis, nisi ad eum conversi fuerit, æterni judicii ultione dampnabit. Ad hæc Decius. Si verus, inquit, Deus est Christus ille, in quem credis, quo pacto crucem sustinuit, qua ratione ut mortalis homo in terra passionem mortemque suscepit? Beata Reparata respondit. Si vis divinæ dispositionis nosse mysterium, redemptor noster, sicut se voluit formam servitutis induere, ut nos ad veræ libertatis jura proveheret; ita etiam mortem perferre dignatus est, ut nos ab æternæ mortis laqueo liberaret.

LECTIO. III.

(*a*) Decius autem videns tantam in puella constantiam, tamque fervido animo ad respondendum, quicquid inquireret, promtam, cedit conflictui rationum, intonat austeritate minarum, nescio inquid, quem dicis Christum. Immola solummodo diis, alioquin multa tibi sunt atrocium pœnarum supplicia præparata. Tunc beata Reparata adversus sacrilegi judicis verba nimio zelo succensa, sic fere respondit. Furiose & omnium inquitatum squalloribus plene, qua fronte me præcipis lapidibus vanis meas inclinare cervices, quæ numquam cesso confiteri Domino meo Jhesu Christo, in quem confidit anima mea, & cui semper parata sum immolare hostiam laudis. Decius dixit; Puella, metire temetipsam, & in corde tuo prudenter examina, quanta valeas sustinere tormenta. Beata virgo respondit. Minis tuis, judex, scias me nequaquam posse terreri, sed magis ac magis in Christo meum animum confortari. Tunc Decius ait ad officium. Plumbo ollam implete, & ignibus liquefactum in ejus conspectum festinanter afferte. Hanc illi plenam prius ostendite, & si obstinata adhuc pertinaci mente sacrificare noluerit, nuda ejus membra eo videlicet, quo digna est, rore perfundite. Existimabat siquidem diabolicus vir, &, ut ita dixerim, philosophus sathanæ, ut ad aspectum liquefacti plumbi mens virginis tremefacta mollesceret; & dum resolutum ante se metallum cerneret, terrore perculsa ipsa in soliditatis suæ duritia ulterius non maneret. Unde nunc patenter ostenditur, quantas adversus animas hominum inimicus humani generis insidias machinatur. Per vasculum quippe suum, in quo velut leo in cubili suo frendebat, primo nisus est fortissimam Dei bellatricem blanditiis molliter delinire, deinde minarum asperitatibus frangere, postremo quoque inmane supplicium non mox inferendo, sed interim intentando ad pravitatis suæ consilium provocare. Verum & hæc etiam Christi virgo, nec blandimento seducitur, nec terrore concutitur; nam, & terrentem similiter, sicut & blandientem virilis animi constantia deridebat. Igitur adversus objecta diaboli jacula solitis orationum armis accingitur, & directo ad Deum spiritu sic precatur. O Deus vere & omnipotens, veni ad liberandum ancillam tuam, & erue me de hac pœna. Et cum hæc diceret, mirum satis, & soli divinæ omnipotentiæ referendum, mox plumbum omne prorsus obriguit. Decius ait: Ad duritiam hujus virginis augeri tormenta sua sibi ingerit ipsa sententia. Beata Reparata respondit. Ego nempe de inferendis mihi tormentis sententiam non depromo, sed salvari a Domino meo Jesu Christo fiducialiter credo. Præses autem vehementissimo furoris igne succensus clamabat apparitoribus, lampades, inquit, accendite, & pectori ejus ignitas apponite, ut vel sic cogatur deos invictissimos adorare. O pulchrum valde spectaculum, & omni admirationis laude dignissimum! Dum ignis, qui intus ardebat, cum exteriori igne confligeret, ardor fidei materialis flammæ incendia non sentiret. Æstuabat interius animosum pectus spiritus igne divinitus inflammatum: foris autem lampades adhibebantur accensæ, sed dum terreno igni valentior ignis opponitur, repressa vis

vis incendii eatenus mitescere nescia temperatur, & quæ attacta quæque solebat exurere, mox ut ad sacra membra perventum est, cogitur invita rorare. Unde & beata Reparata alacri vultu & clara voce respondit: Præses, frigidus est ignis tuus; non conburit me ardor tuus, sed sentio suavitatem domini mei Jhesu Christi in pectore meo, quod ei ab ipsa originis meæ infantia consecravi. Decius autem nimio adversus eam iracundiæ felle permotus hujuscemodi verbis exclamat: In camino, inquit, ignem copiosum festinanter accendite, & nudato eam corpore In illos stridentium flammarum globos absque ulla prorsus miseratione jactate, ut non jam unum ejus membrum pœnam singulariter sentiat, sed undique totum ejus corpus absorbens ignis involvat. Dic furiose præses, & omnium bestiarum inmanitate crudelior, quid est, quod invictissimæ virgini diversa tormenta non ingeris, sed toties inferendo supplicia, semper ad ignem recurris? An ille in tuo pectore possessor exæstuat, quis postquam de cœlo per superbiam cecidit, domum sibi in gehenna æterni incendii miser habitator invenit? Nam dum tua vesana rabies solummodo ignem sufflat, ignis in te cultorem proculdubio spirare demonstrat. Ecce jam plumbum liquefactum attulisti, lampades accensas adhibuisti, postremo in fornacem ardentem jactari eam crudeli sententia præcepisti. Cuncta hæc ad divinam tremefacta potentiam propriam etiam mutavere naturam. Plumbum quippe in flammis obriguit, lampades accensæ cremandi vires oblitæ sunt, vaporatus fornax ardere nescivit. Tu solus adhuc in infidelitatis tuæ duritia permanes, & dum tot micantes virtutum Christi radios conspicis, ex ipso splendore, quo illuminari debueras, deterius obcæcaris? Ut ergo evangelica te sententia alloquar, dic miser, si lumen, quod ante te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Et si antidotum noceat, quod pro medela percipitur, unde salus recuperanda speratur? Accede propius, attende obsecro diligenter, curiosis auribus ausculta, quid puella faciat, qualiter se habeat in æstuantis camini incendium devoluta; nam ut ad historiæ ordinem redeam, cum Christi virgo a satellitibus sathanæ velut ignis pabulum in medium fornacis fuisset injecta, illico exultans & gaudens in ipso crepitantis flammæ baratro cœpit jocundæ vocis suavitate cantare. *Quasi cedrus*, inquit, *exaltata sum in Libano, & sicut cypressus in monte Sion, & quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.* (a) Decius autem præses casu ante prætorium deambulabat, cui proximus erat locus, ubi fornax ardebat; cumque audiret beatam virginem dulcisonis melodiarum organis insistentem, & loca circumquaque contigua claris vocibus personantem, attonitus ait ministris astantibus: Ecce puella hæc, ut videtis, perseverat in maleficiis suis, &, ut puto, ab una infantula omnes victi sumus. Machæram ergo protinus afferte, & viscera ejus in frusta secate. Beata autem Reparata his verbis potuit respondere: Hæc sunt, inquit, minæ tuæ, inveterate dierum malorum. Ecce temptasti, ecce probasti me, in nullo me potes lædere, nullis insaniæ tuæ viribus mentem meam prævales de sua soliditate movere; mens enim mea in Christo fundata est, & in ejus fide immobiliter radicata. Quantumlibet ergo sævias, quantumlibet certe ad oppugnandam domum meæ mentis insistas, non timet ruinam, quia fundata est super firmam petram. Inveni itaque graviora adhuc & atrociora tormenta; exquire nova & inaudita suppliciorum genera; dum infers pœnam, magis animum meum provocas ad coronam. Minis tuis spes mea erigitur, tormentis tuis anima mea velut suavissimis epulis delectatur. Vitam quippe hanc patienter tolero, mortem spero, quia dum vivo, pro Domino meo Jhesu Christo quotidie morior, postquam vero mortua fuero, in æternum cum eo victura regnabo; noli ergo mihi inferre minas, ut terrere quasi degenerem possis, sed ipsa potius expende supplicia, ut corpus meum, quo gravioribus pœnis atteritur, eo mihi in cœlesti regno major retributionis gloria cumuletur. Nec metiaris ætatem, non sexus despicias conditionem, quia qui cuncta creavit ex nihilo, & pueris gravitatem, & mulieribus valet afferre virtutem. Ad hæc Decius belluina rabie immanissimi furoris accensus, & quasi insatiabilis draco ad bibendum humanum sanguinem crudeliter efferatus, cœpit gravissimo cogitationum igne torqueri; & quid sibi pœnarum ulterius adderet nesciens, tamen omnia probare prius, quam funditus interimeret, satagebat. Videns itaque tam duram, tam insuperabilem in puella virtutem, & ad amplectenda supplicia ferventissimo desiderio æstuantem, æstimavit, ut res erat, quia tunc sibi faveret, si graviter puniret, tunc autem sibi omnium suppliciorum durissimum genus infligeret, si aliquantisper ab inferenda pœna cessaret. Inter cetera ergo confusa machinationum sua-

LECT. V.

suarum molimina, hoc sibi potissimum visum est, ut publica eam ignominia turpiter dehonestaret, quatinus, cujus rigidam mentem horribilium tormentorum multitudo non flecteret, saltem irrogata inhonestæ contumeliæ confusio suaderet. Ait ergo tironibus suis: Afferte huc cito novaculam, & eam glabrionis more, ut pulchram decet virginem, decalvate; & tali dignam spectaculo per plateam publicam ducite. Beata Reparata respondit: Ego quidem hanc ignominiam pro amore creatoris mei libenter in hac vita sustineo, & in publicum, ut præcipis, decalvata procedo; scio tamen & indubitanter credo, quia ille, pro quo hæc patior, quandoque a te omnia districtæ animadversionis sententia exiget, & quicquid in me nunc furiatus exerces, retorta in te digna ultione requiret. (a)

LECT. VI.

Ad hæc præses. Omnia, inquit, jam magicæ artis tuæ figmenta cognovi, & Deus tuus, de quo vanæ spei securitate præsumis, non poterit te liberare de manibus meis, sed si vis adhuc resipiscere, & feliciter in vitæ hujus amœnitate florere, adora deos invictissimos, ut ipsi te de his tormentis eripiant. Beata Reparata in hæc fere verba respondit: Dixi tibi jam, & frequenter audisti, noveris & omnino esto securus, quia, dum vixero, cervices meas vanis lapidibus & obscœnis dæmoniorum simulacris non curvabo, sed domino meo Jhesu Christo, qui me redemit, jugiter offeram sacrificium laudis, & victimam jubilationis. Tu autem vide quid facias, quam perversitatibus tuis excusationem optendas, quia tecum ante terribile ejusdem judicis mei tribunal causam actura sum. Nota ergo mei vultus effigiem, quia eamdem me procul dubio videbis in gloria, quam nunc exercere festinas in pœna. O si in gustu mentis sapere valeat, quam durum & horribile verbum, quam minaci & formidolosa amaritudine plenum. Revera videbis eam præses ante flammivomum divinæ majestatis thronum tecum in judicio positam, non jam a te judicandam, sed te potius cum magnæ auctoritatis imperio judicaturam. Adversum te scilicet perorantem, sed & dignæ te animadversionis sententia ferientem, ubi angeli & archangeli, omnesque cœlorum virtutes constipatis contra te cuneis terribiliter stabunt, ubi cœlum & terra in tuæ dampnationis testimonium deducentur, & cuncta adversum te rerum elementa consurgent, tunc obmutesces reus utique & confusus, & amissa omni spe confugii miserabiliter contabesces ex omni parte convictus. Nonnulli vero de circumstantibus, nimirum quibus erat mens sanior, auditis tam acutis puellæ responsionibus, contrito corde conpuncti sunt. Decius autem exigentibus nequitiæ suæ meritis obduratus, adhuc nihilomius machinatur, adhuc temptare non cessat, si forte irrumpendi aditum ad cor puellæ toties jam victricis inveniat. Dicebat ergo delenificus persuasor, ita fere quasi compatiens. Misera vel nunc tibi consule, & ea, quæ supersunt, licet sero tormenta lucrare, ne ab oculis meis omnino depereas. Ad hæc beata virgo publica eum cœpit objurgatione confundere, & verbis eum mordacibus increpare. O virus, inquit, diaboli, quantis mihi calliditatibus insidiaris, quantis mihi perversitatis tuæ argumentis insistis? Dicis me perituram ab oculis tuis; tu potius miserabilis vir, jam perditus es a facie Dei mei. Tunc Decius vehementissimis iracundiæ flammis accensus exclamat: Dejicite verbosam, perdite arrogantem, decollate obnoxiam, & præcisum caput ejus ante oculos meos cum omni celeritate deferte. Beata Reparata sic quodammodo, cum traheretur, dicebat: Gratias tibi ago Domine Jhesu Christe, qui agonem meum ad desideratum finem perducere, & me in numero ancillarum tuarum dignatus es computare: et nunc obsecro, Domine, recipe spiritum meum in pace. Accedens autem spiculator gladio eam percussit, & sic caput ejus collotenus amputavit. Protinus de ore ejus columba exiit, quæ cœlum nonnullis videntibus penetravit, Christianis nimirum solummodo viris, qui prius beatissimam virginem, dum esset in certamine posita, confortabant. Et satis congrue beata illa anima in specie columbæ apparuit, quia jam tempus erat, ut quod in Cantico canticorum legitur, sponsi voce ad eam delectabiliter diceretur. *Surge, propera, amica mea, columba mea. formosa mea, & veni, jam enim hyems transiit, imber abiit & recessit.* Concurrentes autem viri timorati rapuerunt corpus ejus, & odoriferis conditum aromatibus sepelierunt. Requievit autem in Domino beatissima virgo Christi Reparata VIII. idus octobris, regnante Domino nostro Jhesu Christo, cui est cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in secula seculorum. Amen.

XV.

Gunfredus episcopus Volaterrarum ditat bonis & ecclesiis monasterium SS. Justi & Clementis prope eamdem urbem.

Anno 1030.

Ex archivo ejusdem monasterii.

Ad lib. XI. n. 23.

IN nomine Christi filii Dei altissimi Domini. Decretum firmitatis & securitatis sive.... pro futuris temporibus in memoria retinendis. Sit notum omnibus sancte Dei ecclesie fidelibus tam presentibus, quam & absentibus, qualiter dominus Gunfredus venerabilis sancte Vulterrensis ecclesie episcopus presentia presbiterorum, diaconorum, seu inferioris ordinis clericorum, quorum nomina propriis manibus subtus adscripta videntur, ecclesias sanctorum Justi & Clementis prope urbem ipsius constitutas, ubi sancti confessores humati fuisse noscitur, pro majori veneratione ipsorum monasterium instituens, per ferulam sui presulatus indicatricem, & per hanc decreti paginam omnium, que ipsis sanctis ecclesiis pristinis temporibus in terris & decimis pertinebat, eisque concessit insuper duas cortes, quarum una cognominatur Majano cum capella ibi in honorem sancti Quirici edificata, suisque pertinentiis, sive cum prediis ac vineis dominicalibus, & cum angariis hominum ibidem habitantium; altera vocatur Fasciani cum omnibus mansis, casis, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, montibus, vallibus, planitiebus, & omnibus que dici vel nominari possunt ad ipsam cortem Fasciani pertinentibus, vel aspicientibus; preterea unum mansum in loco, qui dicitur Salsuli cum suis pertinentiis, & alterum, ubi dicitur Ducia cum famulis Johanniculo & Domnuculo ad stipendium abbatis Raimberti, & monachorum, qui ibidem pro tempore fuerint, & ad servitium tradidit, donavit atque concessit Pratomartio cum casis & casinis, & omnia que supra & infra se habentes, sicut mura & signa & termini positi sunt in loco qui vocatur castello Albuini, donavit & concessit masa de Collina, que recta est per Andrea presbitero, & masa de Collegani, que recta est per Angelo massario, domnicato de Campo lungo, & alio domnicato de rivo Tineto ad Sorbi, mase due, que recte sunt per Andrea filio Righi, & suorum consortes, a Raone mase due, que recte sunt per Cunizzo filio Bertaldi, masa de colle Lelluli, quer ecta est per Dominico presbitero in Riodoli, masa que recta est per Bonicco & Ebicione germanis, & alia que recta fuit per Cicio filio Walpizi, quin insuper injunximus ipsas & masas, quas de Ugone comite Teudici comite filius viginti libras argenti comparavimus, quatenus abbas Raimberti cenobii & monachi omnes res superius nominatas sine ulla sua suorumque successorum contradictione & diminutione vel molestatione, & si quid adhuc superaddere ex Christi largitione poterit, in integrum habeant, teneant, atque possideant & utantur. Statutum est etiam ab eodem pontifice ex divina auctoritate, ut quandocumque ulla interim inflammatus cupiditate diabolo suadente hoc decretum infringere, mutare, aut violare presumpserit, sit anathema maranatha, idest maledictus in adventu Christi, partemque habeat cum Juda traditore, atque cum Dathan & Abiron in tartara demergatur. Pro majori autem securitate, & ut magis ab omnibus observetur, supradictus presul hoc decretum propriis manibus firmans plures sue ecclesie diversi ordinis clericos roborare precepit.

Actum anno Dominice incarnationis millesimo trigesimo, episcopatus illius anno decimo octavo.

Gunfredus episcopus in hac cartula ordinacionis a me facte subscripsi.

Ego Rodulfo archidiaconus consensi manu mea subscripsi.

Ego Johannes archipresbiter consensi manu mea subscripsi.

Ego Viadesi sacerdos consensi manu mea subscripsi.

Ego Vuido sacerdos consensi manu mea subscripsi.

Ego Bernardo presbitero consensi manu mea subscripsi.

Ego Almarius sacerdos consensi manu mea subscripsi.

Ego Andreas presbitero consensi manu mea subscripsi.

Ego Teuzo presbitero consensi manu mea subscripsi.

Ego Berizo presbitero consensi manu mea subscripsi.

Ego Petrus presbiter & canonicus consensi manu mea subscripsi.

Ego Lambertus cantor & custos consensi manu mea subscripsi.

Ego Albertus diaconus consensi manu mea subscripsi.

Ego Ildibrando primicerio (a) consensi manu mea subscripsi.

a Alias *diaconus*.

Ego Erizo diaconus consensi manu mea subscripsi.

Erimmanus Dei gratia episcopus subscripsi.

Ego Rogerius episcopus subscripsi.

XVI.

Engelmarus episcopus Parentinus monasterio S. Michaelis prope urbem Polæ largitur cœnobium S. Cassiani de Parentio.

Anno 1030. VII. augusti.

Ex Ughellii Ital. sacra T. x. col. 315.

Ad lib. XII. n. 35.

NUtu Dei eterni regnante domno Chonrado Romanorum imperatore anno quarto regni ejus die vero VII. mensis augusti indictione XIII. Christo gubernanteque omnia. Ego quidem domus Engelmarus sancte Parentine ecclesie antistes hanc erumnosam hujus seculi vitam considerans fragilem esse atque caducam, magis celestia amare cupiens, quam terrenis frui, dum aliquod facere volui, Domino auxiliante, per quod non essem dignus excidi vel mitti in ignem, sciens ex Dominico ore processisse, omnis arbor, que non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur; ideoque sanctum Michaelem archangelum auxiliatorem mei habere volui, sciens illum magni meriti esse apud Dominum. Tradens tradidi cenobio sancti archangeli Michaelis, quod prope civitatem Polensem consistit, cum avocatore meo Vualtramo Johanni abbati omnibusque ejus successoribus monasterium sancti martyris Cassiani situm & fundatum infra muros civitatis Parentine cum omnibus suis pertinentiis, scilicet cum domibus, vineis, ortis, pratis, ac cum omnibus finiis, que sunt in contrata montis Petrosi, scilicet inter viam Sclavam, per quam itur Pisinum castrum, in viam per quam itur ad castrum sancti Laurentii, que sunt fiscalia predicte ecclesie nostre, idest nobis medietatem censi, ac etiam cum omnibus pascuis tam animalium, quam porcorum, & cum silvis & glandaticum earum, ac capulum, & omnibus redditibus, juribus predicto monasterio pertinentibus. Que omnia concedimus & damus vobis domno Johanni abbati sancti Michaelis predicti, & monacis vestris orantibus & intercedentibus pro nobis, & animabus nostrorum antecessorum episcoporum reddendo episcopio nostro, scilicet in solemnitate sanctissimi Mauri martyris patroni nostri quinque arietes triennes pingues, & non genitalia habentes; quinque etiam honorabiles panes, modios farinule albe quinque cum quinque modiis electi vini. Preterea supradictam benedictionem monasterio sancti Michaelis concessimus, ut fratres mundi servitio ibi commorantes necessaria habere queant, atque pro fidelibus defunctis Dominum assidue exorare possint. Si vero quocunque tempore ego domnus Engelmarus supranominatus episcopus, vel aliquis in ecclesia ordinatus, aut laicus, sive magna parvaque persona contra hanc nostre traditionis cartulam ire temptaverit, vel per aliquod pravum ingenium qualicumque modo infringere seu molestare presumpserit monasterium sancti Michaelis de supra nominata, quam sibi dedimus, benedictione, in die extremi examinis, & etiam anathematis maledictionem consequatur eternam cum eis, qui dixerunt filio Dei, recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, atque cum Juda, qui filium Virginis pretio vendidit, maledictionem ecclesie Dei consequatur eternam. Et ut omnibus omnis turbatio auferatur, nos hanc cartulam fieri jussimus. Egomet omnes meos successores rogo, ut hanc cartulam nostre traditionis affirment, & auxiliatorem sanctum Michaelem apud Deum sentiant.

Ego domnus Engelmarus episcopus hanc cartulam una cum avocatore meo fieri jussimus, atque fratres nostros & fideles mei astantes testes de hac re esse rogavi.

Signum † manus Constantini filii Ecili comitis testis.

Signum † manus Vincentii testis.

Signum † manus Ripaldi locopositi testis.

Signum † manus Ediverii de civitate Polensi testis.

Signum † manus Benecarii de Duobus-castellis testis.

Signum † manus Stali filii Catulonis testis.

Actum in curia Parentina anno & die, & imperatore vel indictione suprascripta feliciter.

Ego Johannes tabellio de civitate Parentina rogatus scripsi, complevi atque firmavi.

Ego Arpus episcopus sancte Parentine ecclesie hanc cartulam firmavi.

Ego Ursus episcopus hanc cartam firmavi.

Ego Carolus Parentinus episcopus hanc cartulam firmavi.

Ego

Ego Paganus episcopus Parentinus hanc cartulam firmavi.

Ego Geronsus Parentinus episcopus hanc cartulam firmavi.

Ego Vincentius Parentinus episcopus hanc cartulam firmavi.

XVII.

Johannes offert monasterio S. Michaelis Pisarum, ejusque abbati Bono terram sitam a la Rivolta *prope eam urbem.*

Anno 1030. xix. kl. septembris.

Ex autographo ejusdem archivi.

Al. lib. XI. n. 22.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, anno ab incarnationis ejus mille trigesimo primo, & regnante domino nostro Chumradus gratia Dei imperatore augusto anno imperii ejus in Italia quarto, nonodecimo kalendas septembris indictione tertiadecima. Sancto autem venerabilis monasterio domini & beati sancti Michaelis archangeli sito foras civitate Pisa prope porta, que nominatur Samuel, ubi domnus Bonus reverentissimus abbas preesse videtur. Ego quidem in Dei nomine Johannes filius bone memorie Ildeberti offertor & donator ipsius monasterii per presente dixit Gregorius quisquis in sanctis tuis aliquid contulerit rebus juxta auctoris voces in hoc seculo centuplum accipiet, & insuper, quod melius est, vitam possidebit eternam. Ideo ego qui supra Johannes offertor pro anime mee remedium appars supradicte ecclesie & monasterii supradicti sancti Michaelis archangeli ad tuis jure proprietatem abendum pro mercede & rantesium anime mee, seu per remedium homnium peccatorum nostrorum, idest una petia de terra mea illa, quam abeo foras civitate Pisa, ubi dicitur Civitate vetera prope loco, qui nominatur ad la Rivolta, quas ipsa petia de terra est tenentes uno capo in via publica, & alio capo cum uno lato tenet in terra domni regi, & alio lato tenet in terra, que fuit quondam Ildeberti, qui Albitio vocabatur, & in terra Lucii de loco Veccl ano, as supradicta petia ad terra in eodem loco qualiter ab omnis parte circumdata est per designatas locas, quod est per mensuram ad justa perticas mensuratas sistariorum triginta in integrum chum inferioribus & superioribus suis, seu chum accessionibus & ingressoras suas, & cum chartule & moniminas, seu exempla & inde pertinentes, quas ad pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli habere & hostendere potueritis, homnipotenti Deo, & ad pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli dono, cedo, trado, chonfero, offero, & per presentem paginam offertionis ibidem abendum confirmo faciendum exinde ad pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaeli archangeli, tam de fruge & laboribus, adque censum vel prestitum, quod mihi exinde annue dederit, & quit exinde opportunum fuerit. Si quis vero, cot facturum esse non credo, si ego qui supra Johannes, quod absit, vel meus heres seu quaslibet opposita persona fuerit, contra anc cartula offertionis venire quandoque temtaverit, aut eam infrangere vel dirumpere cum meo dato aut facto quesierit, tunc spondeo ego qui supra Johannes una cum meis eredibus componere ad pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli predicta petia de terra in duplum inferquidem loco sub extimatione quales tunc fuerit, & insuper pena argentum hobtimum libras centum; sic tamen si nos exinde auctores, nec defensores querere, nec dare nolueritis licentiam abeatis absque nostra persona ad pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli exinde causas agendi, responsum reddendi, finem ponendi modis hominibus ad pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli defensandi chum cartula offertionis ista homni tempore, & cum alie chartule moniminas seu exemplar, quas ad pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli abere & ostendere potueritis vel comodo, vel qualiter juxta legem melius potuerit pro mercede & remedio anime mee, ut mihi Dominus exinde semper bona tribuat. Hanc tamen cartula offertionis mee paginam Alcherius notarius domini imperatoris scribere rogavit, & ad conscribendum tradit stinquaturam supter confirmantes testibus hobtulit at roborandum constipulationem subnixa. Actum foras civitate Pisa prope ecclesiam sancti Philippi, & qui oc infrangere vel disrumpere quesierit, que superius leguntur, abeat maledictionem omnipotenti Deo & de omnibus sanctis ejus, nec vivus munera capiat, nec mortuus sepulturam habeat.

† Signum de manu supradicti Johannis, qui hanc hoffertionis cartulam pro anime sue remedium fieri rogavit.

Ego

Ego Willelmus judex domini imperatoris ss.
Ego Leo rogatus testis ss.
Ego Petrus rogatus testis ss.
Ego Benedictus rogatus testis.
Ego Gherardus rogatus testis.
Ego Alboni rogatus testis.
Ego Alcherius notarius domini imperatori post traditam complevi & dedi.

XVIII.

Theodaldus episcopus Arretinus donat decimas monasterio Prataliensi.

Anno 1030. mense decembri.

Ex chartulario Camaldulensi Fontis-boni.

Ibidem.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo tricesimo regnante domno Chunrado felicissimo rege anno vero imperii ejus quarto mense december indictione XIV. Manifestus sum ego dominus venerabilis Tehodaldus sancte Aretine ecclesie sedis episcopus, qualiter pro Dei timore, animeque mee ac successorum nostrorum antistitum remedio ad augendum victum atque stipendium cenobitarum fratrum ibi Deo servientium augere atque conferre, & in perpetuum largire curavimus integrum redditum omnium decimationum, que debentur nostro episcopio de omnibus casis & rebus, terris & vineis domnicatis, & mansis, que pertinent aut pertinere debent in perpetuum, ecclesie & monasterio sancte Marie in Pratalis de loco Bidenti consistenti in Aretinensi comitatu, quo preest abbas Sigizo; prefato autem religioso abbati eorumque successoribus in perpetuum largimur atque concedimus ad augendum eorum stipendium, ut dictum est, totum redditum omnium decimationum cunctarum terrarum ad denominatum pertinentium monasterium, ea videlicet conditione, ut idem Sigizo abbas, ejusque successores abbates in perpetuum pro anima nostra & antecessorum successorumque nostrorum pontificum Missas canent, & sacrificium offerant, & quod fieri omnibus abominamur modis, si ego ipse Tehodaldus Aretinus pontifex, aut aliquis successoribus nostris episcopis, quod Deus prohibeat, predictam decimationem totius terre prefato pertinentis monasterio quomodo habet aut in antea, Deo adjuvante, adquirere potuerit, omnibus modis tollere, subtrahere, vel minuare presumpserimus, quicumque hoc attemptare nisus fuerit, anathematis maranatha sit. Et ut nostra firmior maneat concessio, obligamus nos, nostrosque successores pontifices tibi Sigizo abbati, tuisque successoribus abbatibus, sicut dictum est, decimationem prefatam vobis tollere vel minuare presumpserimus, aut tollentibus, vel minuantibus auctoritatem vel consensum dederimus, componere promitto ego Tehodaldus episcopus, & obligo me, meosque successores pontifices tibi Sigizo abbati, tuisque successoribus abbatibus penam per argentum libras decem vobis componere & persolvere debeamus, unde hec carta concessionis a me Tehodaldo episcopo facta est, & rogavi Andream notarium, ut eam scriberet in episcopio Aretino.

Ego Teodaldus episcopus in hoc indulto a me facto ss.
Ego Gerardus primicerius ss.
Ego Petrus presbyter & prepositus ss.
Ego Johannes judex domni imperatoris rogatus testis.
Signum manuum Uvidonis filius Roizonis rogatus testis.
Signum manuum Radimeri filius Theuzonis rogatus testis.
Andreas notarius scripsit & complevit.

XIX.

Idem episcopus donat Sigizoni abbati ejusdem monasterii ecclesiam sancti Clementis prope Arretium.

Anno 1031. mense aprili.

Ex eodem chartulario.

Ad lib. XI. n. 26.

IN Dei nomine amen. Anno Dominice incarnationis M. XXXI. regnante dompno Chunrado felicissimo rege, anno vero imperii ejus V. mense aprilis indictione XIV. Manifestus sum ego Teodaldus sancte Aretine ecclesie episcopus, quia ad hoc divina providentia nos pastorem & rectorem sancte Aretine instituit ecclesie, ut iis, qui divino cultu insistunt, de bonis ecclesie, cui Deo auctore presumus, victum & vestitum impertiamur. Quo circa sancte Dei ecclesie fidelium omnium presentium simul ac futurorum dilectio noverit, qualiter nos communi consilio & consensu clericorum nostrorum dedimus & concessimus mona-

ste-

sterio sancte Marie sito Pratalie, cui preest ad regendum Sigizo abbas, integram ecclesiam sancti Clementis, que est non longe a civitate Aretina, cum tribus partibus de terra, que eidem ecclesie pertinet, que ecclesia & terra est juris episcopii nostri, ubi sanctum corpus beati Donati quiescit, eo videlicet modo, ut prefatus Sigizo abbas denominatam ecclesiam sancti Clementis a fundamentis reedificare faciat, atque ipsi vel sui successores per personas, quas providerint regere ..... deantur; hoc autem idcirco facere festinavimus, qui hi, qui curare debuerant, ut Dei obsequium exerceretur, inibi in tota exinde erant dediti desidia, ut vix festivis & dominicis diebus studerent Deo debitum peragere ibi officium. Quapropter exinde ob hoc studuimus istud expellere flagitium, & eam jam dicto monasterio concessimus, ut nostra & antecessorum ac posterorum nostrorum episcoporum anime, sicque eorum pro pietatis caussa aliquod illi oratorio sublementum impendunt, Dei valeant sentire misericordiam oratione eorum, qui ibidem Deo deserviant. Interdicimus namque & penitus inhibemus, ut nullus successor noster episcopus in hac sancta Aretina ecclesia adsistens pontifex predictam ecclesiam sancti Clementis cum suprascripta sua pertinentia, vel quam in futurum adepta erit, de potestate & regimine predicti monasterii sancte Marie vel sui abbatis, qui pro tempore .... tollere vel subtrahere presumat, neque in beneficium alicui concedendi, aut per scriptum commutationis, seu per aliquod munimen cartarum cuiquam donandi oratorium prefatum sancti Clementis ullam potestatem habeat, nullam quoque molestiam, aut remorationem seu perturbationem exinde suprascripto abbati vel suis successoribus inferat. Si quis igitur successor noster episcopus, vicedominus, gastaldius seu quelibet magna parvaque persona hujus nostre jussionis violator existere voluerit, vel ea, que ad perpetuam tranquillitatem illius venerabilis loci aucta sunt, quocumque tempore temere, malignoque consilio infringere temptaverit, & nisus inlicitam atque hanc nefandam perficere studuerit voluntatem, opere pretium esse duximus, ut huic nostre subjiciatur sententie, quatenus cum his sceleratissimis viris in die tremendi veri Dei judicii consors existat supplicii, scilicet cum Juda, qui Dominum tradidit, & cum Anania & Saphira, cum Datan & Abiron & cum Simone mago sese judicandum esse cognoscat, & insuper centum libras auri componat domno Sigizoni abbati, suisque successoribus abbatibus ad partem suprascripti cenobii, contra quod talem studuerit abuti offensam. Quod ut verius credatur & diligentius observetur, ratum, firmumque scriptum hoc nostre subscriptionis munitione firmavimus, & ut consistat, ut ab Andrea notario scriberetur, in comitatu Aretino rogavimus.

Ego Teodaldus episcopus huic judicato a nobis facto ss.

Gerardus primicerius recognovit.

Ego Petrus presbiter & prepositus ss.

Viventius archidiaconus ss.

Ego Aritio rogatus testis ss.

Signo manus Aritii filii quondam Dominici rogatus testis.

Ego Andreas notarius scripsi, & mea subscriptione complevi.

XX.

Charta emphyteusis factæ a Johanne abbate S. Gregorii de Urbe de quodam filo salinario.

Anno 1031. XXIII. maji.

Ex codice membranaceo ejusdem monasterii, pag. 112.

Ibidem.

IN nomine Domini Dei salvatoris nostri Jesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universali nonidecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli octavo, imperante domno Conrado magno imperatore anno quinto, indictione quartadecima mense majo die vigesimotertio. Quisquis actionibus venerabilium locorum preesse dinoscitur, incunctanter eorum utilitatibus, ut proficiant, cum summa diligentia procurare festinet. Placuit igitur cum Christi auxilio, atque convenit inter Johannem religiosum presbyterum & monachum atque coangelicum abbatem venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli, beatique Gregorii confessoris Christi, quod nuncupatur clivus Scauri, in hoc ab eo consentiente cuncta caterva monachorum & presbyterorum de suprascripti venerabilis monasterii, & e diverso Johannem humilem monachum, qui vocatur Debitale, ut cum Domini adjutorio suscipere debeat a suprascripto Johanne abbate, vel a cuncta ejus caterva monachorum & presbyterorum de suprascripti venerabilis monasterii in hoc sibi

sibi consentiente, sicut & suscepit suprascriptus Johannes monachus conductionis monasterii. Id est medietatem de filo salinario uno in inde, que est a duobus hominibus laboranda cum medietate de gurga & fossato seu andito & sedimine adatiplo facienda cum introytu & exitu suo, vel cum omnibus ad suprascriptam medietatem pertinentibus, positis in Campo majore in pedica, que vocatur Serpentaria, inter affines ad dictum ipsum filum, a primo latere filum heredum Stefani Brinci, a secundo latere fossatum publicum, a tertio latere filum Raynerii de Balso, & a quarto latere filum heredum Johannis, qui dicebatur Cite, sicut est inter alteram medietatem heredum Johannis Cite juris suprascripti monasterii, itaut suo studio suoque labore supradictus Johannes monachus filum ipsum in omnibus tenere & possidere debeat, & ad meliorandum Deo adjuvante cultum perducat ipse, successores sui per futuro usque in tertium gradum, tertiam personam, tertiam generationem, hoc est suprascriptus Johannes monachus, & cui voluerit relinquendi habeat licentiam excepto piis locis, vel publico numero militum seu bando, servata dumtaxat in omnibus proprietate suprascripti venerabilis monasterii, pro quibus nempe dimidio filo salinario cum sua omni pertinentia, sicut supra missum est, dare atque inferre debeat supradictus Johannes monachus & sui successores rationibus predictis suprascripti venerabilis monasterii singulis quibusque annis sine aliqua mora vel dilatione pensionis nomine denarios argenti tres in festivitate sancti Andree apostoli. Completa vero tertia generatione, ut supra legitur, tunc supradictum dimidium Aquimolum cum sua pertinentia, sicuti fuerit conciatum & melioratum, ad jus suprascripti monasterii, cujus est proprietas in inde modis omnibus revertatur, & hec omnia inviolabiliter conservare atque adimplere promittunt; quod si quisquam eorum contra hujus placiti, conventionisque cartulas in totum partemve eorum quolibet modo venire temptaverit, tunc daturos se successoresque eorum promittunt pars parti fidem servanti ante omne litis initium pene nomine auri optimi uncias tres, & post solutam penam hec cartule maneant in eorum nihilominus firmitate. Has autem duas uniformes uno tenore conscriptas cartulas mihi Johanni scriniario sancte Romane ecclesie scribendas partes dictaverunt, easque propriis manibus roborantes testibus a se rogatis obtulerunt subscribendas, & sibi invicem tradiderunt, subscripserunt, & sponsionem solempnem interposuerunt. Actum Rome die, anno, pontificatu, imperatore, in mense & indictione suprascripta quartadecima.

Signum † manuum suprascripti Johannis monaci, qui hanc cartulam fieri rogavit.

† Siginulfus frater domini abbatis testis.
† Baruntius filius Ursoni presbyteri.
† Johannes Focaciola.
† Ego Johannes scriniarius sancte Romane ecclesie post testium complevi & absolvi.

XXI.

Altera donationis factæ a Teuza ecclesiæ S. Laurentii in territorio castelli Petrosi.

Anno 1032. mense octobri.

Ex autographo archivi S. Catharinæ de Fabriano.

Ad lib. XI. n. 29.

IN nomine Domini & factum est in anno ab incarnacione Domini nostri Jesu Christi quod sunt anni Domini mille XXXII. & rennante manno Conradu imperatore anni renni..... imperii ejus in Italia tercio, & dies mense octuber indicione XIII. Ideoque nos Teuza & cum consensum & volumptatem de Raimbaldu viro suo, & ego Teuza bona & ex pontanea mea voluptate pro redencione & opsolucione anima mea, & pro anima de Johannis filio meo, donavit & tradidit in ecclesia beatu sanctus Laurentius, qui edificatus est fra ducatu Spoletino territorio Castellano in fundo...... donavit in ipse suprascripta ecclesia omnes res, que michi ovenit per cartula de suprascripto Raimbaldu viro meo ipsa terra, que est posita fra ducatu Spoletino territorio Castellano in avocabulo colle de Petra, & in..ceto & Alvareta, & a la Fonte, & justa fluvio..ano inter valle Cervaria & valle Arialdi, & est posita ipsa res fra finate finis primo latere...da sancta Lucia veniente ad prata, secundo via, que pergit da....aria, tercio latere via, que pergit da Capese venientem ad ar....a quarto latere via, que pergit da Arnanu venientem ad.... fra istis lateribus &c.

Ego Petrus scabino & notarius scripsit, complevit, & clausit.

XXII.

XXII.

Giselbertus abbas S. Urbani de Æsinante cedit quasdam terras Actoni abbati S. Victoris de Clusis, excepta ecclesia S. Michaelis.

Anno 1033. mense martio.

Ex archetypo ejusdem tabularii.

Ad lib. XI. n. 31.

IN nomine patris & filiu & spiritu sancti. Anno Deo propiciu pontificatu domno Tufelatu & universali papa sede in sede beatu Petrus apostolu anno ejus primu & sunt anni Domini mille treinta & tres & regnante domno Conradu magnu imperatore providentia imperator augustu anno ejus sexto, & die mense marcii per indiccione prima. Quoniam profiteor ego Giselbertu abbas de monasteriu sancti Urbanu, quod edificatu est justa aqua, que dicitur Senamtem, facio ista cartula cessione, opliagacione, & pena posiccione per consensu & voluntate de monahi mei, & de cuncta mea congregacione a vobis Acto abbas de monasteriu sancto Victore, & ac tui posterique & successori de ipsa rem, que fuit de Vitale presbytero, unde inter nos fuit aliqua causacione, sed nos quommodo coitavimus, quia periculu anime est isa causacione facere, sed protero venio ego Giselbertu abbas ad ipsu monasteriu sancto Victore refutavimus & dedimus per ac cartula cessione omnia medietate de ipsa terra, & insuper de alia medietate dedimus & tradedimus & concessimu modiorum unu & sestaria ses integrum concessimus ego suprascriptus Gisselbertu abbas tibi suprascripto Acto abbate & ad ipsu monasteriu sancto Victore usque in perpetuum, & esposita ipsa res infra territoriu castellu Pretosu in locu, qui dicitur Larcianum, & in campum Leutrude, & in lu colle de la battaglia, & in Varianum & in campu Martis, & in nalie loca vel vocabula ubicumque de ipsa terra, que de Vitale presbytero fui, invenire potueriti, cedo vobis domno Acto abbate ad ipsu sanctu locu, & ac tu posterisque successore, sicu superius scriptu est, omnia ipsa medietate, & ipsu modiore cum sestaria ses de ipsa terra cum omnia & ipsa casa, & cum aque, aquimoli, vel decursibus aquarum, & cum omnia, que infra se vel super se abentes in integrum & pro ipsa ecclesia beatu sanctus archangelu, quam vos non cedo, tibi de omnia ipsa res cedo, sicu superius legitur, ad abendum, tenendum & possidendu & faciatis de ipsa res omnia, que volueritis ad jura de ipsu monasteriu sanctum Victore. In tali aut ordine vel tinore exspondeo & opbligo me ego suprascriptus Ginselbertu abbate, mei posterique successores, ac tibi domno Acto abbate & ac tui posterique successori, si contra ista cartula cessione agere aut causare, contendere, infrangere, vel retollere, aut ex minuare per quamvis modi inigenium aut si ista cessione falsare presumpserimus, & si omnia non adimpleverimus, & non opservaverimus cuncta, quod superius legitur, tuc culpabilis apareamus & inferamus e veniamus in nopbligacione, & simus compositurus ego Giselbertus abbas, & mei posterique supcessori tibi Acto abbati, & ac tui posterique supcessoribus de bono auro besanti quinquainta, post pena data & opsoluta ista cesione opbliacione sit firma & stabile permaneat.

† Ego Giselbertu abbas, qui ac ista cartula cessione a me facta manu mea subscripsi.

† Ego Veneri presbiter & monahus manu mea subscripsi.

† Ego Domicu presbiter & monahus manu mea subscripsi.

† Sinnu manus de.... rogatu teste sumus.

† Sinnu manus de Martinu rogatus teste sumus.

† Sinnu manu de Majo rogatu teste sumus.

† Scripta ac cartula cessione per manu de Signaldu scabinu & notarius scripsi, complevi & inclausit.

XXIII.

Theodaldus episcopus Arretinus donat decimas eremo Camaldulensi.

Anno 1033. XIII. kl. maji.

Ex archivo Fontis-boni.

Ad lib. XI. n. 30.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Teodaldus divina gratia Aretine sedis episcopus, beati Donati licet impar vicarius, confratribus & concivibus nostris perpetuam salutem in Domino. Notissimum est vestre dilectissime fraternitati, quoniam quanto devotius ac plenius de nostra substantia Deo nostro debita sua hilari voluntate persolvimus, tanto amplius & felicius nostras divitias ampliamus, quibus & felicem vitam cum prosperitate ducimus, & ut Dominus ait, de mammona iniquitatis eterna paradisi gaudia comparamus. At, si quod absit,

Deo, qui omnia donat, persolvere sua negligimus, & paupertatem miserandam incurrimus, & ad quantam iracundiam Dominum provocamus idem ipse per Malachiam prophetam testatur dicens. Convertimini ad me, & revertar ad vos dicit Dominus exercituum, & dixistis, in quo convertam, & si affligit homo Deum, quia vos confixistis me, & dixistis, in quo confiximus te, in decimis & in primitiis, in penuria vos maledicti estis, & vos me configitis. Gens tota inferte omnem decimam in horreum meum, ut sit cibus in domo mea, & probate me super hoc dicit Dominus, sin aperuero vobis cataractas celi & effundam vobis benedictionem usque ad habundantiam; ideoque priores nostri Apostoli vel Apostolici viri, ut sacri habent canones, contendentes, tollentes aut defraudantes insolubilis anathematis vinculo innodarunt, quod vobis permaxime est timendum, cum Dominus dicat: quia quecumque ligaveritis in terra, ligata erunt & in celo. Quapropter dilectissimi filii & dilectissimi fratres de tanto vos periculo cupiens liberare & paterna cura augendis spiritualibus lucris insistere, notum vobis facio, quam sit grande peccatum de lucris vestri negotii, quod vix aut nunquam sine gravi periculo fraudis ac crimine exercetis perjurii non Deo decimas dare, quas pauperrimi ruriculæ de justis manuum suarum laboribus nulla presumunt occasione contendere, cum super decimas quoque pernecessarium vobis videatur largas indigentibus pro peccatorum vestrorum vel mortuorum remissione contradere. Sed ut ipse quoque decimarum remissionem vobis peccatorum eleemosinarum loco plenissima virtute conquirant, in eas personas illas decimas expendendas statuimus, que pro nostra, ac vestra omniumque nostrorum fidelium salute devotissimas ac assiduas ad Deum preces effundant, vestrisque stipendiis sustentati divine contemplationis, cui exequende elaborant, in terris participes vos faciant & in celis. Erit itaque, fratres dilectissimi, ut diximus, pergrave peccatum si spiritualibus & cotidie Deo assistentibus viris non plena voluntate dederitis decimas cum peccato adquisitorum lucrorum, cum pauperrimi ruricule de suis justis laboribus devoti impleant apothetas etiam secularium militum. Itaque spirituali caritate & intentione dilectissimis fratribus nostris eremitis, qui sunt & futuri sunt in eremo nostra, que dicitur Campus Malduli ad ecclesiam sancti Salvatoris, quos nobis sanctissime memorie pater ROMUALDUS procurandos gubernandosque commendavit, ex integro & in omnibus donamus, tradimus atque concedimus, & perpetuo illibatas habere statuimus & decernimus decimas omnium earum rerum, que vindendo & emendo in lucrum conquiruntur omnium Aretinorum civium urbanorum & suburbanorum, & omnino omnium nostri episcopii negotiatorum & mercatorum, provocante atque exhortante nos ad hoc ipsum amantissimo cetu nostrorum canonicorum, omniumque nostrorum fidelium, pro quorum omnium & nostra ac vestra salute hoc misericordie opus effecimus, nostri precipue miserantes, qui piissimo creatori nostro non nostra dedimus, sed sua reddidimus, cui quisquis aliquando, quod absit, tollere nostra pervertendo salubria statuta presumpserit, velut impium & sacrilegum in extremo veri Dei judicio, a justo tremendoque judice se puniendum noverit, officii quoque nostri justa auctoritate constrictus quantum damni predicto venerabili loco de predictis rebus intulerit decuplum compositionis pro solutione multetur, & ut quod jussimus efficaciter Domino adjuvante impleatur, & firmissima stipulatione etiam in posterorum notitiam reservetur idem scriptum, & propria manu subscriptione firmavimus, & a nostris fratribus similiter nixum nostri sigilli evidenti impressione solemniter insigniri jussimus.

Ego Teodaldus episcopus huic decreto a me facto subscripsi.

Gerardus primicerius subscripsi.

Viventius archidiaconus subscripsi.

Ego Petrus presbiter & prepositus subscripsi.

Ego Rusticellus subdiaconus subscripsi.

Ego Benizo presbiter subscripsi.

Ego Johannes diaconus, qui Ventius vocor, subscripsi.

Ego Albizo clericus laudans interfui.

Raynerius presbiter subscripsi.

Venerandus presbiter & canonicus subscripsi.

Gerardus cancellarius recognovi & annui.

Data XIII. kal. maji anno ab incarnatione Domini M.XXXIII. anno vero pontificatus domni Teodaldi episcopi X. & per manus Gerardi cancellarii indictione prima.

Actum in claustris canonicorum.

Guido fratrum minimus domni Petri quondam eremi prioris & venerabilis anachorete vicarius hanc, ut instituit, dictavit, petiit, & impetravit, orate ei requiem sempiternam.

Pendet sigillum in cera alba.

XXIV.

XXIV.

Guido episcopus Volaterrarum confirmat jura & bona monasterio SS. Justi & Clementis prope eamdem urbem.

Anno 1034.

Ex Augustini Fortunii Hist. Camald. P. II. pag. 56.

lib. XII. n. 5.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Dum divinis cultibus vigilanter intenditur, ardentius propagatur. Unde fit, quod licet in seculo ex necessitate videatur manere quicumque hujusmodi est mente, tamen celestibus propinquans contemplationis motibus, labentia cuncta supergreditur, & secundum Paulum apostolum dissolvi cupit, & esse cum Christo. Multo melius, quod nobis, qui pastoris nomine apud homines censemur, imitandum est: & sic ea que exteriora sunt, inoffenso pede agere oportet; quatenus mansuris & eternis bonis animo semper intenti ad illam hereditatem pervenire mereamur quandoque coronandi. Unde in psalmo canitur: Cum dederit, inquit, dilectis suis somnum, hec est hereditas Domini. Quia electi cum labuntur in mortem carnis, tunc celestem sortiuntur hereditatem. Hanc itaque hereditatis sententiam ego Guido sancte Volaterrensis ecclesie episcopus, licet immeritus, mente sedula revolvens, meique presulatus ordinem magni ponderis mole onustum perpendens, ut illam celestis regni hereditatem divino adminiculante presidio adipisci valeam, bonorum profectibus operum pro viribus incumbens ad reparandos ecclesiarum mihi commissarum honores mentis mee intentionem studio religiosi operis toto conamine direxi. Cumque multis insisterem operibus & secularibus curis pressus devotionem mentis probis operibus ad votum explere non possem, tandem divino succensus desiderio ad sanctorum confessorum monasterium Justi videlicet & Clementis prope predictam urbem constructum ordinationis novitate adhuc egenum mentis intuitum reduxi. Hic namque locus predictorum confessorum patrocinio luculentus tanto est & salvandis animabus amabilior, quanto est a seculari tumultu remotior, & sanctorum ibi quiescientium extat religionis honore coruscus. Quamvis enim precipuorum veneratione confessorum locus fuisset eximius, usque tamen ad nostri predecessoris felicis memorie Gumfredi tempora incultus jacuit, & inordinatus permansit. Prelibatus igitur antistes monasterium ibi fieri decrevit, adhibitisque in eodem loco fratribus & venerabili abbate constituto, qui usque ad nostra tempora Domino juvante perdurat, vite necessaria in quantum valuit studiose ministrare curavit; qui quousque vixit prediis aliisque muneribus novi monasterii paupertatem fovit. Et quoniam queque fuerant necessaria, mortis meta interveniente, explere non valuit, mihi, qui successionis cathedram in prefata ecclesia tenere videor, ad sacri loci reparationem, atque augumentum credo relictum fuisse a Domino; non enim diffido me participem fore tante remunerationis, si adjutorium impendere satago tam sacre, venerandeque ordinationi. Ego inprimis quecumque Gumfredus felicis memorie episcopus eidem prelibato monasterio concedit, ego Guido episcopus confirmo nulla necessitate constrictus, nec alicujus muneris promissione vel donatione infectus, sed corde perfecto & animo volente pro Dei amore, speque remunerationis future, necnon & pro animabus antecessorum seu etiam successorum meorum episcoporum videlicet istius Volaterrani episcopii, necnon & pro anima Benedicti summi pontificis & universalis pape, atque pro salute anime Conradi serenissimi imperatoris auguste memorie senioris mei, necnon pro salute Henrici gloriosissimi regis filii ejus, atque pro remedio animarum imperatorum, sive regum istius regni, atque pro salute & remedio animarum ducum seu marchionum Tuscie, necnon pro animabus omnium illorum, qui de suis rebus prelibato monasterio aliquod beneficium faciunt, vel facturi sunt, concedo, confirmo atque in perpetuum jungere exopto. Eo videlicet ordine, ut si forsitan (quod absit) aut ego, aut aliquis ex meis successoribus, vel aliqua persona ecclesiastica, sive secularis quacunque occasione tollere voluerit, aut imminuere aliquid ex his rebus, que prefate ecclesie fuere, vel que nominatus antistes inibi contulit, vel que ego, Domino juvante, per hanc confirmationis & donationis cartam dare modo videor, vel daturus sum cum Juda traditore in infernum partem habeant, & sint anathema maranatha *&c.*

Actum anno M. XXXIIII.

† Ego Guido sancte Volaterrensis ecclesie episcopus, quamvis immeritus, in hanc ordinationis cartam a me libenter factam subscripsi.

XXV.

Placitum de bonis monasterii Venacensis SS. Stephani & Benedicti in Corsica.

Anno 1034.

Ex codice monasterii S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Ad lib. XII. n. 8.

ANno Dominice nativitatis septeno centesimo decimo nono indictione II. *Manifesto sia a tutte persone, che legeranno & oderanno questa carta. Quando venne messer l' abate Giulio abate de l' isola di Monte Christo, & misser Placito abate di sancto Stefano & sancto Benedicto di Venaco de l' ordine di Monte Christo con li sua frati innanzi a misser Rolando conte per la grazia di Dio, & signore di tutta l' isola di Corsica, & innanzi a misser Giulio giudice, & innanzi a messer Johanni legato in Corsica, & altri boni homini, che ivi erano. Et lamentandosi de sua possessione, ch' elli avevano in Venaco, le quali sono terminate & per termini, che indicano li nobili signori Alberto e misser Domenico fratelli carnali e figliuoli quondam misser Guidone de li Signori de Corsi. Et lamentaronsi di Martinello del Lavatogio, di Rustichello de la Selva, e de Vollelo de la Basa, e de Somello de le Mustoline, di Vintello, di Volivo & di Volanduccio d' Osigia, d' Andreuccio de lo Merzeno, di Salvuccio de lo Mojeno, de Salvuccio de lo Musuleo, & de Vivolo de lo Quarceto, de Bertuccolo de lo Vignale, e de Zaviccio de lo Zojo. Et questi buomini diceano, che non doveano dar salvo decima a la badia de sancto Stefano de Venaco. E questi dicti abati diceano, che tutta la possessione era propria de l'abbadia. Et questi abati appresentaro sua carta dinanzi a misser Rolando & a misser lo judice & a misser lo legato. Et per questo, che videro & odiro, sententiaro e scapolaro quella possessione a li sopradicti abati. Et feceno comandamento, che questi sopradecti buomini deggiano pagare libre cento de poni danari. Et fecero comandamento, che infra tre mesi deggiano uscire fora de questa possessione sotto pena di* CCC. *fiorini d' oro, & da parte di messer lo legato sotto pena de excommunica, che infra tre mesi ne deggiano andare con tutti li sua beni, & più non vi deggiano entrare, salvo ad voluntate de li dicti abati di Monte Christo,* cum qua est *la dicta abadia di Venaco. Et diseno, che questi nobili signori de Corsi & sue heredi deggiano essere soi defensori, che sono padroni de la decta badia.*

Actum a Fogata, ubi dicitur *Marcorio* presente me notario. Testes Georgius de campo Merli, *Vivaldino de Corsi, Albertinello de Corsi, Ficone de Bosi, Ursaciolo* de Petra juxta & *altri più assai.*

Et ego Nicolaus quondam Arrico notarius sacri imperii hanc chartam rogatus fui, & scripsi, firmavi & dedi.

Et ego Leonardus quondam Laurentii notarius domini legati, & sacri imperii ibi fui, & vidi & signum meum consuetum apposui.

XXVI.

Donatio Taiberti facta Bono abbati & monasterio SS. Mariæ, Quirici & Torpetis de Moxi diœcesis Pisanæ.

Anno 1034. XIIII. kl. januarii.

Ex authentico tabularii archiep. Pisarum n. 99.

Ad lib. XI. n. 11

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni anno ab incarnatione ejus M. XXXIIII. regnante domino nostro Currado gratia Dei imperator augusto anno imperii ejus in Italia septimo XIIII. kalendas genuarii indictione secunda. Divine gratie munere superne virtutis auxilium faucibus diabolice potestatis eruti, ut misericors Dominus eterne patrie gaudiis faciat coheredes sedulis admonitionibus grebrisque preceptis in forma, unde est illud: Venite ad me omnes qui laboratis & honerati estis & ego vos requiescere faciam, ut ne quis de via adeo perveniendi vel qualiter ab eo recipiendi esse facultas dubitare, quod promisit ipse certum ostendit formula cum dixit: Dimittite, demittetur vobis, date & dabitur vobis. Se tamen hoc idem docuisset sengniter quis agere ortatur ipse alibi cum dicit: Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. Hanc vocem item & homines debent frequentissime meditare, quatenus semper pre oculis mentis habeantur oportet ...... omnipotentis Dei misericordia hujus mundi divitiis vel quibuscumque temporalibus adjuvamentis noverit consolatus ex his, qui accepit ab eo quantum...... gratiarum actione quod sibi nec sit cuncta quo habet concessa, quia regnum Dei quantum abet, tantum valet:

valet: quod nec credi possit, Dominicis instruimur documentis, quod munus due minute devote offerentes plus ceteris omnibus offerentibus operibus obtulisse. Unde ego in Dei nomine Taiberto, qui Signorino vocatur, filio bone memorie Teuperti, qui Teutio vocabatur, de comitatu & territorio Pisense per anc cartam offersionis per remedium anime mee & per remedium anima suprascripti quondam Teuperti, qui Teutio vocabatur, qui fuit genitor meus, & de genitrice mea, seu per remedium anime omni parentum meorum & omnium peccatorum meorum ordinavit per hanc paginam offersionis ex rebus hereditatis mee Deo mihi collatas, offero, dono, cedo & trado omnipotenti Deo & tibi ecclesia & monasterio sancte Marie & sancti Quirici & sancti Turpis sito loco Moxi ad portionem meam, que mihi contingit de ipsa ecclesia & monasterio sancte Marie, sancti Quirici & sancti Turpis, unde donno Bono abbas electus esse videtur, ad meam portionem ex integra de septem inter casis & cascinis seu casalinis & rebus *&c.* Actum loco & finibus Moxxi ad suprascripto monasterio.

Signum manus suprascripti Taiberti, qui Signorecto vocatur, anc cartula offersionis fieri rogavit.

Ego Guilielmo notarius domini imperatoris rogatus testis ss.

Signum manus Guinitii & Petri germani filii bone memorie Petri & Gerardi filio bone memorie Albiti testes.

Ego Ildebrandus notarius post tradita complevi & dedi.

Ego Enricus sacri palatii Lateranensis notarius authenticum illud vidi & legi, unde hanc exemplar exivi subscripsi.

Ego Ubertus notarius domini imperatoris authenticum illud vidi & legi, unde hanc exemplar exivi subscripsi.

Ego Gualfredus notarius domini regis authentico illo vidi & legi, & fideliter exemplavi.

XXVII.

Altera, quam fecerunt Johannes & Petrus Urso abbati & monasterio S. Victoris de Clusis.

Anno 1034. mense julio.

Ex archivo Fabrianensi S. Catharinæ.

Ad lib. XII. n. 9.

In nomine Domini, & factu est in ani ab incarnacione Domini nostri Jesu Christi, quod sunt anni mille treinta & quartum, regnante domno Corradu magnu imperatore providentia imperator augustus anno ejus septimum, & die mense juliu per indicione secunda. Ideoque ego nos Johannes & Petrus &...... filii quondam Asterii &...... quondam Stefanum & Durafilia presente per consensu & voluntate de mundualdi sui ambi in simul communiter nostra bona propria voluntate propter Dei timore & salute anime nostre & anime Adamo dedimus & tradedimus in ipsu monasterium, quod est vocabulo sancto Victore, quod edificatu est in locu, qui dicitur Victorianum, & ac tibi domno Ursu abba, qui est custos de ipsu monasterium, & ac tui posterique successori usque in perpetuum ide est aliquis de re proprietatis nostre, que nobis oveni, posita est res nostra in campu Diriani super valle Euduli, & est infra locum & finaite finis *&c.*

Ego Sigualdus scabinu & notarius scripsi, complevi & conclausi.

XXVIII.

Tertia, quam fecit eisdem abbati & monasterio Guiburga filia Adalberti.

Anno 1035. mense januario.

Ex eodem chartulario.

Ad lib. XII. n. 12.

In nomine Domini, & factu est in nanni ab incarnacione Domini nostri Jesu Christi, quod sunt anni Domini mille treinta e quinque, & regnante domno Conradu magno imperatore providentia imperator augustus anno ejus optavo, & die mense igenuarius per indiccione tertia. Ideoque ego Guiburga, que Sicca vocata, filia quondam Adalbertu bona mea propria voluntate *&c.* dedimus & tradedimus usque in perpetuum in ipsu monasteriu beatu sanctum Victore, quod edificatum est in locu, qui dicitur Victorianum, & tibi domno Ursu abbati, qui estis custode pro ipso monasteriu, ac tuis posterisque supcessoribus usque in perpetuum, ide est aliquis de res proprietatis mea, que est posita infra ducatu Spoletinu in strata Ritrorsu castellum Petrosum, locu qui dicitur Caspereri, & in ipsa plazia de valle Lindula, & est posita ipsa res inter iste duo pecie, a primo latere *&c.*

Ego Sigualdus scabinu & notarius scripsit, complevit & inclausit.

XXIX.

XXIX.

Amitia Leonis filia terras largitur monasterio Pratalienſi.

Anno 1035. menſe auguſti.

Ex archivo Fontis-boni §. Donatio. n. 76.

Ibidem.

IN Dei nomine anno. Dominice incarnationis milleſimo triceſimo quinto anno autem domni Chunradi Romanorum imperator auguſto nono menſe auguſto indictione tertia. Manifeſta ſum ego Amitia filia quondam Leoni, quia per cartula judicati volo, e judico, e trado, approprio tibi a monaſterio ſancte Marie matris Criſti de loco Pratalia pro remedio anima mea, ideſt omnia integre quatuor petie de terra mea, ſicut mihi per cartula vindictionis obvenit da Inghitio presbiter filio quondam Aghitruda, que ſunt poſite fra territorio de plebe ſancte Marie ſito Partina in caſale Contra, una eſt cum caſa ſuper ſe abentes in avocabulo Caſtagnitulo, alie a valle Andree & inavocabulo Iſola & Ingunna, ſicut modo recte & tenute ſunt pro filiis meis, ſicut mihi pertinet per jam memorata cartula adefendendum, ſicut ibi continet & relegere videtur cum jam dicta caſa & vinea & omnia, que ſupra ſe abentes in integrum judico e trado a proprio a ſupraſcripto moneſterio, e nullam exinde non reſervavi poteſtatem nec tibi ſupraſcripto moneſterio antepono nullam exinde abeatis moleſtiare, ſi preſumpſerimus moleſtare, vel de quolibet ominem me nime potuerimus defenſare non defenſaverimus omnis temporibus ab omnibus ominibus vel feminibus integra prefata mea judicationem ſicut in tempore fuerit meliorata ibidem in propincuo locas e ſimile rem omnia ſub eſtimatione de meis propriis rebus in dupplo compromitto & compono ego, qui ſupra, Amitia cum meis filiis eredibus in prenominato moneſterio. Et ſi oportum fuerit, licentiam abeatis vobis vel avocato de ſupraſcripto moneſterio cum ea carta cauſare quomodo vos melius potueritis placitum ſuperare a veſtra proprietatem ipſius moneſterium abendum.

Supraſcripta vero cartula judicati a me, que ſupra Amitia facta, qualiter ſuperius legitur, Actio notario ſcrivere rogavit. Actum Aritio.

† Singno mano de ſupraſcripta Amitia, que anc cartula, qualiter ſupra legitur, & mano ſua ſcrivere rogavit.

† Singno mani Petrus caſtaldio, & Bonicho filio Johannis rogati teſtes.

Ego Actio notarius ſcripſi & complevi feliciter.

XXX.

Libellus emphyteuſis cujuſdam fili ſalinarii ſcriptus a Stephano abbate S. Gregorii de Urbe.

Anno 1036. kl. junii.

Ex codice ejuſdem monaſterii pag. 113.

Ad lib. XII. n. 15.

A Vobis peto domno Stephano religioſo presbytero & monacho atque coangelico abbate venerabilis monaſterii ſancti Andree apoſtoli, quod ſitum eſt in territorio Colinenſi, in hoc tibi conſentiente cuncta caterva monachorum & presbyterorum de ſupradicti venerabilis monaſterii, uti ego Benedictus opifex, qui pronomine Joppo vocor, heredeſque mei habeamus licentiam ad ſupplendum inferius conſcriptos annos, quatenus cum Chriſti auxilio locare committereque jubeatis libelli nomine, ideſt filum ſalinarium unum in inde, quod eſt totum ipſum filum a duobus hominibus omni tempore laborativum cum gurga & foſſato ſeu andito, & locum adatipplo faciendi cum introitu & exitu ſuo vel omnibus ad id pertinentibus poſitis in Voſdiviaria, que vocatur Vetula, inter affines a primo latere filum Berrardi Culno aurificis, a ſecundo latere filum Petri, qui appellatur Moyſen, a tertio latere foſſato majore & a quarto latere via publica juris veſtrique monaſterii ad tenendum, colendum, & ad inferius ſcriptos annos poſſidendum a die kalendarum juniarum preſenti quarta indictione, & uſque in predictas kalendas eaſdem in annis videlicet vigintiquinque: ita ſane ut preſtet exinde [rationibus pars noſtra veſtreque parti ſingulis quibuſque annis ſine aliqua mora vel dilatione penſionis nomine quinquaginta ruccla ſalis p. . . . p. . . . vigintiquinque modia, & unum modium de flore ad rucclum qualis per eamdem pedicam andaverit: etiam ipſum ſalem de flore cum meo uticulo & cum omni meo expendio adducere tibi polliceor uſque in cella veſtri monaſterii, quam habetis ad regionem ſancto Apollinario. Convenit ſiquidem inter nos, ut, ſi quod abſit, infraſcriptis annis vigintiquinque migravero

ro, & legitimi filii masculi mihi remanserint, tunc suprascriptum filum possideant usque ad consumationem ipsorum annorum. Si autem legitimi filii masculi mihi non remanserint, statim cum primitus fuero mortuus ipsum prefatum filum in potestatem vestri monasterii modis omnibus revertatur, & non habeamus licentiam hunc libellum vel annos, quot in eum continet, ulli alii persone hominum primitus vendere, nisi ad te tuosque successores in pretio, quantum juste appretiatum fuerit, minus triginta denarios, & si vos emere nolueritis, licentiam habeamus vendere ipsos annos nostros, cui voluerimus tali persone hominum, ut omnia, que supra leguntur, vobis persolvat, & ipsos triginta denarios similiter vobis tribuemus. Si qua vero pars contra fidem horum libellorum venire temptaverit, tunc det pars infidelis parti fidem servanti ante omne litis initium pena nomine auri optimi untias duas, & post solutam penam maneant horum libellorum cartule in earum nichil ominus firmitate. Unde petimus, ut unum ex duobus libellis uno tenore conscriptis per manum Grimaldi scriniarii sancte Romane ecclesie una cum vestra roboratione nobis contradere dignetis, ut dum consecuti fuerimus, agamus Deo & vobis maximas gratias. Anno quarto pontificatus Benedicti noni pape in mense & indictione suprascripta nona.

† Stephanus humilis abbas.

† Leo presbyter & monachus.

† Benedictus presbyter & monachus.

† Leo filio Gizo ex meratore testis.

† Johannes, qui vocatur de Franco aceto, testis.

† Johannes, qui vocatur Quuldaquano, testis.

† Ego Grimaldus scriniarius sancte Romane ecclesie post testium complevi & absolvi.

XXXI.

Petrus abbas Campi-amabilis, seu Camalduli, concedit in emphyteusim terras Petro, Bonizoni & Leoni germanis.

Anno 1036. prid. kl. octobris.

Ex archivo Camaldulensi. §. Consensus. n. 1.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo tricesimo sesto anno autem domni Chumradi Romanorum imperator nono pridie calendas octuber indictione quinta. Et ideo ego Petrus abbas de ecclesia & monasterio eremitarum sancti Salvatoris de loco, qui dicitur Campo amabilis, qualiter per anc libello e nostra conveniencia dare & confirmare providit me Petrus & Bonizo & Leo germani filiis quondam Leoni, idest integra una petia de terra cum vinea, que est posita fra territorio de plebe sancte Marie sito Partina in casale Munte inavocabulo Susculisi, sicut recta e tenuta fuet per suprascripto genitore vestro, & vos mihi reffutata abetis seo do vobis per isto libello tres stariorum per estimationem alertimo stario grano seminando de una petia de terra mea donnicata, que est in ipso casale in avocabulo Baluscoli, tam suprascripta vinea & suprascripti stariorum de terra illa cum omnia super se abentes, in eam rationem dedit vobis a mano vestra tenere, & eas laborare & fruere debeatis cum vestris filiis eredibus, & einde dare & rendere debeatis vos, qui supra, germanis vel vestris filiis eredibus mihi, qui supra, abbas & a meis posteris successoribus censu annua habet per onne circuli anni in mense octuber dinariis quatuor boni expendivili quali tum dies pro isto comitato Aritino percurrunt, & isti dinariis perexolvere debeatis nos aut a misso nostro, & non amplius, & a mandatum nostrum venire debeatis exinde a justitiam faciendum & si vos atimplentes, & ego qui supra abbas meis posteris successoribus vobis, qui supra, germanis vel a vestris filiis eredibus sint .... vinea illa retollere vel minuare, vel qualivet superflua vobis & desuper imposuerimus e nisi suprascripto censo, tunc componere promitto & compono ego, qui supra, abbas & successoribus meis vobis germanis & a vestris filiis eredis penam numerum de bono ariento solidorum viginti. Iterum repromitto nos germani cum nostris filiis eredibus tibi, qui supra, abbas & a tuis posteris terra & vinea illa dimiserimus, aut apejoraverimus e suprascripto censu non atimpleverimus, compromittimus similem penam solidorum viginti, qualiter supra legitur scrivere rogavimus. Actum Aritio.

Signo manibus de predicti germani anc libello scriver....

Signo manibus Wido e Ribaldo e Rustico corog....

Ego Actio notarius scripsi & conplevi feliciter.

XXXII.

XXXII.

Immo seu Hirenfridus episcopus Arretinus confirmat eremo Camaldulensi bona donata a Theodaldo episcopo, & alia eidem insuper largitur.

Anno 1037.

Ex eodem archivo. §. Privileg. A. 1. 48.

Ad lib. XII. n. 16. IN nomine sancte & individue Trinitati. Immo, qui & Hirenfridus sancti Donati vicarius, dum pro salute animarum, que nobis sunt commisse, juxta pastoralis cure sollecitudinem una cum cardinalibus clericis nostris, singulas plebes & monasteria circumiremus, tandem in quemdam locum, qui dicitur Campus Malduli, in mediis alpibus Thusciam & Romaniam dividentibus devenimus, in quo loco pie recordationis antecessor noster Theodaldus episcopus ecclesiam in honore Salvatoris Domini nostri Jesu Christi edificavit, & quosdam fratres inibi deputavit, qui sub domno Petro venerabili eremita superni regni coheredes effecti terrena patrimonia intra sacrarium celestis aule transtulerunt, atque singuli in singulis cellulis constituti, dum sese toto nisu ad superna erigunt, mentis oculos in conditoris desiderio figunt. Sunt igitur viri Deo pleni, igne divine contemplationis succensi, spiritu ferventes, Domino servientes, quibus visis multo gaudio repleti fuimus, agentes dignas Deo gratias, pro eo quod tales in nostro episcopatu Christi reperimus servos. Quapropter nosmetipsos & cunctum clerum & populum nostrum eorum sanctis commisimus orationibus, deprecantes ut tanto magis apud omnipotentis misericordiam pro nobis intercessores existant, quanto magis per divinam contemplationem Christo appropinquant. Quia igitur penna contemplationis ad alta se sustollunt, ac per hoc secularibus rebus exinanescunt, internis quidem, que appetunt abundantes, externis vero que negligunt, tenues, justissimum est, ut nos qui utrumque exercemus, ab utroque manipulos ad aream Christi ferentes venturo judici occurramus, & quod illis sit ad momentaneum solamen nobis prosit ad indeficientis vite levamen. In primis igitur confirmamus & in perpetuum corroboramus predicto confratri nostro domno Petro eremite, ejusque successoribus in eternum omnia que bone memorie domnus Theodaldus episcopus antecessor noster eis concessit, & per paginam sui privilegii sub excommunicatione & anathematis vinculo confirmavit, hoc est medietatem ecclesie sancti Miniatis in villa, que dicitur Alina, cum medietate de tribus mansis sicut reguntur per Viventium & Bonizonem presbiteros cum suis consortibus, & unum mansum in Monte, sicut quondam fuit rectus per Ursum Lanfredi, & modo regitur per quosdam suos nepotes. Dedit quoque illis terram, quam tenet quidam Moriculus clericus, & integras decimationes de villa, que dicitur Alina, & Pergentine, & Corsignano, & Avana & Largnano. Hec sunt igitur, que eis concessit denominatus antecessor noster T. episcopus, & ut nos quoque cum predictis fratribus eremitis in eterna satietate celestibus dapibus reficiamur, de nostra mensa aliquid eis charitativa manu porrigere festinamus. Damus igitur illis & in eternum confirmamus in sumptum & alimoniam confratrum eremitarum per manum domni Petri venerabilis eremite integram aliam medietatem ecclesie sancti Miniatis in villa, que dicitur Alina, cum sua pertinentia, & unum mansum in villa, que dicitur Pergentina, sicut regitur per Ursonem & suos consortes, & unum mansum, quem tenent incole Gerardus & Theuzo, & quartam partem unius mansi in Ventulini, sicut regitur per Joculo. Præterea jubemus & irrefragabiliter per hujus nostri privilegii paginam confirmamus, ut unusquisque homo quicumque habitat infra plebem sancte Marie in Partina, & sancte Marie in Bujano, & sancti Hippolyti in Biblena ex nostra auctoritate tollat unum sextarium frumenti de sua decimatione, eumque fratribus eremitis offerat in ecclesia sancti Salvatoris ibidem in Campo Malduli ad eorum parsimonie victum & vestitum, sicut ab antecessore nostro T. episcopo est decretum, & a nobis confirmatum. Hoc autem in mense Augusto per singulos annos adimpleat quicumque de supradictis plebibus in regno Christi partem habere desiderat. Quia igitur quondam sancte memorie antecessor noster T. episcopus, & nos pro salute animarum nostrarum, seu antecessorum & successorum nostrorum episcoporum sancto Salvatori in alimonias fratrum eremitarum presentium ac futurorum concedimus per eterna seculorum spatia ratum, firmum atque inconcussum debet manere a Deo patre omnipotente, & Domino nostro Jesu Christo, sanctoque Spiritu interdicimus, ut nullus

nullus noster successor hujusce Arretine ecclesie episcopus, nullaque episcopii nostri magna aut parva persona predictum fratrem Petrum eremitam, suosque posteros successores de his, que sancto Salvatori concessimus ad usum & sumptum fratrum eremitarum, aut ipse a nobis, sive ab aliis Deum timentibus adquiesierint, devestire, tollere, molestare, inquietare presumat: quod qui fecerit, nisi emendaverit, in die tremendi judicii sese tamquam sacrilegum & reum a Domino judicandum pertimescat. Ut hec igitur nostra confirmatio a nobis nostrisque successoribus in eternum conservetur, hujus nostri privilegii paginam manu propria firmantes communi sigillo sancti Donati corroborari jussimus per manus Gerardi primicerii & cancellarii nostri anno Dominice incarnationis millesimo trigesimo septimo indictione.... &c.

Ego Irenfridus quamvis indignus subscribendo confirmavi.

Locus ✠ sigilli in cera alba.

XXXIII.

Præceptum Conradi II. imper. pro monasterio S. Apollinaris in Classe.

Anno 1037. xv. kl. maji.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Ad lib. XII. n. 18.


✠ IN nomine sancte & individue Trinitatis. Chonradus divina favente clementia Romanorum imperator augustus.

Si nostrorum fidelium petitionibus aures nostre serenitatis accommodaverimus, promptiores ac devotiores eos in nostro obsequio fore nullatenus titubamus. Omnium sanctæ Dei æcclesiæ nostrorumque fidelium presentium scilicet ac futurorum noverit solertia Lambertum presbiterum & monachum atque abbatem Ravennatem monasterii sancti Apolenaris, quod asserunt fundato dudum in civitate cognominata Classis, nostrumque devotissimum fidelem nostram in omnibus exorasse celsitudinem, quatinus pro Dei amore, animeque nostre perpetua salute, corroboraremus atque firmaremus, & ex nostra benignissima largitione concederemus & deliberaremus in perpetuum confirmandum per hoc nostri precepti atque pragmatici scripti inviolabilem paginam omnes res & possessiones quascumque prefata aecclesia prelibati monasterii quibuscumque cautionibus vel deliberationibus visum est possidere in integrum. Cujus sacris petitionibus justisque desideriis devote & libenter annuentes & adsensum prebentes corroboravimus atque confirmavimus ex nostro jure & dominio in ejus jus & dominium transfundimus, videlicet quaecumque conjacent res monasterii tam in Monarchia, quamque per singula loca nostri regni, statuentes itaque decernimus posterioresque tuos abbates ab omni functione publica liberos permanere. In territorio Tudertino monasterium unum, cui vocabulum est sancta Luminata cum omnibus videlicet suis apendiciis circumquaque & ubique conjacentibus: seu etiam in comitatu Perusino cellas quinque, quarum una est fundata in eadem civitate Perusia, cujus vocabulum est sancti Severi; secunda est capella sancte Margarite in massa Saliatica cum omnibus casis & casalibus cunctisque appendiciis earum; tertium est monasterium sancti Petri, quod est fundatum in Colle; quartum est similiter in honore sancti Petri, & est situm in Valle de ponte juxta fluvium Tiberis; ex altera vero ripa Tiberis est quintum positum in honore sancti Fortunati; hec omnia cum suis pertinentiis & apendiciis ubique consistentibus & conjacentibus: In comitatu vero Augubio massa, que dicitur Bignoli, sive per cetera loca ejusdem comitatus, videlicet curtem, que nominatur Pretorium; & alia que vocatur monte Baroncelli; tertiam vero, que vocatur Narcianula cum omnibus sibi subjacentibus. In comitatu autem Firmano curtem unam integram, que vocatur Campo longo, cum omnibus sibi pertinentiis; necnon etiam castrum unum, cujus vocabulum est Pausuli; alterum vero castrum, ubi turrem ædificata est, & est vocabulum Petrorii, a primo latere de supradictis curtis fluvius, qui vocatur Tena, secundo latere comitatu Kamerino, a tertio latere fluvio Potentino, a quarto vero latere littus maris. In comitatu Sinogalia massa una, que vocatur Merolaria, & casale, que vocatur Mauri, necnon & trium fundorum, quorum vocabula sunt Ingalati, & Arile, & Donatiano cum suis justis & certis in terra finibus. In comitatu autem Fanense monasteria quatuor, quorum vocabula sunt sancti Viti; & alio sancti Martini; tertius sancti Apolenaris; quartum sancte Marie, a primo latere fluvio Susano, ab alio latere aqua Albella, a tertio latere rivus, qui vocatur Maturio & Sassobartis, a quarto latere jura sancti Laurentii.

rentii. In civitatis ejusdem comitatu ecclesiæ tres; unam in honorem sancti Viti; alia in honore sancti Christophori, que est edificata in muro pubblico; tertia in honore sancti Apolenaris cum casis & ædificiis tam in civitate, quam extra civitatem. In comitatu Pesariensis villa, que vocatur Tresale cum omnibus sibi pertinentibus & subjacentibus, necnon & curtem, que dicitur Vallicella cum omnibus sibi tam antiquis, quam modernis temporibus additis; castrum quod vocatur Florentio, & fundum unum, qui vocatur Ronco Raviniano cum suis confinibus omnibus. In comitatu autem Ariminensis sive in civitate, sive extra civitatem per quecumque loca coadjacentia tam in planis, quam in montibus culta & inculta, & massa, que vocatur Utiana, & castrum, quod vocatur Gajo cum suis justis & certis in terra finibus, necnon & massam que vocatur Branchese, & Ruffiense cum omnibus sibi pertinentiis, & certis in terra finibus; necnon curtem unam integram cum castro suo, quod vocatur Pissatellum, cum casalibus & appendiciis suis, & cum omnibus ad easdem pertinentibus. In comitatu Cecinate tam in civitate, quam extra civitatem, & curte que vocatur Sucuniano cum fundis & casalibus & appenditiis earum, & cum omnibus ad easdem pertinentibus. In comitatu Sarcinate monasterium sancti Angeli cum curte integra, que vocatur de Plano, cum castro & turrem ibi ædificata cum casalibus & appendicibus suis. In comitatu Pupiliensi curtem unam integram cum castro suo, qui vocatur Balneolo, cum fundis & casalibus & appendicibus suis. In comitatu Liviense massa, que vocatur Barisiana, cum fundis & casalibus & apendicibus suis, & curtem, que vocatur Portisiago, cum suis justis & certis in terra finibus. In comitatu Faventino curte, que vocatur Quadrata, cum fundis & casalibus suis, idest fundum Trentula, & Pituli, & Susciana, Saltum majorem & minorem, Granariolum, & Coriolago, & Presentiano, & domum cultam cum omnibus suis pertinentiis, & suorum stabilissima integritate. In territorio Corneliense monasterium, quod dicitur sancti Petri cum omnibus sibi pertinentibus, & massa, que vocatur Quinta, cum fundis & casalibus & suis certis in terra finibus, necnon & massa, que dicitur Solustra, cum fundis & casalibus & apendiciis suis & cum suis justis & certis in terra finibus. In supradicto comitatu Ariminense curtem unam integram, que vocatur Fontana Sabbatina, cum suis justis & certis in terra finibus, necnon & aliam curtem, que vocatur Sala, cum æcclesia sanctæ Mariæ ibi ædificata, & alia Sala, que dicitur Nova, in integrum cum omnibus suis pertinentiis & coherentiis atque subjacentiis, cui pretexate Sale sunt coherentes undique, a primo latere fluvius, qui discitur Pisciatellus, secundo lateri Vetreta & Paveriano, tertio lateri limes, qui dicitur Arzer percurrens a Paveriano usque in stradella, & rivus, qui vocatur de Fabrica, definiens & derivens usque in mare, & ipsum litus maris quantulucumque inibi pertinere videtur in integrum. Concedimus etiam quidquid regale est in Castaneto, & in Bulgaria & Branchise, & etiam castrum unum, quod vocatur Casaliclo, cum fundis & casalibus suis, & cum suis terminibus undique positis. In territorio Ravennate in Decimo æcclesiam unam cum curte integra, que vocatur Aqua longa, & sanctæ Mariæ in Batiano, etiam sanctæ Mariæ in Pratella cum fundis & casalibus & apendicibus suis. Confirmamus etiam curtem integram, quæ vocatur Gamellaria cum suis justis terminibus. Corroboramus in predicto venerabili loco beati Apollinaris monasterium unum sanctorum Marci, Marcelli atque Felicule cum fundis & casalibus & omnibus sibi pertinentibus tam in civitate Ravennate, quamque extra civitatem. Deliberamus etiam monasterium unum, qui vocatur sancti Vincentii intus in civitate Ravennate cum casis undique positis & certis in terra finibus. Confirmamus etiam monasterium unum, quod vocatur sancti Eleuchadii & sancti Probi, largimus etiam terras & silvas circumpositas ejusdem monasterii in terra fines & terminos earum, ab uno latere ripa, que dicitur Ursaria, usque ad littus maris percurrens ipsum littus cum suis finibus milliariis tribus; ab ipso autem littore, sive etiam usque ad portum Classicanum, quartum autem latus aqua, que vocatur Rofredena, & villa nominata Balneolo. In comitatu Phorosinphroni monasterium unum, cui vocabulum est sancta Suphia cum fundis & casalibus & appenditiis suis. In comitatu Ficoclensi omnes res quantascumque detinere quacumque scriptione vel deliberatione videmini. Insuper infra civitatem Ravennate monasteria duo, unum quod vocatur sanctæ Mariæ in Pace, cum casis & hortis undique positis cum suis terminis, & alium, quod nominatur sanctæ Mariæ in Ortale cum casis & ortis & cum puteis & cum suis certis in terra

terra finibus. In territorio Comacliense casis, ortis, pratis, pascuis & vineis cum salinis in diversis locis posite, & monasterium unum, cujus vocabulum est sanctorum Quadraginta, & sancti Viti cum suis justis & certis in terra finibus, ab uno latere .... a secundo latere ..... a tertio latere ..... a quarto latere ...... In supradicto comitatu Faventino fundum unum integrum cum castro suo & cum casalibus & appendicibus suis. Quin etiam in jam dicto comitatu Sarcinate massam unam, que vocatur Civorio, cum castro & turre sua, cum fundis & casalibus suis & certis in terra finibus. Concedimus etiam & precipientes statuimus, ut nullus dux, aut archiepiscopus, marchio, comes, vicecomes, schuldachius, castaldo, aut aliquis publicus exactor in aliquibus prediis & possessionibus per quecumque omni loca conjacentibus & residentibus, aut hominibus suprasedentibus vel inhabitantibus theloneum aut aliquam functionem publicam per alicujus tituli districtionem audeat exigere vel exquirere, nec aliquam invasionem vel diminorationem aut temerariam presumptionem vel depredationem quoquomodo agere vel inferre presumendo pertemptet. Si quis igitur hanc nostre semper & ubique inviolande cautionis, firmationis, deliberationis & concessionis, & voluntariæ distributionis paginam, quod absit, quoquo modo temerario ausu infringere conatus fuerit, sciat se compositurum centum libras auri, medietatem camere nostre & medietatem prelibato monasterio sancti Apolenaris. Quod, ut melius credatur diligentiusque observetur ab omnibus, manibus propriis presentem paginam roborantes nostri sigilli impressione inferius jussimus insigniri.

Signum domni Chuonradi invictissimi Romanorum imperatoris augusti.



Kadelohus cancellarius vice Erimanni archicancellarii recognovit.

Datum XV. kalendas maji anno Dominice incarnationis M. XXXVII. indictione quinta anno autem domni Chuonradi secundi regni XIIII. imperii XI.

Actum Ravennæ. Feliciter amen.

Pendent fila sigilli deperditi.

XXXIV.

Placitum, in quo confirmatur jus in curtem & in ecclesiam S. Petri de Clatina Uberto abbati & monasterio Berardingæ.

Anno 1037. v. nonas maji.

Ex exemplo Huberti Benvoglientii, ex Ughellio T. III. col. 536. *ac ex Muratorio* T. III. col. 963.

Ad lib. XII. n. 17.

DUm in Dei nomine in comitatu Senense locus prope burgo, qui dicitur Arbia, in judicio resedebant donnus Hermannus Coloniensis archiepiscopus & archicancellarius sacri palacii, una cum Bertolfus comes missi domni Conradi invictissimi imperatoris ad singulorum omnium justicias faciendas hac deliberandas, residentibus cum eis Berizo nunc comes filius bone memorie Berardi, qui fuit comes, & Johannes venerabilis sancte ejusdem Senensis ecclesie episcopus, & alius Johannes Lucensis episcopus, & Wido Clusiensis episcopus, & Raineri comes filius b. m. Widoni, qui fuit comes, & Gherardus, & Albertus, & Ubaldus, & Ubaldus, & Gesbertus, & Farolfus judicibus domini imperatoris, & Lambertus & Petrus notarii domini imperatoris, & Raineri & Walfredi germani filii b. m. item Gualfredi, qui fuit comes, & alio Raineri & Guatzulino germani filii b. m. Walfredi, qui fuit comes, & Raineri de Rofino filio b. m. item Raineri, & Ugonem filiis b. m. Ubaldi, & Petro filius b. m. Vivenzi comes, & ...... filius b. m. Supponi, & Raimundo filius b. m. Raineri ...... & reliqui plures. Ibique in eorum veniens presentia donnus Ubertus venerabilis abbas ex monasterio sancti Salvatoris sito in campo ibi, qui dicitur Fonte bona, una cum Vido notario avocato suo, & ostendebant ibi in eodem judicio monimentum unum, idest documentum de predicta ecclesia & monasterio, in quo continebantur omnibus casis, castris, & ecclesiis, seo terris & rebus domnicatis, massaritiis, simulque servis & ancillis, movilias & immobilibus, omnia & in omnibus, & insuper ibi continebantur cuncta & integra res illa, que est in vocabulo Clatina, cum ecclesia sancti Petri ibidem posita, & omnes res & substantias, sicuti b. m. Vuinisi, qui fuit comes filius b. m. Raghinari una insimul cum Ri-

Richilda ejus conjuge in predicta ecclesia & monasterio per ipsum documentum pro eorum anime redempcione donaverunt atque concesserunt in ipsum sanctum ac venerabilem locum, monimentum ipsum ostensum & ab ordine relectum. Interrogatus est ipse predictus Ubertus abbas una cum predictus avocato suo ab his judicibus & auditores pro quo monimento ipso ibi in judicio ostensissent, qui dixerunt, vere monimentum ipsum in judicio vestris ostensimus presentiis, ut omnibus vobis cognitum sit, ut integra .... in predicto loco Clatina una cum predicta ecclesia sancti Petri ibidem posita, que in predicto monimento legitur, ut ipse predictus Vuinigi comes una insimul cum predicta Richilda ejus conjuge in predicta ecclesia & monasterio per ipsum documentum dederunt, atque concederunt jure proprietario nomine, & cum taliter retulerunt ipse predictus Ubertus abbas cum jam dicto suo advocato ceperunt dicere hac reclamare. Jam plures vices nos reclamati sumus ad vos domnus Hermannus archiepiscopus, & domnus Bertulfus comes super Rainerius filio b. m. Ghisolfi, & super Ildebrando & Vuido & Enricus germanis filiis b. m. Isalfridi, eo quod malo ordine & contra legem ipsa prefata ecclesia & monasterio disvestivit de integra prefata curte & res illa de Clatina, & de predicta ecclesia sancti Petri ibi posita, quod sunt de sub jure de prefata ecclesia & monasterio sancti Salvatoris, unde ipsa prefata ecclesia & monasterio legibus, & per ipsum predictum documentum investita fuit ad suam proprietatem, & vos prefatus dominus Hermannus archiepiscopus, & Bertolfus comes ad prefatus Rainerius & a predictis germanis multos direxistis missos, & vos nullo modo ad vestrum potestis habere placitum. Unde nos querimus, ut vos de ipsa suprascripta curte & res illa, & de prefata ecclesia sancti Petri in eleemosina domni Conradi imperatoris vestraque mercedem investiatis. Cum ipse prefatus Ubertus abbas una cum advocato suo taliter retulissent; tunc ipse domnus Hermannus archiepiscopus & dictus Bertolfus comes, & judices, qui ibi aderant, recordati sunt & dixerunt, quod ipse jam dictus Ubertus abbas cum prefatus advocato suo per plures vices reclamare vidissent, & eos nullo modo ad nostrum placitum habere potuerimus; tunc ipse Hermannus archiepiscopus, & prefatus Bertolfus comes fecerunt predictus Rainerius & Wido & Enrico & Ildibrando per ipsum placitum intus & foris querere & vociferare, & eos nullo modo habere potuit, & ibi eos minime invenerunt, tunc ipse jam dictus Hermannus archiepiscopus per fustem, quas in suis tenebat manus ipse prefatus Ubertus abbas una cum prefato avvocato suo de integra prefata curte, & res illa de jam dicta ecclesia ad salva querela investiebant, & insuper misit bannum domni imperatoris super ipsas prefatas res & super ipsa prefata ecclesia, simulque & super ipse abbas in auro optimo libras centum; ut nullus quislibet homo, magna parvaque persona ipse prefatus abbas suosque successores de ipsa jam dicta curte & res illa, & de suprascripta ecclesia sine legale judicio disvestire audeat. Quique vero fecerit, sciat se compositurus predicte libras auri medietate pro camera domni imperatoris, & medietate a pars predicte ecclesie & monasterio, & ad ejus abbatem, qui pro tempore ibidem fuerit. Unde hanc notitia per securitatem eidem ecclesie & monasterio & illius abbati, qui pro tempore ibidem fuerit, factum est ostensione eidem ecclesie & monasterio ostendendam fieri jussimus. Quidem & ego Lambertus notarius ex jussione de suprascripto Hermannus archiepiscopus & misso & judicum ammonitione scripsit in anno Domini Conradi invictissimi imperatoris anno imperii ejus Deo propitio undecimo, quinto nonas madii indictione quinta.

Hermannus Dei gratia Coloniensis archiepiscopus, & sacri palatii archicancelarius subscripsi.

Johannes episcopus interfui & scripsi.

Ego Gerardus gratia Dei Romani judex imperii interfui & scripsi.

Ego Vitalis judex sacri palacii interfui & subscripsi.

Lambertus notarius ibi fuit, & anc notitiam subscripsi.

XXXV.

Ugo donat monasterio Pratalienси jus suum in ecclesiam S. Michaelis de Silva.

Anno 1038. mense januario.

Ex archivio Fontis-boni §. Donatio n. 84.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnatione millesimo tricesimo octavo anno autem domini Chumradi Romanorum imperator augusto undecimo mense jenuario indictione septima. Manifestus sum ego Ugo filio Alfridi, quia per cartula judi-

Ad lib. XII. n. 21.

judicati e meo testamento volo, e judico, e confirmo, e trado aproprio tibi a monasterio sancte Marie matris Cristi de loco Pratalia pro mercede e ex remedio anima mea, e anima de suprascripto jenitoris meo, & jenetricis me, idest omnibus casis, e terris, e vineis, e tota res juris mea, e integra mea portione, que mihi contagne da parentibus meis de ecclesia santi Michaelis archangeli, que est in casale la Silva, omnia & in omnibus, sicut ego Ugo modo visus sum abere & tenere, vel aliis omnibus vel feminibus tenuerit de mea parte & mihi successi de jure concessionis parentorum meorum, sive de patre meo, sive de matre mea vel da aliis omnibus, qui supra positi fra comitato istius Aritino fra territorio sancte Marie sito Partina, e fra territorio de plebe sancti Ippoliti sito Biblena, in casale Caminza, e in casale la Silva, e in casale Lonnano, e in casale le Camprina, vel per alie casalia & avocabulis, e pendiciis ubicunque de suprascriptis rebus illi pertinere vel invenire potueritis tam de ereditate, quam de conquisito cum solamentas edificiis earum curtis, ortas, terris, vineis, pratis, campis, silvis, vel reliquis pumiferis, aquis, rivis e pascuis, cultum vel incultum, divisum & indivisum &c. Qua vero cartula judicati a me qui supra Ugo facta, qualiter supra legitur, Acto notarius scrivere rogavi. Actum Aritio.

† Singno manibus Petrus castaldio e Glitto filio Reinberti, e Riharilo qui e Rillo rogatis testis.

Ego Acto notarius scripsi & complevi feliciter.

XXXVI.

Fundatio monasterii sancti Petri in Montecònero prope Anconam facta a comitibus Ugone, Amezone & Aufredo.

Anno 1038. VIII. aprilis.

Ex archivo ejusdem monasterii n. 73.

Ad lib. XII. n. 22.

IN nomine Domini. Annis ab incarnatione domini nostri Jesu Christi millesimo trigesimo octavo & in temporibus domini donni Benedicti summi pontificis & universalis pape in apostolica sanctissima beati Petri apostoli sede anno ejus octavo, & regnante domino Corrado magno imperatore augusto anni imperii ejus & in Dei nomine & in anno duodecimo & die octavo mensis aprilis indictione sexta Auximi civitate.

In nomine sancte & individue Trinitatis. Agnoscant omnes Christicole nos Ugo comes filius quondam Mezoni comitis & Adelasi conjuge sua & Amezo comes filius quondam Mauricii comitis & Aufredo comes filius quondam Amezoni comitis: accessissent sacerdotes & levitas, plurimosque nostre provincie laicos, eorumque sumpsissent consilium, qualiter ecclesia beati Petri apostoli, que sita est in fundo monte Conero cum suis vocabulis territorio Humanato Auximum constituto in monasterio virorum Deo famulantium, & regi Domino preces pro incolumitate & pace viventium & requie defunctorum fundentium fieri jugiter atque perpetualiter deberet sub ratione nostrorum patronorum nostrorum heredum: his imperactis ordinavimus nos ibi Guimezo abbati omnium monachorum primatum tenere, suisque successoribus, concessimusque eis circa prefatam ecclesiam gruttam cum ecclesia sancti Benedicti, que est posita in loco, qui dicitur Petra abbatis, & inter terram vineam & silvam modiorum trecentum & quindecim cum omnibus suis pertinentiis. Concedimus nos supradicti donatores nostra portione donno Pancratio, qui est edificate in fundo, qui dicitur monasterio cum omnibus suis pertinentiis quantum ad ipsam nostram portionem pertinet. Et ego supradictus Amezo comes concessi Dei proli, ut qui ibidem stare videtur in fundo monasterio ipsam meam portionem, & per singulos quoque annos carreta de vino una, que est tota ipsa pars, insimul a primo latere, & a secundo & a tertio latere littus maris quippe decrevimus, ut abbas vel fratres ipsius loci, res sibi concessas a jure nostro subtrahere nullo modo valeant, & in alterius usum transmutare. Commutationem vero absque nostra licentia facere non presumant. Annis vero singulis abbatem vel suos in solemnitate sancti Petri cereo uno seu heredibus nostris masculinis pro benedictionibus. Hec vero oblatio cum omni reverentia suscipiatur & ipsa oblatione in ipso super sepulcrum cenobio statim offertum sit. Quòd si, quod semper absit, abbas inflatus superbia hoc adimplere distulerit, sciat se compositurос aureos esse septem; & hoc repromittimus nos suprascripti patroni nostrisque heredibus in contra hoc decretum a nobis factum intentaverimus aut corrumpere aut infrangere vel falsare voluerimus, aut sub aliis hominibus mittere vo-

voluerimus, aut si de supradicta ecclesia, & de supradictis rebus supradictum abbatem vel suosque successores foras expellere voluerimus. Et in omnibus stare & defensare promittimus, & quod si defendere non potuerimus aut si sibi non observaverimus de omnibus, que supra scripta habentur, non solum peccator animarum existat, sed in perjurio concurrat: sed compposituros nihilominus promittimus nos supradicti patroni, seu heredibus nostri dare tibi suprascripto abbati vel tuis successoribus in suprascripto ipso beato sancto Petro, qui preordinati sunt, pene nomine aureos solidos optimos marchie centum, & post pena data & absoluta hec cartula decretum in sua permanere firmitate, & de ipsa congregatione de ipso supradicto monasterio quando casus evenerit, ut abbas moriatur, unus de supradictis monachis eligatur, qualiter ipsam congregationem insimul voluerit, scriptam per manus ...... ejus Auximi sub die & anno indictione supradicta sexta Auximi civitate.

† Signum manus Ugo comitis & Adelasi jugales.

† Signum manus Amezo comes.

† Signum manus Aufredo comes.

† Signum manus Jugo judex ibi feci *&c.*

† Ego Asro judex sacri palacii interfui *&c.*

† Giso in hoc decretum rogatus manu mea scripsi.

Johannes in hoc decretum rogatus manu mea scripsi.

† Gulielmus hoc decretum rogatus manu mea scripsi.

Ego Tab. tabellio de comitatu Auximi scriptor hujus cartule decretum, sicut superius habetur, post scriptione & roborationem testibus complevi & absolvi.

XXXVII.

Charta venditionis factæ Petro abbati S. Salvatoris de Campo-amabili.

Anno 1038. mense junio.

Ex autographo archivi Fontis-boni.
§. Emptio. n. 38.

Ad lib. XII. n. 21.

IN Dei nomine amen. Anno Dominice incar. millesimo tricesimo octavo anno autem domni Chumradi Romanorum imperator augusto undecimo mense junio indict. sexta. Constat me Ugo filio quondam Teutio, quia per cartula vindictionis vendidisset, & certum est vindedit, & ac tradedit aproprio tibi Petroni abbas de ecclesia Dei & sancti Salvatoris de loco & a vocabulo Campo amabilis, idest suprascripta integra meam portionem, sicut mihi successit vel succedere debet de jenitore & jenitrice mea, & mihi in portionem contagne vel contagnere debet da germano meo, vel da aliis parenti & consortibus meis de omnia integra casa, & sorte, & res illa, que est posita fra territorio de plebe sancte Marie sito Partina in casale Munte, que modo recta & tenuta est per Johannes filio quondam Petroni cum solamentas & deficiis earum, curtis, sortas, terris, vineis *&c.* vindo & trado, unde nulla exinde non reservavit potestatem, nec tibi antepono & pretio exinde recepit da te rem movile pro solidis triginta pro finito pretio *&c.* Actum Aritio.

† Singno mano de suprascripto Ugo, qui anc cartula vindictionis & manu sua scrivere rogavit.

Ec carta in eodem vero pactum dedit Ugo a predicto abbas in loco pigno pro solidis duo de dinariis de ariento, & vino cogno uno usque in solemnitatem sancti Mihae archagneli proximo veniente, si ipso Ugo at illo termine vendiderit, a predicto abbas pro dicti dinariis & vino ipso abbas vendere debet a predicto Ugo ista carta & terra & proprietatem, & si non vendiderit ipso abbas ipsa carta & terra illa & proprietatem firmiter abeat & teneat.

† Singno man. Teuto filio Acto, & Petro filio q. Teuti, & Bonito quondam Rustico & filio quondam Lamfridi rogatis testis.

Ego Acto notarius scrisi & complevi feliciter.

XXXVIII.

Testamentum Ugonis comitis castri Brittonorii.

Anno 1039. XVI. augusti.

Ex tabulario archiep. Ravennæ. Caps. F. n. 1912.

Ad lib. XII. n. 26.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi amen. Anni ipsius millesimo XXXXIIII. indictione VII. mense augusti die XVI. Quia metu mortis tollit hominibus perfectum sensum habere. Ideo ego Ugo exiguus

guus comes castri Brittonori, quamvis sim eger corpore, tamen mente sanus sum, & voluntate propria res meas ita disponere volo, ut Deus inde honoretur, & anima mea indetrimentum non patiatur. In primis precipio, ut medietatem castri Montis sassi restituatur Sarsensi episcopo, quia injuste teneo. Castrum Montis frasconis restituo totum monasterio sancte * eternitatis (*sic*). Et si aliquid in partibus illis injuste retineo, ut restituatur. Pro anima mea precipio, ut centum libre detur. Item volo & precipio, ut Girardus filius meus sit michi heres in totum, & volo, ut det sorori sue Marie totum, quod habeo in Marchas, & ipse habeo in partibus Romanie. Et si Girardus sine filiis masculis mortuus fuerit, totum, quod habeo in plano, sicque castrum Brittonorii cum toto tenimento suo & cum pasajo de Forinpopuli, & cum Maliano, quia tenimentum Maliani usurpavi. De tenimento Medole & totum, quod habeo in plano, archiepiscopi Ravennati restituatur, & nunc ad presens restituatur totum, quod tuli de tenimento Medole in dicto archiepiscopatu. Tamen si filie femine habuerit, habeat totum, quod in montaneis partibus habeo, quia castrum Brittonorii non est michi concessum, ut filie femine habeant. Ubertum servum meum liberum relinquo cum tota familia sua, sed tamen quocumque tempore domus mea sine filiis masculis remanserit totum, quod habeo in plano, predicto archiepiscopum restituatur. Civitella de Galiada restituatur sancto Ylaro cum toto tenimento suo. Hec est mea ultima voluntas, unde septem testes rogo. In primis Ubertum, Guarnerium Stefani Pagani, Uberto Azonis, Johannes Johannis stulti, Gusbertus de Caro, Ugolinum de Rolando, Petrus Sparanzellus.

* Trinitatis.

Ego Petrus notario precepto suprascripti testatoris hoc testamentum scripsi & complevi.

Ego Causa Dei gratia Ravenne tabellio scripsi hoc exemplum sine fraude, ut in authentico vidi & legi.

XXXIX.

Donatio facta monasterio Pomposiano a Gebehardo archiep. Ravennate.

Anno 1040. xx. aprilis.

Ex autographo chartarii S. Benedicti de Ferraria. A. ✠. V. 7.

✠ IN nomine patris & filii spiritus sancti. Anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis ac huniversalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede octavo die vigesimo mensis aprilis per indictione octava ferrarie. GEBEHARDUS SERVUS SERVORUM DEI DIVINA GRATIA ARCHIEPISCOPUS SANCTE CATHOLICE RAVENNATIS ECCLESIE OBLATOR EXIGUUS. Cum summe divinitatis potentia in sacra regiminis arce non meritorum gratia sed ineffabilis sue pietatis arbitrio pro multorum obtutibus nos locare dignatus est, illud nos ambire cotidie admonet, quod ad perennem capessendam indulgentie censuram pertinere potissimum, & fore dignoscitur. Unde & beatissimorum Sanctorum, & maxime intemerate virginis Marie necessitudo me adire compellit suffragia, ut qui propriis viribus ad tantam sarcinam perferendam nequaquam existo idoneus ... prece plachandum & usque magis oraculo substentor si non in omnibus, in quibusdam tamen presulatus officio dignitatem vite mee moribus valeam adequare. Igitur ego Gebehardus umilis atque peccator sancte catholice Ravennatis ecclesie archiepiscopus una cum ordinariis clericis sancte nostre Ravennatis ecclesie, nec non cum consensu episcoporum confratrum meorum. In tuo vero cenobio beatissimo theotωcos virginis Marie, in quo Guido presbiter atque abbas preesse videtur, modis omnibus previdi constituere atque confirmare anteriora precepta, & insuper que in illis releguntur. Idest ecclesiam sancti Petri apostoli cum curte sua integra, que vocatur Ustulatus, cum omnibus suis pertinentiis, sicut in anterioribus preceptis relegitur. Similiter confirmamus in prefato monasterio curtem integram, que vocatur Monterionis, cum fundis & apenditibus suis. Necnon monesteria, quorum hec sunt nomina. Videlicet sancti Stephani, qui vocatur Majoris & sancti Barbatiani & sancti Zacharie atque sancti Stephani, qui vocatur Junioris; & mona-

Ad lib. XII. n. 33.

monasterium sancte Marie, quod vocatur Scenodochium, cum omnibus rebus & pertinentiis suis. Etiam confirmamus tibi Guidoni, & per te in prelibato sancto acque monasterio tuisque successoribus in perpetuum, omnes cartas enfiteoseos que annis elapsis eidem monasterio facte sunt. Et insuper concedimus & confirmamus in supradicto monasterio, idest mansum unum integrum qui vocatur de Casale, quam usque modo detente usque fuerunt a jure nostra teu..... constitutum territorio, a primo latere habet sancti Savini intra fines ab uno latere strata publica, ab alio latere possidet comes Ariminensis, seu a tertio latere rivus, qui.... atque a quarto latere juris sancte nostre Ravennatis ecclesie. Insuper confirmamus in perpetuum & damus prenominato monasterio omnes res & pertinentias quantascumque habetis vel detinetis per qualemcumque modum vel titulum, scilicet mansiones, terras, vineas, silvas, paludes, vel piscarias a nostra ecclesia, vel a monasteriis eidem nostre ecclesie subjectis. Que igitur omnia memorata loca, vel sicut superius legitur, sub tali videlicet ratione concedimus atque confirmamus tibi tuisque successoribus pro redimedio anime mee meorumque successorum, quatenus ut tu & tui successores ac confratres, qui ibi sunt vel qui per tempora ibidem ordinati fuerint, orationes, que in tuo anteriore precepto, quod a nobis in tuo prefato monasterio concessum est, releguntur, adimplere & facere debeatis. Et pro omnibus rebus & pertinentiis, quas nos vestraque prefata ecclesia detinere videmini a jure sancte nostre Ravennatis ecclesie pensionem persolvere debeatis nobis nostrisque successoribus vel sancte nostre Ravennati ecclesie oct...... in festivitate sancti Apollinaris viginti solidos de Veneticorum denariis. Si quis vero tam nostri successores, quam quevis major aut minor persona contra hujus nostre donationis atque confirmationis preceptionis scriptum quicquam aliter agere presumpserit, & prefata loca & res ad ipsum monasterium pertinentes a jure & dominio regularium monachorum, qui per tempora fuerint, in tuo venerabili templo beata mater Dei virgo, quovis tempore per quemlibet, ut dictum est, contractum alienaverit, vel munitiones inovaverit, nisi resipiscat, & emendaverit, suscipiat indissolubile anathematis vinculum trecentorum decem & octo sanctorum patrum Niceni concilii atque cum Juda scariothis Jesu Christi domini nostri traditoris compar existat & cum antiquo oste condemnetur diabolo, & abitaculo justorum privetur eterno, & nullo modo in memoria veniat apud Dominum. His qui a tuo venerabili templo hec omnia, que a me tibi confirmata atque donata sunt, beata Virgo, alienare aut surripere, ut superius diximus, atenptaverit ea que ex tuis propriis muneribus a limina tua tibi deserviendum regularium monachorum perenniter tribuimus possidendas. Quam ob rem & enicxa prece deposco, ut mihi tuo inutili famulo licet inmerito, attamen qui pro summo desiderio cordis prelibata munuscula amoris studio tibi confirmare atque donare disposui, veri luminis mater, quatinus digneris obsecrationibus obtinere aput Filium tuum, ut abolitis meorum scelerum vinculis eterne vite participem efficiar. Quam preceptionis ac voluntarie nostre confirmationis & donationis paginam GERARDO notario sancte nostre Ravennatis ecclesie scribendam jubentes precepimus, & ut verius credatur subter manu propria, ut perpetualiter permaneat roborandam mandavimus sub die & mense & indictione prelibata octava. Ferrarie.

Ego Gebehardus Dei gratia archiepiscopus hoc preceptum fieri jussi & ss.

† Ego Hugo Parmensis episcopus ss.

Ego Ivo Placentinus episcopus ssi.

† Ego Sigefredus Dei nutu Regensis episcopus ssi.

Ego Adalfredus Bononiensis episcopus ssi.

† Ego Ubertus Saxenatis episcopus ss.

† Ego Johannes gratia Dei Ficoclensis episcopus in hoc precepto ss.

† Ego Rolandus gratia Dei sancte Ferrariensis ecclesie episcopus ss.

Ego Lambertus abbas in hoc precepto ss.

Ego Bonizo abbas sancti Severi in hoc precepto laudans ss.

Ego dd. abbas sancti Johannis evangeliste in hoc precepto ss.

Ego Bonizo sancte Marie in Cosmedi abbas in hoc decreto ss.

Ego Deusdedit sancte Ravennatis ecclesie diaconus hoc preceptum laudans ss.


Ego Giselbertus sancte Ravennatis ecclesie archipresbyter in hoc preceptum laudans ss.

Ego Adam presbyter sancte Ravennatis ecclesie consensi & ss.


Ego Ravennus cardinalis presbyter in hoc precepto ss.

Ego Vitalis subdiaconus & cantor sancte Ravennatis ecclesie in hoc precepto laudans ss.

Similes subscriptiones reperiuntur in alio



TABVLAM·HANC·TOPOGRAPHIC·
COMITATVS·DIVI·MICHAELIS·LEMMI
IN·HISTRIA
CAMALDVLENSI·ABBATIAE·DIVI·MATHIAE
PROPE·MVRIANVM·VENETIAR·ADIECTI
A·MAVRO·MONACHO·ET·COSMOGRAPHO
INLVSTRI
MEDIO·RECVRR·SECVLO·XV·
ELABORATAM
NE·VLTERIVS·TEMPORIS·INIVRIA·VITIARETVR
AERE·INCIDI·CVRAVIT·
MAVRVS·ORTES·ABBAS·
parenzo
san michiel
la bataia
mte de sã michiel
santo andrea dele calexele
paludo
monte passini
mte de mariana
mariana
strada
corona
mõ caluo
piera de cõf.
orsera
saline
peschiera
fontana de parezo
pota grossa
molini del ucõ de parezo
strada chetira da orsara a san michiel de lemo del ordine de camaldole



alio præcept
Lambertus
lenaris abbas
hannes grati
ſie epiſcopus
byter *tantum*
bitur.

Azcica filiæ
mitum Hi
abbati &
Lemmo in

Ann

Ex veteri

IN nomine
tatis. A
M. XL. regn
regis anno
ctione x. Ec
edificiis, qua
firmatur: &
tur hoc, qu
ſibi ſervienti
literarum m
te temporum
ne largitorun
ſimiles noſtr
diripienda im
explicatis te
ptione inique
ab auſu tem
mno recedan
ma Azcica t
tre Wecelin
matre Hyſtr
comitiſſa pr
rem Dei &
que Michael
hanne abbate
congregatis
qui dicitur
mino Engel
epiſcopo ead
milima devo
tis affectu d
cula tranſmi
igitur predic
domine Wilp
tis, & con
ſui, qui cor
libus viris,
prefacte Dei
domni Johan

alio præcepto Gebehardi anni 1031. *Sed* Lambertus abbas *appellatur* sancti Apollenaris abbas. *Et legitur subscriptus* Johannes gratia Dei sancte Cesenatis ecclesie episcopus; *& insuper Adam non* presbyter *tantum*, *sed* archipresbyter *subscribitur*.

XL.

Azcica filiæ VVecellini & VVilpurgæ comitum Histriensium donat bona Johanni abbati & monasterio S. Michaelis de Lemmo in territorio Parentino.

Anno 1040. XII. maji.

Ex veteri exemplo archivi S. Mathiæ de Muriano.

Ad lib. XII. n. 35.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno Dominice incarnationis M. XL. regni domini Henrici felicissimi regis anno VI. mensis maji die XII. indictione X. Ecclesiarum Dei status non tam edificiis, quam edificatorum beneficiis confirmatur: & ideo satis necessarium ducitur hoc, quod eisdem Christi ecclesiis ad sibi servientium sustentationem confertur literarum memorie mancipari, ut si forte temporum longevitate deleta cognitione largitorum violenti quilibet, quorum similes nostra etiam generat etas ad ea diripienda improbas manus extenderint, explicatis testimoniis veritatis ex conceptione inique cupiditatis erubescant, & ab ausu temeritatis proprie non sine damno recedant. Igitur qualiter inlustrissima Azcica totius nobilitatis compos, patre Wecelino, & Wilpurga nobilissima matre Hystriensium quondam comite & comitissa procreata, ecclesiam ad honorem Dei & sancte Marie virginis, beatique Michaelis archangeli a domno Johanne abbate, ac reliquis fratribus ibidem congregatis super altitudinem ripe sinus, qui dicitur Lemnus edificatam, & a domino Engelmaro venerabili Parentino episcopo eadem invitante consecratam humilima devotione & benignissimo caritatis affectu dotaverit hac brevi scriptiuncula transmittit notitie futurorum. Dat igitur predicta domina Azcica consensu domine Wilpurge matris sue adhuc viventis, & consensu domini Wolderici filii sui, qui coram stabat, presentibus nobilibus viris, qui subterius manifestantur, prefacte Dei ecclesie ad sustentationem domni Johannis abbatis, fratrumque suorum & cunctorum eis in perpetuum succedentium servum unum & ancillam, & predium quoddam non modicum indivisum & inseparabile, sibique totum coherens, inter jacens partim prediis infrascripte domine, partim territoriis sancti Mauri, & aliorum hominum secundum quod illustris Jacobus Almenrici filius advocatus ejusdem in capitibus & lateribus designavit & terminis quoadjacentium deffinivit. Incipit enim a monte, qui dicitur Passivus, & pertransit juxta possessam domini Albini, recurrens infra quindecim passibus juxta latus possesse, & ab eodem loco decurrit recto tramite usque ad cyrum, a qua arbore retroreducitur juxta possessam ejusdem domine usque ad plagium de valle Felectosa, & ab ea valle vadit in directum juxta Casaliola, postea vero dirigitur sursum & reflectitur usque ad arcam sepulture ibi sitam, deinde vadit in longum juxta possessas descriptas, & ab hinc retorquetur sursum usque ad coronam terre sancti Mauri. Ab illa vero corona dirigitur per latum secus pedes montium de Nogarda & de Lodomo usque ad Lamam spinosam, que est juxta viam publicam. Inde autem reclinat infra se aliquantulum juxta eamdem viam, & preterea vergit in obliquum secus carse de monte Fosco recta linea usque ad modulum, & inde reducitur recto tramite usque ad lacum de monte Fosco, & ab illo lacu vertitur per transversum finito scilicet circuitu suo usque ad prenotatum montem, qui dicitur Passivus. Hoc igitur predium apertis finibus longe lateque signatum sepedicta domina offert prelibate Dei ecclesie sancte Marie & sancti Michaelis a servis suis ibidem famulantibus, presentibus & futuris in perpetuum possidendum nullo unquam temporis homine absque eorum consensu inibi partecipaturo. In aliis etiam territoriis suis, que undique sibi circumjacent, liberam prebet facultatem omni tempore, quo eis necesse fuerit, laborandi sine aliqua pensione vel redditu. Hac itaque oblatione facta eadem domina una cum supradicto Jacobo advocato suo, consensu Wodelrici filii sui investivit domnum Johannem abbatem & reliquos fratres sibi subjectos de omnibus his sub lege perpetue pensionis, mandans heredibus suis, cunctisque suis successoribuc per adtestationem tremendi judicii nunquam ea, que sepedicte ecclesie Dei ipsa devoto corde obtulerat, de potestate servorum Dei furorem incurrat, & vite presentis transitum gehenne ignibus deputetur, atque in novissimo extremi judi-

judicii die ſeparetur a dextris, & cum ſiniſtris eternis tradatur incendiis concremandus quiſquis hec, que ipſa pia cordis intentione Dei eccleſie donaverat diripere de poſſidentium manu preſumpſerit, nec tantum careat preſentibus damnis, ſed cogatur decem libras auri exſolvere, medietatem camere regie, medietatem vero injuriam paſſis, ſitque ei in eternum anathema maranatha.

XLI.

VVilpurga comitiſſa bonis ditat idem monaſterium de Lemmo.

Anno 1040. XII. julii.

Ex antiquo apographo ejuſdem chartularii.

Ibidem.

IN nomine Dei eterni amen. Anno Dominice incarnationis M. XXXX. regni domini Heinrici feliciſſimi regis anno VI. indictione X. die XII. menſis julii. Eccleſiarum Dei ſtatus non tam edificiis, quam edificatorum beneficiis confirmatur: & ideo ſatis neceſſarium ducitur hoc, quod eiſdem Chriſti eccleſiis ad ſibi ſervientium ſubſtentationem confertur, literarum memorie mancipari, & ſi forte temporum longevitate deleta cognitione largientium violenti quilibet, quorum ſimiles ſibi generat etas etiam noſtra ad ea diripienda improbas manus extendere explicantur teſtimonio veritatis ex conceptione inique cupidinis erubeſcant, & ab auſu temeritatis proprie non ſine damno recedant. Igitur qualiter illuſtriſſima domina Wilpurga mater Hiſtrienſium totius nobilitatis compos, quondam comitis & comitiſſa procreata eccleſiam ad honorem Dei & ſancte Marie virginis & beati Michaelis archangeli a domno Johanne abbate & reliquis fratribus ibidem congregatis ſuper altitudinem ripe ſinus, qui dicitur Lemus edificatam, & a domino Engalmero venerabili Parentino epiſcopo eadem invitante conſecratam humillima devotione & benigniſſimo charitatis affectu doptaverat, & voluit ante mortem ſuam omnia ſua territoria deſignare, hec brevis ſcriptiuncula tranſmittit notitie futurorum. Dat igitur predicta domina Wilpurga conſenſu domini Wecellini, & conſenſu domini Woldorici, & conſenſu filiorum & filiarum ſuarum preſentium nobilium, qui ſubterius manifeſtantur, prefate Dei eccleſie ad ſubſtentationem domni Johannis fratrumque ſuorum & cunctorum eis ſuccedentium unum territorium non modicum indiviſum & inſeparabile, ſibique totum coherens ſecundum quod illuſtris Jacobus Almerici advocatus filius ejuſdem in capitibus & lateribus deſignavit, & terminis coadjacentibus definivit. Incipit enim a monte, qui dicitur Calbo, verſus meridiem, poſtea vadit ſurſum per cacumen montis recto tramite uſque ad plagium de valle Felectoſa, ſicuti continetur in dotatione domine Azciche filie ſue. Sequitur ab ea valle & vadit in directum juxta Caſaliola verſus occidentem, poſtea vero dirigitur ſurſum, & reflectitur uſque ad archam ſepulture ibi ſitam, que eſt in monte, qui dicitur Ceternicus, deinde vadit in longum juxta poſſeſſam Dominici. Et hinc retorquitur ſurſum uſque ad coronam terre ſancti Mauri, que eſt juxta viam publicam, que vadit de Parentio ad caſtrum Calixedi. Ab illa corona vero dirigitur per latus ſecus pedes montium de Nogarda & de Lodomo recto tramite verſus Orientem uſque ad lamam ſpinoſam, que eſt juxta viam publicam, que vadit Urſarie de caſtro ſancti Laurentii. Inde currit & reclinat infra ſe aliquantulum juxta eamdem viam, & poſtea vertit ſe in obliquum verſus carſo de monte Fixini, quod eſt juxta paludem. Poſtea vero vadit recta linea uſque ad moduli, & deinde reducitur recto tramite uſque ad lacum de monte Fixini, & ab illo lacu vertitur per tranſverſum Fracte uſque ad montem qui dicitur Paxivus. A monte Paxivo vero vadit ad pedes montis Fixini verſus meridiem, ubi eſt una magna corona lapidum, & per illam coronam vadit verſus montem retorquendo ſurſum uſque ad viam dictorum caſtrorum, que vadit Parentium, & ibi ſunt coadunati lapides prope paludum quindecim paſſibus, poſtea vero vadit recto tramite uſque ad viam, que vadit de paludo ad caſtrum Calixedi, poſtea vero volvitur ad magnum termonem, qui eſt prope viam caſtri ſancti Laurentii, que vadit ad paludum, poſtea vero vadit per illam viam verſus caſtrum ſancti Laurentii uſque ad viam, que vadit de Calixedo duorum caſtrorum, & ibi eſt ſignum Crucis in una quercu, & a quercu vadit recto tramite uſque ad montem Spinoſum, poſtea vero vadit per unam magnam coronam uſque ad pedes montis Carmaſci verſus orientem, poſtea vero declinat & vadit verſus meridiem uſque ad cleam, & per illam cleam vadit uſque ad mare ſalſum & piſcarie que ſunt ad Arnum, qui eſt ſubtus montem, qui dicitur Calbo.

bo. Ab Arnu vero vadit usque ad prenotatum montem qui dicitur Calbo. Hoc igitur territorium apertis finibus longe lateque signatis predicta domina voluit omnia in luce facere, pro pace & bona concordia fecit fieri stridam, & posuit terminum usque ad dies xxx. Si aliquis habet facere aliquid in dicto territorio vel in piscariis, debeat se presentare, sicut est consuetum camere regie usque ad predictum terminum. Ad hec omnia nullus comparuit, finitoque termino supradicta domina offert prelibate ecclesie sancte Marie virginis, & sancti Michaelis ac servis suis ibidem famulantibus presentibus & futuris in perpetuum possidendum. In aliis vero territoriis suis, que undique sibi circumjacent, liberam prebet facultatem omni tempore, quo eis necesse fuerit laborandi sine aliqua pensione vel reddita. Hac itaque oblatione facta eadem domina una cum supradicto Jacobo advocato suo consensu Woldorici filii sui, investivit domnum Johannem abbatem & reliquos fratres sibi subditos de omnibus his sub lege perpetue possessionis, mandans heredibus suis cunctisque successoribus per attestationem tremendi judicii numquam eam que Dei ecclesie ipsa devoto corde obtulerat, de potestate servorum Dei ibidem famulantium auferre presumant, sed ad ipsorum jus perpetualiter tueantur & serventur. Imprecate est etiam, ut omnipotentis Dei furorem incurrat, & presentis vite quotidianis afficiatur adversis, numquam prosperis consoletur, post vite vero presentis tramitum gehenne ignibus deputetur, atque novissimo extremi judicii die separetur a dextris & a sinistris, & eternis tradatur incendiis concremandus. Quisquis hec, que ipsa pia cordis intentione Dei ecclesie donaverat, & designaverat, diripere de possidentium manu presumpserit: nec tamen careat presentibus damnis, sed cogatur decem libras auri solvere, medietatem camere regis, medietatem vero injuriam passis; sitque ei in eternum anathema maranatha.

Ego Albanus auctoritate imperiali judex ordinarius & notarius, & nunc supradicti domini episcopi Parentini advocatus supradictum instrumentum dotationis de mandato dicte domine Wilpurge scripsi & publicavi, & signo meo consueto munivi presentibus venerabilibus & nobilibus viris domino Engalmero Parentine civitatis episcopo, & Jacobo advocato supradicte domine Wilpurge.

XLII.

Rodulphus Normannus offert monasterio Vangaticiensi latifundia in territorio Patavino.

Anno 1040. XIII. kl. septembris.

Ex autographo ejusdem monasterii.

IN nomine domini Dei eterni. Agni ab incarnacione Domini nostri Jesu Christi millesimo quadragesimo tertiodecimo kalendas september indictione octava. Monasterio beatissime sancta virgine Maria, quod est edificatus ipsa ripa Adice, qui dicitur Petra, in quo suprascripto ipsius donos Andreas abas promiso tuo dexiderio priorem de predicto monesterio adesse videtur. Nos ipso Rodulfo Normannus ex Francorum genere abitator in castro Arquada in eorum presencia testium ofertor & donator suprascripte ipsius ecclesia vasone tere, ramum pomis, fistucum notatum, adque coltellum, & duos vvantos totum in simul hac tradere vissus sum, personaliter facio tibi investitura & ofersione ad suprascripta ecclesia in omnia justa mea Francorum lege per presente dixit. Quisquis in sanctis ac venerabilis locis ex suis aliquit obtulerit rebus justa hottoritatem vocem in hoc seculo centuplum accipiad, & insuper, quod melius est, vita posidebit eterna. Ideoquem nos Rodulfus Normannus donamus & oferamus in eadem ecclesia sancte Marie a presenti die & ora perpetualiter abendum in subtum & usum stipiendis monachorum, qui in hoc hordinati sunt, vel in antea pro tempore ordinati fuerint, & ibi Deo frequencius die noctuque ibi servierint pro mercedem & remedium anime Ugonis marchionis, & per remedium anime Giudittas femina, que fuit conjuge mea, idest massaritia una juris mei, quam ego habere & possidere viso sum comitato Patavensis, & in fine Arquada, & in loco & fundo Arquada, quibus jam ante os annos adquisivi per unam cartam venditionis da Martinus presbiter filius Georgii, quod sunt rettas & laboratas per Johannes masario libero omine, quod sunt ipsa masaritia inter seudimina & vineis cum areis juges quatuor de teris arabilis, & pratis jugeris sex, de silvis & buscaleis jugeris tres, & si amplius de ipsas masaricias plus inventus fuerit, quam ut supra mensura legitur per hac carta ofersionis in suprascripta

Ad lib. XII. n. 34.

ecclesia sancte Marie proprietari juri, ut dictum est, cum teris vigris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, hanc stellareis, ripis, rumpinis, hanc palutibus, coltis & incoltis, divisis & indivisis, una cum finibus, terminibus, accesionibus, cursibus aquarum, aquarumque ductibus, cum omnia in se hac jacenciis & pertinenciis earum rerum per locas & vocabulas ab ipsis casis & rebus pertinentibus. Nos jam dictus Rodulfus Normannus ofertor & donator exinde nullam reservo de ipsa suprascripta masaricias omnia in integrum ab hanc die in antea de ecclesia sancte Marie dono & oferro perpetualiter ad abendum usum & subtum de monahim, qui modo vel qui pro tempore ordinati fuerint, & fruendum exinde ex frugibus earum rerum vel quibus exinde anue Dominus dederit, sicut de cetera rex ipsius ecclesia quicquit volueritis, sine omni mea & heredum meorum contradictione, & quod absit fieri minime non credo supra scriptus Rodulfus Normannus meisque heredibus hanc proheredibus meis seoque liberos, & insuper ponamus vobis auro obtimo uncias tres argenti ponderas sex, quo ab eos asolvamus, & de eo quod repetierint nihil vindicarent, valeant. Set hec presens pagina ofersionis mee, sicut superius legitur, omnique tempore firmam & stabilis in convulsa & inrevocabilis permanead cum stipulacione subnixa, & quia ego predicto Rodulfus Normannus hac pergamina simul cum calamo, & hattramentario, pinna, vvasonem terre, ramum pommis, fistucum notatum, adque coltellum, & duos vvantos totum in simul justa legem mea Francorum manibus meis de terra levavi, & Johanni notario tradidit ad scribendum, & testes in qualiter subter confirma a me rogatos obtulit ad roborandum, ut discimus, per mercedem & remedium anime Ugonis marchionis, & remedium anime Giuditta femine, que fuit conjus mea vel parentorum nostrorum proficiad a salutem & gaudium sempiternum, ut mereamur audire vocem in oc seculo euuge serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui, quia taliter in omnibus mea bona est voluntas, & si unumquemque, qui hanc irumpere & minuare voluerit, tunc Dei omnipotentem tribunal eterna cum Juda traditore ideo isto abeat racione in die judicio. Hanc enim cartulam ofersionis, si supra legitur, omniaque firmam & stabilis inconvulsa & inrevocabilis permanead adque persistat inviolabilis conservare promitto con stipulatione subnixa. Actum in castro Arquada feliciter.

Signum † manum suprascripto Rodulfus Normannus, qui hanc cartulam ofersionis fieri rogavi ab omni.

Signa ††† manibus Beraldo & Rodolfus & Ragnifredus viventes legem Francorum testes.

Signa †† manibus Celso & Johannes & Lionzo testes.

Signum † manum Martinum de Gano testes.

Ego qui suprascriptus Johannes notarius scriptor ujus cartulam ofersionis post tradita complevit.

XLIII.

Petrus filius Actonis donat monasterio Clusino sancti Victoris jus suum in ecclesiam S. Savini sitam in territorio Spoletano.

Anno 1040. mense septembri.

Ex archivo S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XII. n. 31.

IN nomine Domini. Et factum est in anno ab incarnatione Domini quod sunt anni Domini mille XL. & temporibus donni Ugo dux & marchio anni vero in ducato ejus sesto, & dies mense septembris indictione septima. Ideoquem ego Petrus filius Acto bona & expontanea mea volumptate pro remedio anime mee, & pro mercede & redemptione & opsoluccione.... & ut in die illo facturi judicii veniens me ante tribunal Christi ad Domino recipere mereamur, ut aliquot de peccatis meis misericors Dominus minuare dinneris, proterea donavit & tradidit medietatem de omnia terra & cum tota terre .... porcione de ipsa ecclesia beatus sanctus Savine, que in ipsa terra edificata est, & est posita ipsa terra fra ducatu Spoletino territorio ... ano vel in lu colle denotaria, & per alie fundora vel vocabula, que ego abeo fra ducato Spoletino territorio Castellano & .... fra locasinnato finis primo latere fluvio Castellano, & via que percurrit da sancta Mari veniente ad bersia in tertio latere via... briani venientem ad Burianu veniente ad .... talone que .... le rumana venientem ad campum de ulmo venientem ad flumen, infra isti supra dicti lateribus donavit medietatem de omni terra de mea porcione de ipsa supra dicta ecclesia beatu sanctu Savini, & cum terris, vineis & cum omnia

omnia quantum ad medietate debeat pertinere, de quod est inter ..... insimul modiorum LX. & ...... fuerit de terra mea fra isti supradictis lateribus in ipsa donacione .... a ipsa terra, & pro mea portione de ipsa supra dicta ecclesia donatione anima mea & de genitore & genitrice mea in monasteriu beatu Benedictu & sancta Maria & sanctu Victore, quod edificatus est fra ducatu territorio Castellano in avucabulo Victorianu, ut ab odiernum die Ursu abbas & omnesque ejus posterisque successoribusque ipsius .... ad regendum abet, unde ego supradictus Petrus donatore non precium neque anueild, set sola oracione & premium in futuro spondeo ego Petrus ad te Ursu abbas, quod si ego supradicto Petrus ..... supra dicto monasterius aut ad te Ursu abbas aut ad tuis posterisque successoribus subtraere aut retollere aut minuare .... adimpleverimus aut non observaverimus, supra scripta cartula falsare aut disrumpere tentaverimus, & da omne omines damno & persona non defensaverimus, ipsa supradicta mea donacione dupla restituamus, quem vero cartula ego Petrus scabino & notarius.....

.... manu Petrus qui hanc cartula fiere rogavit.

† Sinnum manum Onderellu teste sum.

† Sinnum manu Manso teste sum.

† Sinnum manu Adamo teste sum.

........pos roboratione omnium testibus ego qui supra Petrus scabino & notarius scripsit, inclausit.

XLIV.

Placitum Henrici regis pro exemptione decimarum in favorem monasterii S. Michaelis de Lemmo.

Anno 1040. xv. septembris.

Ex authentico monasterii S. Mathiæ de Muriano.

Ad lib. XII. n. 35.

IN Christi nomine amen. Hoc est exemplum seu transumptum cujusdam publici instrumenti scripti, ut prima facie apparebat, manu Abani imperiali auctoritate notarii, non abrasi, non aboliti, non cancellati, nec in aliqua sui parte suspecti, sed prorsus omni suspicione carentis, cujus tenor per singula talis est.

In nomine Dei eterni amen. Anno Dominice incarnationis millesimo quadragesimo, regni domini Henrici felicissimi regis anno sexto, indictione decima, die quintodecimo mensis septembris. Cum quedam questio verteretur inter dominum Engalmerum episcopum Parentine civitatis ex una parte, & ex altera parte domnum Johannem abbatem monasterii sancte Marie virginis & sancti Michaelis archangeli de Lemo. Questio talis erat inter illos, quod dominus episcopus volebat habere decimam de territorio dicti monasterii, & dominus episcopus precepit omnibus hominibus, qui laborant territorium supradictum, ut portarent decimam in episcopali palatio, & ipsi noluerunt eam portare nec dare, & talem excusationem habebant dicendo. Domnus abbas nobis precepit, ut debemus portare decimam in monasterio supradicto sub pena dupli. Ista & alia multa verba fuerunt inter illos. Propter talem questionem dictus abbas comparuit cum suis juribus (1) coram domina Azicha, & dixit ei. Dominus episcopus facit nobis molestare omnes homines, qui laborant nostrum territorium, quod tu nobis dedisti, petit ab ipsis decimam, & domina Azicha respondit, eamus omnes ad nostrum regem. Post hec omnia comparuerunt omnes coram domino Henrico felicissimo rege, & talem questionem narraverunt ei, & rex cum audisset eos fecit sibi multos seniores convocare in palatio suo ad consilium, & ibi fuerunt congregati quingenti & sexaginta octo seniores. Et rex coram omnibus vocavit dominum episcopum, & domnum Johannem, & dominam Azicham, & ipsi venerunt coram rege cum multis, qui erant in societate eorum. Domina Azicha viva voce dixit domino regi, & omnibus, qui erant cum eo. Ego dedi unum territorium ad honorem Dei monasterio sancte Marie virginis & sancti Michaelis archangeli domno Johanni abbati, & reliquis fratribus ibidem congregatis super altitudinem ripe sinus, qui dicitur Lemus, & ecce instrumenta, si vobis placet, facite ipsa legere, & fecerunt ipsa legere coram omnibus. Cum lecta fuerunt instrumenta dixit domina Azicha coram omnibus. Dominus episcopus facit mihi injuriam, quia petit decimam a pauperibus Christi. Ego dedi dictum territorium, ut possint fratres predicti monasterii habitare, & pauperes recipere. Ad hec dominus episcopus respondit. Omnes decime debent esse episcopi & capituli sui. Hec omnia dominus Rex intellexit cum suis senioribus & fecit consilium, & in illo consilio omnes viva voce dixerunt: Decimas debent habere fratres de suo territorio, qui habitant in dicto monasterio. Incipiunt enim

(1) In alio veteri exemplo legitur *fratribus*, loco *juribus*.

enim a monte Calbo, & vadit per signa, sicut continentur in supradictis instrumentis domine Aziche, & matris sue Wilpurge. Et dominus Henricus Rex dixit supradicto domino episcopo. Vade in pace, & noli nos contristare. Nos volumus decimas dare, quas tu petis, supradicto monasterio, & hoc habemus exemplum, quod per totam provinciam Hystriensem monasteria sancti Benedicti possident suum territorium cum decimis & omnes fructus, qui in eo possint habere. Etiam nos volumus cum consilio nostro, quod omnes homines, qui laborant supradictum territorium, debeant portare decimam domno Johanni abbati supradicti monasterii & suorum fratrum, cunctorumque in perpetuum succedentium, & possint ipsas decimas habere, gaudere, & omnes suam voluntatem facere sine contradictione alicujus persone sub pena librarum decem auri, medietatem solvere camere regis, medietatem vero injuriam passis. Post hec dominus episcopus fecit pacem cum domina Azicha, & domina Azicha dedit domino episcopo & suo capitulo unum territorium subtus montem Sablonorum versus occidentem, sicut continetur in suo instrumento, & dominus episcopus promisit cum suis clericis domine Aziche, quod nunquam peteret decimam in territorio supradicti monasterii. ANATHEMA MARANATA.

Ego Bartholomeus natus ser Petri de Carneriis de Pergamo publica imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius auscultationi ipsius transumpti una cum infrascriptis Petro Subtili, & Luca notariis presens interfui, & quia utrumque concordare inveni, me in testem subscripsi, signumque meum & nomen apposui consuetum in fidem & testimonium premissorum.

Ego Petrus quondam ser Thome de Pola Subtil.. publicus imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius auscultationi ipsius transumpti una cum suprascripto Bartholomeo & infrascripto Luca notariis presens interfui, & quia utrumque concordare inveni, me in testem subscripsi, signumque meum & nomen apposui consuetum in fidem & testimonium premissorum.

Ego Lucas scriba filius quondam ser Marci notarii de Venetiis publicus imperiali auctoritate notarius, nec non castri sancti Laurentii cancellarius, prout vidi & inveni in scripto instrumento manu Abani notarii scripto in uno petio pergameno, ita hic de verbo ad verbum fideliter copiavi & exemplavi in isto petio pergameno nihil addito vel detracto, quod sententiam mutet vel vitiet intellectum, nisi esset punctum vel sillabam per errorem, & in publicam formam redegi, signoque & nomine meo solitis roboravi, currente anno Domini millesimo quadrigentesimo tertiodecimo, indictione sexta, die decimo octavo mensis septembris.

XLV.

Teutius & Benedicta conjuges offerunt terras monasterio S. Victoris de Clusis.

Anno 1040. mense novembri.

Ex chartario S. Catharinæ de Fabriano.

IN omine domini nostri Jesu Cristi & factum est in anno ab incarnacione Domini nostri Jesu Cristi, quod sunt anni Domini mille quadrainta, & temporibus domno Ugo dux & marchio, anni vero in ducato ejus quarto de mense november indictione octava. Ideoquem ego Teucius filius quondam Martinus & Benedicta conjunge sua per consensum & voluntate de viro meo nos ambi insimul nostra bona propria voluntate secundum nostra lege pro redencione de anime nostre dono & trado in ipso monasterio de Victoriano de terra mea, que est posita fra ducato Spoletano territorio Castellano in loco, qui dicitur Sacrano in vocabulo Noceto, & est adunata fra loca finaite finis, primo latere terra de Johannis de Benedictu, & a secundum latere terra de Johannis donatori, & tertio latere terra de Bonizo, & a quarto latere terra de Arduvino, fra istis lateribus donavit in ipso suprascripto monasterio & ad Ursus abbas, qui in ipso suprascripto monasterio ordinatus fuerit de terra mea staria sex &c.

Ad lib. XII. n. 31.

Ego Petrus scabino & notarius scripsit, complevit & inclausit.

XLVI.

Charta emphyteusis facta Donato, Siccono & Petro germanis a Johanne abbate S. Gregorii de Urbe.

Anno 1041. mense martio.

Ex codice membranaceo ejusdem monasterii, pag. 54.

lib. XII. n. 37.

A Vobis petimus domno Johanne religioso presbytero & monaco atque coangelico abbate venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli, & Gregorii confessoris Christi, quod nuncupatur clivus Scauri in vobis consentiente cuncta congregatione monachorum suprascripti monasterii, uti nobis Donato, Siccono & Petro germanis heredibusque nostris, & nepotibus nostris filiis genitis tenendum, id est terram sementaritiam, que est de terris sementaritiis cum .... pascuis .... montibus & collibus, plagiis &c. una cum rivis infra se, simulque totum pantanum majorem, quod vocatur Lorano, vel cum omnibus eorum pertinentiis vel adjacentiis. Similiter duas rotas ad secandum carticam posita in fundum vestri monasterii, sicuti incipit a prato de suprascripto pantano majore, quod appellatur Lorano, quod totum nobis locastis cum suprascriptis rotis, & venit in fossatellum, quod per inverni tempus ducit aquam & vadit in vadum Sufflatoro, & ducit in Arrajolo de via Paponisca, & per eamdem viam vadit usque in arborem, ubi est signum Crucis, ubi stare videtur unus affinis marmoreus. Sicque declinans in unum alterum affinem marmoreum, & venit in fossatellum: deinde venit in viam Cassariam, ita autem per eamdem viam ducit in vadum, quod vocatur Casandri, & venit in suprascriptum primum ..... juris vestri dominii ad tenendum &c. ita sane ut prestet exinde sationibus pars nostra parti vestre &c. singulis quibusque annis sine aliqua mora vel dilatione pensionis nomine solidos denariorum Papiensium quinque in festivitate sancti Andree, & si in eamdem festivitatem eos vobis non damus, tunc octavo die postea duplos eos vobis tribuere spondemus, & tantos circlos omni anno vobis dare debemus, quantos vobis oportuerit, & decorrentes quantos in vestro monasterio & in ecclesia sancti Apollinaris necesse extiterit, simul & tria aratra per unumquemque annum, nihilque aliud &c. Anno Deo propitio pontificatus domini Benedicti summi pontificis & universalis noni pape in sacratissima sede beati Petri apostoli nono, indictione similiter nona mense martio.

† Signum manu suprascripti Donati.
† Signum manu suprascripti Sicconis.
† Januarius de Ponte testis.
† Beno de Petro presbytero de Castellione testis.
† Crescentius de Benedicto presbytero fornaro.
† Demetrius sartore.
† Petrus de Januario.
Ego Johannes scriniarius sancte Romane ecclesie complevi & absolvi.

XLVII.

Donatio terrarum, quam fecerunt Bono abbati S. Michaelis Pisarum Martius, Melior & Ugo fratres.

Anno 1041. xv. kl. aprilis.

Ex authentico archivi ejusdem monasterii.

Ibidem.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus mille quadragesimo primo quintodecimo cal. aprilis indictione nona. Sancto autem venerabilis monasterio sancti Michaelis archangeli sito foras civitate Pisa prope porta que dicitur Samuel, ubi nunc donnus Bonus reverentissimus abbas preesse videtur. Nos quidem in Dei nomine Martio & Meliores & Ugo, que Bene vocatur, germani filii b. m. Levitii offertores ipsius monasterio presentes presentibus diximus, quisquis in Domino vel in Sanctis ejus aliquid contulerit, hic justa actoris voce in hoc seculo centuplum recipiet, insuper quod melius est vita possidebit eterna, ideo nos qui supra germani donamus & offerimus a pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli ad ejus jus & proprietatem abendum pro mercede & remedium anime nostre, qui supra germani, idest una petia de terra illa, qui est posita in loco & finibus Colignola, est tenentes uno capo in fluvio Arno, & alio capo tenet in terra & vinea supradicte ecclesie & monasterii sancti Michaelis archangeli, lato uno tenet in via Cararicia, & alio lato tenet in terra Willelmi judex domni imperatoris filio b. m. Stefani a supradicta petia de terra in eodem loco, qualiter ab omnis parte circumdata est per de-

gnatas

signatas locas in integrum cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressoras suas omnipotenti Deo & pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli donamus, cedimus, tradimus, conferimus, offerimus, & per presentem paginam offertionis ibidem ad abendum confirmamus faciendum exinde a pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli tam de fruge & laboribus adque censum vel reditum, quod exinde annue dederint quicquit exinde oportum fuerit, & si quis vero, quod futuro esse non credimus, & si nos qui supra germani quot apsit vel nostris heredibus seu quislibet oposita persona fuerit contra anc cartula offertionis venire quandoque tentaverit, aut eam infrangere vel disrumpere cum nostro dato vel facto quesierit, tunc spondimus nos qui supra Martius & Meliore seu Ugo germani una cum nostris eredibus componere a pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli suprascripta petia de terra in duplum inferquidem loco sub estimationem quales tunc fuerit, & insuper penam argentum optimum libras quinquaginta. Sic tamen & si nos exinde auctores nec defensores querere nec dare nolueritis, licentiam abeatis a pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli apsque nostra persona exinde causas agendi, responsum reddendi, finem ponendi rebus omnibus a pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli defensandi, seu anni tempore cum cartula ista offertionis defensare debeas vel quomodo aut qualibet justa lege melius potuerit pro mercede & remedium anime nostre, qui supra germani. Anc enim cartule ofertionis nostre paginam Wido notarius domni imperatoris ad conscribendum tradimus adque fieri rogavimus, in qua etiam superius confirmantes testibus optulimus ad roborandum. Actum foras supradicta civitate Pisa in atrio supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli, & qui oc infrangere vel disrumpere quesierit, que superius leguntur, abeat maledictionem omnipotentis Dei ejusque genitricis Marie una cum omnibus Sanctis, sit particeps cum Juda traditore, cum Dathan & Abiron, qui supradicta petia de terra apstragere voluerit supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli.

Signum de manibus de Martii & de Melioris & de Ughi germanorum, qui anc cartula offertionis fieri rogaverunt.

Ego Leo judex domini imperatoris ss.

Ego Willelmus judex domni imperatoris ss.

Ego Leo judex domni imper. ss.

Ego Wido notarius domni imperatoris post tradita complevi & dedi.

XLVIII.

Aimmo abbas S. Adalberti in Pereo promittit Eleuchadio abbati S. Mariæ foris portam Faventiæ laborare terras circa clusam Traversariam.

Anno 1042. III. februarii.

Ex autographo ejusdem monasterii S. Mariæ.

IN nomine Domini. Temporibus dominus Benedictus papa sedis ejus anno decimo, imperatore non habemus, die tertio mense februario indictione decima in claustro sancte Mariæ foris portam. Domnus Aimo presbyter & monachus & abbas monasterii sancti Adelberti cum consensu suorum monachorum per hujus pagine offersionis, promissionis, sponsionis, obligationis a presenti die....... te presens in Dei nomine domnus Eleuchadius presbyter & monachus & abbas monasterii sancte Marie, quod vocatur foris portam & tuis successoribus da modo in antea usque completi anni triginta promittimus vobis laborare ipsa clusa Traversaria da fine canale in antea da isto aquimul. da ista fluvio * elimo usque ad illas canales: da illa parte fluvio de aquimulo, quod vos supradictus Eleuchadius abbas monasterii sancte Marie ad me supradicto Aimo abbas monasterii sancti Adelberti nobis concedistis, promittimus ipsa clusa laborare usque ad supradicti completi anni triginta, & si ipsa clusa perit, communiter facere debemus &c.

Ad lib. XIV. n. 3.

* Lamone.

Ego Aimo monachus sancti Adelberti abbas m. m. ss.

Ego Stephanus presbyter & monachus scribere rogavit nomine suorum fratrum.

Ego Ildebrandus judex huic promissioni interfui.

Petrus tabellius &c.

XLIX.

XLIX.

Rainerius VVidi filius tradit monasterio Pratalienſi jus ſuum in eccleſiam S. Michaelis de Silva ſeu de Camenza.

Anno 1042. menſe martio.

Ex autographo archivi Fontis-boni.

Ad lib. XIII. n. 3.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis milleſimo quadrajereſimo ſecundo menſe martio indictione decima. Manifeſtus ſum ego Rainerii filio Widi qualiter per cartula judicati & ofertionis pro remedio e luminaria anima mea, e anima de jenitore meo, e jenetrice mea concedo e offero judico e trado a proprio a moneſterio ſancte Marie matris Criſti de loco Pratalia concedo e confirmo abere e tenere omnia integra mea portione, quod eſt medietatem, ſicut mihi ſucceſſi de jure conceſſionis parentorum meorum, ſive de patre meo, ſive de matre mea, vel de aliis parentibus meis, de omnibus caſis, e curtis, e donnicatis, terris, e vineis, e ſortibus, e res maſaritie, ſive de angarialis, libellariis, tributalis, e de eccleſia ſancti Michaelis archangeli, quantumcumque a ſupraſcripta mea portionem pertinet vel pertinere debet, que ſupra poſiti fra territorio plebe ſancte Marie ſito Partina in caſale, que dicitur la Silva, e in caſale Caminza, e in caſale Marina, e in caſale Camprina, & in Mojuna, & Nori, & in Gunna, & in Valli muntanini cum ſolamentas, edificiis earum, curtis, ortas, terris, vineis, pratis, campis, ſilvis, vel reliquis pumiferis, aquis, rivis, e paſcuis, cultum vel in cultum, diviſum & indiviſum omnia & in omnibus, ubicumque & in qualibet locas de ſupraſcripte caſe e curte e domnicatis pertinere vel invenire potueritis, e ſupraſcripta eccleſia cum circuito e cimiterio ſuo e ſua pertinentia, que de mea parte a ſupraſcripta eccleſia pertined de omnia & in omnibus &c. Quam vero cartula judicati a me, qui ſupra Raineri, facta, qualiter ſupra legitur, Acto notarius ſcrivere rogavi. Actum Aritio.

† Singno mano de ſupraſcripto Raineri, qui hec carta judicati, qualiter ſupra legitur, e manu ſua ſcrivere rogavi.

† Singno manibus Glitto de Fucco, e Urſo filio ſuo, e Johannis filio Johannis rogatis teſtis.

Ego Acto notarius ſcripſi e complevi feliciter.

L.

Johannes epiſcopus Cæſenas inſtituit in eccleſia ſua cathedrali canonicos ſub regulari & communi vita viventes.

Anno 1042. 11. menſis junii.

Ex autographo tabularii canonicorum Cæſenatum.

Ad lib. XIV. n. 5.

IN nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Anno Deo propitio pontificatus domini noſtri Benedicti ſummi pontificis & univerſalis pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri apoſtoli Domini ſede anno decimo die ſecundo menſis junii indictione decima, & anni ab incarnatione Domini mille quadraginta duo poſt obitum Chonradi imperatoris. Ceſene. Diverſa licet in ſe membra retineat eccleſia mater univerſalis, unita tamen eſt & ratione fidei, & operatione virtutis; nam ſecundum Apoſtoli ſententiam in uno corpore diverſa ſunt membra, omnia autem non eumdem actu abentia, & in eccleſia diverſi ſunt ordines, ita quoque morum ſunt diverſæ converſationes. Sec dum ad unum caput, quod Chriſtus eſt, generaliter referuntur, conſtat eccleſiam unum corpus eſſe ex omnibus individuam propoſito credulitatis, & dividuam officio converſationis. Aliter enim in ſancta eccleſia monachi, aliter clerici, aliter laici converſantur. Monachi quippe omnibus, que mundi ſunt, renuntiantes ſeipſos abnegant, & poſt Chriſtum, & pro Chriſto albam ſuam Crucem portant, & dum ab aliis penitus removentur, non aliorum, ſed vitam propriam curant. Laici vero dum tranſitoriis inherent rebus temporalibus utuntur poſſeſſionibus, dum cognugia & colunt, dum filios nutriunt, cumque ſecularibus negotiis applicantur, qui apicem mundane concupiſcentie contingunt, ab ea neceſſario coinquinantur. Sed inter has duas converſationis ſpecies media eſt vita clericorum, qui quanto in eccleſia opportuniores exiſtunt, tanto ipſo Domino, qui eccleſie caput eſt, concinniores eſſe creduntur. Si enim ſunt eccleſie oculi, qui omnium vitas ſuper omnes poſiti inſpiciunt, & ſpetiali mandato univerſos paſcunt, nimirum ipſi apoſtolicam imaginem retinent, quia a Chriſto eccleſie paſtores effecti in mundum predicaturi miſſi ſunt, ut ejus oves paſcerent, & non ſolum ſe, ſet etiam univerſas gentes predicationis verbo inſtructas, & exempli predicatione formatas ad eterni regni gau-

gaudia ducerent, qui accepta potestate in animas ligandi adque solvendi dominicum pascebat gregem omnes unanimiter consentientes, omnia communiter possidentes, & sicut unius fidei erant cultores, unius Dei predicatores, ita communiter tamquam nihil habentes, omnium erant possessores. Debent itaque clerici, qui eorum ordinem imitantur, eorum mores assumere, quatenus quibus concordant in nomine, non penitus discrepent in actione. Et ideo ego quidem Johannes divini respectus operatione episcopus Cessinas clericorum nostri episcopatus vitam in melius reformare Domino inspirante laborans, pravum morem, qui hactenus in nostra ecclesia fuerat, celesti favore eradicare nisus sum; adolevit enim in nostra ecclesia tam prava consuetudo, ut sacerdotes & diacones ceterique ecclesiastici ordines stipendia sua & ecclesie oblationes non communiter possiderent, neque in pias causas expenderent, sed turpe avaritie lucro dediti, quasi predam invicem dividentes, per singulas suas domos deportarent, ubi cum familiaribus, & quod deterius est, cum mulieribus portiones suas cum summo dedecore consumerent. Unde cum consilio Gebeardi & senioris & magistri nostri Ravennatis sedis archiepiscopi, aliorumque confratrum nostrorum tam episcoporum, quam etiam religiosorum abbatum, aliquantos sacerdotes, diacones, ceterosque ecclesiastici status in unum collegimus, qui ad onorem Dei & sancti Johannis baptiste communiter in uno loco conveniant, ubi vescantur & dormiant, ad serviendum Domino sine intermissione consistant, & ut solummodo divino cultui mancipentur, a populari conversatione remoti fiant. Nam, sicut ait Apostolus, qui militat Domino, non implicat se negotiis secularibus, qui ut sine murmuratione possint degere, necessariosque sibi sumptos abere, indigentibus etiam elimosinam dare, cum consilio nostrorum fidelium tam majorum, quamque minorum totiusque populi nostre civitatis sufficientes sibi redditus largiri decrevimus. Proinde ego predictus Johannes episcopus trado & ordino, & in perpetuum dispono vobis Johannes archipresbyter, & Petre presbyter, & Johannes presbyter, & per vos vestris confratribus & subcessoribus in perpetuum, qui canonico more ad serviendum nostre ecclesie congregati sunt permansuri. Idest monasterium unum integrum, cui vocabulum est sancti Laurentii & Zenonis, in Calanco vocidatur, cum omnibus sibi pertinentibus, cum omnibus rebus, que predicto monasterio in eodem fundo pertinent, cum fundo uno integro, qui vocatur Monte, & alio fundo integro, qui vocatur Urliano, posito in plebatu sancti Victoris, qui vocatur in Valle, & cum medietatem de fundo integro, qui vocatur Casa summula posita in plebatu sancti Petri, qui vocatur in Cistino, & tres canterios terre, in fundo qui vocatur Fontanelle & unum canterium in fundo Campo, qui vocatur Cauci, & medietatem de Fundo, qui vocatur Vicomajo, & cum omnibus, quod predicto monasterio pertinet in burgo Cesenate, & unam unciam terre, quod sunt tornaturie duodecim integre posite in fundo, qui vocatur Monticlo: quem detinent heredes quondam Liuto, & Petrus magister quondam Leo presbytero cum germanis suis, & sex uncie in fundo Barciliano territorio Sarsenense plebatu sancte Marie, qui vocatur Majoris, & medietatem integram de fundo uno integro, qui vocatur Musiano, cum capella super se posita. Damus etiam & concedimus vobis medietatem de fundo uno integro, qui vocatur Marignoni territorio Ariminensi plebatu sancti Johannis, qui vocatur in Compudo, & unam petiam terre & vineam super se habentem posita in fundo, qui vocatur Rannula, per pedismum mensurata in longitudine sua perticas decempedas optuaginta & quinque, & in latitudine suo ab uno capite pertice treginta & octo; & ab alio capite pertice viginti & quatuor. Et concedimus vobis due turnaturie terre & dimidia, que in predicto monasterio obvenit de Cesino, qui vocatur Pagano, posite in fundo, qui vocatur Capocauci, & tres tornaturie & dimidia terre in fundo, qui vocatur Campeliano, & octo turnaturie terre posite in fundo, qui vocatur Vezano, & quatuor turnaturie in fundo, qui vocatur Casamajo. Et concedimus vobis quantascumque nos abemus in loco, qui dicitur sancto Sacretario, quod est fundum qui vocatur Ramo, infra ec latere, a primo latere & a secundo latere possidet Liuro, qui vocatur de Salico, cum consortibus & fratribus suis, & fossato, qui dicitur Sicco, a tertio latere via percurrente, & fundo qui vocatur Barbalbio, adque a quarto latere usque ad monticello & casa la piera, & sicubi & pertinentia ejusdem monasterii invenire potueritis, omnia sint vobis largita adque concessa. Et omnia abeatis, teneatis, possideatis etiam innovandi & disponendi cum vestris subcessoribus in perpetuum, sicut superius legitur. Que omnia sita sunt territorio Cessenate, & terri-

territorio prelibato vicariato plebatu sancti Victoris, qui vocatur in Valle, territorio Ariminense, plebatu sancti Johannis, qui vocatur in Compudo, & territorio Ravennate in Decimo plebatu sancti Petri, qui vocatur Cistino, & territorio Sarsinate plebatu sancte Marie, que vocatur Majoris. Pro eo quia in ecclesia nostri episcopatus sine intermissione divina officia celebrare debeatis, idest matutina & vespertina, Missarumque officia, ceteraque officia, que in ecclesia pro vivis & defunctis regulariter sunt agenda. Debeatis etiam orare assidue pro mea & meorum antecessorum subcessorumque anima, unde istos tres psalmos, idest Miserere mei Deus, & Deus misereatur nostri, & Deus in adjutorium meum intende, cum oratione pro me, meisque subcessoribus in carne degentibus cotidie Domino solvatis, pro mortuis autem me scilicet meisque antecessoribus vel subcessoribus hos tres psalmos cum oratione reddatis, idest Miserere mei Deus, Vocem meam, & Laudate Dominum in Sanctis ejus, in die anniversarii nostri & Marinacii antecessoris nostri, omniumque subcessorum nostrorum integrum officium mortuorum cum Missa celebrare debeatis, sicut in ipsa die depositionis. Et non liceat nobis vel nostris subcessoribus, ea omnia quæ largiti sumus per nullum modum abstraere vel minuere, donec vos, sicut superius diximus, vestrique subcessores in ac nostra ecclesia canonico more Deo fueritis servituri. Quod si quis ujus nostre ordinationis & dispositionis statutum temmerare presumserit, vel nos, sive nostri subcessores auri libram unam vobis vestrisve subcessoribus dannetur, solutaque pena oc nostre dispositionis decretum maneat inrefragabiliter in perpetuum. Quam vero paginam preceptionis & decreti Johannes Deo largiente tabellio ujus civitatis Cessene scribere jussi, in qua & ego subter manus meas propria subscripsi, & rogatis testibus, illamque vobis tradidi sub die, & mense & indictione suprascripta decima. Cessene.

Ego Gebeardus Dei gratia archiepiscopus ss.

† Ego Johannes gratia Dei episcopus sancte Cessenatis ecclesie sic disposui, sic decrevi, & in perpetuum valere precepi.

† Confirmans factum judex subscripsit Arardus.

† Ego Bernardus quondam Hotardi judicis natus in hac decreti pagina testis rogatus ss.

† Ego Grifo in ac decreto paginam testis rogatus ss.

† Ego Pecorus in Dei nomine tabellio & judice in hac decreti pagina testis rogatus ss.

† Ego Liutulfo in oc decreto testis ss.

† Ego Petrus in oc decreto testis interfui..

† Petrus filio quondam Roprandi in oc decreti paginam testis ss.

† Liudonis filius Gobixo hujus decreti testis interfuit & subscripsit.

† Ego Johannes tabellione Christi misericordiam civitatis Cessene scriptor oc decreti pagine post roboracionem testium aliorumque complevi & absolvi.

Notitiam testium	idest
Arardus judex	Bernardus quond. Hotardi judicis filius.
Griffo & Leto	germani filii Liuto.
Petrus tabellio	Liuto & Gebizo filio suo.
Petrus, qui vocatur	Pero de........
Petrus qui vocatur	....

L I.

Libellus emphyteusis scriptus a Gebehardo archiep. Ravennate in gratiam Aimmonis abbatis S. Adalberti in Pereo.

Anno 1043.

Ex autographo chartarii archiepiscopii Ravennatis, Caps. G. n. 2909.

Ad lib. XIII. n. 8.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis & huniversalis pape in apostolica sacratissima beati Petri apostoli Domini sede undecimo die prim......... in eodem venerabili monasterio ejusque successoribus abbatibus in perpetuum. Congruum atque utillimum....... petentium desideriis non aborrere, set Domini misericordia...... Aimmoni venerabili abbati monasterii sancti Adelberti, & pro me in eodem venerabili monasterio meisque successoribus....... piscaria una.. v... vocatur Corbaria, & campo qui vocatur Treni...... pertinentibus intra fines ejus, hoc est ab uno latere Pado, qui vocatur Juveniacus, ab alio latere si....... monasterii sancti Adelberti....... a tertio latere Patorenum, atque a quarto...... nobis concedistis ad abendum, tenendum, & ad lucrum & utilitatem ipsius prenominati monasterii sancti Adelberti perpetualiter possidendum...... sub statuta pen-

pensione ut ...... nostris propriis expensis in omnibus meliorare debeamus adjutore nihil ...... actoribus sancte vestre Ravennatis ecclesie in superius ..... *&c.* quam preceptionis vestre paginam Gerardo notario sancte vestre Ravennatis ecclesie scribendam rog. ..... *&c.*

LII.

Donatio facta monasterio S. Victoris de Clusis a Bonizone & a Franca conjugibus.

Anno 1043. mense februario.

Ex originali archivi S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XII. n. 31.

IN nomine Domini, & factum est inanni ab incarnacione Domini nostri Jesu Christi, quod sunt anni Domini mille quadrainta & tres, & temporibus domno Ugo dux & marchio anno ejus sesto, & die mense februarius per indiccione undecima. Ideoque ego nos Bonizo filius quondam Franco & Franca conjuges de Bonizo consensu & voluntate de dictu virum meum ..... in simul comuniter nostra bona propria voluntate facimus ista cartula concambiacione ..... de casas ... *&c.* .. sanctu Victore ..... & tibi domno Ursce abbate e ac tuis posterisque supcessori usque in perpetuum, ide est aliquis de res nostra, que est posita infra territoriu Castellu Pretosum in locu, qui dicitur Valle & est in vocabulo ali, & est posita ipsa res infra loca vel finaité & finis a primo latere fine via, a secundo latere, & a tercio latere & a quarto latere fine terra de ipsu monasteriu infra istis lateribus, quod est ipsa res sestaria undeci .... de ipsa casa & de ipsa vinea & cum omnis pomis & arboribus suis .... *&c.*

Sinnum manu de supradictis Bonizo & Franca.

LIII.

Altera donatio, quam fecit eidem monasterio Giso presbyter.

Anno 1053. mense februario.

Ex archetypo tabularii S. Catharinæ de Fabriano.

Ibidem.

IN nomine Domini. Et factu est in anni ab incarnacione Domini nostri Jesu Christi, quod sunt anni Domini mille quadraginta & tris ..... temporibus domno Ugo dus & marchio anno ejus qu ..... & die mense februarium per indicione nona. Ideoque ego Giso presbyter filius quondam Gonbertus bona mea propria & spontanea mea propria voluntate secundum mea legem propter Dei timore & remediu & indulencia de anima mea ...... dedit & tradidit in ipsu monasteriu a beatu sanctu Victore, quod edificatum est in locum, qui dicitur Victurianus, & tibi .... qui es custos de ipsu monasteriu, & ac tui posterisque supcessori, ide est ipsa res mea, que oveni ..... & est posita ipsa res infra territoriu Castellu Pretosu in locum, qui dicitur Domacianum, & est posita ipsa res infra loca vel finaita finis a primo latere *&c.*

Ego Sig .... Scabinu & not. *&c.*

LIV.

Algozo & Ermitia conjuges judicant terras suas monasterio Prataliensi.

Anno 1043. mense majo.

Ex autographo Fontis-boni. §. Donatio. n. 99.

Ad lib. XIII. n. 8.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo quadragesimo tertio mense madio indictione decima. Manifesti sumus nos Algozo ex jenere Francorum, qui abitaturo sum in finibus Tuscie comitatu istius Aritino, e Ermitia, que & Minuta, conives ipsius Algozo & ...... que & Bunello e Leo germani filiis Lamberti fuet clamatus unus & alium consentiente per consensum e comune e nostra bona voluntate nos jugalis e nos germani insimul volumus pro animarum nostrarum e anime de jenitoris nostri e de jenitriis nostre redentione damus e judica-

dicamus e tradedimus a proprio per cartula judicati tibi a monasterio sancte Marie matris Christi de loco Pratalia, idest integra nostra portionem de una sorte e res illa que est in casale Lorectio, que recta fuet per Arititio massario e filio suo, e nostra portionem de una petia de terra, quot est medietatem, que est posita in casale Caminza intus fra clausura Ugoni Alfridi in avocabulo Caminza, ipsa portione de suprascripta sorte & res, e de suprascripta petia de terra, sicut fuet de suprascripto Lamberto jenitore nostro, qui supra germani, & est de territorio de plebe sancte Marie sito Partina, cum solamentas edefitiis earum, curtis, ortas, terris, vineis, pratis, campis, silvis *&c.* Qua vero cartula judicati a nos, qui supra jugalis e nos germanis facta, qualiter superius legitur, Actio notario scrivere rogavimus. Actum Aritio.

† Singno manibus de suprascripti] jugalis e suprascripti germani, qui ec carta judicati, qualiter supra legitur, e manibus suarum scrivere rogaverunt.

LV.

Ofredo & Tethelenda ejus uxor offerunt aliquot bona Urso abbati & monasterio S. Victoris de Clusis.

Anno 1043. mense majo.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ibidem.

IN nomine ejus ab incarnatio Domini nostri Jesu Christi, quod sunt anni Domini millesimo quadragesimo tertio anno Deo propitio pontificatus dom. Benedicto pp. sede ejus nono die mense madio indicione x. Sinogallie. Et ideo nos quoniam certus sum ego nos que sumus Ofredo, qui vocatur Ceso filio quonda Gifredo & Tethelenda jugale de nacione Langubardorum ambi in simul cum nostra propria bona voluntate facio cartula ofsrecione seo traditione in sancto Victore, qui est edificato infra comitato, qui dicitur Castello, ibidem trado & offero de res mea, & vobis Urso apbas in perpetuum possidendum, idem est in fundo Cerreto, qui dicitur Punpiano, territorio Sinogallie, a lateribus, a primo latere via publica desuper, & a secundum latere terra de Caero filio quonda Petrus, qui tenet cum consortibus suis, & a tertio latere terra de Beraldo filio quonda Guido, & a quarto vero latere terra de Martino Montanerio, & de Johannis filio quonda Laurentio perveniente usque in primo latere, quod est via publica, fra istis dictis lateribus idem est terra ad justa modiorum quatuor, seo & in alio loco a lateribus, & a primo latere via publica desuper, & a secundum latere terra Dominico filio quondam Acto, & a tercio latere terra de Certano filio quondam Leto, & a quarto vero est terra de Adamo filio quondam Moronto pervenientem usque in primo latere, qui via publica, fra isti confinis lateribus, idem est terra ad justa mensura modiorum uno, seo in alio loco a primo latere rivo currente, & a secundum latere via publica, & a tertio latere terra de Mezzo, & limite de sancto Felis, & a quarto vero latere terra de Ubaldo filio quondam Ogifredo perveniente usque in primo latere, qui est rivo currente, infra isti super scriptis lateribus idem est terra ad justa mensura modiori quinque de ipsa res, que nobis pertinet per cartula anc.. ...... sin da jura sancto Johannes inter tres locora modiorum decem, idem est vinea & olives & fices, & alie pomas & arboribus suis vel cum omnia que fra se au super se abentes superius legitur, licentia abeatis vos supradicto abbas & cum supradicta ecclesia ipsa res abere, tenere, possidere & facere quitquit vobis placueris ad juris proprietatis, que est de proprio, & que est de conducto ad salva presens redendus, ut Deus omnipotens cum omnibus sanctis suis in futuro judicio venientes, quando omnis peccatores refrierio & indulencia desidero recipere a Dominum nostrum Jesum Christum, misericordia & indulencia abea nobis de peccatis nostris, quod contra hanc cartula ofrecione gire, agere au causare aut disrumpere voluerimus pro qualivet modis ingenio vel argumentum, ceterum spondeo dare cum filiis & heredibus meis ad supradicto abbas, & a ipsa supradicta ecclesia sancto Vetore ante omnis lites initium pene nomine de auro enbrizo libre sunt quatuor nos supradictus ofritor vel nostris heredibus mea ofrecione si firma & stabile permanea in die, mense] & indictione supradicta. Sinogallie.

Ad lib. XIII. n.

†† Sinum manum de Ofredo, qui Ceso vocatur, & Tethelenda jugale, qui fieri rogavi anno mense, qui relectu est.

† Ubaldo filio quonda Agifredo rogatus testis scripsi.

† Adamo filio quonda Adamo rogatus testis subscripsi.

† Anserammo filio presbyter Ubaldo rogatus testis subscripsi.

Et

Et ego Johannes tabellio de comitato Sinogaliensi, qui supradictam chartulam roboravi & finivi & inclausi.

LVI.

Charta fundationis monasterii S. Pantaleonis de Monte-eremitæ in diœcesi Lucensi.

Anno 1044. VII. kl. augusti.

Ex apographo ejusdem seculi in archivo monasterii S. Pontiani de Luca.

Ad lib. XIII. n. 15.

EXEMPLAR. In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo quadragesimo quarto septimo kalendas augustarum indictione duodecima. Manifesti sumus nos Johannes, & Bonetus, & Bonaldus licet indigni sacerdotes, & Petrus clericus & heremita, & Villanus Deo devotus, quia summa devotione offerimus summo & omnipotenti Deo nostro pro animarum nostrarum remedio ecclesiam nostram unam nostro proprio edificatam in loco, ubi vocatur Mons heremite, non longe ab ecclesia sancti Antonii; cui videlicet nostre ecclesie vocabulum est beati sancti Pantaleonis inclyti martiris, & beate Marie semper virginis, & beati Petri principis apostolorum, & alii Marci evangeliste, necnon sancti Martialis, atque Nicolai, simulque Simeonis, que ex omni parte circumdata est de terra nostra, quam adhuc nobis reservamus, & quoniam videmus mundi mala cotidie crescere, & ejus ruinas ex omni parte sonare, statuimus uno animo conturbationes hujus seculi fugere, & a secularibus honoribus longe separati in secretis & duris locis asperisque montibus in predicta ecclesia simul vivere, & ibi servire Domino nostro, ut sua usitata misericordia nobis sibi obedientibus aperiat viam redeundi, unde primus parens noster per te Mariam in obedientiam est ejectus, quia redemptor noster clemens & misericors, ut precepta ejus servantibus paradisi portam per culpam primi hominis clausam aperiret, dignatus est descendere in terra de celo, & factus est nostri similis in humana carne absque peccato, & sua sponte sustinuit fatigationem, fugam, comprehensionem, colaphos, alaphas, traditiones, injurias, irrisiones, flagella, sputa, crucem, mortem, demum sepulturam, & multa alia mala pro humani generis restauratione. Postea vero conculcatis vanis delectamentis hujus mundi, & victo hosti & diabolo triumphali gloria reddit in cęlum ad dexteram patris, ubi numquam defuerat per divinitatem unum, idest e cęlo per evangelii verba clamare non cessat dicens. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, & amplius non sitiet. Et iterum: Venite ad me vos, qui laboratis, & onerati estis, ego vos reficiam. Et in lege scriptum est: Post Dominum Deum tuum ambulabis. Viam autem, qua pervenitur ad Deum, nobis Apostolus ostendit clamans. Qui dicit se Christi esse, debet ambulare sic & ille ambulavit. Hinc & Petrus docet, Christus passus est pro nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Et egressus papa Gregorius. Aspiciamus viam, qua dux noster Christo, & graditur, & eum sequi festinamus. Quem vero peroptat sequi, discat deponere grave pondus hujus seculi, cum manifestum sit erumnis & miseriis, angustiis & tristitiis, tribulationibus & meroribus, ruinis & precipitiis, & multis aliis intolerabilibus doloribus eum esse plenum. Et quod gravius & miserius est. Infernus suos amatores post istam miseram vitam inremediabiliter mergit, perpetueque morti & ejus penis mancipat, ac illos non sinuit de hoc seculo exeuntes quicquam portare secum preter peccata; quapropter unusquisque, qui desiderat eternis frui gaudiis, vana & fallacia hujus transitorie & periture rei longe projiciat, ut post istam laboriosam vitam ad requiem semper manentem & dulcem & amabilem Christo duce pervenire mereatur, & idcirco nos, qui supra Johannes, & Bonatus, seu Bonaldus sacerdotes, nec non Petrus clericus sub Romanorum lege professi vivere, atque Villanus laicus jam Domino devotus sub lege Langobardorum vivens memoratam ecclesiam cum fundamento & omni edificio suo & cunctis adjacentiis & pertinentiis suis, qualiter ab omni parte circumdata est per designata loca, que est secundum justam perticam mensuratam scal... quatuor in integrum una cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressibus, & coherentiis ejus pro animarum nostrarum remedio, ut dictum est, offerimus summo ac omnipotenti Deo. Hec igitur omnia, que superius sunt dicta, summo ac altissimo Deo tota devotione offerimus, largimur, donamus, concedimus atque tradimus absque omni nostra contradictione nostrorumque heredum atque nepotum & consanguineorum, atque alterius ullius hominis,

nis, ita tamen ut dum vita noſtra aut etiam unius noſtrorum protegente Chriſto in hoc ſeculo fuerit, & nobis placuerit ibi manens & vivens ſecundum regulam canonicam habeamus poteſtatem habendi & poſſidendi eandem eccleſiam, & omnes res ſibi pertinentes ad utilitatem ipſius eccleſie & loci, & noſtram, ſicut docuerit, & habeamus poteſtatem ibi miniſtrandi & ſerviendi Domino noſtro ac ejus Sanctis, & ſuſcipiendi & ordinandi, quos & quantos voluerimus, quod obſervaverit ibi ſimiliter regulam canonicam, ſecundum qualitatem & quantitatem ipſius loci abſque contradictione alicujus perſone, dum vixit, & poſt obitum noſtrum, qui ibi remanſerint ordinati cuſtodientes ſcilicet regulam canonicam ſimiliter, ut de nobis dictum eſt, poteſtatem & inperationem integre habeant illi & omnes ſuorum ſucceſſores cunctique eorum poſteri in predicte eccleſie & in omnibus cauſis & rebus ſibi modum & in futurum ſuorum videlicet & in tempore largiente Deo pertinentibus: ut hec cuncta in hac pagina fuerit predicta, firma & inviolata perpetualiter maneant, volumus & ſtabilimus, atque firmiſſima ratione confirmamus, ut eamdem poteſtatem & inperationem, quam nobis reſervamus de jam dicta eccleſia, habeant omni tempore omnes noſtri ſubceſſores & poſteri, qui ibi, ſicut dictum eſt, regulam canonicam ſervaverint, & eligant abſque contradictione alicujus perſone cum neceſſe fuerit ibi communi conſilio propoſitum talem & Deum timentem, qui bene ac ſancte gubernet & reget eos ſecundum regulam canonicam juxta qualitatem & quantitatem ipſius loci, & communi conſilio ſuorum ſubjectorum ſine murmuratione fratrum ſuſcipiat & ordinet, quos & quantos voluerit, qui ibi canonice vivant ſecundum qualitatem & quantitatem ipſius loci, & ſuper hec omnia unanimiter volumus & ſtatuimus, & omni firmitate & firmam per hanc noſtre oblationis paginam, ut ibi ſint canonici omni tempore & perpetualiter ordinati a prepoſito communiter electo a canonicis videlicet ipſius eccleſie habentes integram poteſtatem in omnibus, quemadmodum de nobis noſtriſque ſucceſſoribus ſuperius dictum eſt, ſuper eamdem eccleſiam ejuſque pertinentiam, & inſuper licentiam habeant ſi oportuerit exinde cauſas agendi, reſponſum reddendi, finem ponendi, modis omnibus ad partem predicte eccleſie, & locum defendendi in charta iſta, qualiter juxta legem melius potuerit abſque contradictione alicujus perſone, & ita hec noſtra oblatio de predeceſſore in ſucceſſore protracta perpetualiter inviolata maneat pro illius amore & timore, cui illam obtulimus, quia in nobis placuit, & taliter per animarum noſtrarum remedio & animarum vaculentium Langobardorum, ſcilicet Rolandi, Fralmi, Guidonis, Rainerii, Siciſmundi, Gerardi ſacerdotis & Ildebrandi, & preſbyteri Ruſticii, Rainerii & Lamberti, & illorum heredum, qui nobis pro Dei timore condonaverint, terram illam, in qua predicta eccleſia conſtructa & edificata eſt, & pro anime remedio domni Johannis Lucenſis epiſcopi, & ſimiliter pro omnium illorum, quorum adjutorio illam eccleſiam edificavimus, ac illorum, qui eam ſtuduerint ac laboraverint permanere in ſtatu, quo ſuperius dictum eſt, offerimus illam ſummo altiſſimo Deo. Cetera vero omnia noſtra bona mobilia & immobilia *&c.* Et ſi quod abſit aliquis noſtrorum vel aliquis alius hominum per ſe aut per ſummiſſam perſonam hec, que hic ſuperius ſunt dicta, in aliquo rumpere aut violare temptaverit ſeu permutare ſive minuere aliquo malo ingenio ſtuduerit, adjungimus, ut ſint in poteſtate & cura atque deſcenſione domni Lucenſis epiſcopi, qui tunc temporis fuerit, eo tamen modo & non alio tenore, ut ipſe dignetur conſtituere & ordinare hec eo modo & ea ratione, ut ſupra dictum eſt, abſque ullius muneris acceptatione. Si autem epiſcopus hoc neglexerit, tunc quatuor religioſiores clerici cum totidem laicis ejuſdem civitatis hec omnia ordine, quo ſupra dictum eſt, conſtituant & ordinent. Si vero hii omnes ad hec incurioſi extiterint, tunc abbas ſancti Pontiani ad hec accedat, & ſimili modo ea que dicta ſunt in Dei timore perficere curet. Quod ſi ipſe quoque negligens fuerit, abbas Sextenſis ſit ad hec eadem ipſo tenore quo diximus perficiendum, dein poteſtatem accipiat. Et ſi ille ſimiliter ad hoc venire recuſaverit, epiſcopus Piſenſis ad id peragendum ſimili modo, quo dictum eſt, accedere curet. Porro ſi nos aut noſtri heredes aut aliqua a nobis ſummiſſa perſona ab ach ora in antea contra aliquod, quod ſuperius leguntur, de iis que Deo obtulimus, & ordinando prefate eccleſie conceſſimus, aliquando in aliquo perverſe agere, aut cauſari, ſive minuere, aut dirumpere ſcienter queſierimus per quodlibet malum ingenium, niſi forte in utilitate ipſius eccleſie, & ejus ordinariorum, & ſi omnia, que per hanc paginam ſummo ac altiſſimo Deo noſtro obtulimus, & que ordinan..s ſepedicte ec-

clesie

clesie esse concessimus, & statuimus, ab omni homine defendere legaliter non potuerimus, & non defenderimus, spondimus nos componere ad partem predicte ecclesie per compellationem supradicti Lucensis episcopi vel jamdictorum clericorum & laicorum, sive abbatum, sive Pisani episcopi, aut illorum successorum, qui istam oblationis paginam in manibus ha...... *&c.* Ut hec igitur omnia superiora que decrevimus, & statuimus & confirmavimus, fixa & inmota permaneant, sex exinde cartas scribi rogavimus, eo videlicet tenore, ut unam ex his omni tempore ordinarii prefate ecclesie habeant, aliam predictus Lucensis episcopus, tertia jamdicti clerici, quarta abbas sancti Pontiani, quintam abbas Sextensis, sextam vero episcopus Pisensis ad ostendendum & defendendum, uti predictum est, cuncta que superius in hac pagine leguntur, & si oportuerit exinde querimoniam faciendum, responsum reddendum, finem ponendum cum carta ista & in pristinum statum revocandum, qualiter justa legem melius potuerint observantes, scilicet ea omnia, que a nobis in hac pagina dicta & confirmata, & sancita sunt. Quoniam hec omnia, sicut supra dictum est, nobis complacuerunt prelibatas exinde sex cartas pro confirmatione Leonis notarii domni imperatoris scribere rogavimus. Actum in prefato monte heremite juxta dictam ecclesiam sancti Pantaleonis excellentissimi martyris.

† Ego Johannes presbyter in hac oblationis pagina a nobis facta ss.

† Ego Bonaldus presb. in hac oblationis pagina a nobis facta ss.

† Bonatus presb. in hac oblationis pagina a nobis facta ss.

Johannes presb. & abbas sancti petri ss.

† Petrus clericus in hac oblationis pagina a nobis facta ss.

† Ego Albericus abbas sancti Pontiani ss.

† Johannes Dei gratia humilis Lucensis episcopus in hac oblationis pagina ss.

† Ego Guido archidiaconus ss.

† Ego Salomon presbyter & primicerius ss.

† Lambertus diaconus & canonicus sancti Martini ss.

† Ego Johannes presb. & cantor ss.

† Ego Johannes archipresbyter ss.

† Ego Rainerius presb. & canonicus ss.

† Ego Sigefredus clericus & canonicus ss.

† Ego Gerardus clericus & abbas sancti Frigiani ss.

† Ego Benedictus presb. & canonicus ss.

† Wido judex domni imperatoris ss.

† Johannes judex sacri palatii ss.

† Arigo notarius domini imperatoris ss.

† Rolandus judex sacri palatii ss.

† Leo notarius domini imperatoris post traditam complevi & dedi.

LVII.

Libellus emphyteusis scriptus Johanni episcopo Tiburtino a Benedicto abbate sancti Gregorii de Urbe.

Anno 1044. mense octobri.

Ex codice membranaceo ejusdem monasterii, pag. 229.

Ad lib. XIII. n. 14.

A Vobis peto domne Benedicte venerabilis abbas monasterii sanctorum Andree atque Gregorii confessoris Christi, quod nuncupatur Clivus Scauri, per consensum monachorum vestrorum, ut mihi Johanni episcopo sancte Tiburtine ecclesie heredibus successoribusque meis detis licentiam ad supplendum inferius conscriptos annos, quatinus cum Christi auxilio locare committereque jubeatis libellario nomine, idest unam pedicam terre sementaritie in inde cultum vel incultum, qualem eligere voluero: & illis tribus pedicis, quas in suprascripto monasterio quidam Demetrius sua pro anima obtulit in loco, qui vocatur Moreni, juris vestri dominii ad tenendum, colendum, & inferius suprascriptos annos possidendum a die kalendarum octobrium presenti tertiadecima indictione, & usque in annos viginti novem complendos & renovandos, & daturos nos esse pollicemur causa renovationis unam denariorum untiam: ita sane prestet ex inde rationibus pars nostra parti vestre singulis quibusque annis sine aliqua mora vel dilatione pensionis nomine denarios argenteos quinque in festivitate sancti Andree, & non habeamus licentiam hunc nostrum placitum alicui primitus vendendi, quam vobis vestrisque successoribus pretio justo minus denariorum triginta. Si autem vos emere nolueritis, demus vobis denarios ipsos, & licentiam habeamus vendendi, cui voluerimus. Tali tamen persone hominum, ut omnia, que supra leguntur, sine mora vobis adimpleat. Si qua vero pars contra fidem hujus cartule fecerit, tunc det pars infidelis fideli parti unam auri libram, & cartula hec firma permaneat. Unde peto, ut

ut unus ex libellis uno tenore conscriptis per manum Johannis scriniarii Sergii scriniarii filii anno duodecimo domini Benedicti pape noni mensis octobris indictione tertiadecima.

† Benedictus abbas.
† Benedictus presbyter & monachus.
† Johannes presbyter & monachus.
† Raynerius opifex filius Martini.
† Bene de Pulcro presbytero.

Ego Gregorius scriniarius sancte Romane ecclesie interfui, & testis rogatus ss.

Ego Johannes scriniarius Sergii scriniarii filius complevi & absolvi.

LVIII.

Immo seu Irmenfredus episcopus Arretinus consilio Albizonis eremitæ Camaldulensis & aliorum dividit inter suos presbyteros Arretinæ diœcesis administrationem.

Anno 1045.

Ex archivo Fontis-boni.

Ad lib. XIII. n. 19.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Immo, qui & Irmenfredus Arretinus episcopus. Notum sit omnibus Dei fidelibus, quia ex quo presulatus sancte Arretine ecclesie mihi concessus est, semper maxima cura fuit, ecclesias nostri episcopii protegere & sublimare, & populum mihi commissum pie regere & benedicere; sed nunc infirmitate & dolore pedum, qui me valde opprimit, non valeo perficere, quod volo, maxime quia Viventius archidiaconus, qui mihi erat quasi brachium dexterum, defunctus est, ideo solus non possum ferre onus sancte ecclesie. Propter hoc accersivi Petrum prepositum ..... canonice, virum prudentem, & domnum Rodulfum abbatem de monasterio sancte Flore, & Teuzonem abbatem de monasterio sancti Martini sito al Pino, & Albizonem heremitam Camaldulensem, & plures alios clericos & aliquantos capitaneos de nostro comitatu, scilicet Ungarum filium Radulfi & Grisonem filium Ildibrandi, & Ubaldum filium Ildizoni & alios plures. Dixi ad illos: Fratres & filioli mei, date mihi consilium, quid mihi faciendum sit de plebibus & ecclesiis nostri episcopii, quia solus, sicut predixi, non possum totum onus portare. Tunc illi omnes inito consilio dixerunt. Domine pater, non possumus tibi dare melius consilium, quam quod Jethro dedit cognato suo Moysi. Partite onus, & committite curam ecclesiarum melioribus & sapientioribus ecclesie, ut & ipsi dijudicent .... ante faciem vestram presentent, ut divinum onus levius portetis.... episcopus accersito consilio commisit unam partem de plebibus Gerardo primicerio & archipresbytero; aliam partem Lodoyco .... tertiam vero partem commisit Marmetrico ...... presbytero, quartam denique partem commisit scilicet plebes omnes que .... commisit domino Petroni preposito canonice ecclesie & omnibus successoribus prepositis ejus, videlicet plebem sancti Marc... .... lo, sancti Felicis in Brolio, sancte Marie in Pa....... sancti Viti in Versure, sancti Johannis in Vescona, quam domnus Teudaldus episcopus in antea nobis inter alia bona in suo privilegio concessit, sancte Agathe in Scisciano, que antea vocabatur sancti Ypoliti, sancti Victoris in Rapolano, sancti Andree in Malcino, sancti Stephani in Cinano, sancti Petri in Misole, sancti Constantii, sancti Valentini, sancti Donati in Bibiano, sancte Marie in Monte Politiano, sancte Marie in Cosona, sancte Marie in Pava, sancte Marie in Saltu, sancte Marie in Sexta, sancte Restitute, sancti Viti in Cursignano, sancti Quirici in Osena, quam antecessor noster domnus Albertus episcopus cum omnibus aliis bonis nobis concessit, & in suo privilegio confirmavit, sicut supra dictum est, Petroni preposito & successoribus suis, ut semper habeant & teneant & custodiant, & per se, & per canonicos suos, ut Deus & sanctus Donatus retribuat illi mercedem. Si quis igitur nostri privilegii atque sanctionis modernis sive temporibus futuris temerarius violator extiterit, si ad quindecim dierum spatium non emendaverit, quicumque fuerit, sit maledictus a Deo Patre, Filio & Spiritu sancto etiam in cena Domini ..... fugiat in ..... Quod si nos ..... aut aliquis ex successoribus nostris ..... nostre pagine ...... conservaverit, centum libras auri optimi ..... canonicis eorumque successoribus persolvere.... itum, ut omnibus fidelibus Christianis certius fiducialius ...... successoribus nostris coepiscopis in posterum & inviolabiliter observetur, manu nostra propria subscribendo corroboravimus, & ad extremum nostri sigilli impressione .. .... sancti Donati figurati funditus certificandum insigniri curavimus.

Ego Immo qui & Irmenfredus sancte Arretine sedis provisor humillimus in hujus privilegio spontanea mente facto manu propria voluntarie subscripsi.

Petrus prepositus sedis & preceptor hujus privilegii propria manu subscripsi.
Ego Teuzo vicedominus subscripsi.
Ego Rainerius presbiter laudando subscripsi.
Ego Sigizo major scole laudando subscripsi.
Ego Cuso diaconus subscripsi.
Ego Rentius presbiter subscripsi.
Ego Ludovicus clericus subscripsi.
Ego Ildebrandus . . . .

LIX.

Præceptum Henrici III. regis pro monasterio Classensi S. Apollinaris concessum Lamberto ejus abbati.

Anno 1045. XVI. kl. octobris.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ad lib. XIII. n. 18.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Tertius Heinricus divina favente clementia rex. Cum omnium, quos divina pietas sola sua miseratione nostro regimini subdidit, nos oporteat curam agere, ac necessitatibus providere, tum maxime eorum, qui vitiis & concupiscentiis crucifixi mundo tanto assiduiores divine contemplationi inserviunt, quanto ab omni mundana sollicitudine liberiores existunt. Eis namque devota vicissitudine temporalis beneficii magis nos debitores esse cognoscimus, quorum pio interventu mundane fragilitatis imbecillitatem sustentari non dubitamus. Et qui dum aliena onera ante oculos pii conditoris portant, semetipsos sub jugo charitatis pie fatigare non cessant. Quapropter viro venerabili Lamberto abati de monasterio sancti Apollenaris, quod in Classe cognominatur, postulanti, ut ecclesiam suam, cunctaque ad ecclesiam pertinentia sub defensionis nostre munimen reciperemus, libenter favimus, & per interventum Agnetis nostre care conjugis, & petitionem Herimanni nostri scilicet dilecti archiepiscopi atque archicancellarii quadam peculiari donatione ejusdem ecclesie advocaturam cum investitura per manum predicti abatis suscepimus, & ecclesiam illam cum omnibus ad eam ad presens pertinentibus, vel que ex devotione fidelium postmodum pertinebunt, nulla aliquo modo perversorum hominum calumnia, aut occasione infestandam, aut inquietandam roboramus. Hec autem, ut inferius inscripta leguntur, predicte ecclesie ad presens sine ulla contradictione pertinere non dubitantur. Idest in urbe Ravenna monasterium sancti Theodori, quod cognominatur Grecum, cum castello & fundo in Fanensi comitatu situ, quod vocatur Albiniano, & cunctis omnibus ad predictum Grecum monasterium pertinentibus. Et insuper omnia, que eidem monasterio Classensi pertinent in civitate Ravenna. Preterea ecclesia sanctorum Marci & Marcelli & Felicule predicto Classensi monasterio adjacens cum curte integra, que vocatur Cagiano, & cum omnibus aliis suis pertinentiis. Preterea omnia, que Classensi monasterio pertinent in comitatu Corneliensi, & Faventino, & Liviensi, & Pubiliensi, & in territorio Traversarie, & in massa, que vocatur Barisiani, & curtis integra, que vocatur Pertusiacus, & omnia in comitatu Decimano sibi pertinentibus, & in comitatu Cesinate, & in Sarsinate, & curtis integra, que vocatur Sala, & altera Sala nova . . . . . . predicte ecclesie pertinentia in comitatu Ariminensi. In comitatu vero Pisaurensi medietas castri, quod vocatur . . . . & locus integer, qui vocatur . . . . alia predicte ecclesie in eodem comitatu pertinentia, similiter & in comitatu Fanensi seu & Senogalliensi, & castellum sancti Martini ad mare situm in comitatu . . . . Omnia sibi pertinentia in comitatu Auximano. Preterea curtis integra de Campo longo, & medietas castri, quod vocatur Pausuli, & medietas castri, quod vocatur . . . . . . & monasterium sancti Petri juxta mare cum castro integro quod vocatur * Butiro, & cum omnibus aliis suis pertinentiis, que omnia in comitatu Firmano sunt sita, & omnia in comitatu Perusino, & Egobino, & Tudertino ita predicte ecclesie pertinentia. Hæc . . . . . . conditione sub nostre defensionis . . . . suscipimus, quod si quis umquam diabolico zelo instinctus predictam ecclesiam aliquo modo molestare presumpserit, centum libras auri componat, medietatem nostre camere, alteram autem medietatem predicte ecclesie. Unde ad perpetui firmamenti auctoritatem hanc cartulam nostri mundiburdii jussimus inscribi, eamque nostri sigilli impressione insigniri.

* l. Butrio.

Humfredus cancellarius vice Herimani archiepiscopi & archicancellarii recognovit.

Datum decimo sexto kalendas octobris anno Dominice incarnationis M. XXXXV. anno autem domni Heinrici III. regnantis VII. indictione XIIII.

Actum in Pohselt. Feliciter amen.

Loco ✠ sigilli cerei deperditi.

LX.

LX.

Libellus terrarum factus Bono abbati & monasterio S. Michaelis Pisarum ab Eritio filio Enrighi judicis.

Anno 1046. III. kl. martii.

Ex autographo ejusdem Pisani monasterii.

Ad lib. XIII. n. 25.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille quadragesimo sexto tertio kal. martii indictione quartadecima. Manifestus sum ego Eritio filio b. m. Enrighi, qui fuit judex domni imperatoris, quia per hanc cartula livellario nomine trisu.. & perexolvendum dare videor vobis Bonus abbas de ecclesia & monasterio domini & sancti Michaelis archangeli, qui est fundato & edificato foras civitate Pisa ad porta, qui vocatur Samuel, ad pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis abendum meam portionem ex integra de una petia ad terra mea illa insuper se habentes de terra vacua retro ipsa casa, quam habeo foras civitate Pisa prope supradicta ecclesia & monasterio sancti Michaelis, quas ipsa petia de terra cum casa & terra vacua est mensuratas a legitimo pede, qui dicitur Luiprandi regis, per l'ogni tutto de uno lato pedes octuaginta & octo, de alio vero lato per l'ogni tutto pedes similiter octuaginta & octo, & per traverso de uno capo pedes duodecim & dimidio pede, & de alio vero capo per traverso pedes duodecim, & est tenentes uno capo in via publica, & alio capo tenet in terra de supradicta ecclesia sancti Michaelis cum uno lato, & alio lato tenet in terra Bernardi judex, qui Benitio vocatur, & in terra mea, que supra Eritio de germano meo dicta petia de terra cum casa super se habentes & terra vacua retro ipsa cum fundamento & retro & omnem edificio suo, qualiter ab omni parte circumdata est per designatas locas, competenti exinde mihi medietatem, ipsa vero meam portionem exinde integram cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressoras suas vobis tamen livellario nomine dare videor tali ordinem, ut da admodum venerandus Bonus abbas a pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis & in successoribus tuis sint potestatem habendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, meliorandi, & vobis eas privato nomine habendi & usufructuandi, & exinde mihi vel a meis heredibus per singulos annos per omnes menses genuarii incensum nobis reddere debeatis ubicumque me invenire potueritis nobis vel a misso nostro per vos aut per ministeriale vestro sive per alios vestro misso arientum denarios bonis expendibilibus de moneta de Luca numerus duo tantum, & si a nos vobis hec omnia, qualiter superius legitur, per singulos annos taliter adimpleveritis & conservaveritis, & nos vobis suprascripta in eam portionem de predicta petia de terra, que superius legitur, quas vobis livellario nomine dedit, retollerimus, vel aliquid amplius vobis super imposuerimus pro quodlibet ingenio spondeo, qui supra Eritio, una cum meis heredibus componere vobis qui supra Bonus abbas vel a posteris & successoribus tuis a pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli penam arientum optimum libras centum, quia taliter inter nos convenimus, & item in hoc ordinem hunc libello Leo notarius domni imperatoris scribere rogavi.

Actum prope supradicto monasterio sancti Michaelis.

Ego Eritio in hoc libello a me facto subscripsi.

Ego Vuillelmus judex domni imperatoris ss.

Ego Henrichus judex domni imperat. ss.

Ego Ildebrandus not. domni imperatoris rogatus me ss.

Ego Johannes judex domni imperat. ss.

Ego Leo judex domni imper. ss.

Ego Hugo judex sacri palatii ss.

Ego Leo notarius domni imperatoris post tradita complevi & dedi.

LXI.

Donatio Ugonis filii Johannis facta monasterio Prataliensi.

Anno 1046. mense junio.

Ex originali archivi Fontis-boni. §. Donatio. n. 104.

Ad lib. XIII. n. 24.

IN Dei nomine. Anno incarnationis Dominice millesimo quadragesimo sexto mense junio indictione secunda. Manifestus sum ego Ugo filio Johannis, qualiter per cartula judicati volo, judico e trado, a proprio pro mercis e remedio anima mea e de jenitore meo, e jenitrice

ce mea tibi a monesterio sancte Marie matris Cristi, que est constituto pro dicto monasterio in loco Pratalia, idest due portionis de totis rebus juris meis de quantumcumque mihi successid a jure concessionis parentorum meorum da patre meum sive de matre mea, vel da aliis parentibus meis de quantumcumque modo ego abere e tenere visus sum vel aliis ominibus tenuerit de mea parte, e mihi.. portione contagne vel contagnere debet da germanis meis vel da aliis parentibus meis fra territorio de plebe sancte Marie sito Partina, e fra territorio de plebe sancte Marie sito Bujano, fra territorio de plebe sancti Ipoliti sito Biblene, in casale, qui dicitur la Silva e Caminza e in Marina, e in casale Jurduna, e in casale Fejano, e in casale Munte vel pro alie casalia, que invenire potueritis, tam de case & curtis, e domnicatis, terris, vineis, e sorti, e masaritie, tam ap se, quam & resedentis, sive de angarialis libellariis, tributalis, quam e de ecclesia sancti Michaelis archangeli e de cimiterio suo e pertenentia sua, que at ipsa ecclesia de mea portione pertinet, cum sulamentas, edeficiis earum, curtis, ortas, terris, vineis, pratis, campis, silvis, vel reliquis pumiferis, aquis, rivis, pascuis, cultum vel incultum, divisum & indivisum, tam in muntibus *&c.* Quam vero cartula judicati a me, qui supra Ugo, facta, qualiter superius legitur, Acto notarius scrivere rogavi. Actum Aritio feliciter.

† Singno mano de suprascripto Ugo, qui ec cartula judicati e manu sua scrivere rogavit.

† Singno manibus Corbito filio Johannis, e Gulfo filio suo, e Petro filio Johannnis, e Bulgari filio Carliro Carili rogatis testis.

Ego Acto notarius scripsi & complevi feliciter.

LXII.

Præceptum Henrici III. regis pro eodem monasterio.

Anno 1046. kl. decembris.

Ex autographo ejusdem archivi. §. Privilegia. A. I. 41.

Ibidem. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Si precibus Christo famulantium nostra potestas annuat, hinc nobis victoria celitus aucta corporis, atque salus anime quoque gaudia crescent. Quapropter notum esse volumus omnibus nostris presentibus scilicet & futuris, qualiter nos pro amore divino, animeque nostre remedio bona & monasterium sancte Marie & sancti Benedicti siti in alpe que dicitur Pratalia juxta rivum nomine Bidente ad radicem montis Acuti, qui dividit Tusciam & Romaniam de jure nostri regni mansum unum, qui vulgo dicitur Nilibi de Soci, quem Hugo marchio per libellum dederat predicto monasterio. Alterum vero mansum, qui dicitur Teuzonis brusati, quem marchio similiter per libellum habuit.... mansum quoque de Sexta, unde marchio libellum fecerat Winizoni gastaldio. Item mansum de Ventrina, que Leoni marchio per libellum dederat cum tribus mansis de Camprena. Mansum etiam de Linario unum libellum habuit Bonizo. Mansum quoque de Tejano, quem Winizo habet per libellum cum parte illius vinete, quam habet Tuizo per libellum, sub nostri mundeburdii tuitione recepimus, confirmantes ipsi monasterio ea, que ab antecessoribus nostris regibus & imperatoribus tradita sunt atque concessa cum omnibus suis pertinentiis, hoc est terris, campis, casis, vineis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarum decursibus, & omnibus rebus, mobilibus & immobilibus, ea videlicet ratione, ut abbas Dominicus, suique successores habeant potestatem quidlibet faciendi de predictis bonis ad usum prefate ecclesie. Et ut nullus dux, marchio, comes, vicecomes, episcopus, gastaldio vel aliqua magna vel parva persona predictum abbatem, seu suos successores inquietare vel molestare ullo modo presumat. Si quis igitur hujus nostri mundeburdi auctoritatem infregerit, mille libras auri optimi se compositurum sciat, medietatem camere nostre, & medietatem predicto abbati suisque successoribus. Quod ut verius credatur, & ab omnibus diligentius observetur, hanc cartam inde conscriptam sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Heinricus cancellarius vice Herimanni archicancellarii recognovi.

Loco ✠ *sigilli.*

Datum kal. decembris anno Dominice incarnationis millesimo quadragesimo sexto anno autem domni Heinrici tercii ordinationis ejus XVIII. regni vero VIII.

Actum apud sanctum Genesium in Dei nomine feliciter. Amen.

LXIII.

LXIII.


Aliud ejusdem imperatoris pro Camalduli eremo.

Anno 1047. III. non. januarii.

Ex originali ejusdem tabularii. §. Privilegia. A. I. 44.

Adlib. XIII. n. 30.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Omnium Dei sancteque ecclesie fidelium nostrorumque presentium scilicet ac futurorum noverit industria, qualiter nos pro amore divino animeque nostre remedio omnia bona, que venerabilis Teudaldus episcopus eremitis in Campo Amabili dicto cummanentibus, & in Dei servitio jugiter manere ferventibus, liberaliter contulit, & quod Ymmo episcopus ipsis contradidit & concessit, imperiali nostra auctoritate confirmare & corroborare decrevimus, nominatim quidem totum heremum a rivo, qui vocatur Tellito, & sicut currit via Romana, & jugum qui dividit inter Romaniam & Tusciam, & locum qui vocatur Fagiolo, qui dividit inter Arizio, & Florentia, & Asqua & Sicheto, & sicut currit rivus niger, & ecclesia de Aligna cum omnibus suis pertinentiis & decimatione de ipsa villa, & unum mansum sicut rectus es per filium Martini, & alium mansum sicut rectus est per Bariscioli, & alium mansum sicut rectus est per Teuzonem presbiterum, & totam decimationem de Largnano, & unum mansum in Vettulini, sicut rectus est per Morico presbitero, & ex tribus plebibus per omnes mansiones unum sextarium de frumento, & quicquid addidit episcopus Ymmo, decimam quidem de Pergentina, & de Avana, & de Corsignano, & quodcumque ipsi heremitae ex quorumcumque datione, vel suorum acquisitione, ea videlicet ratione ut nullus episcopus, dux, archiepiscopus, comes, vicecomes, aut aliqua regni nostri magna parvaque persona ipsos heremitas inquietare, aut molestare, aut disvestire, aut aliquam injuriam inferre presumat. Si quis vero hujus nostri precepti temerario ausu violator extiterit, quod minime credimus, predictos heremitas suosque successores de predictis bonis fatigare temptaverit, sciat se compositurum auri optimi libras centum, medietatem camere nostre & medietatem predictos heremitas suosque successores. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur sigilli nostri impressione inferius jussimus insigniri manu propria, ut infra videtur, corroborantes & confirmantes.

Signum domini Heinrici secundi Romanorum invictissimi  imperatoris augusti.

Heinricus cancellarius vice Herimanni archicancellarii recognovi

Loco ✠ sigilli in cera alba.

Datum III. non. januar. anno Dominice incarnationis millesimo quadragesimo septimo, indictione quintadecima, anno autem donni Heinrici tercii ordinationis ejus XVIII. regnantis quidem VIII. sedi autem imperantis primo.

Actum Rome in pratis sancti Johannis in Dei nomine feliciter. Amen.

LXIV.

Gherardus & Bodda offerunt bona monasterio S. Michaelis Pisarum.

Anno 1046. XI. kl. junii.

Ex autographo tabularii ejusdem monasterii.

Adlib. XIII. n. 25.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille quadragesimo septimo undecimo kalend. junii indictione quartadecima. Sancto autem venerabilis monasterio sancti Michaelis archangeli, quod est fundato & edificato foras civitate Pisa prope porta que dicitur Samuel, ubi nunc donnus bonus Bonus reverentissimus abbas preesse videtur. Nos quidem in Dei nomine Gherardo filio b. m. Teuti, & Bodda jugalibus & filia b. m. Bonage. Propterea ego que supra Bodda comuniter & consentientes mihi supradicto vir meus, ubi & secundum legem interesse videtur notitia Ughi judex sacri palatii, a quibus secundum legem interrogata & cognita sum, quod nulla me passa violentiam, sed pura & integra mea bona voluntas sequentes edicti paginam comuniter, & consentientes mihi supradicto vir meus presens presentibus dixit, quia ut in Domino vel in Sanctis ejus si velimus

mus contulerit rebus justam auctoris voce in hoc seculo centuplum accipiatis, & insuper, quod melius est, vitam possidebit eternam, quam divex....... & vadam in ignem eternum. Ideoque nos qui supra Gherardo & Bodda jugalibus communiter & consentientes per hanc paginam offertionis offerimus & concedimus tibi omnipotenti Deo & pars suprascripte ecclesie & monasterio sancti Michaelis arcangeli ad ejus jure & proprietatem habendum, idest una petia de terra mea illa, quam habemus in loco & finibus Selva longa, ubi dicitur Codula, quas ipsa petia de terra tenet uno capo in terra Widi notario filio b. m. Teuti, & alio lato tenet in terra Bolgani & Apurigi filii b. m. Johanni, as supradicta petia de terra in eodem loco, qualiter ab omni parte circumdata est per designatas locas, quod est pro mensura ad justam seminaturam stariorum quatuor & panorum uno in integrum cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressoras suas, & cum via amdandi & regrediendi cum capros & boves & aliis bestiis caricatis & incaricatis vos & omnibus vestris hominibus ad amdandum ad ipsa terra usque ad viam publica tibi omnipotenti Deo & pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaeli archangeli offerimus, concedimus & per presentem paginam offertionis ibidem habendum confirmamus, & faciendum exinde a pars supradicte ecclesie & monasterii sancti Michaelis & ejus in perpetuum a usum & suntum seo hostipendia cunctorum monachorum, qui ibidem militant, quanque in antea militare debentur sine omni nostra nostrorumque heredum contradictione vel repetitione. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, & si nos, qui supra, Gherardo & Bodda jugalibus comuniter consentientes quod apsis vel meis heredibus seu quaslibet opposita persona fuerit, contra ac cartula offertionis venire temtaverit, aud eas infrangere vel disrumpere quesierit, & non permisimus permanere, sicud supra statuimus, & ab omnis omines defendere non potuerimus, & non defensaverimus a pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis, & si nos exinde auctores dare volueritis, & tunc si composituros ille ered. nost. oc facere presumpserit a pars supradicte ecclesie supradicta petia de terra in duplum inferquidem loco sub estimatione, & insuper penam argentum optimum libras sex, sic tamen si nos exinde auctores nec defensores querere nec dare nolueritis, licentiam abeatis apsque nostra persona, si vestra fuerit voluntas exinde causas agendi, responsum reddendi, finem ponendi, modibus omnibus vobis eas defensandi cum cartula offertionis ista vel qualiter justa lege melius potueritis. Et qui hanc paginam offertionis infrangere vel disrumpere quesierit, sit maledictus ab omnipotenti Deo & a sancta Maria matrem ejus, & omnibus Sanctis ejus, quia in tali ordine anc cartula offertionis Lambertum notarium domni imperatoris scribere rogavi. Actum in loco & finibus Selva longa prope ecclesia sancti Bartolomei apostoli.

Signum de manibus supradicti Gherardi & Bodde jugalibus comuniter consentientes, qui anc cartula offertionis scribere rogavimus.

Ego Ugo judex sacri Palatii interfui.

Signum de manibus Moroni filio b. m. Albitii testes.

Signum de manibus Berytii filio b. m. Bonitii testes.

Ego Lambertus notarius dom. imperatoris post tradita complevi & dedi.

LXV.

Breve recordationis de fundatione ejusdem monasterii S. Michaelis scriptum a Bono primo abbate, & institutore.

Anno 1048.

Ex eodem tabulario.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Breve recordationis facio ego Bonus abbas, qualiter ab initio inchoavi conversari in ecclesia sancti Michaelis, que nunc est cenobium. Fecit me venire senior Stephanus de Nonantulis cum avunculo meo Petro, & investivit me de ipsa capella, que tunc temporis detinebatur a presbiteris, & neque monachum, neque abbatem ibidem inveni, & non casam neque mansionem, sed tantummodo unum tugurium, ubi cepi habitare cum avunculo meo. Et operabatur tunc temporis in turre ipsius ecclesie, & quod habebam, & habere potui, dedi in restaurationem ipsius turris ad magistros & ad manuales, & ad quod necesse erat. Et cessavit ipse Stefanus laborare in ecclesia post unum mensem, quam ego cepi habitare in ipso loco, & non levavit in altitudinem ipsam turrem, nisi tantummodo unum passum super ipsam ecclesiam. Et post hec finitus est annus, quod

Ad lib. XIII. n. 32.

quod ipsa ecclesia fuit offerta ad honorem Dei & sancti Michaelis, & ad officium sancti Benedicti & ad ipsius regulam monachis ibidem in perpetuum conversandis. Et hoc vobis notum sit, quia in ipsa ecclesia non inveni aliud nisi unum missale, & unum calicem de stagno, & unum camisum cum amicto, & unam stolam de lino, & unam planetulam, que nunc superest .... quia non inveni in ipso loco neque squillam, neque campanam, sed tantummodo unam tabulam, & cum ipsa tabula .... ipsa ecclesia quatuor .... Nunc audite & intelligite, qualiter melioratus est locus ipse cum auxilio omnipotentis Dei, & meo & de meis monachis, & de bonis christianis nostre civitatis. Post quinque annos cepi laborare in ipsam turrem, quam nunc videtis de helemosina bonorum hominum, que nobis dabatur, & edificavi in ipsa turre ecclesiam, que nunc videtur ab omnibus, & perrexi ad Romam per columnas ipsius ecclesie, & comparavi & feci eas venire in navim per mare de nostro pretio, & post hoc edificavi super ipsam ecclesiam campanilem. Cum autem consummatum fuisset ipsum campanilem cum turris & ecclesia, ambulavi per civitatem nostram cum Burello quondam bone memorie, & cum Landulfo parente ipsius, & cum tribus aliis religiosis hominibus, & acquisivimus ipsa die centum solidos, quos dedi pro pretio ad magistros, & posui in ipsum campanile duas campanas. Et post quindecim annos videbatur mihi & fratribus meis ipsum campanilem parvum & rusticior, & everti eum a fundamentis, & feci fabricare illum quomodo videtis valde pulchrior, & posui in ipsum campanas septem, quas omnes de helemosinis fecit domnus Dominicus meus prior, quem ego enutrivi, & nunc est abbas monasterii sancti Zenonis: * & omnes facte sunt de helemosinis, que nobis facte sunt; & de missis, quas ego & monachi mei decantaverunt .... & habent in se ipse campane libras metallorum tantas. Una campana major est ponderis M. CC............. alia quingentarum, tertia trecentarum **, quarta ducentarum, quinta centum, sexta & septima quinquagintarum. Quando veni in ipsum locum, non inveni, sicut superius memoravimus, nisi unum camisum cum planetula & stola sua linea. Nunc autem habemus in istum locum sanctum camisi XIII. cum amictis suis. Et tres camisi sunt tam perfecti & optimi, ut episcopus Opizus domui sancte Marie possit cum honore cantare missas in die Pasche. Et tres planetas, due de pallio, una valentes solidos centum, alia valentes solidos XXX. tertia de castanea, & tres stolas optimas cum manipulis suis, due de purpure, & alia de pallio & tres corporales de pallio valde optimo. Unum corporale de ipsis tribus est de brusco deaurato valente solidos XX. quem fecit Leo papa quarto Romanus, & habet in se depicta imago Salvatoris nostri de brusco, & ex una parte imago sancti Petri apostoli, & ex alia parte sancti Johannis evangeliste, & unum pluviale de purpura, & alium de pallio valde bonum. Quando veni in ipsum locum non legebatur in ipsa ecclesia per totum fere annum nisi epistole & evangelia, quia non habebatur nisi unum missale. Nunc autem scitote, quod melioratus est de libris ipsum locum. Sermonum liber unus, quem ego scripsi solus cum priore meo, sicut habetur domui sancte Marie, valde optimus. Liber historiarum unus, ubi continetur quidquid in sancta ecclesia pertinet ad legendum per totum annum. Textum Evangeliorum unum valde optime scriptum cum tabule de argento valde bone. Passionarium unum novum, ubi sunt omnes passiones ecclesiastice. Tractatum super Genesis sancti Augustini liber unus. Dialogorum liber unus. Moralium Job liber unus. Summum bonum liber unus. Diadema liber unus. Paradisi liber unus. Glossarum liber unus. Canones liber unus. Sancti Benedicti regula liber unus. Pastorale liber unus. Antiphonarii VIII. quinque diurnales, tres nocturnales. Liber Bibliothece novum, quod est comparatum libras decem. Missales quinque. Unum missale valde optimum, quod semper in arca manebit, valentem solidos C. Super Ezechiel liber unus. Libri psalmorum valde optimi V. quot sunt insuper totum numero XXXIV. Quando veni in ipsa ecclesia, non inveni, nisi unum calicem de stagno. Modo autem cum auxilio Domini habentur ibi calices IIII. Unum de auro valde bonus, & habet uncias XI. Alius de argento major, & habet libras III. & mediam, alii duo habentes in se libram unam de argento per unumquemque. Quando veni in ipsum locum, non inveni nisi unam parvam domum, & postquam cepi commorari cum meis monachis, feci levare mansiones ibidem novas, & post decem annos disrumpebantur ipse mansiones, quas feci, quoniam erant de ligno de mala generatione, hoc est fuere de cerro. Et dejeci ipse mansiones a fundamentis. Et hedificavi alias mansiones de lignis castanietis, quas

* *Addit Muratorius:* sancti Leonis, & Sancti Rustici.

** *Legit Muratorius:* vinginti quinque.

quas venire feci per mare de Luni. Et non post multum tempus comparavi da Erigo filio Eritii terram, ubi nunc ipsum monasterium consistit, & dedi in ipsa terra libras XLII. & post hec hedificavi ipsam domum a petra & calcina, ubi sunt omnes officines, sicut abbatia habere debet, & est tam perfecta domus, ut in tota Marcha melior non est, cum columnas, quas de insula Ilba & de Luni adduci feci. Et hoc sciatis, quia quando veni in ipsum locum non dedit amplius terre Stefanus in offersionem in ipsa ecclesia, nisi stariorum sex in loco Sejo de valde mala, & stariorum XXIIII. ad Tramarice & similiter mala. Nunc audite, qualiter adjuvante Domino amplificatus est locus ipse de bona terra. Habet monasterium sancti Michaelis modo DC. stariorum de terra. Dedimus nos pretium in ipsa terra, quod nobis Dominus dedit magnam partem, videlicet libras C. valde modice minus, & de alie terre cantavimus & promisimus ad ipsos parentes, que in ipsum locum dari fecerunt in manibus nostris, multe Misse decantari. Cui mille, cui quingente, cui trecente, cui centum, & adjutorium & consilium habuimus in aliquantulum de nostris Senioribus. Et dedit Albertus de Acuto in ipsum locum curtem unam in Corsica propter amorem & servitium, quod ego misi in ipsum Albertum, quando infanctulus erat, & propter amorem & servitium, quod fecit Johannes nepoti meo ad predicto Alberto, & promisi dare predicto Johanni servitium x. libr. ut me adjuvaret, & non tulit mihi propter meum amorem, nisi solid. xx. & fecit mihi dare hanc curtem, & detinet ipsam curtem inter montes & colles & planities & agros sistariorum innumerabiles. Hoc est malum, quod ego feci cum monachis meis per annos XXX. in ipsum locum & non vobis abscondam verecundiam meam, quoniam quando inchoavi habitare in eodem loco, tam pauper erat locus, in duobus annis non habui, nisi unam stamineam per annum, & tempore estatis in meridie, quando dormire pergebam, ipsam stamineam ad lavandum dabam; & quando surgebam, predicta lota staminea induebar. Et nunquam habui equum, sicut ceteri abbates habent, & etiam viles monachi. Sed si necesse erat in silva ambulare, aut in aliquo loco, pedibus meis ambulabam; & non duplicia vestimenta desideravi, sed quando novum induebar, neque per Pascha, neque per Natalem alium mutavi usquedum scinderetur, quia consideravi paupertatem loci, ut cum debito non maneret. Et multa alia feci, que commemorare longum est ...... argenteum & alium ereum, quando elongavi ecclesiam sancti Michaelis expendi in ipsa ecclesia solidos mille sine pane, & sine vino, & sine carne, & sine pisces. Omnia ista expensaria in breve habentur scripta.

LXVI.

Acto monachus donat Campezoni abbati monasterii S. Petri de Monte-conero ipsam ecclesiam S. Petri cum altera S. Antonii.

Anno 1048.

Ex archivo monasterii Montis-acuti.

Ad lib. XIII. n. 34.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi mille quadragesimo octavo imperante domino Henrico imperatore augusto anno imperii ejus secundo in Dei nomine. Ego Acto sacerdos & monachus Johannis filius cogitans cogitavi ea, que viriliter & amabiliter debentur, & qualiter unusquisque homo ad suum veniat finem, & elegi magis subesse quam preesse, timens illud, quod divina sapientia terribiliter clamat, judicium durum fiet his, qui presunt, & alibi, qui nescit tenere moderamina vite sue, ne judex fiat aliene. Propterea ego prenominatus Acto bone voluntatis hanc cartam fieri rogavi, do & dono & concedo & admitto in ecclesia, que est monasterium sancti Petri, & ad esto monasterio edificatus super cacumine montis, cui vocabulum est Conari, ipsam ecclesiam, ubi prefui cum sancti Antonii ecclesiam, tibi donno Campezo abbati cum libris & paramentis, & campanis, & collis, vineis, terris, olivetis, campis, sylvis, aquis & cuncta suppellectile, quod ad ipsam prenominatam ecclesiam sancti Antonii pertinet, vel pertinere debet. Et si, quod absit, instante diabolo in aliquo tempore hanc cartam infringere, vel falsare, vel in aliquo modo per me aut per submissam vel summittendam personam confringere voluero, non solum iram Dei, sed sanctorum omnium incurram. Et insuper desponeo me & promitto tibi donno Campezo abbati suisque successoribus, qui in prenominato monasterio abbates decernentur, imposterum bizantios aureos quinquaginta, & post penam datam & absolutam carta ista in sua permaneat firmitate: scripta per manum Lauretici tabellio.

nis civitatis Auximi sub die & anno indictione prima. Auximi civitati.

† Ego Acto monachus in hac carta a me facta propria manu ss.

† Amezo comes in hac carta testis subscripsi.

† Adellei Adesi Gezo in carta subscripsi *&c.*

Ego Laurentius tabellio autem scripsi intus hac carta post subscriptionem & roborationem testibus complevi & absolvi.

LXVII.

Concordia inter homines filiorum Berardi & monasterium Pratalia.

Anno 1048. mense novembri.

Ex autographo Fontis-boni §. Recordationes. n. 4.

Ibidem.

BReve recordationis & obligationis ad rem retinendam & ad memoriam abendam pro modernis & futuris temporibus. Orta est aliquando lis magna inter homines filiorum Berardi & homines monasterii de Pratalia, adeout sibi invicem reciproca redibitione depredationes maximas & combustiones domorum ingererent. Quapropter venerunt supradicti filii quondam Berardi, Rainerius scilicet & Guido, & Ugo in loco qui vocatur Ariole cum quibusdam suis militibus, & abbas Prataliensis Dominicus nomine suis cum clientibus in eodem supradicto loco, & diutissime ventilata est rei ratio inter eos. Tandem hanc pactionem suprascripti germani fratres fecerunt, ut pro recompensatione multarum rerum, quam reducere nequibant, hanc vicissitudinem Deo Sanctisque ejus recompensarent, ut videlicet se suosque filios & eredes in eodem monasterio perpetualiter tali pacto & tenore obligarent, ut quicumque ex eis monachi cum vellet accipere habitum, in eodem convertatur cenobio cujusvis rebus, & cum quibuslibet eorum in his contiguis partibus mortuus fuerit, similiter in eodem jacebit monasterio, ibique suum dabit judicium, & si aliquis hanc pollicitationis obligationem infringere temptaverit, componat in eodem loco viginti libras argenti, & post solutam penam firma hec promissio perpetualiter maneat. Insuper suos milites ceterosque bonos homines harum rerum testes esse voluerunt, Bando videlicet filius quondam Guidonis, & Rodulfus quondam filius alterius Guidonis, & Megizo Teutonicus, & Teuzo castaldius, & Martotius decayo rogati testes exstiterunt. Acta sunt autem hec in loco Ariole mense novembrio anno Dominice incarnationis millesimo quadragesimo octavo indictione undecima. Betto Dei gratia judex notarius rogatus ab utriusque partibus hec scripsit & legaliter roboravit.

LXVIII.

Literæ Leonis IX. pp. ad Petrum Damianum, quibus laudat ejus opusculum contra incontinentes clericos, dictum Gomorrhianum.

Anno 1049.

Ex operibus S. Petri Damiani. T. III. pag. 73.

Ad lib. XIII. n. 35.

LEo episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Petro eremitæ, eternæ beatitudinis gaudium.

Ad splendidum nitentis pudicitiæ thorum, fili carissime, pio certamine intentionem tuæ mentis pervenisse, libellus, quem contra quadrimodam carnalis contagionis pollutionem, honesto quidem stylo, sed honestiori ratione edidisti, manifestis documentis commendat. Subegisti siquidem carnis barbariem, qui sic erexisti brachium spiritus adversus libidinis obscœnitatem. Execrabile quidem vitium, longeque segregans ab auctore virtutum, qui cum sit mundus, nihil admittit immundum, nec de sorte ejus esse poterit, qui sordidis illecebris subjacebit. Clerici vero, de quorum vita spurcissima flebiliter, pariterque rationabiliter tua prudentia disputavit, vere, & omnino vere, ad funiculum hæreditatis ejus non pertinent, de quo ipsi voluptuosis se oblectationibus summovent. Qui si pudice conversarentur, non solum templum Dei sanctum, sed ipsum etiam sanctuarium dicerentur; in quo niveo candore conspicuus ille Dei agnus immolatur, per quem fœda totius orbis lues lavatur. Tales nimirum clerici, etsi non verborum, tamen operum testimonio profitentur, quia non existunt, quod censentur. Quo enim modo clericus possit esse vel nominari, qui proprio arbitrio non metuit se inquinare? De qualibus, quia sancto furore permotus, quæ tibi videbantur, scripse-

pseras; oportet, sicut desideras, apostolicam nostram interponamus auctoritatem, quatenus scrupulosam legentibus auferamus dubietatem, & constet omnibus certum nostro judicio placuisse quęcumque continet ipse libellus diabolico igni velut aqua oppositus. Igitur ne cœnosæ a libidinis impunita licentia pervagetur, necesse est apostolicæ severitatis congrua reprehensione refellatur, & tamen aliquod tentamentum in austeritate ponatur. Ecce omnes illi, qui quavis quatuor generum, quæ dicta sunt, fœditate polluuntur, prospecta æquitatis censura, ab omnibus immaculatæ ecclesiæ gradibus, tam sacrorum canonum, quam nostro judicio depelluntur. Sed nos humanius agentes, eos, qui vel propriis manibus, vel invicem inter se egerunt semen, vel etiam, qui inter femora profuderunt, & non longo usu, nec cum pluribus, si voluptatem refrænaverint, & digna pœnitentia probrosa commissa luerint, admitti ad eosdem gradus, in quibus in scelere manentes, non permanentes fuerant, divinæ miserationi confisi, volumus, atque etiam jubemus, ablata aliis spe recuperatione sui ordinis, qui vel per longa tempora secum sive cum aliis, vel cum pluribus, brevi licet tempore, quolibet duorum fœditatis genere, quæ descripseras, maculati; vel, quod est horrendum dictu & auditu, in terga prolapsi sunt. Contra quod nostrum apostolicæ sanctionis decretum, si quis ausus fuerit vel judicare, vel latrare, ordinis sui se noverit periculo agere. Qui enim non pungit vitium, sed palpat, cum eo, qui vitio moritur, ipse quoque mortis reus merito judicatur. Sed, o fili carissime, inenarrabiliter gaudeo, quia exemplo tuæ conversationis instruis, quidquid oratoria facultate docuisti. Plus est enim opere docere, quam voce. Quapropter auctore Deo palmam obtinebis victoriæ, & cum Deo & virginis filio, lætaberis in cœlesti mansione tot mercedibus cumulatus, quot ereptis per te a diaboli laqueis fueris constipatus, & quodammodo coronatus.

LXIX.

Bulla ejusdem Leonis IX. pp. pro eremo de Ocri territorii Sarsinatis concessa

Anno 1049.

Ex operibus S. Petri Damiani T. III. pag. VII.

Ad lib. XIII. n.

LEo episcopus servus servorum Dei. Apostolicæ sedis competit auctoritati, & legaliter ordinata statuere, & Deo semel oblata, ut inconvulsa serventur, in posterum providere, ne quod priorum devota Deo pietas inchoat, sequentium pravitas sacrilega, quod absit, temeritate subvertat. Quapropter heremum, quæ dicitur Ocri, in Saxeno videlicet territorio constitutam, tibi Petre Damiane prior ejusdem heremi, tuisque successoribus adjudicamus, & ipsam heremum in suo statu persistere, & in perpetuum valere decernimus. Nec liceat ulli mortalium, non parvæ, non magnæ personæ ipsam quandoque heremum ad seculi jura redigere, vel alicui prorsus monasterio subjugare. Enimvero prædictum locum per semetipsum quidem fieri monasterium, si congruum visum fuerit, non abnuimus, juri vero alterius monasterii subjici, omnimodis prohibemus. Non enim ignoramus, quia hujusmodi suppositio plerumque loci est absque dubietate destructio. Sancimus etiam, ut plebem sanctæ Mariæ positam in loco, qui dicitur Vineole, præfata heremus perpetuo jure possideat. Sed & prædia, si qua nunc sunt, vel deinceps acquisitura est, absque injusta cujuscumque molestia quiete & tranquille detineat. Nec ulli hominum liceat in ipsam heremum per hostilem impetum violenter irrumpere, & servos Dei, qui illic habitaverint vel expellere, vel deprædationibus infestare: salvo tamen jure fidelium laicorum, qui ejusdem heremi patroni sunt, & eam pro animarum suarum remedio condiderunt. Si quis autem hujus nostri apostolici decreti temerator extiterit, nisi resipiscat, atque in omnibus apertus Dei inimicus emendare contemnat, anathematis se vinculis obligandum indubitanter agnoscat.

LXX.

LXX.

Hunfredus archiepiscopus Ravennas concedit VVidoni abbati & monasterio Classensi S. Severi ecclesiam S. Thomæ prope Ravennam.

Anno 1049. xxvii. octobris.

Ex autographo Classensi.

Ad lib. XIII. n. 42.

† IN nomine patris & filii & spiritus sancti anno Deo propitio pontificatus domni Leonis summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede primo, itemque imperatore domno Heinrico filius quondam Chouradi imperatoris in Italia anno tertio die vigesimo octavo mensis octubris indictione tertia Ravenne. Hunfredus servus servorum Dei divina gratia archiepiscopus Ravenne Widoni venerabili abbati monasterii sancti Severi positum infra dudum civitatis Classis, & pro te in eodem venerabili monasterio tuisque succedentibus abbatibus, qui per tempora ordinati fuerint in suprascripto monasterio in perpetuum. Congruum atque utilimum esse decernimus . . . . desideriis non aborrere, sed Domini misericordia considerantes citius subvenire, ut in futurum nobis proficiat ad augmentum, & petentes gratiarum referant actiones. Idcirco concedimus tibi predicto Widoni venerabili abbati .... posit... infra dudum civitate Classis, & pro te in eodem venerabili monasterio, tuisque successoribus abbatibus, qui per tempora ordinati fuerint in predicto sancto ac venerabili monasterio in perpetuum. Id est ecclesiam seu monasterium nostrum integrum, cui vocabulum sancti Thome apostoli positum foris porta sancti Laurentii non longe, sed prope ipsam portam cum omnibus rebus & pertinentiis suis quoquomodo sibi juste & rationabiliter pertinentibus tam intra civitate Ravenne, quamque & foris istius civitatis Ravenne per ula loca vel territoria, exceptis his rebus, que mei antecessores ad suas detenuerunt manus in Cesena, dantes nobis in mandatis, ut usque vos Deus sua dextera protegens gubernare censuerit, presbiteros & clericos ordinare debeatis, qui ibidem consistunt diebus noctibusque laudes & missas, matutina ceteraque Dei officia faciant & prefatam ecclesiam restaurare & in omnibus meliorare Deo debeatis adjutore. Ita tamen sub statuta functione, ut omni anno aliter inferre debeatis actoribus sancte nostre Ravennatis ecclesie denarios tres tt. Quod prefatum monasterium vobis perpetualiter concedimus, sicut superius legitur, ad lucrum & utilitatem vestri prefati monasterii sancti Severi ordinandi & disponendi, & insuper volumus & firmiter precipimus, ut hoc preceptum sit firmum & stabile in perpetuum, sicut supra legitur. Si quis vero major] vel minor persona contra hoc preceptum nostrum aliquid proferre temptaverit vel prefata res, que nunc dicto monasterio sancti Severi perpetualiter concedimus, a jure & dominio ipsius subtraere vel minuere voluerit trecentorum decem & octo sanctorum patrum anathematis vinculo vulneretur. Observator autem qui extiterit, Domini benedictione redundet. Quam preceptionis nostre perpetualis paginam Gerardo notario sancte nostre Ravennatis ecclesie scribendam mandavimus, & ut verius ab omnibus credatur diligentiusque ab omnibus observetur, manu nostra propria firmavimus sub die & mense & indictione predicta tertia Ravenne. Et omnia, que supra legitur, monasterio sancti Severi, cui tu presides Wido venerabilis abbas, concedimus, eo tenore & ea ratione, ut neque tu, neque aliquis tuus successor habeat potestatem aliquo modo auferendi aut alienandi a predicto venerabili loco, sed semper permaneat ad lucrum & utilitatem prelibati sancti monasterii. LEGIMUS.

LXXI.

Bulla Leonis pp. IX. pro monasterio S. Mariæ sito in diœcesi Arretina.

Anno 1050. iv. kl. junias.

Ex autographo chartarii S. Mariæ in Gradibus Arretii n. vi.

Ad lib. XIII. n. 46.

LEo episcopus servus servorum Dei dilectissimo nobis filio Albizoni religioso viro in Domino Deo omnium eternam salutem. Sub multa & incomprehensibili pariterque irreprehensibili abysso judiciorum divinitatis inter confratres & conservos nostros, eminentiorem gradum adepti tanto intentius cum timore & tremore nostram ipsorumque salutem, debemus eis condescendendo & consulendo incessanter operari, quanto certius scimus cunctæ dispositionis & actio-

actionis nostre rationem posituros illi, cujus universæ viæ misericordia & veritas merito creduntur & videntur in omni administratione mundi. Quapropter quid .... sapientibus & insipientibus debito .... doctoris gentium merito cogimur ...... reddere cunctis. Que si denegare minime de ..... alicui externorum nec .... quanto magis domesticis fidei in interioribus. Maxime cum id a nobis exigitur, quod Deo omnipotenti plurimum placere nullo modo dubitatur. Itaque, karissime fili, quoniam humillim ..... apostolicam & magistram omnium sedem & prece nobis gratissima inculcasti, ut auctoritatis nostræ præcepto tutaremur a quorumvis rapacitate, & hominum nequam infestatione, ne defend......... monasterium beatissime matris ..... Mariæ situm in Aretina diecesi in nullo .... tuæ tam juste petitioni, sed eidem optamus per omnia suffragari, nec denegandam tuæ religiositati duximus tutelam specialem, qui omnibus debemus. S....... non enim parum tibi in Domino inde congaudemus, quod ecclesiam illic primitivam & olim celeberrimam, sed peccatis exigentibus jam diu neglectam & omnino delapsam restruere aliquantulumque reparare fueris conatus, tam patrimonii seu benificii tui, quam etiam fratrum & consanguineorum tuorum, aliorumque religiosorum collationibus, quatenus inibi Deo deserviret perpetim ordo monasticus. Quam utique ecclesiam, quia conditor noster inter alia innumera nobilitavit & honoravit fracti calicis & resolidati miraculo, atque glorioso beati Donati pontificis martyrio, & nos eam gratanter honoramus nostræ apostolicæ sedis præcepto. Salva itaque debita subjectione, quæ ex præfato loco episcopum Aretinum jure solet attingere, hujus nostri præcepti tenore perpetualiter confirmamus, & decreto sancimus quicquid idem cenobium in rebus mobilibus vel immobilibus tam tua, quam cujuscumque donatione in præsentiarum videtur possidere, & si quid illic a piis adaugebitur, aut donabitur in futuro tempore, ut nemo inde quicquam præsumat surripere, fraudare, alienare, minuere ..... quovis ingenio usurpare .... sed cuncta inibi hactenus conquisita & Deo propitio deinceps conquirenda serviant usibus, ac monachorum ibidem servientium utilitati, quos pro nullo alio ordine ecclesiastico permittimus, inde aliquando proturbari juxta statuta Calcedonensis synodi taliter hoc ipsum decernentis. Quæ semel dicata sunt monasterio consensu episcoporum maneant perpetuo monasteria, & res quæ ad ea pertinent monasteriis reserventur &c. Si quis autem presenti nostro decreto pro Deo & secundum Deum promulgato contraire quolibet modo presumpserit, & insuper si aliquas oblationes vivorum sive defunctorum prefato loco delegatas sibi vendicare vel aliis contradere temptaverit, quasi sacrilegus & Deo rebellis, donec resipiscat, districto anathemate se mulctandum apostolica auctoritate noverit. Qui vero integre & devote illud observarit, nec contempserit sacrilegis, sed potius pro posse ac nosse suo restiterit, mereatur copiam supernæ benedictionis & premium sempiternæ salutis. Amen.

Datam IIII. kal. junias per manum Petri diaconi Bibliothecarii & anno domini Leonis VIIII. papæ II. indictione III.

B T
V

LXXII.

Ubertus presbyter, & Farolfus ac Petrus quondam Petroni, quorum gentiles ædificaverant ecclesiam S. Michaelis de Silva, alias de Camenza, donant Dominico abbati Prataliensi jus suum in eam ecclesiam.

Anno 1051. mense octobris.

Ex autographo archivi Fontis-boni §. Donatio. n. 108.

IN Dei nomine anno Dominice incarnationis millesimo quinquaiesimo primo Einrigo gratia divina magnus imperator augusto anni imperii ejus quinto mense octuber indictione quinta. Manifestus sum ego Uberto presbyter & etiam nos Farolfo & Petro fratris filiis quondam Petroni, quia certi & manifesti sumus nos, quia pro anime nostre & de jenitori nostri & de jenetrice nostre vel ex aliis parentibus nostris, qui nos relinquerunt per cartula judicati damus & judicamus & concedimus & tradedimus a proprium & usum & sumtum fratrum monachorum tibi a monasterio sancte

Ad lib. XIII. n. 51.

Marie

Marie matris Cristi de loco Pralia, & tibi Dominiconi abbas ipsius monasterio, id est integra nostram portionem quot est sesta parte, sicut fuet de jenitori nostri & jenetrices nostre de integra ecclesia sancti Michaelis archangeli, que est edificata in loco & a vocabulo, qui dicitur la Silva casale Caminza plebes sancte Marie sito Partina, tam predicta nostra portionem de predicta ecclesia, quia ex antiquis parentibus nostris edificaverunt aula oratoria secundum quot nos audivimus, & ille constituit, que prenominatus jactis ibidem pertinentibus rebus: nos quidem Uberto presbyter & Farolfo & Petro damus & tradimus tibi Dominico inclito abbas, idest suprascripta nostra portionem de supradicta ecclesia & oratorium in eo videlice ordinem, ut ipsos suprad. locum & oratorium ipsa portione quam nos constituimus inordinatum non permaneat, & in tua qui supra Dominico abbas & tui posteri ipsa portionem de predicta ecclesia & oratorium, & que ibidem de nostra pars in circuito illius sunt pertinentes, ut sit in potestate vestra & ipsius monasterii, & quidquid est inde a te factum aut traditum vel ordinatus fuerit legaliter omni tempore firmum & stabile permanea semper, & nullam exinde reservamus potestatem, nec suprascripto monasterio anteponimus, & nullam exinde de abeatis molestia presumpserimus molestare, vel de quolibet omine .... potuerimus defensare, si non defensaverimus omnibus temporibus ab omnibus ominibus vel feminibus integra prefata nostra judicatione, sicut in tempore fuerit meliorata ibidem in propincuo loco e simile rem sub estimatione nostris propriis rebus in duplo compromittimus & componamus nos prenominati Uberto presbyter cum eredibus meis & nos fratres cum nostris filiis eredibus tibi abbas e a tuis posteri successori si oportum fuerit, licentiam abeatis abbas vel avocatores vestros cum ea carta causare, quomodo melius potueritis, placitum superare a proprietate ipsius monasterii abendum, qualiter superius legitur, scrivere rogavi. Actum Aritio.

Ego Uberto presbyter manus mea ss.

† Singno manibus Ugo filii Lamberti, & Benno filio Fariti rogati testes.

Ego Acto notarius scripsi & complevi feliciter.

LXXIII.

Bulla Leonis IX. pp. pro monasterio S. Mariæ in insula Gorgona data Bono abbati.

Anno 1051. XVII. kl. novembris.

Ex apographo monasterii S. Michaelis in Burgo Pisarum.

LEo episcopus servus servorum Dei. Ecclesie sancte Dei genetricis ac virginis Marie in insula Gorgona, ubi etiam corpus beati Gorgonii requiescit, & per eam tibi Bono abbati, tuisque successoribus in perpetuum. Convenit apostolico moderamini recte potentium adimplere desiderium, & justis supplicationibus impertiri suffragium, & quia postulasti a nobis, fili charissime, quatenus concederemus & confirmaremus, seu corroboraremus tibi, tuisque successoribus per nostri privilegii paginam monasterium in honorem sancte Marie matris Domini dedicatum, & in insula Gorgona positum, que insula, sicut in sancti Petri privilegiis legitur, sub jure & ditione sancte matris nostre Romane consistit ecclesie. Igitur inclinati precibus tuis concedimus, & confirmamus, seu roboramus tibi, tuisque in perpetuum successoribus per hujus nostri privilegii paginam ipsius monasterium cum predicta insula, ut semper sint monachorum habitacula, ne fiat spelunca latronis, que fuit prius domus orationis. Abbas siquidem in eodem cenobio nunquam ordinetur pro pretio, sed qui secundum regulam sancti Benedicti cum fratrum consilio invenitur melior in ipso monasterio, & quecumque a viris religiosis & Deum timentibus in usum & sumptum monachorum inibi Deo servientium concessa, vel in perpetuum concedenda sunt, sive ex hac parte maris, sive ex alia per hanc nostram preceptionem & confirmationem confirmamus & corroboramus tibi tuisque successoribus in perpetuum; statuentes apostolica censura, ut nullus imperator, nullus rex, nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nullus vicecomes, nullus castaldio, & preterea nullus episcopus, vel cujuslibet ordinis, seu dignitatis magna, parvaque persona contra hanc nostre preceptionis, concessionis, & corroborationis paginam audeat pertentare. Qui vero hujus nostri privilegii violator extiterit, anathematis

Ad lib. XIII. n. 52.

matis & excommunicationis vinculo sit alligatus, & cum Juda proditore Christi, nisi resipuerit, sit eterne damnationi traditus. Et qui observator fuerit ab omnipotente Deo benedicatur, & spiritualibus gaudiis repleatur. Statuimus etiam, ut a Romano pontifice abbas hujus monasterii accipiat consecrationis benedictionem.

Dat. XVII. kalend. novembris per manus Frederici diaconi S. R. E. bibliotecarii & cancellarii, vice domini Herimanni archicancellarii, & Coloniensis archiepiscopi anno domni Leonis IX. pp. III. indictione IV.

LXXIV.

Testamentum Ugonis, quo ditat monasterium Pratalianse medietate suarum ecclesiarum & castrorum, ad hoc ut recipiatur in sua infirmitate ad ordinem monasticum.

Anno 1052. mense octobri.

Ex autographo archivi Fontis-boni. §. Testamentum. n. 1.

. . . . qualiter factum est in casale Bifurco venien. . . . . monachum de monasterio sancte Marie de loco Pratalia in domo Ugonis filio quondam Petroni ipso Ugo jacente in lecto egritudine mortis periculo se viderit in presentia presbyteri & laici Johannes presbyter & Bonito presbyter, & Teuto clericus, & laici Bandio filio Bonitii & Benno filio Faritii & Martino, qui & . . . . & Megitio ex jenere Francorum & Leto filio Ursi & aliis pluribus . . . . quorum nomina illorum ignoramus, & longum est ascribendam ibique in suprascripto . . . . predicto Ugo recordante delictorum suorum, quia in oc seculo pecca. . . . . consentivi . . . . & remedio anime sue, & de parentum . . . . manibus suis dedit e tradedit pro anima sua & parentum suorum judicare a. . . . . investivi ipso presente Dominico abbas & Teuto monachus de omnia integra medietate de omnibus integris casis, & curtis & castellis, & ecclesie, & capelle, & terris, & vineis, & sortibus & res massaritie, sive de pensionalis, angarialis, libellariis, tributalis, quam de apsis & risedentis de quantumcumque predicto Ugo sua res & possessiones . . . . personis tenuerit & illius parte fra toto regno tali coque jenitore suo tenore consuevit, simul & jenitrice sua, & illius dimisit possidere, e a proprio & successione cum solamentas e edeficiis earum, & etiam similiter judicavi & dedit e tradidit similiter medietatem de omnia movilia, & facultatem sua preter (pt) antiposuit, quod per carta & moganato abet uxorem illius Ugo predicta medietatem, quot superius legitur, judicavi & dedi, & tradedi a propio investivi ipso Ugo predicto abbas in eo vero tinore si revertita sanitatem in eum permaneam omnia ipsa judicatione, si migraverit omnia ipsa judicatione abea predicto abbas at usum & sumtum fratrum monachorum, & abbas recipiat eum at ordinem monachorum, & aliam medietatem testavi & judicavi & unica filiola sua si vixerit, & si migraverit sine eredes in integrum omnia revertat a proprietate ipsius monasterio, ubi requiescere debet predicto Ugo. Hoc factum est in suprascriptorum presentia in anni Domini millesimo quinquagesimo secundo Einrigo gratia Dei magnus imperator augusto anno ejus quinto mense octuber indictione quinta.

Ad lib. XIV. n. 11.

Singno manibus de supradicti Bondie, & Benno, & Martino, & Megito, & Lieto interfuerunt.

Ego Acto not. interfui & omnia denotavi.

LXXV.

Arnaldus episcopus Arretinus decimas largitur Dominico abbati supradicti monasterii.

Anno 1053. mense aprili.

Ex autographo ejusdem archivi.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo quinquagesimo tertio regnante domno Henrico felicissimo rege. Anno vero imperii ejus septimo mense aprelis indictione sexta. Manifestus sum ego Arnaldus excellentissimus sancte Aretine ecclesie episcopus qualiter per hanc paginam judicati & traditionis pro Dei timore & anime nostre & antecessorum nostrorum episcoporum remedium judicamus, tradimus & concedimus in monasterium, qui est constructum in loco Pratalia ad radicem montis aguti, qui dividit Tusciam & Romaniam, & est dedicatus in honorem sancte Marie & aliorum Sanctorum, in

Ad lib. XIV. n. 17.

quo

quo monasterio est ordinatus domnus Dominicus abbas, qui cum ceteris fratribus pro nobis ceterisque christianis vivis, atque defunctis exorent. Ideoque concedimus denominate Dei ecclesie & monasterio & Dominico abbati suisque successoribus, qui ibidem juxta regulam sancti Benedicti vixerint, idest integras decimationes de curte nostra domnicata de Biblina, de quibuscumque rebus ad nostrum domnicatum annualiter infra denominatam curtem habuerimus, idest de frugibus, grano, & annona, & vino & pomis atque de feno, & redditu de molendino nostro domnicato, seu de animalibus, de omnibus suprascriptis rebus nostris domnicatis de jam dicta curte prefate ecclesie & monasterio & Dominico ejus presenti abbati, ego, qui supra, Arnaldus episcopus, seu ullus de posteris & successoribus nostris, aut aliqua a nobis interrogata persona suprascriptam decimationem, & res quas antedicte ecclesie & monasterio concedimus tollere, vel minuare, aut subtrahere presumpserimus, & si ab omnibus ominibus ad partem ipsius ecclesie omni tempore non defensaverimus, tunc componere promitto & componam ego predictus Arnaldus episcopus cum meis posteris successoribus episcopis tibi jam dicto Dominico abbati, tuisque posteris successoribus integras supradictas a nobis judicatas res in duplum, insuper boni argenti libras viginti in eodem monasterio persolvere debeamus. Tamen hoc contestamur & conjuramus omnes nostros successores episcopos per Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, & per adventum Domini nostri Jesu Christi ad judicandos vivos & mortuos, & ne in illo tremendo judicio cum Sathana & membris ejus mittatur in stagnum sulforis, & in ignis eternus, ut nunquam quicquam predicte ecclesie minuant de omnibus supradictis rebus, quas ei donavimus, ut sit ibi laus omnipotentis Dei, & omnium Sanctorum ejus semper amen. Hec oratio pro omnibus vivis & defunctis fidelibus. Quod si quis fecerit aliquam lesionem de predictis rebus, quibus nos predicte ecclesie dedimus Deo omnipotenti, quem contempnit, & omnibus sanctis ejus quos spoliat, inde rationem reddat. Unde hec carta judicati & offertionis a me predicto Arnaldo episcopo facta est, & precepi Bonizoni notario, ut eam scriberet. Actum in episcopio Aretino fideliter.

Ego Arnaldus Dei gratia episcopus & comes in hac carta a me rogata ss.

Ego Teuzo vicedominus ss.

Signum manus Ungani filius Rodulfi rogatus testis interfuit.

Signum manus Ugonis filius quondam Idilbrandi rogatus testis interfuit.

Ego Farolfo rogatus testis subscripsi.

LXXVI.

Libellus emphyteusis factus Aimmoni abbati S. Adalberti in Pereo ab Henrico archiepiscopo Ravennate.

Anno 1053. XIII. aprilis.

Ex autographo archiep. Ravennæ, Caps. F. n. 2339.

Ibidem.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti .... beati Petri apostoli Domini sede quinto, sitque imperante domno Henrico imperatore filio quondam Chonradi imperatoris in Italia anno septimo die tertiodecimo mensis aprelis indictione sexta. Ravenne .... einrico sanctissimo ...... abbate monasterii sancti Adelberti christi martyris, & per me in eodem venerabili monasterio meisque succedentibus abbatibus qui per tempora ordinati fuerint in prelibato sancto ac venerabili monasterio sancti Adelberti christi martyris .... endum desideriis non .... subvenire, ut in facto vobis proficiat ad augmentum & petentes gratiarum referant actiones. Idcirco concedistis nobis prefato Aimmoni venerabili abbati monasterii sancti Adelberti christi martiris ...... omnibus successoribus .... sicut superius legitur. Idest piscariam .... canalibus & campis & fossis atque paludibus seu piscationibus & venationibus & aucupationibus suis & cum omnibus ad prefatam piscariam integriter quoquo modo pertinentibus. Insup..... prefato piscarie ab uno latere fossa, que dicitur de Grengeno, ab alio latere Padusiolus, percurrens usque in portum de Primario, quod lacum nobis similiter concedistis sicut prenominatam piscaria in perpetuum, seu a tertio latere fossa que vocatur de Leone fusco. Insuper concedistis nobis prenominato Aimmoni venerabili abbati sancti Adelberti & pro me predicto monasterio meisque successoribus in perpetuum prelibatum portum integrum, qui dicitur de Primario, cum fossa prenominata, que vocatur de Leone fusco, cum ripis & lito-

litoribus suis & cum omnibus ad prenominatum portum & predictam fossam pertinentibus. Et insuper concedistis nobis in perpetuum, sicut superius legitur, Padorenum, & tendentem usque in fossam, que vocatur Minatere. Item concedistis nobis fossam de Augusta usque ad pollicinium de Carpeneta. Que omnia nobis concedistis in perpetuum ..... pro remedio vestre anime ad lucrum & utilitatem ipsius sancti ac venerabilis monasterii sancti Adelberti. Et vultis atque precipitis, ut nos nostrique successores in perpetuum vobis vestrisque successoribus vel vestre sancte ecclesie Ravennatis actoribus tribuamus & persolvamus pensionem solidos quatuor de denariis Veneticorum, & non abeamus licentiam prefata res, que nobis perpetualiter concedistis, sicut superius legitur, neque vendere seu transferre vel ad alium venerabilem locum transfactare, nisi habere & detinere atque ordinare pro remedio vestre anime ad lucrum & utilitatem ipsius prenominati sancti ac venerabilis loci & monasterii. Et vultis atque firmiter precipitis, ut hoc perpetuale preceptum, quod nunc agitis, sit firmum & stabile in perpetuum, sicut superius legitur. Si quis vero homo majoris vel minoris persone hoc vestrum perpetuale preceptum fregerit, & prenominata res a jure & dominio predicti monasterii sancti Adelberti Christi martyris omnino subtracxerit trecentorum decem & octo sanctorum patrum anathematis vinculo obligetur. Observator qui extiterit, Domini benedictione redundetur. Quam vero vestre perpetualis preceptionis paginam a Gerardo notario sancte vestre Ravennatis ecclesie scribendam mandastis, & nos a vobis, sicut superius legitur, perpetualiter petivimus, ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur & custodiatur.

LXXVII.

Henricus archiepiscopus Ravennas confirmat Johanni abbati S. Severi in Classe monasteria SS. Johannis & Stephani ad Titum, & S. Laurentii de Castagniola.

Anno 1053. mense majo.

Ex autographo Classensi.

Ibidem.

† IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Deo propitio pontificatus domni Leonis summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri principis apostolorum Domini sede quinto. Itemque imperante domino Heinrico imperatore filio quondam Chonradi imperatoris in Italia anno septimo die vigesimo quarto mensis madii indictione sexta Ravenne. Heinricus servus servorum Dei divina gratia largiente archiepiscopus Johanni venerabili abbati & deser.... monasterii sancti Severi, cujus monasterium fundatum est infra murum dudum civitatis Classis, & pro te in eodem monasterio sancti Severi tuisque successoribus abbatibus, qui per tempora ordinati fuerint in suprascripto sancto ac venerabili monasterio in perpetuum. Congruum atque utillimum esse decernimus, ut petentium desideriis non aborrere, sed Domini misericordia considerantes citius subvenire, ut in futurum nobis proficiat ad augmentum, & petentes gratiarum referant actiones. Idcirco concedimus & in perpetuum confirmamus tibi Johanni venerabili abbati monasterii sancti Severi, & pro te in eodem venerabili monasterio tuisque succedentibus abbatibus ipsius monasterii in perpetuum juris rem juris monasterii nostri sancti Johannis & Stephani, quod vocatur ad Titum, quod prenominatum monasterium sancti Johannis & sancti Stephani nunc demolitum esse videtur. Idest ubi ipsa ecclesia hedificata fuit cum omnia juxta se habentes sive in civitate Ravenna, aut in Decimo vel in diversis comitatibus. Idest in comitatu Bononiense, aut in Corneliense, aut in comitatu Faventino, sive in comitatu Livihense, vel in comitatu Forum populi, sive in comitatu Cesinate, aut Ficoclensis, aut in comitatu Ariminense, vel in comitatu Pensauriense, sive in comitatu Faneſtre, aut in comitatu Sinogalihense, sive in comitatu Hesinate, vel infra totum comitatu Anchonitanum sive in comitatu Auximanum. Et insuper concedo tibi ecclesiam & monasterium sancti Laurentii, qui dicitur in Castagniola cum omnibus rebus & possessionibus atque pertinentiis suis quoquo modo pertinentibus in quibuscumque locis vel terris positis. Quod prenominatum monasterium sancti Laurentii, qui vocatur in Castagniola, quod vobis perpetualiter concedimus superius prenominati vestri monasterii sanctorum Johannis & Stephani, qui vocatur ad Titum, sicut supra legitur, est positum & constitutum in comitatu Hesinate & in plebe sancti Viti, & ecclesiam sancti Savini.... fonte

te Armeni, que omnia, ficut fuperius legitur, vobis concedimus ad habendum, tenendum atque ordinandum ad lucrum & utilitatem ipfius prenominati noftri monafterii fancti Severi & monachorum per tempora ibidem omnipotenti Deo & mifericordiffimo fervientium. Ita tamen fub ftatuta functione, ut omni anno aliter dare & perfolvere debeatis illis abbatibus vel clericis, qui per tempora ipfum monafterium fanctorum Johannis & Stephani, quod vocatur ad Titum, habuerint in beneficio a nobis noftrifque fucceſſoribus, ideſt pro penfione denarios duodecim Veneticorum. Hec omnia, que vobis damus, ficut fuperius legitur, volumus & firmiter precipimus, ut fit firmum atque manfurum & ftabile in perpetuum. Infuper .... prefcripti monafterii fancti Severi, ficut fuperius legitur, fi quis vero nofter fucceffor vel alius homo magna parvaque perfona contra hoc noftrum perpetuale preceptum extiterit, aut illud corumperit, vel prefata res a jure & dominio ipfius monafterii fancti Severi omnino fubtraxerit, trecentorum decem & octo fanctorum patrum anathematis jaculo vulneretur. Obfervator autem qui extiterit, Domini benedictione redundetur. Quam vero chartulam noftre perpetualis preceptionis & confirmationis a Gerardo notario fancte noftre Ravennatis ecclefie fcribendam mandavimus, & ut verius ab omnibus credatur & diligentius cuftodiatur, manu noftra propria firmavimus fub die & menfe & indictione predicta fexta, Ravenne. Hec omnia que actum & dictum eft fuperius in ipfius nomine qui vivit & regnat cum Deo patre, almoque flamine nunc & poft in infinita feculorum fecula. Amen. Vel ea que dicenda atque fcribenda funt inferius, hoc eft prefatum & prefcriptum declaratum & prenominati monafterium fanctorum Johannis & Stefani, quod vobis perpetualiter conceffum habemus, ficut fupra dictum eft, pofitum foris civitate Claffis.

† LEGIMUS †.

† Ego Gerardus Dei gratia clericus atque fancte prenominate catholice Ravennatis ecclefie notarius & huic perpetualis pagine preceptionis fcriptor poft confirmationem domni Heinrici archiepifcopi, & ut leguntur fuperius, tripudiando fubfcripfi complevique.

LXXVIII.

Guido comes quondam Alberti offert Rainerio præpofito monafterii S. Mariæ de Aprognano ecclefiam SS. Trinitatis & S. Ægidii de Gaviferre.

Anno 1054. menfe aprili.

Ex archivo Camaldulenfi. §. Donatio. n. 13.

Ad lib. XIV. n. 25.

IN nomine Domini noftri Jefu Chrifti amen. Anno ab incarnationibus quinquagefimo quarto poft mille. Tempore Erigi gratia Dei magnus imperator augufto anni imperi ejus fettimo menfe aprili indictione fetima feliciter. Manifeftu fum ego Guido comes filio quondam Alberti lege mea vivente Rubuaria in prefentia Corbizo filio quondam Lamberti, & Lamberto filio ejufdem Corbizi, & Ingizo filio quondam Farolfi, & Sigifredi filio Ringi & Petro notario five teftes, quia in hac pagina funt, leguntur. Libenti animo a mea decrevi voluntate fine ulla vim pati, dono, trado atque offero perpetualifque trafacto in ecclefia & monifterio beatiffime fancte Marie, quo edificata in avocabulo Aprognano, ubi modo donno Raineri prefens effe videtur, per anc prefente cartula offerfionis per guafonem terre, ramo arbores, fiftugum nodatum, paginam & calamario totum infimul innifa ecclefia & monifterio tradere atque corporaliter offerre providi pro remedio anime mee, ideft cunctis cafis & terris, & vineis & ecclefia, que eft edificata in honorem fancte Trinitate & fancti Aglidii in avocabulo Gaviferre, & funt innifo vocabulo tres petie de terra & una.... de predicte petie de terra, ubi predicta ecclefia eft edificata, es prefignate loca, que de una parte Petri, qui Pagano vocatur, & de filii Agiidii, ex alia parte terra Rainnerii filio quondam Ing..... & de confortibus fuis & de predicto Guido comes & terra Johannes clericus & Johannes faber & Guido filio quondam Farolfi, & Signorello filio quondam Ugoni; ex tertia parte terra Petri, qui Pagano vocatur, & decurrit eis via; ex quarta parte via publica, alia petia de terra, ubi dicitur Scandelajo, eft prefignate loca, que de una parte via, & alie tres partis terra mea, qui fupra Guido comes, tertia parte de una petia de terra, ficut recta & tenuta fuit per Izo filio quondam Amizi, & fete petie de terra, que funt infra cafa-

k le

le de Ama, & cum ipsi rebus in pertinentia de plebe sancte Marie sito Stia insimul donare & offerre providi ego Guido comes una mansio de terra, que est infra casale Vajano, ubi dicitur valle de Nute, sicut recta & tenuta fuit per Urso massajo, & una petia de terra, & castanito infra casale castello Castagnajo, sicut fuit domnicato de predicto Guido comes, & una petia de terra cum casis, & edificio super se abentes infra casale Pratilone, ubi dicitur Pietra ficta, ad justa mensura a grano seminando modiorum duo, & sunt ipsi rebus in pertinentia de plebe sancti Petri sito Ormina; ipsis predictis rebus & ecclesia cum casis & edificiis, set & solamentis, curtis, terris, vineis, campis, silvis, salecis, cultum & incultum, divisum & indivisum &c. Actum in loco Casentino judicaria Florentina & Fesulana feliciter.

Signus manus, qui supra, Guido comes, qui ac carta offertionis scrivere rogavi.

Signus manibus Lamberti filio Corbizo, & Ingizo filio quondam Farolsi & & Sigifredi filio Rodingi rogatis testibus, & manibus eorum scrivere rogavero.

Ego Petro notario scripsi & complevi.

Actum in camera plebani plebis de Stia mandante ven. patre domino Phylippo dei & apostolica gratia episcopo Fesulano, presentibus ad hec testibus presb. Ducio capellano monasterii Prativeteris, Bonuccio filio Orlandini de la Stanpa, & Franco de Campi & aliis ibi presentibus multis.

Ego Simon Mercati de Flumine imperiali auctoritate notarius de mandato dicti venerabilis patris domini Phylippi episcopi Fesulani hoc publici instrumenti exemplum, sicut in originali inveni de verbo ad verbum &c. scripsi & publicavi &c. sub anno Domini millesimo ducentesimo optuagesimo tertio duodecime indictionis nono die exeunte mense junio.

LXXIX.

Ergenebaldus abbas SS. Mariæ & Andreæ insulæ Serræ in Histria concedit libellum emphyteusis Petro Alegritto & Gasdiæ ejus uxoris,

Anno 1054. mense decembri.

Ex tabulario archiep. Ravennatis capsf. G. n. 2694.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Deo propitio pontificatus domni Gregorii pape sede anno septimo, sitque regnante donno Einrico filius item Einrici imperatoris anno viesimo secundo ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo septuagesimo nono dia vero ...... mensis decembris indictione tertia in fundo Paraciaco. Exemplum ex authentico exaratum donaticia seu instrumento, quod fuit compositum de enfiteusin, quod quidem fecerunt Ergenebaldus abbas in presentia Ugo presbiter & Petrus presbiter, & Vigizonem, & Johannes presbiter, & Marcagno & aliis. In nomine patris & filii & spiritus sancti abbamno ab incarnatione Domini Christi millesimo quinquagesimo quarto, sitque imperante donno Einrico Romani imperii in Italia vero sede anno octavo die primo sexto decimo mensis junii indictione septima in fundo, qui vocatur Casaligoto. Omnibus modis statutum est, atque congruam racionem dispositum libenter debere eorum desideriis annuere, pro quibus ad venerabilibus locorum utilitatibus meliorandum ...... proficiunt. Et ideo ego quidem in Dei nomine domnus Erchenbaldus abbas monasterii sancte Marie & sancti Andree apostoli in insula Serra partibus Istriensis una cum consensu deservientium eidem monasterio te presente in Dei nomine Petrus, qui vocatur Alegritto, petitor pro se & pro persona Gasdia jugalis tua una medietate de ipsa re, que ic inferius dicendi rei, & in alia vero medietate petitor tu ipso per ex persona Raimundo germano tuo, & qualiter de vobis suprascriptis petitoribus unum ante alterum sine filio vel filia de oc seculo obierit, tunc ea portio cadat ad aliut, qui supra vixerit, & in alia vero parte petitore ipso Aligritto pro ex personis ad illa & Berta germane tue de una sortes & portione de quantascumque illorum pertinens, seu in filiis & nepotibus vestris per enfiteuticarium jus a presenti

Ad lib. XIII. n.

senti die concedo & largior, seu confirmo vobis rem juris supraſcripti monaſterii; ideſt omnes res & pertinentias meas principales inibi quantaſcumque abuit Petrus, qui vocatur de Santerna, & Johannes, qui vocatur de Ingizo ſeu & Graſulfo, necnon & Ugone de Ingizo toti germani filii quondam Ingizoni, que eſt poſita in fundo, qui vocatur Caſamazone, exſepto de quantacumque abuit & detinuit Ugone de Raimundo cum confratribus ſuis, ideſt omnibus rebus cum terris, vineis, arbuſtis, arboribus, & cum omnibus, ut ſuperius legitur, in integrum pertinentibus, ſitas in territorio Faventino plebe ſancti Petri intra ſilva intra confines ejuſdem rei, a primo latere de ſupraſcripta re fundo, qui vocatur Caſaliclo, ab alio latere fundo qui vocatur Cintianico, ſeu a tertio latere fundo, qui vocatur Ronco... a quarto latere fundo qui vocatur Caſagalandi. Dum vos ſuperius nominati petitoribus adque filiis & nepotibus veſtris divina gratia in ac juſſerit permanere vita concedo & largio ſeu confirmo vobis dictas res abendam, tenendam, laborandam & in omnibus meliorandam, & ego predicto Erembaldus abbas cum meis ſucceſſoribus a vobis ſupraſcriptis petitoribus veſtris filiis & nepotibus ab omni perſona omnem predictam rem autorizare promitto & ex veſtris propriis expenſis ſeu laboribus nichil & mihi meiſque ſucceſſoribus niſi inferius adfixa penſione deferantur, preſtantibus quoque vobis ſuperius nominati petitoribus atque filiis & nepotibus .... ſecundum paginam petitionis veſtre penſionem ſingulis quibuſcumque annis omni anno aut infra indictionem pro predictis rebus .... ut dictum eſt perſolvatur, pro eo quia exinde accepi calciarii nomine, ideſt libram unam pro denariorum Veneticorum libris quatuor, itaut poſt tranſitum veſtrum ſupraſcriptorum petitorum veſtrorumque filiorum & nepotum munimine expleto quam Domino placuerit predictas res culta laborata & in omnibus meliorata, vel quicquid a vobis inibi additum melioratumque fuerit ad jus dominiumque meum, cujus eſt jus & proprietas modis omnibus revertatur. Promitto preterea nullis diebus nulliſque temporibus vite mee vel meis ſucceſſoribus teſtus ujus pagina emfiteuſis a me vobis facte & tradite minime valere, contendere, vel ſi contra ea, que ſuperius leguntur, agere preſumpſero ego ſupraſcrito abbas aut meis ſucceſſoribus, tunc daturo me meoſque ſubceſſores eſſe promitto vobis ſupraſcriptis petitoribus veſtriſque filiis & nepotibus ante omne litis initium aut interpellationem pene nomine auri optimi uncias quatuor, & poſt pene ſolutionem maneat anc pagina enfiteuſin firma. Quam vero paginam ſcribta per manum Guidoni Ravenne tabellionis ſcribendam rogavimus, & ſignum ſancte Crucis fecimus ſub die menſeque indictione ſupraſcripta in ſupraſcripto loco.

† Erchembaldus abbas monaſterii ſancte Marie & ſancti Andree apoſtoli in inſula Serra partibus Iſtrienſium ac enfiteuſim a me facta ſubſcripſi.

...... rus presbyter & monachus ejuſdem monaſterii in ac enfiteuſim ſubſcripſi.

...... aldus in ac enfiteuſim, ut ſuperius legitur, rogatus teſtis.

† Manus Petrus de Merlo, Johannes de Stefano, Savinus Rotio de Venareſa rogati teſtes.

Guido tabellio uic pagine emfiteuſim poſt roboracionem teſtium complevi & abſolvi.

......, Noticia teſtium.
Tebaldus teſtis. Petrus teſtis.
Johannes teſtis. Savino teſtis.
Rotio teſtis.

LXXX.

Libellus emphyteuſis, quem ſcripſit Sophia abbatiſſa Roſani S. Læto abbati Paſſinianenſi.

Anno 1054. VII. kl. julii.

Ex tabulario monaſterii de Paſſiniano.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus quinquageſimo quarto poſt mille, & anno octavo imperii donni Heinrici gratia Dei imperator auguſtus ſeptima kalendas julii indictione ſeptima feliciter. Et ideoque ego Suffia veſte velamen inducta electa abbatiſſa de monaſterio ſancte Marie prope fluvio Arno, ubi & Roſano nominatur, quia per noſtram una cum voluntate ſororum mee convenientia, & quia d....r atque habendum, tenendum, laborandum & fruendum, ſeo & meliorandum dare atque concedo p..... vidi tibi Letus monachus & electus abbas de eccleſia & monaſterii ſancti Michaelis ſito Paſſiniano. Ideſt una ſorte integra, & res illa, qui eſt poſita in loco, ubi dicitur Cagnaulo, ſicut recta fuit per Do-

Ad lib. XIV. n. 24.

Dominico & Johannes & Petrus Massarii, & modo regitur per filios eorumdem & nepotibus. Ideo ipsa sorte cum omnia super se & infra se habentibus, ubicumque de ipsa sorte pertinentes esse inveniuntur in integrum eas tibi qui supra Letus monachus electus abbas, & a tuis subcessoribus dare & firmare previdi. Et michi qui supra Suffia, ut superius nominata sunt, & a meis subcessoribus tui qui supra Letus monachus & electus abbas & a tuis subcessoribus dare nobis debeatis pensione pro ipsis terris & rebus per omne anno in festivitate ipsius sancte Marie de mense augusto ad ipso monasterio nostro sancte Marie nobis aut misso nostro per vos aut misso vestro argentum denarii decem boni & spendivilis, & non amplius si vos adimplentes. Si ego Suffia, sicut superius scripta sunt, vel meis subcessoribus tibi ipso Letus monachus electus abbas vel a tuis subcessoribus de ipsis terris & rebus tam de mobilem, quam & immobilem minuare vel retollere, aut amplius quam super legitur, vobis superimponere presumpserimus. Tunc componituris & daturis vobis esse debeamus in pena numerum de bonis denariis de Luca solidos centum. Quidem & ego Letus monachus electus abbas manifestus sum, quia omnia, ut super legitur, sic in inter nobis convinet, si distullero ego vel meis subcessoribus tibi ipsa Suffia veste velamen induta electa abbatissa vel ad tuis subcessoribus dare & adimplere per omne anno ipsam pensionem, sicut super legitur, aut si ipsis terris & rebus dimittere presumserimus, vel si per nos pejorati aut suttracti apparuerint, tunc ipsa pena solidorum centum parti vestre componere debeamus. Actum prope civitate Florentia, & prope ecclesia sancte Felicitatis & prope capud pontis. Feliciter.

Si † gnus manus predicte Suffie veste velamen induta & electa abbatissa, que hunc libello, sicut superius legitur, fieri rogavit.

† Ego Letus monachus electus abbas monasterii sancti Michaelis sito Passiniano a me facto ss.

Ego Petrus rogatus testes ss.

Signum *sss.* manus Rainerii filio b. m. Teutii rogatus testes.

† Ego Johannes rogatus testes ss.

Signa *sss. sss.* manum Florentii filio Andree & Pagani Ymillie filius rogatus testes ss.

† Albertus notarius scriptor post tradito complevi.

LXXXI.

Torellus & Morellus bona largiuntur eremo SS. Nicolai, Michaelis, & Blasii de Monte-cornu in territorio Pennensi.

Anno 1055. x. februarii.

Ex chartulario Fontis-avellanæ.

IN Dei nomine amen. Anni ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi sunt milles. quinquagesimo quinto indictione octava decima die mense intrante februario. Ego Torellus filius quondam Cresidii & ego Morellus filius Sansonis bona nostra & spontanea voluntate rememoravit de Dei omnipotentis misericordia atque juditio, & pro remedio animarum genitorum nostrorum & genitricum nostrarum, & pro animabus germanorum nostrorum, & pro remedio & salute animarum nostrarum, ut in diem illum venientem ad futurum judicium mercedem a Domino recipere mereamur: propterea per hoc instrumentum donationis afficere decrevimus previdendo quicquid pro anima judicaverimus vel dispensaverimus omnique tempore semper firmum & stabile permanere. Idcirco ecclesie constructe ad honorem Dei & sanctorum Nicolai, Michaelis archangeli, & sancti Blasii, que sita est in comitatu Penensi in heremo de monte Cornu, in loco, qui dicitur Carpenetus, & vobis dompno Bampono priori ipsius ecclesie, & domno Hieronymo & sociis vestris in ipso loco morantibus vestrisque successoribus de bonis nostris donamus, tradimus & cedimus titulo donationis inrevocabiliter inter vivos, terras, silvas, cultas & non cultas, montuosas & vallosas jacentes circum circa ecclesiam supradictam cum confinibus & vocabulis suis. Fines seu confines ipsarum terrarum a meridie sunt scanealum usque ad verticem montis Cornu, & habet finem rivi in pede vallis Cupe, a septentrione vero habet fines Flumecella a pede usque ad verticem montis, vel si qui alii sunt eis confines, & est ipsa res sexcenti modii plus vel minus cum omnibus introitibus & exitibus suis secundum suos fines, quos habet vel habere videtur, & cum omnibus, que in se, & infra se, & super se, & sub se habet vel habere potest, & cum omni jure & actione reali & personali, utile & directa in integrum quiete & pacifice teneatis & possideatis vos

Ad lib. XIV. n. ...

vos & successores vestri, qui fuerint in suo tempore a modo & deinceps in perpetuum absque alterius contradictione. Et ego Morellus & ego Corellus superius nominati per nos nostrosque heredes promittimus vobis dompno Bampono & dompno Hieronymo vestrisque successoribus stipulantes dictam donationem & traditionem semper ratam & firmam habere atque tenere, & non contravenire per nos vel aliam personam aliqua occasione aliquo tempore de jure vel de facto, & promittimus per nos nostrosque heredes vobis vestrisque successoribus stipulantibus predictas terras ab omni homine defendere, auctorizare, antistare & disbrigare in juditio vel extra nostris expensis satisfacere & vobis vestrisque successoribus simplici verbo credere quicquid pro predictis rebus obtinendis expenderitis integraliter resarcire. Et si defendere predicta vel antistare non potuerimus aut voluerimus, & contra hanc cartulam nostre donationis aliquam causationem exinde mittere quesierimus, componimus ad ipsam ecclesiam supradictam nomine pene & dare promittimus per nos nostrosque heredes vobis dompno Bampono & dompno Hieronymo vestrisque successoribus stipulantes boni auri mancosos mille, & pena soluta vel non hoc instrumentum nostre donationis, ut supra legitur, in omnibus capitulis omni tempore & in perpetuum firmum & stabile perseveret, sicut in Langobardorum lege vel in dicta pagina continetur, nihilominus predictus contractus omnem habeat firmitatem, & nos supradicti Corellus & Morellus hanc donationem & traditionem fecimus de rebus nostris Deo & ecclesie sanctorum Nicolai, Michaelis archangeli & sancti Blasii de heremo montis Cornu & vobis dompno Bampono & dompno Hieronymo nomine & vice prefate ecclesie recipientibus pro remedio & salute animarum nostrarum & parentum nostrorum, ut superius dictum est, & pro eo quod ipse dompnus Bamponus de voluntate ipsius dompni Hieronymi & totius familie in ipsa ecclesia astantibus, & me notario & testibus infrascriptis, indutus sacerdotalibus vestibus ante altare sepe dicte ecclesie per librum & stolam investivit supradictos dominos Corellum & Morellum eorumque heredes per se suosque successores, & participes fecit eos de omnibus orationibus, psalmodiis & sacrificiis, que apud prefatum locum ab ipsis & eorum successoribus fiunt vel deinceps facta fuerint & insuper ad aumentum fidei eos ad pacis osculum recepit *&c.*

Acta sunt omnia hec supradicta in prelibata ecclesia sanctorum Nicolai, Michaelis archangeli & sancti Blasii de heremo montis Cornu a supradictis domino Corello & domino Morello ac ipso dompno Bampono & dompno Hieronymo & familia dicti loci coram me notario & testibus infrascriptis ad hec omnia suprascripta rogatis & vocatis.

Et ego Ranutius publicus notarius de his omnibus, ut supra legitur, a ipsis dominis Corello & Morello, & dompnis Bampono & Hieronymo rogatus feliciter scripsi, atque in publicam formam redegi.

†† Signum manuum dominorum Corelli & Morelli, qui hanc cartulam hoc signo suis manibus roborarunt.

† Signum manuum Raynerii testis.
† Signum manuum Ottonis testis.
† Signum manuum Rodulphi testis.
† Signum manuum Tancredi testis.
† Signum manuum Lodovici testis.
† Signum manuum Henrici testis.

Die 26. aprilis 1539. Cur. sanctæ &c.

„ Præsens instrumentum exhibitum & „ præsentatum fuit per V. priorem in causa, quam habet cum universitate Chriscariæ cum potestate relaxandi copiam „ & recipiendi originale, petente recipi „ & admitti *&c.*

„ Præsente Amico Piccini syndico & „ procuratore dictæ universitatis & copiam „ petente cum termino competenti ad respondendum *&c.* Et per curiam fuit decreta dicta copia cum termino ad formam juris ad respondendum a die datæ copiæ *&c.*

LXXXII.

Rainerius, Petrus & Farolfus comites filii VVinigildi comitis donant terras Johanni abbati monasterii S. Petri in Campo.

Anno 1055. v. kl. martii.

Ex libro delle coppe *cancellariæ Montispolitiani*, pag. 127.

IN nomine Domini, amen. Hoc exemplum eujusdam publici & originalis publicati manu Alberti judicis domni impe-

Ad lib. XIV. n. 30.

imperatoris Eimrigii, cujus tenor inferius continetur.

In nomine Domini nostri Jesu Christi millesimo quinquagesimo quinto regnante domino nostro Enrigus gratia Dei magnus imperator augustus imperii ejus anno octavo quinto kalendas martii indictione septima. Manifesti sumus nos Ranerius & Petrus, qui Pepo est clamatus, & Farolfus germani comitibus filiis bone memorie Vvinigildi, qui fuit comes, qualiter providentes divina dispensatione, qui dicit, quod & homo, qui vivit & non videbit mortem, aut quod eruet animam suam de manu inferi, nisi his, qui custodiunt precepta Dei; nos quoque taliter recolentibus & aspicientibus improvisa morte, adque quia eterne pene metuentes causa nostra vel humane fragilitatis, & quod omnes nos manifesti oportet ante tribunal Christi, & prout gessimus, referamus sive bonum, sive malum; idcirco de terrenis commodis & transitoriis, quas innater possidemus ipsi creatori nostri elargiri, qui nobis ipsam condonavit & sanctis & venerabilibus locis ipso Deo annuente donamus, igitur nos suprascriptis comitibus, quia per hanc cartulam judicati donamus, & concedimus atque offerimus & in perpetuum transfactamus ad monasterium sancti Petri apostoli seu aliorum sanctorum sito in Campo, idest ex integra terra illa nostra, que est posita in vocabulo ..... sancti Pauli .... & aliis vocabulis, scilicet .... & in Clangue, & in Landula & in Fercule, & in colle Dolco & Issarcinello aut ubicumque de res ipsa esse invenerint pro redemptione anime Vvinigildi comiti genitori nostri, & anima Tedure, qui fuit genitrix nostra, & pro animabus nostris, sicut suprascripto genitor noster in sua egritudine quando rem ad mortem fieri judicavit omnia, sicut superius legitur. Ideo nos filii germani in integrum & finitum cum omnia super se & infra se habentes, & cum omni integritate earum suarum sic omnia donavimus, & ad proprium investimus Johannis venerabilis abbatis de ipso dicto monasterio in vice sancti Petri, cui erat vicarius, & Aper castaldus & Rusticellus, & Ranieri, qui sunt scariones de predicti comitibus, jussimus investiri ipsa suprascripta res, quas supradicti germani nec ad filiis, & heredibus nostris, nec a consortibus nostris nec ad ulla alia persona de ipsa nostra suprascripta res nulla exinde reservavimus potere, sed nos ad proprium investivimus predicto monasterio, sicut superius legitur, ut Dominus de peccatis de suprascripti genitoris nostri minuare dignetur, & vos Johannes abbas cum tuis * una cum monacis & sacerdotibus misse & orationibus & vigiliis pro eis celebrentur, & nos qui suprascripti germani aut nostris filiis & heredibus & proheredibus nostris ipsa suprascripta terra agere, aut causare, aut intentionare, aut tollere, vel minuere presumpserimus, aut si non promiserimus, omnique tempore quiete habere & possidere, aut si ab omni contradicentes homines non defensaverimus, aut si nos a predicto monasterio pro quolibet ingenio super trahere voluerimus, vel quamlibet scriptura cartarum anteriora vel posteriora, que ad cartam nocere debeas vel alicujus personis donationis, quod contra hanc donationem prevalere audeat, ut fiamus compositores ad predicto monasterio aut ad suos abbates pene nomine de bono argentum libras centum, & post pena soluta carta ista in suo priore permaneat firmitate. Et super hec omnia, que superius legitur, frangere tentaverimus, in ira Dei curramus, & veniamus, & habeamus maledictione de patre & filio & spirito sanctum de Maria matre domini Jeshu Christi & de omnes angelo & arcangelos & de omnes virtutes celorum & de trecenti decedocto sancti patres, qui sancti canones constituerunt in mundum, & de martyres & de confessores & virgines, adque omnes sanctos & sanctarum Dei, & possideamus anathema maranatho, & parte habeamus cum diabolo & cum Anna & Caifas & cum Juda, qui Dominum tradidit, & non mereamur venire ad dextera seu ad finistra, quia talis fuit nostro desiderio & ecce voluntas. Quam vero hec cartula judicatu nos predicti comitibus Adalbertus judex, & notarius scrivere rogavimus inter abbatiam sancti Severi.

Actum Urbivetere feliciter.

Manibus Vvido filio Rolandi, & Petringu filio Miciarelli, & Petrus Castaldu filio Rodulfi, & Petro filio Vivinizii rogatis testes.

Ego, qui supra, Albertus judice domini imperatoris subscripsi.

* Supple *successoribus*.

LXXXIII.

LXXXIII.

Prologus expositionis regulae S. P. N. Benedicti abbatis scriptus a Teuzone monacho.

Ex codice seculi XIII. *monasterii S. Mathiae de Muriano Venetiarum.*

Ad lib. XIV. n. 41.

INcipit expositio regulae beati Benedicti abbatis.

Veræ dilectionis prærogativa circumfluo dompno Odelrico venerabili episcopo Teuzo peccator perpetuæ felicitatis obsonia, ac perpetuæ indeficentia fidelitatis emolumenta, quamquam, mi venerande pater, beati patris Benedicti regulæ dicta in plerisque videantur aperta esse & dilucida, tamen in quibusdam minus studiosis, &, ut ita dicam, imitari & scire nolentibus non facile sunt patentia, secundum quod illorum demonstrant opera. Qui si vel leviter accedendi postularent introitum, confestim sibi quoad interiora penetrare possent, ostium invenirent apertum. Clavis enim ejusdem ostii continue ibidem dependens, non se subducere a manu libenter aperire volentis. Quo si quis semel intrasse fuerit dignus ulterius de caducis atque terrenis incommodis non existeret ingratus; sed quia, ut ait beatus Gregorius, degustare nolumus dulcedinem intus nobis paratam, amamus foris miseri famem nostram. Propterea ego ex dictis præcedentium patrum hoc strictim breviterque perstrinxi opusculum, non penitus a me editum, sed ex alienis laboribus carptum, ne forte sibi quis velit excusationis adsciscere molum nudum regulæ non posse capere textum. Denique eumdem textum particulatim per congrua loca divisum, ordinans virgulas, quo facilius quicquid ex eo, queritur inveniri possit, prænotavi. Hanc igitur collectionem vestræ paternitati examinandam offerre curavi, ut si forte ad æmulorum manus delata fuerit, non ibi quicquam, quod canino dente corrodant, sed potius ad eos ab infelice pertinacia removeat, reperire queant. Valete.

LXXXIV.

Henricus archiepiscopus Ravennas scribit chartam emphyteusis 2000. tornaturiarum terre comitibus Ugoni & Imildæ, præsentibus episcopis & nobilibus viris.

Anno 1056. XXI. maji.

Ex chartario archiep. Ravennæ. Caps. F. n. 2387.

Ad lib. XIV. n. 45

ANno Domini temporibus Domini Victoris summi pontificis & universalis pape sede secundo sitque imperante domino Enrico in Italia anno nono die vigesimo primo mense madio indictione nona claustro monasterio Galliate. Ea enim, que gesta esse videntur, perpetuis temporibus memoriter retineri non possunt; ideo scripture vinculis adnotari dignum est. Dum autem fuissent bone opinionis seo laudabilis fame viri in predicto loco. In primis Ohelricus sancte Corneliensis ecclesie episcopus, Einricus sancte Sassenatis ecclesie episcopus, Fulco presbyter & monachus atque abbas monasterii sancti Illari sito in Galligata, Ubertus comes, Bonus homo judex, Paulus de Traversaria, Amizo, Frogerius, Mainardus, Almericus dux, Ugo de Saso, Ugo de Epo Alegrito, Ubertus, qui vocatur Bulgaro, Gandulfus filius quondam Guadi, Johannes qui vocatur Signorello, Andreas Ravennas, Johannes de Constantino, Teobaldus Bobiensis, & alii plures, & me presente Vitali in Christi nomine tabellio territorio Pupiliensis in osten...... suprascriptorum omnium presentia fecit cartulam Einricus archiepiscopus enfiteusis de duomilia tornaturiis terre posite in curte, que vocatur Casamurata, in nomen Amizonis, qui vocatur de Petro de Leo pro ex personis Ugonis comitis, & Imilde comitisse jugalis sue filiis & nepotibus eorum. Et ideo si ab hac hora in antea Einricus archiepiscopus Ravennatis ecclesie aut sui successores fecerit castellum vel turrim in Monte majore, vel facient, consensum brebuerit, tunc ipsa carta, quam scripsit dictus Einricus archiepiscopus sancte Ravennatis ecclesie de duomilia tornaturiis terre curtis, que vocatur in Casamurata, sit firma & stabilis, & Ugo comes & Imilda comitissa cum suis filiis & nepotibus licentiam habeant ipsas terras, que in sua cartula releguntur, introire & preocupare & tenere & pos-

possidere absque obstaculo vel impedimento. Hoc factum est sub die & mense & indictione suprascripta nona in predicto loco.

In chartula ibidem assuta hæc leguntur.

Ab hac hora in posterum Henricus Ravennas archiepiscopum castellum non faciet, idest turrem in monte Majore, neque consensum prebebit, ut aliquis ibi castellum faciat vel turris.

LXXXV.

Altera emphyteusis Bonio filio Ermingardæ concessa a Rustico abbate S. Michaelis Pisarum.

Anno 1057. VI. januarii.

Ex authentico archivi ejusdem monasterii.

Ad lib. XV. n. 29.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille quinquagesimo hoctavo, sexto idus januarii indictione undecima. Manifestus sum ego Bonio filio b. m. Ermingarde, quia tu Rusticus in Christi nomine abbas de ecclesia & monasterio domini & sancti Michaelis per cartula livellario nomine ac censum persolvendum dedisti mihi, idest una petia de terra illa, quas abeo foras civitate Pisa prope supradictum monasterium, & est pertinentes ipsius monasterii, tenentes uno capo in terra Jolicte mulier Gerardi, & alio capo tenet in terra, quas tu per libellum dedisti Vvidi quondam Gerardi, lato uno tenet in terra mea, & alio lato tenet in terra, quas ...... qui supra abbas per libellum dedisti Ughi judex filio b. m. Ildebrandi a supradicta petia de terra, qualiter ab omnis parte circumdata est per designatas locas ..... per mensura ad justa perticas mensurata scalas una & quatuor pedes minutos in integrum cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressoras suas mihi eas livellario nomine dedisti tali ordine, ut admodum in antea, qui supra Bonio, vel de meis eredes in potestatem eas abendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, meliorandi, & mihi tam privato nomine abendi & usufructuaudi, & exinde tibi vel a posterisque successoribus tuis per singulos annos per omne mense september censum exinde vobis reddere debeamus infra cura .... monasterii supradicti sancti Michaelis, vel at misteriale vestrum, aut a priorem, quas pro tempore ibidem abueritis per nos, aut per misso nostro arientum denarios bonos expendibiles de moneta de Luca numerum triginta & octo tantum etiam nos vobis, & omnia, qualiter superius legitur, per singulos annos taliter adimpleverimus, & conservaverimus, aut si ego, qui supra, Bonio una cum meis eredibus supradicta petia de terra, quas mihi livellario nomine dedisti, relaxaverimus, vel si per nos pejorata fuerit pro colibet ingenio, spondeo ego, qui supra, Bonio una cum meis eredibus componere tibi, qui supra, Rusticus abbas, vel a posterisque successoribus suis penam arientum optimum solidos sexaginta, quia taliter inter nos convenit, & duo inter nos libelli Lambertus notarius domni imperatoris scribere rogavi. Actum foras civitate Pisa prope supradicto monasterio.

Signum de manu supradicti Bonii, qui unc libellum fieri rogavit.

Signum de manu Omodei filio Cunitie testes.

Signum de manu Heritii filio b. m. Bonitii testes.

Signum de manu Donnucci filio b. m. Herni testes.

Ego Lambertus notarius domni imperatoris post tradita complevi & dedi.

LXXXVI.

Tertia facta VVidoni ab eodem abbate Rustico.

Anno 1057. X. kl. januarii.

Ex authentico ejusdem tabularii.

Ibidem.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus mille quinquagesimo octavo decimo kalendas januarii indictione undecima. Manifestus sum ego Vvido filius b. m. Gherardi, quia tu Rusticus in Christi nomine abbas de ecclesia & monasterio sancti Michaelis per cartula livellario nomine .....aera super .....endum dedisti mihi adsuprascripto una petia de terra illa, que est pertinentes supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis, & est posita foras civitate Pisa prope supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis, & est posita foras civitate Pisa prope supradicta ecclesia & monasterio, tenentes uno capo in terra mea, qui supra Vvido, & alio capo tenet in terra, quas per libellum dedisti Ughi judex filio

filio b. m. Brandi. Lato uno tenet in terra, quas tu per libellum dedisti Bonii, & alio lato tenet in terra, quas similiter per libellum dedisti Vvidi filio b. m. Lei ad suprascripta petia de terra qualiter ab omnis parte circumdata est per designatas locas, que est mensurata ad justas mensura scalas una & pedes quatuor minutos in integrum cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressoras suas mihi eas livellario nomine dedisti tali ordine, ut admodo in antea, qui supra Vvido, vel de meus eredes sint potestatem eas abendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, meliorandi, & mihi eam privato nomine abendi & usufructuandi ...... & inde mihi vel a posterisque successoribus meis singulos annos per omne mense septembri censum exinde vobis reddere debeamus infra cur.... ad monasterium sancti Michaeli, vel ad ministerialem, sive a priorem vestrum, quas ibidem abueritis per nos aut per missum nostrum arientum denarios bonos & expendibiles de moneta de Luca numero quinquaginta, tantum etiam nos vobis & omnia, que supra legitur, per singulos annos taliter impleverimus, & conservaverimus, aut si supradicta petia de terra, quas mihi livellario nomine dedisti relaxaverimus, vel si per nos pejorata fuerit pro colibet ingenio, tunc spondeo ego, qui supra, Vvido una cum meis eredibus componere vobis suprascripto Rusticus abbas vel at posterisque successoribus tuis penam arientum optimum solidos centum, quia taliter inter nos convenit, & duos inter nos libelli Lambertus notarius domni imperatoris scribere rogavi. Actum prope suprascripto monasterio.

Signum de manibus suprascripti Vvidi, qui unc libellum fieri rogavi.

Signum de manibus Omodei filio Cunitii testis.

Signum de manibus Enrighi filio b. m. Stefani testis.

Signum de manibus Fuschi filio b. m. Petri testis.

Ego Lambertus notarius domni imperatoris post tradita complevi & dedi.

LXXXVII.

Pagina donationis factæ eidem abbati a Gerardo & a Benedicto.

Anno 1057. IV. nonas septembris.

Ex eodem archivo.

Ibidem.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille quinquagesimo hoctavo quarto nonas septembris indictione duodecima. Manifesta sumus nos Gerardo filio b. m. Folcheri, & Benedicta jugalibus & filia Donnucci, quia communiter & consentientes mihi supradicto vir meus, ubi secundum legem interesse videtur notitia Ughi judex sacri palatii, a quibus secundum legem interrogata & cognita sum, eo quod nulla me passa violentia, set pura & ex integra mea bona voluntas sequenter edicti paginam comuniter, & consentientes mihi supradicto Vir meus per anc cartula offero, trado tibi omnipotenti Deo ex pars ecclesia & monasterio domini & sancti Michaelis, quod est fundato & edificato foras civitate Pisa, prope porta, que dicitur Samuel, ubi nunc domnus Rusticus abbas preesse videtur, idest una petia de terra illa, quam abemus foras civitate Pisa prope supradictum monasterium, & prope ecclesia sancti Petri, que dicitur a Vincule, quas ipsa petia de terra est tenentes uno Capo cum ambas lateras in terra de supradicta ecclesia & monasterio sancti Michaeli, & alio capo tenet in terra Jolicte mulier Gerardi a supradicta petia de terra, qualiter ab omnis parte circumdata est per designatas locas in integrum cum inferioribus & superioribus suis, seu accessionibus & ingressoras suas tibi omnipotenti Deo, & pars supradicta ecclesia monasterio sancti Michaeli offerre providemus, ut ab odiernum die in antea ille abbas, qui pro tempore in supradicto monasterio fuerit ordinatus supradicta petia de terra a pars ipsius ecclesia & monasterio abeat & teneat, firmiterque possideat, & faciant exinde quidquid voluerit sine contradictione omnium. Et si nos, qui supra jugalibus, vel nostris eredibus a pars ipsius ecclesie & monasterii sancti Michaelis supradicta petia de terra tollere, aut minuare, aut in alia pars alienare, sive anc paginam offertionis infrangere, vel disrumpere quesierit per nosmetipsis, vel per ulla no-

straque sumittente persona per colibet ingenio, & ab omnis omines a pars ipsius ecclesie defendere non potuerimus, & non defensaverimus, tunc spondimus atque promittimus nos, qui supra Gerardo & Benedicta jugalibus comuniter & consentientes una cum nostris eredibus componere a pars ipsius ecclesie & monasterio sancti Michaeli, sive ut illum abbas, quas pro tempore ibidem fuerit ordinatus, penam arientum optimum libras decem, & supra petia de terra in duplum in ferquidem loco sub estimatione, quales tunc fuerit, sic tamen si nos exinde auctores, nec defensores querere, nec dare nolueritis, licentiam abeatis apsque nostra persona, si vestra fuerit voluntas, exinde causas agendi, responsum reddendi, finem ponendi, modis omnibus eas defensandi cum cartula offertionis ista vel qualiter justa lege melius potueritis, quia in tali ordinem anc cartula offertionis Lambertus notarius domini imperatoris scribere rogavimus. Actum foras civitate Pisa prope supradicto monasterio.

Signum de manibus supradicti Gerardi & Benedicte jugalibus, qui anc cartulam offertionis communiter fieri rogaverunt.

Ego Hugo judex sacri palatii interfui.

Signum de manu Meli filio b. m. Gotiti testis.

Signum de manu Maccurti filio b. m. Ghetiti testis.

Ego Lambertus notarius domni imperatoris post tradita complevi & dedi.

LXXXVIII.

Raimbaldus presbyter donat terras Murico abbati S. Victoris de Clusis.

Anno 1058. mense octobri.

Ex autographo archivi S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XIV. n. 44.

IN nomine Domini, quod factum est ab incarnacione Domini nostri Jesu Christi sunt anni Domini mille quinquainta octo & regnantes domnu Enrigu imperatore & papa Victore dux & marchio & die mense octuber indiccio decima actum in Castello. Profitens profiteor ego Raimbaldu presbiter filius Rainaldu bona ex pontanea mea voluntate quam pro mercede & redencione & asolucione anima mea & avenientis tremendi die judicii, ut aliquid de peccatis meis minuare debeat, & a Domino omnipotente mercedem recipere ante tribunal Christi do & concedo in onore beatu sanctu Victore, quod est edificatu justa flumen Sintinu, & in loco qui dicitur Victurianu, & tibi domnu Murico abbas & a tui posterique successoribus aliquid de res mea, que mihi obvinit me da jura parentibus meis, posita est ipsa res mea fra ducatu Spoletini territorio Castellano in loco, qui dicitur Mantusanu & adunata e fra loca designata, a primo latere terra de Johanni, a secundo latere terra de fili de Giso, a tertio & a quarto latere terra de Paganelu, fra isti lateribus & terra & vinea medietate de ipsa casa, & medietate de ipsa vinea modiorum unum, & insuper in alio loco, qui dicitur Trevellano, & a primo latere de Ugo, & de tres partes terra de sanctu Victore fra isti scripti lateribus & terra modiorum novem inter isti due locis, quod est modiorum decem cum omnia que infra se vel supra se habente integrum do & concedo tibi suprascripto abbate ac tuis posterisque successoribus, & usque in perpetuum in tali tinore habendi, tenendi, exinde faciendi quicquid tibi placuerit sine omne calumnia, & sic promitto & obligo me & meis eredis tibi supradictus abbas & tuis posterisque successoribus, quod si nos in contra cartula ista ire tentaverimus aut da qualive omine defendere non potuerimus, aut in contra anc cartula ista aliquam causacione amictere cogitaverimus duppla & meliorata restituamus, quam vero cartula Acto notarius scrisit & complevi.

Signum manu de supradicto, qui ista cartula fieri rogavit.

Ego Johanni rogatus m. m. ss.

Ego Petre rogatus m. m. ss.

Ego Johanni rogatus m. m. ss.

Post roboracione omnium testium ego qui supra Acto notarius scripsi & complevi & finivit.

LXXXIX.

Breve recordationis de consecratione ecclesiæ SS. Prosperi, Mariæ, Clementis & Nicolai de castro Soci facta ab Azone episcopo.

Anno 1058. 11. novembris.

Ex autographo Fontis-boni §. Recordationes. n. 5.

Ad lib. XV. n. 37.

IN Dei nomine. Breve recordationis, qualiter factum est in presentia & con-

consecratione sancte ecclesie Dei in loco, qui dicitur Soci, in presentia bonorum hominum, & in presentia episcopi Azoni, qui eamdem ecclesiam eodem die consecravit in honore sancti Prosperii & sancte Marie & sancti Clementi & sancti Nicolai, & aliorum Sanctorum in eorum presentia Fuscaeri filio Feralmi, sic tradebat & a proprio investiebat abbas Geronimus una petia de terra cum vinea super se abentes, & est posita ipsa petia in casale, qui dicitur Contra, & est per designatas locas de tres partibus est terre sancte Marie, de quarta parte via publica, sic tradidit & investivit suprascripto abbas vice sancte Marie in eo tenore pro mercede & redemptione anime sue & parentum suorum; ut si qua in tempore filii aut eredes eorum tollere vel minuare, aut contendere voluerit, quod ipsi existant anathemate & maledictione Dei, sicut Simon magus a Petro, & sicut de omnibus eredibus ecclesiarum sancti patres constituerunt; anni ab incarnatione Domini millesimo quinquagesimo octavo indictione nona mense novembri die secundo.

X C.

Bulla Nicolai II. papæ de consecratione basilicæ S. Laurentii de Florentia, cui subscripsit S. Petrus Damianus.

Anno 1059. XIII. kl. februarii. more Florentino.

Ex autographo archivi ejusdem basilicæ.

Ad lib. XIV. n. 20.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Gisoni ecclesie sancti Laurentii juxta Florentine civitatis muros site rectori, tuisque successoribus canonice ibidem ordinandis, omnibus quoque communiter victuris in perpetuum. Quoniam omnipotentis dignatio suo gratuito munere ad hoc nostram humilitatem dignata est provehere, quatinus per nos ubique terrarum diffuse ecclesie lumen amministret indeficiens, rationabile omnino ducimus speciali regimine nostre cure commisse Florentine ecclesie congruentem provisionem impendere jugiter, sic namque doctoris gentium imitari valebimus salubre documentum, cum pro viribus nostris, qui bonum impertiri omnibus jubet opus ad domesticos fidei maxime, cum pro nostris viribus divino cultui locis dicatis digna providemus obsequia, ut indefessa laudatio in eis celebretur per omnia secula. Sed quia lapidei parietes non ad hoc sunt constituti, ut Deo possint dignas promere laudes, congruum profecto videtur ad divini operis perfectionem, clericorum circa venerabilia loca ordinare sedulam frequentationem. Qui quidem, nisi terrenis temporaliter sustententur stipendiis, ydonei vix possunt existere cultibus divinis, cum ipse mundi conditor secundum humanam unitam sibi materiem dignatus sit perferre sitim & esuriem. Ad gloriam itaque illius, per quem vivimus & sumus, pretiosissimi martyris Christi Laurentii basilicam, nostro quidem hortamine, Florentinorum vero civium sumtibus pulcra specie instauratam, episcoporum aggregato ceto propriis manibus reddidimus dedicatam, quam nudam sine dote dimittere indignum valde judicavimus, apostolica soliditate, cui precipue competit honestati studendo omnibus nedum injuriam patientibus pia sollicitudine subvenire. Assistentium ergo fratrum hortatu, proprio quoque consilio roborati, presente Florentino populo, pro peccatis ejusdem civitatis presulum, ob vestram quoque devotionem, denique propter totius populi salutem a nobis consecrato altari prediorum & omnium suarum rerum, quod saltem ad presens potuimus, investituram apostolicam optulimus. Suscipe igitur, sanctissime Laurenti, tibi jamdudum devotissimi pape Nicolai voluntarium munus, tuarumque rerum per me a modo & usque in sempiternum singulare & integrum sine aliqua controversia aggredere dominium, quatenus in aula tuo nomini dedicata religiosus clerus Deo omnipotenti laudum reboet cantica. Designentur autem tua predia per subjecta vocabula, scilicet totus circuitus adjacentis ecclesie in integrum, necnon domnicatum, quod adheret regio campo ab occidente ad meridiem, ab septentrione & oriente circumdatur via publica. Preterea juxta fluvium Munionis fundus magnus habetur hujus ecclesie proprius. Alios denique duos fundos, quorum unus positus est Carditulo, alter Junketo, qui retinentur nepotibus Teuzonis clerici, monstramus proprie ad regimen prefato ecclesie retineri, mons sancti Laurentii, qui ex uno latere proximatur terre sancti Johannis, ex alio sancti Romuli, tertio sancte Marie juri vestre ecclesie conceditur, fundus siquidem in monte Ugonis positus similiter ditioni memorate ecclesie consignatur. Hec vero omnia summotenus memoravimus. Ne quis tamen

Ad lib. XV. n. 37.

men dubitet multo ampliora predia hec ecclesia non detineri. Absolvimus preterea liberumque eumdem venerabilem locum apostolica sanctione persistere jubemus, ne liceat alicui magne parveque persone ibidem canonice aggregatos clericos dehonestare & placitando infestare vel debitum tributum ab eis exigere, seu aliqua occasione tibi a nobis aut aliquibus fidelibus res concessas sive concedendas invadere, subtrahere, diminuere, sitque immunis predictus locus ab omni pensione, sub sancti Laurentii tuitione, nulliusque subjiciatur dominio, nisi Florentino episcopo. Si quis ergo, quod non credimus, sacrilega mente, quod in conspectu episcopi Humberti cardinalis Silve Candide, atque Hildebrandi sancte Romane ecclesie archidiaconi, necnon episcoporum Perusini, Rosellani & Furconensis juste stabilitum, conatus fuerit infringere, centum auri libras prefate basilice cogatur persolvere, medietatem Florentino episcopo, & medietatem clericis ejusdem ecclesie consistentibus, descendantque super eum omnipotentis maledictiones, nisi ammonitus satisfecerit, quas in Deuteronomio sanctus descripsit Moyses, atque interficiat eum Deus spiritu oris sui, sicut Datam & Abiron, quos vivos terra deglutivit. Preterea ut hec pagina plenam fidem presentibus seu etiam posteris astruat, & proprie manus subscriptione, & apostolici sigilli munivimus impressione.

Confirma hoc Deus

XPE	VINC
PETRVS	PAVLVS

quod operatus es in nobis

Ego Brunus Prenestinus episcopus ss.
Ego Petrus peccator monachus ss.
Ego Petrus Lavicanensis episcopus ss.
Ego Bonifacius Albanensis episcopus ss.
Ego Johannes Portuensis episcopus
Ego Desiderius presbyter cardinalis Romane eccclesie ss.

BENE

Datum Florentie XIII. kl. februarii anno ab incarnatione Domini M.LVIIII. per manus Humberti sancte ecclesie Silve Candide episcopi & apostolice sedis bibliothecarii anno primo pontificatus domini pape Nicolai II. indictione XIII.

Sigillum plumbeum pendens.





XCI.

Brunellus donat Hieronymo abbati Pratalienſi suum jus in ecclesias & in terras sitas in plebe Partinæ.

Anno 1059. mense septembri.

Ex autographo Fontis-boni §.Donatio.n.116.

Ad lib.XVI.n.19.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anni ab incarnationis ejus millesimo quinquajesimo nono mense setember indictione duodecima. Manifestus sum ego Brunello filio Bonate, qualiter per anc carta juditi judicavimus & tradimus, & ad proprio investivimus pro remedio anime Guidi filio Guiniti, & anima Burge jugalis tibi Jeronimus abbas, & ad monesterio sancte Marie mater Cristi de lo pratalia & tibi Jeronimus abbas omnibus integras res nostras, qui est de comitatu istius Aritino de plebe sancte Marie isito Partina omnem, que nos abemus & tenemus a nostra proprietate, vel alteri omines pro Guido tenitur, &

sunt

sunt in casale Ajole cum casis, terris, vineis, * eclcesi omnia & in omnibus ubicumque de ipsa res esse invenitur, sic damus & judicamus & tradimus, & ad proprium investivimus pro remedio anima Guidi & Burga jugalis pro remedio anime vestre ad predicto monasterio abendo & in perpetuum possidendo ad usum & sumtum fratrum monachorum, unde nulla exinde reservavimus potestate usque ad predicto monasterio anteponimus nulla exinde abeatis molestias, si presumpserimus molestare, vel de qualibet omni vel de qualibet omine minime potuerimus defensare, si vero defensaverimus omni tempore ab omnibus ominibus vel feminibus integra prefata nostra judicatione sicut in tempore fuerit melioratas, ibidem in propriu colocaset simile ren de nostris propriis rebus in dupplo componere promittimus, & componamus que suprascripto Brunello cum meis filiis eredibus tibi predicto Jeronymus abbas a predicto monesterio & ad tuis posteris vel successoribus, si oportum fuerit, licead vobis abbas vel avocato de ipsius monesterio cum ec cartula aiere, causare quomodo vos melius potueritis justa ista lege placitum superare a proprietatem ipsius monesterio abendo, unde ec cartula judicati a me, qui supra, Brunello facta, qualiter super legitur, Teuzo notari scrivere rogavi. Actum Aritio feliciter.

* Forte ecclesiis.

Singno manibus Brunello in anc cartula judicati manus meas scribere rogavi.

Singno manibus Rodoso filio Guidoni & Ugo filio Guidi & Gotizo filio Rainerii rogatis testibus manibus eoscribere rogaverunt.

Ego Teuzo notario scripsi & complevi.

XCII.

Boniza cessionem facit eremo & monasterio Camalduli suæ portionis de ecclesia S. Petri de Cerreto una cum ejusdem ecclesiæ bonis.

Anno 1059. XI. kal. novembris.

Ex autographo ejusdem archivi. §. Donatio. n. 117.

Ad lib. XVI. n. 19.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi Dei eterni. Anni ab incarnationis ejus millesimo quinquagesimo nono undecimo kal. novembris indictione tertia decima. Manifesta sum ego Bonica filia bone memorie Petronille, quia per consensum & data licentiam Reinti filio meo, in cujus mundium esse visa sum, per hanc cartula offertionis pro anime mee remedium offero tibi Deo ecclesia & monasterio seo eremitorio beati sancti Salvatori & sancti Donati, qui est constructa & dificata in loco & finibus ubi dicitur Campo amabilis, idest meam portionem de ecclesia illa, cui vocabulum est beati sancti Petri, qui est constructa & dificata in loco Cerrito, cum meam portionem de onnibus illis terris e vineis seo casis & casinis seo casalibus, atque terris & rebus, qui ad suprascripta ecclesia sancti Petri sunt pertinentes vel aspicientes, ecclesia vero ipsa cum fundamento & onnem edificio suo de quantas super se & infra se abentes seo de curtis, ortis, terris, vineis, olivetis, castanietis, quercietis, silvis, virgareis, pratis, pascuis, cultis rebus vel incultis, divisum vel indivisum, movilibus & in mobilibus &c. ad suprascripta ecclesia pertinentes vel aspicientes competi exinde mihi de quartam portionem ipsa vero & integram portionem cum inferioribus & superioribus suarum seo cum accessionibus & ingressoras suarum tibi Deo ecclesia & monasterio seo eremitorio beati sancti Salvatori & sancti Donati offerere provideor in tali ordine, ut da admodum in antea sim potestate de illi monahi eremite seo clerici, qui ibidem pro tempore ..... in aliquo exinde intentionaverimus, aut retolli vel subtragi quesierimus nos vel ille homo, cui nos eas dedissemus aut dederimus, pro quolibet ingenio, & nos exinde auctores dare volueritis & ea ad pars ipsius ecclesia & monasterio defendere non potuerimus, & vobis eas non defensaverimus, nunc spondeo ego, qui supra, Bonica consentientes mihi suprascriptis filio & mundualdo meo una cum meis eredibus componere ad pars ipsius ecclesie & monasterio seo eremitorio beati sancti Salvatoris & sancti Donati & ad illis monahi eremite seo clerici, qui ibi pro tempore ordinati fuerint, & ibi officium Dei faciunt suprascripta nostra portione de ecclesia sancti Petri simul cum suprascripta mea portionem de omnibus illis terris & vineis &c. Actum ad ecclesia & monesterio beati sancti Sepulcri, que est posita a Fonte pintiagia.

Singnum man. predicte Boniche consentientes sibi suprascripto filio & mundualdo suo, qui hanc cartula offertionis fieri rogavit.

Singno manus Reinti, qui eidem matri sue consensi.

Singno

Singno de manu Vuillelmi & Rolandi filii b. m. Vinitti rog. tt. tt.

Singno de manu Uberti filio b. m. Stalberti rog. tt.

Vvido notarius dom. imperatoris post traditam complevi & dedi.

XCIII.

Villelmus & Rolandus fratres transferunt in eamdem eremum suum jus, quod habebant in præfatam ecclesiam S. Petri.

Anno 1059. xi. kl. novembris.

Ex eodem archivo, ibidem n. 118.

Ibidem a.

IN nomine Domini Jesu Christi Dei eterni. Anni ab incarnationis ejus millesimo quinquagesimo no undedicimo kalendas novembris indictione tertia decima. Manifesti sumus nos Villelmo & Rolando germani fili b. m. Vinitti, quia per hanc cartula offersionis per anime nostre remedium, & per remedium anime de suprascripto genitor noster offerimus tibi Deo & ecclesia & monasterio seo eremitorio beati sancti Salvatoris & sancti Donati, que est constructe & edificate in loco & finibus, ubi dicitur Campo amabilis, idest nostram portionem & integram de ecclesia beati sancti Petri, que est constructa & edificata in loco & finibus, ubi dicitur Cerrito cum nostra portione de onnibus illis terris & vineis, seo casis & cassinis seo cassalinis, atque terris & vineis seo rebus, que ad suprascripta ecclesia sancti Petri sunt pertinentes vel aspicientes. Ecclesia vero ipsa cum fundamento & onnem edificio suo de quantas super se & intra se abentes seo de curtis, ortalias, terris, vineis, holivetis, castanietis, quercietis, silvis, virgareis, pratis, pascuis, cultis rebus vel incultis, divisum & indivisum &c. Actum ad ecclesia monasterii sancti Sepulcri infra ipsa clostra, que dicitur Fonte pintiagia.

Singno de manu predictorum de Villelmi e Rolandi germani, qui hanc cartulam offersionis fieri rogaverunt.

Singno de manu Reinti filio b. m. Stalberti rogatus testis.

Singno de manu Johannis filio b. m. Ursi rog. tt.

Singno de manu Petri filio b. m. Teuti rog. tt.

Vuido not. domini imperatoris post traditam complevi & dedi.

XCIV.

Concordia statuta a S. Petro Damiano inter eremum Gamugni, & inter monasterium de Acereta.

Anno 1060.

Ex antiquissimo exemplo archivi S. Laurentii de Florentia, n. 4.

Ad lib. XVI. n. 15.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Non est mirum, si inter homines licet sanctos humana tamen fragilitate circumdatos locum livor inveniat, cum inter ipsos etiam angelos, quantum ad literam, videatur obrepsisse discensio; unde est quod ad Daniel angelus princeps, inquid, regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus, & paulo post, nunquid scis quare venerim ad te? & nunc revertar ut prelier adversus principem Persarum, verumtamen nullo modo credendum est inter angelos, quos summa Dei pax tenet, qui scilicet exsuperat omnem sensum, intervenire posse discordiam. Quia vero populi, quibus illi angeli preerant, diversi a se invicem discordabant, idcirco angelus dicitur adversus angelum, qui sibi restiterat preliari. Hoc itaque modo & abbas monasterii, & prior heremi inter se invicem sepe dissentiunt, quoniam & eorum subditi diversis utentes regulis, non ejusdem conversationis instituta custodiunt: Unde nos eorum paci, quod nobis commissi sunt, necesse est providere, & futuris scandalorum vepribus, ne per incrementa ipsorum, quod absit, pestilenter oboriantur occurrere. Quapropter ego Petrus peccator monachus in nomine Dei omnipotentis patris & filii & spiritus sancti, ex auctoritate summorum apostolorum Petri & Pauli, quorum ego licet indignum famulum me esse profiteor, presentibus & consentientibus atque laudantibus Guidone clarissimo comite & Ermellina ejus serenissima uxore, constituo, ordino atque decerno, ut a modo & deinceps in perpetuum heremus Gammugni eodam discrecionis moderamine & libera sit, & subjecta. Libera quidem si in suo statu permanserit, hoc est si conventum monachorum habuerit, qui vitam heremiticam teneant & sub priore regulariter vivant. Subjecta vero in hoc tantum modo, ut per unumquemque annum monasterium Acerete duodecim denarios Veneticorum pro pensione persolvat. Preter hec nullum

jus

jus nullamque potestatem vel dicionem abbatem dicti monasterii super ipsam heremum ejusque pertinencias vel habitatores ejus habere concedimus: nullum itaque jus dominii, virtutis ac potestatis abbas jamdicti monasterii sive per se, sive per suos in prefatam heremum sibimet vindicare presumat, nisi tantum quod monachos suos, qui vitam heremiticam fortassis elegerint, illic ad habitandum constituere liceat. Neuter itaque locus alteri nisi, sicut dictum est, dominando presideat, sed fraterna charitas utrumque in amore Christi connectat. Adjacentes autem utriusque loci possessiones, ita dividimus, ut monasterium, que sui juris sunt, in circuitu cuncta possideat usque ad locum, qui Jumentella dicitur. Inde eciam per medium radium usque ad montem rotundum, & usque ad flumen per rivum, ipso tamen monte in possessione monasterii permanente. Ab istis itaque locis omnia, que ad montana contendunt heremus teneat, idest a predicta Jumentella & predicto monte rotundo per ipsam currenciam fluminis usque ad montem Ceresam, alia vero alpes equaliter inter heremum & monasterium dividantur. Habeat etiam heremus ecclesiam sancti Donati in Mutiliano cum omnibus suis pertinentiis, exceptis duobus molendinis, que ipsum monasterium tenet, & insulam juxta molendina positam, in qua, qui ea custodiunt, modo habitare videntur, & que per donacionis paginam a donatoribus obvenit prefato heremo in loco Fagnaula & in Pozolo simili modo permaneat jam dicto monasterio, nam campum Liverani permaneat heremo. Cuncta vero quecumque nostri juris sunt sive in Treudacio, sive in Rivagutti sive in Rasame sive eciam in Castagnaria sive in Coreula .... vel in quibuslibet locis omnia monasterium sine ulla prorsus contradicione possideat, cum toto jure quod habemus in monasterio sancti Benedicti. Hac eciam nostra precepcione decernimus, ut monasterium & heremus hoc inter se invicem debeant, quatinus cum necessarium fuerit, ut monasterium infirmos fratres heremi ad refocillandum & sustentandum usque ad sanitatem cum licentia prioris fraterna benignitate suscipiat, & heremite fratres monachos de monasterio venientes cum licentia abbatis libenter admittant. Quod si predicta heremus ad defectum evenerit, ita ut conventum monachorum non habeat, & saltem tres ibi fratres non sint, qui secundum consuetam ipsius loci heremiticam regulam vivant, tunc & eo casu ipsa heremus cum suis pertinentiis juribus . . . . . . ipsumque locum . . . . . sub sua . . . . Insuper nos Guido comes & Ermelina cometissa mea uxor spondimus promittimus atque obligamus abbatibus predicti monasterii, quod si diffinicio predicta a domno Petro venerabili pontifici nobis consencientibus, ut dictum est, inter monasterium & heremum facta custodire modisque omnibus observare, & si quod absi, aliqua occasione heremum jam dictum ad nichilum devenerit, non habeamus licentiam nec potestatem alie ecclesie illam ecclesiam vel coco modo consentire, & si contra hec fecerimus, componere nos cum nostris filiis & heredibus promittimus abbatibus ibi per tempora deservientibus auri optimi libras decem, ita tamen ut post solutam penam diffinicio & obligacio in sua firmitate perduret. Ego Cinnamellus notarius de territorio Faventino rogatus a predicto Guidone comiti & sua uxore, nec non a domno venerabili Petro pontifici hanc definicionem & obligationem scripsi.

Guido comes & Ermelina cometissa hanc diffinicionem inter monasterium & heremum & obligationem scribere rogaverunt.

XCV.

Bulla Nicolai II. papæ pro confirmatione jurium & bonorum monasterii S. Thomæ de Aposella, in quo obiit Clemens II. papa.

Anno 1060. xv. kl. maji.

Ex autographo archivi S. Mariæ Portus Ravennæ.

Nicholaus episcopus servus servorum Dei Petro venerabili abbati monasterii sancti Thome apostoli positi in comitatu Pensaurensi juxta fluvium Apusella suisque successoribus ibidem regulariter promovendis in perpetuum. Tanta est sedis apostolice auctoritas, ut omnis requiratur ab ea firmitas, nec putetur esse stabile, nisi quod ejus fuerit confirmatum robore. Et quia nos ei presidemus, & vices beati Petri apostoli fungimur, licet indigni, omni studio debemus servientes Deo divinoque timore repletos dirigere & adjuvare, quatenus nostro munimine suffulti absque omni impedimento Deo servire & in suo servitio

Ad lib. XVI. n. 28.

tio liberius permanere possint. Quapropter per intercessionem domni Petri Damiani Hostiensis episcopi confratris nostri, & Petri abbatis ejusdem monasterii & spiritualium monachorum ejus regulariter viventium decrevimus ecclesie sancti Thome apostoli & ejus rectoribus presenti & futuris tam bona ammobilia, quam inmobilia, que nunc habet, vel in perpetuum habiturus est, confirmare & corroborare, quatenus cum omni securitate & quietudine monasterium predicte ecclesie maneat, & ibidem Deo deserviatur. Flexi igitur precibus, ut diximus, religiosorum monachorum corroboramus atque confirmamus necnon stabilimus tibi tuisque successoribus eidem monasterio, qui nunc presides, & presidere debent in perpetuum. Quin insuper quietum facimus & securum ab omni impugnatione & lesione hominum, ut nemo sit, qui audeat quicpiam molestationis ac lesionis eidem monasterio inferre, statuentes apostolica censura, ut nullus imperator, rex, dux, marchio, comes, vicecomes, & preterea nullus archiepiscopus, episcopus, & specialiter ejusdem Pensaurensis episcopatus episcopus, qui nunc est ibi, vel futurus est, necnon cives loci illius, vel alia aliqua persona magna vel parva aliquod inferre presumat detrimentum vel nocumentum predicto monasterio sancti Thome ejusque omnibus bonis, quibus nunc habet vel in perpetuum habiturus est. Insuper concedimus & confirmamus predicto monasterio omnem ipsam terram cum capellis & suis pertinentiis, quam domnus papa Clemens, qui ibi hobiit, obtulit predicto monasterio in perpetuum pro remedio anime sue & restauratione ecclesie, positam comitatu Pensaurensi, inter as fines, a primo latere rivum Reanum, a secundo latere ripam de Pirele, sicut vadit in petram de acero, & venit ad viam publicam, que ducit in Lavacelli, a tertio latere rivum, qui temporaliter currit super castrum Liciole, & a quarto latere Aposellam fluvium, qui currit usque in ipsum vestrum monasterium, cum monte Calvello & valle Gelata, & castrum Liciole cum omnibus, que intra hos concluduntur fines, cum terris, campis, casis, vineis, arboribus, pomiferis & infructiferis, & cum omnibus ad predictam terram generaliter & universaliter pertinentibus. Et insuper confirmamus eidem monasterio illam turrim infra ipsam civitatem Pensaurensem, que nominatur Castellione, cum suis pertinentiis intus & foris usque ad portam, que nominatur Fanestra in perpetuum. Unde evacuamus & evacuatum semper esse volumus & jubemus illa precepta, que de illa terra habuerunt ipsi filii Ungari, ut nullum valorem nullamque habeant firmitatem, per hoc nostrum preceptum tibi tuisque successoribus a nobis pro remedio anime illius pape Clementis nostreque in perpetuum. Factum ea tamen ratione, ut annualiter persolvatis exinde pensionem auri bisantum unum actionariis certis sancte romane ecclesie apto tempore. Si quis igitur hujus nostri privilegii ac precepti violator temere extiterit, & monitus canonice emendare contempserit, perpetui anathematis vinculis se innodatum noverit, & insuper quinquaginta librarum auri pena multandum, medietetem sacro nostro Lateranensi palatio, & medietatem prefato monasterio. Qui vero pia devotione conservator esse studuerit, precibus apostolorum principum Petri & Pauli peccatorum suorum omnium ab omnipotenti Deo veniam & eterne beatitudinis consequatur gloriam. Scriptum per manus Johannis scriniarii sancte Romane ecclesie, in mense aprilis & indictione tertia deciadecima.

† Ego Petrus Gabinensis episcopus ss.

† Ego Bruno Prenestinus episcopus ss.

† Ego Johannes Portuensis episcopus subscripsi.

† Ego Petrus peccator monachus & episcopus ss.

† Ego Stephanus vocatus monachus & presbiter tituli S. Grisoni ss.

Datum Rome XIII. kal. maji anno ab incarnatione Domini Jhesu M. LX. per manus Humberti sancte ecclesie Silve Candide episcopi & apostolice sedis bibliothecarii anno secundo pontificatus domni pape NICHOLAI secundi indictione XIII.

XCVI.

Donatio ecclesiarum & terrarum facta Johanni abbati & monasterio Marturiensi ab Alberto Marchione.

Anno 1061. III. februarii.

Ex tabulario archiepiscopi Pisarum.

Ad lib. XVII. n. 13.

IN nomine Domini Dei eterni. Anni ab incarnatione Domini nostri Jesu Chri-

chaelis archangeli sito in loco qui dicitur Marturi, ubi nunc domnus Johannes abbas preesse videtur, ego quidem Albertus marchio filio quondam Opithonis marchionis, qui fuit genitor meus, de loco & regno Langobardie, quia professus sum ex natione mea lege vivere Langobardorum, offertor & donator ipsius monasterii, presens presentibus dixi: Quisquis in sanctis ac venerabilibus locis ex suis aliquit contulerit rebus, juxta auctoris vocem in hoc seculo centuplum accipiet, & insuper quod melius est, vitam possidebit eternam. Ideoque ego, qui supra, Albertus marchio dono & offero ad predictum monasterium ad jura proprietatis habendum meam portionem de curtibus castris, & capellis in quorumcumque honore Sanctorum consecrate sint, & in omnibus rebus territoriis tam donicatis quam & de massariciis juris mei & que fuerunt juris quondam ejusdem genitoris mei, & sunt positis in locis & fundis, que nuncupantur Petriole, Banciola, Capannule, Furcule, Cesiano, Vico; & de rebus meis que sunt positis juxta fluvium, que vocatur Hera, tam infra curtes & castra, quam & de foris per singula qualicumque loca posite sunt, & inveniri potuerint infra comitatu Lucensis, & Pisensis & Vulterrensis, & de meis juris rebus ad meam portionem de suprascriptis curtibus & castris & capellis infra eosdem comitatos pertinere esse videtur. In hanc autem predicta offersione de suprascriptis curtibus, castris & capellis atque omnibus rebus territoriis juris mei, qualiter comprehensum, vel superius dicta, una cum accessionibus & ingressibus earum, seu cum superioribus & inferioribus suarum, ut ab hac die in eodem monasterio dono & offero, & per presentem offersionis ad proprietarium jure ibidem habendum confirmo, faciendum exinde ad partem predicti monasterii, aut cui pars ipsius monasterii dederit sine omni mea & de heredibus meis contradictione, pro mercede & remedio anime ejusdem Opithonis genitoris mei & mee. Quidem expondeo atque promitto me ego, qui supra Albertus marchio una cum meis heredibus tibi, qui supra Johanni abbati ad partem predicti monasterii tuisque successoribus, aut cui vos vel pars predicti monasterii dederit istam offersionem, qualiter superius legitur, ab omni contradicenti homine defensare debeamus. Et si defendere non potuerimus, aut si aliquit exinde pro quovis ingenio inde subtrahere quesierimus, tunc in duplum eadem offertionem, ut supra legitur, vobis ad partem predicti monasterii habendam in consimilibus locis, aut cui pars predicti monasterii dederit, restituamus, sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub extimatione. Hanc enim cartam offertionis mee paginam Sigefredum notarium sacri palatii scribere rogavi, in qua subter confirmans, testibus, qui obtulerunt, roborandam.

Hactum infra castrum Casale majore, feliciter.

Signum † manus suprascripti Alberti, qui hanc cartam offersionis, ut supra fieri rogavi.

Signum manibus ††† Araimundi, & Ottonis seu Adam legem Langobardorum viventes rogati testes.

† Ego qui super Sighifredus notarius scriptor hujus cartam offersionis post traditam complevi & dedi.

XCVII.

Venditio, quam fecit Murico abbati Sancto Victoriano Jezo filius Petri.

Anno 1061. mense aprili.

Ex autographo S. Catharinæ de Fabriano. *Ibidem.*

IN nomine Domini & factum est in ani Domini ab inaarnacione Domini nostri Jesu Cristi, quod sunt anni Domini mille sexaginta & unum, & temporibus domno Gotefredu dux & marchio anno ejus tercio, & die mense aprelis per indicione terciadecima. Ideoque ego Jezo filius quondam Petrus pro mea bona propria voluntate secundum mea legem Langubardorum vindedimus, & a presente die tradimus tibi Murico abbas, qui est de monasteriu sancto Victore, & a beatu sanctum Victore, qui est edificatu in locum, qni dicitur Victurianum, a suisque posteris supcessoribusque in perpetuum, idem est aliquid de terra mea, que est posita infra ducatu Spoletinu infra territoriu castellum Petrosum in vocabulo, qui dicitur la Contria, & est ipsa terra, que michi oveni pro mea... autio filius de Gazio, est ipsa tera primo latere *&c.*

Ego Adamo judice & notarius scripsi complevit & clausit.

XCVIII.

Oblatio bonorum facta Leoni rectori ecclesiæ SS. Martini & Frigdiani Pisarum.

Anno 1061. IV. nonas maji.

Ex archivo monasterii S. Michaelis Pisarum.

Ibidem.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni, amen. Anno ab incarnationis ejus mille sexagesimo secundo quarto nonis madii indictione quartadecima. Manifestus sum ego Bello filio b. m. Dominichi, quia per hanc cartulam pro anime mee remedio offero tibi omnipotenti Deo in hospitium pauperum, quod est fundato & edificato prope ecclesia sancti Martini & sancti Frediani, ubi nunc donno Leone presbitero preesse videtur; idest una petia de terra mea illa, quam abeo in loco & finibus platea prope plebe sancti Lorenti, quas mea petia de terra est tenentes uno capo in via, & alio capo cum alio lato tenet in terra Mori quondam Sbavilis, & Joannis...... petia de terra, qualiter ab omnis parte circumdata est per designata loca in integrum cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressoras suas tibi Deo omnipotenti, & jam dicto ospitio offerre provideor tali ordine, ut sint jure proprietario pro dicto ospitio & potestatem abeant omni tempore jam dicto rectore, ejusque successores habendi, tenendi, & causa exinde agendi, querimoniam faciendi, responsum reddendi modis omnibus vobis eas defensandi cum cartula ista offertionis contra omnem hominem exinde pro animabus. Etsi ego supradictus Bello vel meus heredes, vel aliquando tempore in aliquo exinde intentionaverimus, aut retolli vel superari quesierimus, nos vel ille homo, cui nos eas dedissemus, aut dederimus per colibet ingenio, & si nos exinde auctores dare volueritis, & eas ad partem pro supradicto hospitio ob omni homine defendere non potuerimus, & non defensaverimus. Spondemus nos vobis componere ad parte pro dicto hospitio vel tuis heredibus, & pro quibus ibidem pro tempore fuerint omnia in duplum in ferquidem loco sub estimatione qualis tunc fuerit, sic tamen nos exinde auctores, nec defensores querere, nec dare voluerimus, licentiam habeatis absque nostra persona, si vestra fuerit voluntas exinde causas agendi, responsum petendi, finem ponendi, modibus omnibus eam vobis defensandi, cum cartula ista, vel qualiter justa legem melius potueritis, quia in tali ordine hanc cartulam offertionis Falchonem notarium domini regis scribere rogavi. Actum Pisa.

Signum manuum supradicti Belli, qui hanc cartulam offertionis scribere rogavit.

Ego Bonizo judex sacri palatii....

Signum manus Ragimundi filio b. m. Berti testis.

Signum manus Vvidi filio b. m. Dominichi testis.

Ego Albertus rogatus testis.

Ego Falchone notario domini regis post tradita complevi & dedi.

XCIX.

Sicicio & Petrus germani commutant terras.

Anno 1061. mense septembri.

Ex autographo ejusdem archivi.

Ibidem.

IN nomine Domini & factum est in anni Domini ab incarnatione Domini nostri Jehsus christi, quod sunt ani Domini mille sexainta & unum & temporibus donno Gotefredo dux & marchio anno ejus tercio, & die mense september per indicione quintadecima. Ideoque ego Sicicio, qui Gillo vocatur, & Petri jermani sui tribus filiis quondam Acto & Fusca muliere dicti Johannis &c. secundnm nostram legem Langubardorum vindedi & cambiavi &c. de terra nostra, que est posita infra ducatus Spoletanum infra territoriu castellu Petrosum in vocabulo Forrite &c.

Ego Adamo judice & notarius scripsi complevi & clausit.

C.

Bulla Alexandri II. papæ confirmantis bona monasterii S. Severi in Classe.

Anno 1062. VI. kl. januarii.

Ex antiquo autographo ejusdem monasterii.

Ad lib. XVII n. 28.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Bonizo abbati sancti Severi Classis eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quotiens a nobis petitur, quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere & petentium desi-

deriis

deriis effectum congruum impertiri. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatam ecclesiam, in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Anastasii, Leonis & Benedicti Romanorum pontificum sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in vestro monasterio noscitur institutum, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium inpresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & inlibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam prefatam sancti Severi cum parochia & omni jure suo & suis pertinentiis, & monasteria sanctorum Gaudentii, Sergii, Theodori, & sancte Agnetis, & sanctorum Cosme & Damiani, & omnia olim fuerunt sita in civitate Classis cum omnibus rebus & possessionibus eorum sitas tam in civitate Classis, quam extra vel in civitate Ravenne, vel ubicumque inveniuntur per diversa loca. Et monasterium sancti Johannis & Stephani, que dicitur ad Titum fundatum dudum Classis in loco, qui dicitur Armenie, que nunc demolitum esse videtur, cum omnibus suis juris & possessionibus ejus, & quidquid juris abuit in civitate jam dicta, & in civitate Ravenna, vel in comitatu Decimano, sive in comitatu Bononiensi, aut in comitatu Corneliensi, vel Faventino, aut Liviensi, sive Pupuliensi nec non Cesenate aut Ficoclensi. Et ecclesiam sancti Angeli in civitate Arimini cum parochia & suo cimiterio, & cum omni jure suo. Ecclesiam sancte Marie in Mariniano cum omnibus suis bonis & portionem de plebe de Candelara cum omnibus suis bonis. Ecclesiam sancti Jacobi in civitate Pesauriensi cum parochia & cimiterio, & omnibus suis pertinentiis, & omnibus rebus & possessionibus, quas abetis in jam dicta civitate & in ejus comitatu, aut in comitatu Fanestre, vel in comitatu Senogalie, videlicet ecclesiam sancti Benedicti de Castaniola, que est fundata in fundo Brazale cum omnibus suis pertinentiis, & suo jure, & cum fundo de Ingildruda cum molendinis & aquimolis. Ecclesiam sancti Andree, que est fundata juxta rigo de lo Trepuntio, & silva de Castaniola cum decimis, terris, silvis & molendinis cum aquimolis in rigo jam dicto Tripuntio, & cum omni jure suo. Ecclesiam sancti Johannis de Pergumato cum ipso fundo, & molendino cum aquimolo suo in rigo Trepunzio. Ecclesiam sancti Johannis de Orzolo cum decimis & omnibus pertinentiis suis & omnia bona, que fuerunt de Bernardo Carbone. Ecclesiam sancti Martini de Salmariano cum parrocchia & castro jam dicto de Salmeriano cum abitatoribus suis, & cum omnibus suis pertinentiis, & medietatem de curte de Lisano cum omnibus suis pertinentiis. Ecclesiam sancti Johannis de Cornutula cum parrochia & decimis, & omni jure suo. Ecclesiam sancti Johannis de Casiano cum parrochia & decimis, & cum fundo suo integro, & cum omni jure suo, & tota insula de la Phara cum districtu suo & cum fundo de lo Pozo, & quicquid habetis in fundo de la Vaccaria, & in Catiliano & in Albiniano, & quartam partem de la Colliula. Et medietatem de ecclesia sancti Gali cum omnibus suis bonis, & fundum de Campore cum terris vineis & omnibus suis pertinentiis, & medietatem de castro de Luzano cum omnibus suis bonis, & quod abetis in fundo Rubiano & in fundo la Plana. Ecclesiam sancti Petri in Caniani cum omnia bona sua. Ecclesiam sancti Martini de Muruco quartam partem cum parochia & cum omni bona sua. Et in comitatu Esini monasterium sancti Laurentii de Castaniola, quod est fundato in fundo Laptula cum parrochia & cimiterio, cum castro suo, & suis habitatoribus, & fundum Farnaclo, fundum Lecese & Camolia tavelіesca & fundum le Cone & fundum lo Remorto cum ecclesia sancte Marie, que ibi est fundata cum parochia & decimis, & cum omni jure suo. Ecclesiam sancti Blasii de la insula de lo Re morto cum parrochia & cum ipsa insula & omnibus suis pertinentiis & insula de Alamacasco cum aquimolis, & omnibus suis pertinentiis, fundum Sangueneto cum omnibus suis pertinentiis: Ecclesiam sancti Johannis de Auzano, que dicitur Terra lata cum decimis molendinis & aquimolis, & cum ipso fundo & omnibus suis pertinentiis, fundum Felcareto, fundum Rota marcanesca, fundum Vavile medium cum molendinis, decursibus aquarum, & suis pertinentiis, & fundum le Lenze & fun-

dum le mad..... & medietatem silva de lo Guardengo. Ecclesiam sancti Stephani de li...... parochia & cimiterio & decimis, & fundo integro cum eorum vocabulis & cum suis .... Laureto majore cum parrocchia & cimiterio & ....omnibus suis pertinentiis. Fundum Fabrati cum suis pertinentiis, fundum Albareto cum suis pertinentiis. Ecclesiam sancti Cassiani cum parrochia & cimiterio e toto fundo cum omnibus suis pertinentiis. Fundum monte de lo Vico, fundum Fontanele, fundum lo Pozo, fundum sancti Marcelli.. cum omnibus suis pertinentiis. Et in comitatu Ancone monasterium sancte Marie de Tugano cum decimis, parrochia & sepultura, & fundo integro cum omnibus suis pertinentiis, videlicet fundum de Camorata cum ecclesia sancte Marie cum omni jure suo, fundum ....:te Valentino, fundum Lupicelli cum cursibus aquarum, fundum Friviano & Rivianello, fundum Ancariano & Rovetolo, fundum Casa novula livalli monte de la abate, fundum de Sala cum omnibus eorum pertinentiis. Ecclesiam sancti Angeli de Salichu cum parochia & decimis, cum castro & omnibus suis pertinentiis, & cum tota massa de Pariano cum eorum vocabulis. Et castrum de li Masi, fundum Faldo, cum ecclesia sancti Angeli in Turricli cum omnibus eorum pertinentiis. Ecclesiam sancte Marie de Mimano cum castro & fundo & pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Ciriaci cum parochia & cimiterio cum fundo integro cum omnibus & suis pertinentiis & fundum Cozziano. Ecclesiam sancte Marie de Aguliano medietatem cum omnibus suis bonis. Ecclesiam sancti Johannis de Palumbici cum decimis & fundo integro. Ecclesiam sancti Johannis de Agelli cum decimis, molendinis & aquimolis, & fundo integro cum eorum vocabulis. Ecclesiam sancti Andree de lo Sterpeto. Ecclesiam sancti Laurentii de Laureto. Ecclesiam sancte Basalece cum omnibus earum pertinentiis. Et quod habetis in comitatu Auximano. Et in comitatu Callensi, monasterium sancti Abundi, & plebe sancti Angeli in Clandeda cum omnibus juribus earum. Et quod habetis in comitatu Eugubiensi. Et in civitate Castelli & in comitato suo. Castrum de Afra cum ecclesia & omnibus suis pertinentiis. Sane novalium vestrorum, quos propriis manibus aut servitiis colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis personas liberas & absolutas e seculo fugientes ad conversionem recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis janius, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, suppressa voce, divina officia celebrare. Sepulturam preterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen justitia parochialium ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis vel ...... seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam provideant eligere ..... auctoritate apostolica inhibemus; ut in vos vel clericos vestros, aut in ecclesias vestras excommunicationis vel interdicti sententia abque manifesta & rationabili causa nullus promulget, nec novas aut indebitas exactiones monasterio vestro, vel ecclesiis ipsis imponat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate & diocesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & aput districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

† Ego

Adjuva nos Deus

SCS PETRVS	SCS PAVLVS
ALEX	ANDER
PP	IJ.

salutaris noster.

Ego Alexander catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Henricus Portuensis sancte Rufine sedis episcopus ss.

† Ego Leo presbyter cardinalis tit. sancti Marci ss.

† Ego Petrus cardinalis tit. sancte Susanne ss.

† Ego Johannes presbyter cardinalis basilice XII. apostolorum ss.

† Ego Ubaldus presbyter cardinalis S. Marie transtiberim tit. Calisti ss.

† Ego Wgo S. Stephani in Celio monte presbyter card. ss.

† Ego Leo diaconus card. sancte Marie Cosmydyn ss.

† Ego Rubertus diaconus sancti Theodori ss.

† Ego Arduvinus sanctorum Cosme & Damiani diaconus card. ss.

Datum Anagnie per manum Alberti sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis & cancellarii VI. kl. januarii indictione XV. incarnationis dominice anno M. LXII. pontificatus vero domini Alexandri pape II. anno secundo.

CI.

Sesmundus judex donat terras monasterio & hospitali S. Frigdiani Pisarum.

Anno 1062. XII. kl. novembris.

Ex archivo S. Michaelis Pisarum.

Ad lib. XVII. n. 31.

EXemplar. In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille sexagesimo secundo duodecimo kalendas novembris indictione quintadecima. Manifestus sum ego Sesmundo judex sacri palatii filio b. m. Righitii, quia per anc cartula pro anime mee remedio hoffero tibi omnipotenti Deo in ospitium pauperum & peregrinorum, quis es fundato & edificato prope ecclesia sancti Martini, & sancti Fridiani, ubi nunc donnus Leone presbiter preesse videtur, idest omnia ex omnibus casis, & terris, & vineis, & rebus meis illis, quas abeo infra comitato Pisano tam infra civitate Pisa, quam & de foris nuncupate Nuovole, & Carraria, que dicitur Iginduli, & in loco Chintica & Carraria majore, Montione, Visiniano, sive per aliis locis & vocabulis infra ipso comitatu; rebus vero ipsis, idest tam casis & rebus domnicatis, quam & casis & rebus massaritiis cum fundamentis & omnem edificiis, vel universis fabricis suarum, seu cunctis ortaliis, vineis & olivetis, castamnietis, vvercetis, silvis, virgariis, pratis, pascuis, cultis rebus vel incultis, omnia & omnibus rebus, tam domnicatis, quam & massaritiis tibi omnipotenti Deo, & jam dictum hospitium offerre prevideor & scepto, & antepono exinde casa & curte mea domnicata, & cum ecclesia illa, cui vocabulum est beati Christophani, in qua mea reservo potestatem, nam istis rebus, sicut superius legitur, tibi omnipotenti Deo, & jam dicto hospitium offerre prevideor tali ordine, ut sint in proprietario predicti hospitii, & potestatem abeant omni tempore jam dicto rectorem te, ejusque successore abendi, tenendi, & causas exinde agendi, querimoniam faciendi, responsum reddendi modis omnibus vobis eas defensandi cum cartula ista offertionis, & cum alie monimines exinde pertinentes. Et si ego, qui supra, Sismundo judex, vel meus eredes aliquando tempore in aliquo exinde intentionaverimus, aut retolli vel suptrahi quesiverimus, nos vel ille homo, cui vos eas dedissetis, vel dederitis per colibet ingenio, & si nos exinde auctores dare volueritis, & eas a parte predicti ospitii ab omnis omines defendere non potuerimus, spondimus nos vobis Leoni presbiter a parte predicti ospitii, vel ejus rectores, qui ibidem pro tempore fuerint omnia in duplum in ferquidem loco sub estimatione quales tunc fuerint. Sic tamen si nos exinde auctores vel defensores querere, nec dare volueritis, licentiam abeatis asque nostra persona, si vestra fuerit voluntas exinde causas agendi, responsum reddendi, modis omnibus vobis eas defensandi cum cartula ista offertio-

fertionis, vel qualiter justa lege melius potueritis, quia in tali ordinem anc cartula offertionis Vvido notarius domini regis scribere rogavi. Actum Pisa.

Ego Sesmundus judex sacri palatii in ac cartula offertionis a me facta subscripsi.

Ego Bonitio judex sacri palatii ss.

Ego Petrus rogatus testis ss.

.... Besanii filio b. m. Lughiti testes ss.

Ego Vvido notarius domini regis post tradita complevi & dedi.

Ego Erimundus notarius domini imperatoris ex autentico illo exemplavi.

Ego Pandulfus notarius domini imperatoris authentico illo vidi, & legi, unde anc exemplar facta est & ss.

Ego Furcus notarius Lateranensis palatii autentico illo vidi & legi, unde anc exemplar facta est & ss.

Ego Glandulfus autentico illo vidi & legi; unde anc exemplar facta & ic subscripsi.

CII.

Charta emphyteusis unius fili salinarii concessæ Petro de Sabbatino a Stephano cardinale & abbate S. Gregorii de Urbe.

Anno 1063. mense majo.

Ex codice Gregoriano pag. 114.

Ad lib. XVII. n. 63.

A Vobis petimus domno Stephano gratia Dei sancte Romane ecclesie cardinali presbytero atque abbati monasterii sanctorum Christi fidelium Andree videlicet apostoli, & Gregorii apostolici, quod situm est in Clivo Scauri, & per consensum monachorum jamdicti monasterii nobis Petro de Sabatino, seu Surconi filio Crescentii de Berizane presbytero heredibusque nostris committatis, atque libellario nomine locetis: id est tres integras partes unius fili salinarii cum gurgitibus fossatis & anditis & locis ad tuguriola facienda cum introitibus & exitibus suis, vel cum omnibus eis pertinentibus, positis in campo salinario, loco, qui dicitur Fossato majore, inter affines ab uno latere filum heredum Gizonis de Azo, & filum heredum Georgii Caldararii, & ab alio latere filum Siginulfi, & a tertio latere fossatum, & a quarto latere via publica juris supradicti monasterii ad tenendum, laborandum &c. a die vicesima mensis maji presentis prime indictionis & usque in annos decem & novem complendi, & tantummodo renovandum, possidendum eo quod ad presens duos denariorum solidos pro hoc libello vobis tribuimus, & pro renovatura ejus sex optimorum Papiensium denariorum solidos tempore renovationis vobis tribuimus, ita sane ut in assumptione sancte Marie prestet exinde pars nostra vestre parti singulis quibusque annis sine aliqua mora vel dilatione pensionis nomine modia salis triginta ad modium justum, & modium unum & quartalem unum floris, quod si in supradicto termino prefatam pensionem non persolverimus, sit talis tenor, si post octo dies, scilicet in octava suprascripte festivitatis sancte Marie dare distulerimus, duplam pensionem persolvamus, & si ultra protenditur, & in suprascripta octava duplam pensionem solvere contempserimus, hec libellaria cartula inanis existat & vacua: sed hoc unum nobis prevideatur incommodum, ut si omnes illius loci fili non colantur, non simus coacti suprascriptam solvere pensionem: sed si res evenerit, tres proximiores fili ex utroque latere, videlicet tres sursum, & totidem deorsum laborentur, ut supra dictum est, ullam sine occasione jamdictam pensionem persolvamus, & non sit nobis licentia tunc libellum vel annos ejus alicui mortalium vendendi primitus, quam vobis vestrisque successoribus justo pretio minus solidos septem & decem, quod si nolueritis, tunc ipsos septem solidos & decem vobis tribuamus, & licentia sit nobis vendendi cuicumque voluerimus, tali tamen persone, que cuncta supra exarata vobis persolvat, & amplius ut non liceat nobis tam in vita quam in morte alicui ecclesie vel sacro titulo dimittere vel donare, nisi supradicto monasterio. Si qua vero pars &c. Anno secundo pontificatus domini Alexandri secundi pape scriptum per manum Raynerii scriniarii sancte Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta prima.

Signa † † manibus suprascripti Petri, & Surconis ad confirmanda cuncta, que hec ab eis rogata videntur referre.

Centius calzolarius, qui vocatur de Stephano Brancasi testis.

Nicolaus filius Crescentii de Maroza, testis.

Benedictus, qui vocatur de diacona testis.

Johannes Neglectus, qui vocatur de Leto, testis.

Benedictus filius Romani de Theodoro testis.

Ego Raynerius scriniarius sancte Romane ecclesie complevi & absolvi.

CIII.

CIII.

Petrus episcopus Faventinus donat S. Petro Damiano ejusque eremo S. Barnabæ de Gamugno medietatem plebis S. Valentini, & alia bona.

Anno 1063. VI. maji.

Ex veteri apographo penes canonicos S. Laurentii de Florentia, n. 5.

Add. lib. XVII. n. 59. HOc est exemplum cujusdam instrumenti infrascripti tenoris. In nomine Domini anno secundo pontificatus Domini nostri Alexandri secundi pape indictione prima mense majo die sexta. Ea que inter pia & venerabilia loca verbum conveniunt, illa potius perpetuitate mandantur, qua cartis intervenientibus scripture testimoniis roboratur, quatenus oblivione repulsa futuris temporibus nulla rerum incertitudo aut qualibet giurgium ambiguitas generetur. Nam & divus imperator Justinianus augustus in centesimo octogesimo octavo capitulo prime partis Novelle, ita promulgavit, & talem legem dedit, ut liceat ecclesiis & aliis venerabilibus locis perpetuo inter se contractos enfiteoseos facere decreto scilicet ante celebrato, dum tamen ita fiat enfiteosis, ut ad privatam possessionem omnino non excludatur. Ad hujus legis licentiam excipiatur magno Constantinopolitanam ecclesiam quemadmodum in anterioribus constitutionibus. Placuit idcirco dompnus Petrus divina gratia sancte Faventine ecclesie episcopus per consensum & voluntatem omnium presbyterorum ejusdem episcopii concedere atque largiri dompno Petro Damiano Ostiensis ecclesie episcopo ejusque monacis heremitariis, qui in heremo Gamonio, que est vocabulum sancti Barnabe apostoli in perpetuum. Idest medietatem de plebe sancti Valentini nominatim cum medietate de terra & decimatione sua & terra & quidquit ab eodem episcopio habere videtur in Riutilio infra comitatum Faventie, excepta quarta parte decimationis, & medietate de terra, quam detinet archipresbyter ipsius episcopii, & excepto Trebana & Madrignano & Vidiglano, sicuti traitur per stratam usque Cantulo, cetera vero medietate de omni decimatione & terra, sicuti ad ipsam medietatem de jam dicta plebe pertinere videtur. Ea scilicet ratione si quocumque tempore peccatis imminentibus ipsum heremum destructum fuerit, tunc supradicta medietas de jamdicta plebe sancti Valentini cum medietate de terra & medietate decimatione sua, sicuti ad ipsam medietatem pertinere videtur cum hac scriptura in monasterium sancti Johannis deveniat juris auctoritate episcopi, itaut suo studio suoque labore memorato Petro Damiano episcopo plebem ipsam medietatem nominatim cum medietate de terra & medietate decimatione sua in omnibus tenere & possidere debeant ipse & sui monaci heremitarii in perpetuum. Qua pro causa ..... missum est dare atque inferre debeant supradicto Petro Damiano episcopo suisque monacis rationibus infrascripto venerabili episcopo singulis quibusque annis sine aliqua mora vel dilactione pensionis nomine in festivitate sancti Petri denariorum Veneticorum solidos numero tres minutorum. Quod si quisquam eorum contra hanc placiti conventionisque cartule seriem in toto parte plebis ejus quolibet modo venire temptaverit, tunc daturi ..... ejus promittunt ..... partis idem servare ante omne litis initium pene nomine auri boni libras sex, & post solutam penam hanc infiteosis cartule seriem in suam maneat firmitatem. Has autem duas uniforme uno tenore conscriptas cartas mihi Stephano scriptori sancte Romane ecclesie scribendum pariter dictaverunt, easque propriis manibus roborantes testium .... obtulerunt subscribendum, & sibi invicem tradiderunt sub stipulatione & sponsione solempniter interponentis &c. sub die anno pontificatus in mense & indictione supradicta prima. Ego Petrus Faventine ecclesie episcopus ss. & Riculfus archiplebanus interfuit testis ss. † ego Gregorius presbyter canonice sancti Martini Egubiensis ecclesie testis rogatus manu mea subscripsi. † Drudus filius quondam Guizo testis rogatus. Signum † Nero filius Corbus civitate Eugubina testis rogatus. Signum † Rusticellus testis.

Ego Stephanus scriptor sancte Romane ecclesie post testium complevi & absolvi.

CIV.

Ugo & Imilda comites vendunt bis mille tornaturias terræ Henrico archiepiscopo Ravennati.

Anno 1063. xx. maji.

Ex apographo tabularii archiep. Ravennæ, Capſ. G. n. 2780.

Ad lib. XVII. n. 61.

IN nomine domini anni ab incarnatione ejuſdem domini noſtri Jeſu Chriſti ſunt anni milleſimo ſexageſimo tertio defunctus Enricus imperator filius Conradi imperatoris & regnante Enricus filio ejus anno octavo die viceſimo menſis madii indictione . . . . exempla de priori ſcriptura brevi de fide quam fecit Ugo comes & Imilda jugales Enrico archiepiſcopo ſancte Ravennatis eccleſie. In nomine domini noſtri Jeſu Chriſti ſalvatoris de anno ab incarnatione ejus milleſimo quinquageſimo ſexto ſitque imperante domno Enrico in Italia vero anno decimo die trieſimo primo menſis madii indictione nona in clauſtra monaſterii ſancti Rofilli. Multa quidem in noſtris actibus evenire cognoſcimus, que modo expedita, & luce clariora ſunt, ac de impedita & tenebris obſcuriora videntur, unde congruentis & legitimis moris fiunt fere omnia literis aſignare, aut impoſterum non interveniad ipſis quod .... teſtibus commandare. Igitur cum Chriſti auxilium dum adeſſe ...... viri maxime bone opinionis & laudabilis fame, corum nomina ſunt. Ideſt in primis Odolricus epiſcopus ſancte Corneliensis eccleſie, Heenricus epiſcopus Saſſenenſis eccleſie, Fulcus abbas monaſterii ſancti Illari, Ubertus comes, Bonus omo judex, Paulus de Traverſaria, Amizo, Frogerius, Mainardus Seniorelli quondam..... actus, Vitalis qui vocatur Bonus filius, Amelricus quondam Johannis ducis natus, Ugo de Saſſo, Ugo de Ezo, Alegrito Johannis .... tus qui vocatur Bulgarus, Petrus & Maſcharus germani, Gandulfus filius Mutio Suarto, qui vocatur Seniorellus, Andreas Ravus, Johannes Conſtantino, Tedaldus Bobienſis & alii plures. In noſtrorum omnium & me preſentem Johannes in dei nomine tabellio, qui vocatur Ceſſine, fecerunt cartulam vendicionis Ugo comes & Imilda inclita comitiſſa jugalibus ad domino Heenrico venerabili archiepiſcopo ſancte Ravennatis eccleſie, ſuiſque ſubceſſoribus in perpetuum de bis mille turnaturias terre integras poſite in curte, que dicitur Maliani, cum omnibus que infra ſe & ſuper ſe abentur & integriter .....ſitas territorio Pupilienſis plebe ſancte ..... & plebe ſancti Petri, qui vocatur in Meldula, eaſdem atque .... ſi ab ac ora in antea ſi comes Ugo .... ſui vel .... fecerit caſtellum vel turris in monte Majore, vel faciendi conſenſus prebuerint, tunc ipſa carta, quas feceri..... archiepiſcopo de bis mille tornaturiis terre in curte Maliano, ſit firma & ſtabilis in perpetuum &......... ſuis ſubceſſoribus licentia abead ipſas terras, que in mea cartula legitur introire & preocupare, tenere, poſſidere in perpetuum. Hoc factum eſt ſub die menſe & indictione ſuprаſcripta nona.

† Ugo comes ss.

† Amelricus dux uic paginam exempli, ut vidi & leiere audivi, pro mea recordatione ss.

Ego Johannes de Vito in hac exempla ut vidi & legere audivi, & pro mea recordatione ss.

† Ego Ungarus filius Urſoni Vulpio in ac exempla, ut vidi & legere audivi, pro mea recordatione ss.

Ego Conradus Ravennas in Dei nomine tabellio ujus brevi exempli ſcriptor poſt roborationem teſtium complevi & abſolvi.

Noticia teſtium ideſt

Amelricus dux filius quondam Johannis ducis.

Johannes vi... qui vocatur de Vito.

Ungarus filius quondam Urſonis Vulpio.

CV.

Johannes prior monaſterii S. Reparatæ de Salto concedit terras ad emphyteuſim Ugoni priori S. Barnabæ de Gamugno.

Anno 1063. XIV. octobris.

Ex vetuſto apographo archivi canonicorum S. Laurentii de Florentia, n. 6.

Ad lib. XVII. n. 60.

IN nomine Domini noſtri Jehſu Chriſti. Anni ab incarnationis ejuſdem ſexaginta & duo poſt mille, ſitque domnus Alexander papa in ſede beati Petri apoſtoli anno tercio die quartodecimo menſis octubris indictione ſecunda ad oratorio ſancti Barnabe apoſtoli, & ſancte Marie matris Domini, quod eſt edificato & fundato in loco, qui nominatur Gam-

Gammogno territorio .... omnibus manifestum est atque congrua ratione dispositum libenter debere eorum desideriis annuere, pro quorum venerabiliorum locis utilitatibus meliorandique causa proficiunt; & ideo ego quidem Johannes gratia Dei presbyter & monachus atque prior monasterii sancte Reparate, quod est edificata & fundato in massa, que nominatur Salto, una per consensum monachorum ejusdem monasterii te presens in Christi nomine Ugo ven. presbyter & monachus atque prior predicti oratorii sancti Barnabe & sancte Marie matris Domini in te & in tuisque successoribus in jamdicto sancto oratorio famulantibus in perpetuum. Enfiteuticario jure concedo & largio vobis rem juris prefati monasterii nostri Reparate est una petia terra vineata cnm vacuamenta & capitalia sua & cum introito & exito suo, & cum omnibus infra ipsas & super ipsas abere videtur, & cum omnibus sibi pertinentibus, que est juris propriis predicti monasterii Reparate, positas predicta petia vinea in massa, que vocatur Marciana prope subtus strata publica intra fines ejus de predicta re, a primo latere juris predicti monasterii nostri Reparate, a secundo & tertio latere terra illa, que detinet Morandus de Amizo presbyter, a quarto latere fluvio Alimone percurrentem sita est territorio Faventino plebe sancti Johannis, que vocatur Interioni cum suarum justis & certis in terra finibus, qui nunc sunt, vel si quis alie adfine sunt vel ab originem fuerunt. Hec omnia res, que superius leguntur, concedo tibi ad habendum, tenendum, lavorandum, fruendum, defensandum & in omnibus meliorandum, & salva justicia & redditu omnique annualiter persolvendum per omnia, & ex omnibus ad monasterium sancte Reparate in tempore apto de vino puro sauma asinaria una tantum ibi apud locum tantum, quam & tuisque subcessoribus in perpetuum dare & persolvere, & si forsitans, quod absit, & hoc Deus avertat, si hoc oratorio sancti Barnabe & sancte Marie deruto & destructo per qualecumque casus fuerit, tunc munimine erit expletum, & ipsa dicta terra & vinea cultas lavoratas, restauratas, & in omnibus melioratas, revertat ad dicto monasterio sancte Reparate, cujus est juris & proprietas. Itaque & ego dicto Johannes monachus & prior ordinatore & conceditore amoneo & interdico tibi predicte Ugone monache & prior, & omnibus successoribus tuis, ut non habeatis licentiam ipsa jam dicta vinea nec vendere & donare, neque commutuare, neque per nullius modis alienare, neque ordinare pro ullo pacto vel occasione sine jussione & certa licentia data a prelatis monasterii sancte Reparate, & si hoc feceritis in cuicumque fiat inanis & vacuum. Quod si, quod absit & avertas divina potencia, & omnia que supra leguntur non observavero, vel adimplevero, sicut supra legitur, eciam si ab omni personas non auctoriavero vel defensavero, tunc daturo & compopondsituro me esse promitto ego supradictus Iohannes presbyter & monachus & prior una cum meisque subcessoribus tibi predicte Ugone tuisque subcessoribus de predicto oratorio sancti Barnabe apostoli & sancte matris Domini, ante omnis litis inicium aut interpellatione pene nomine auri puri uncias duas, & post soluta pena manead hec enfiteusin in sua firmitatem, scripta per manum Demetrius tabellio hujus territorio Faventino scrivenda rogavit sub die & mense & indictione supradicta secunda.

† Ego Johannes presbyter & monachus & prior in hac enfiteusin a me facta manu mea ss.

† Ego .... monachus consensi & ss.

† Ego Lambertus monachus consensi & ss.

† Ego Gerardus presbyter & mon. consensi & ss.

† Ego Ugo presb. consensi & ss.

† Ego Martinus diaconus & mon. interfui & ss.

† Ego Azzo presb. & monachus atque abbas monasterii sancte Reparate hec omnia consensi & ss.

Noticia	monachorum.
Ugo presb.	& monachus.
Lambertus clericus	& monachus.
Gerardus presb.	& monachus.
Martinus diaconus	& monachus.

CVI.

Constantinus episcopus Arretinus confirmat & adauget donationes suorum antecessorum episcoporum factas eremo Camaldulensi.

Anno 1064.

Ex archivo Fontis-boni. §. Privilegia n. 10. A. I. 14.

Ad lib. XVIII. n. 10.

† IN nomine sancte & individue Trinitatis. Constantinus Dei gratia n beati

beati Donati martyris & episcopi vicarius. Si justis servorum Dei petitionibus annuimus, divinam clementiam nobis conciliari credimus. Quapropter notum omnibus Dei nostrisque fidelibus presentibus videlicet ac futuris esse volumus, quod domnus Rusticus venerabilis pater anachoretarum nostre heremi, que dicitur Campus Malduli, una cum suis confratris eremitis nostri adierit presulatus clementiam, preferens scripta privilegiorum digne memorie nostrorum antecessorum Theobaldi videlicet & Immonis, obnixe poscens, ut donationes seu confirmationes, que in illis continebantur, per nostri privilegii paginam sibi sancita etiam a nobis promererentur. Quorum justis petitionibus annuentes confirmamus & in perpetuum corroboramus predicto domno Rustico heremi nostre venerabili patri atque rectori, suisque confratribus eorum in perpetuum successoribus omnia, que pie recordationis quondam precessor noster Theobaldus episcopus, qui ecclesiam in loco, qui Campus Malduli dicitur, in honore Domini nostri Jesu Christi edificavit, fratresque inibi Deo heremiticam vitam ducentes deputavit, eis concessit, & per privilegiorum suorum paginas sub interminatione vinculi perpetui anathematis confirmavit, necnon & que Immo venerabilis ejus successor caritative donare, eisque per privilegii sanctionem curavit confirmare. Hoc est integram ecclesiam sancti Miniatis in villa, que dicitur Alina, cum omni sua pertinentia, & cum medietate de tribus mansis, sicut recti fuerunt per Viventium & Bonizonem presbiteros cum suis consortibus, & unum mansum in monte, sicut quondam fuit rectus per Ursum Lanfredi, terram ejus detentam a quodam Moriculo clerico, & integras decimationes de villa, que dicitur Alina & Pergentine, & Corsignano & Avana & Largnano, & unum mansum in villa Pergentina rectum per Ursum & suos consortes & unum mansum detentum ab incolis Gerardo & Theuzone. Et quartam partem unius mansi Juventinuli rectam per Joculum. Necnon jubemus atque ex nostra episcopali auctoritate per hujus paginam privilegii irrefragabiliter confirmamus, ut omnis massarius habitans infra plebem sancte Marie in Partina, & sancte Marie in Bujano, & sancti Hippolyti in Biblena annualiter offerat predicte ecclesie sancti Salvatoris in campo Malduli unum sextarium frumenti ex sua decimatione ad usum & sumptum confratrum heremitarum ibidem commanentium, sicut a prefato nostro antecessore Immone decretum, & eis a nobis est confirmatum. Sed & nos pro remedio anime nostre nosttorumque successorum statuimus, ut quicumque in prefata heremo suam decimationem, que nec a nobis, nec a nostris antecessoribus alicubi ordinata vel donata esse dinoscitur, conferre voluerit, ex nostra episcopali auctoritate liberam habeat conferendi facultatem, ea tamen conditione cum universo clero nostro statuentes & inviolabiliter approbantes precipimus, ut ipsis fratribus heremitis, qui ibidem Deo pro tempore deservierint, nullo umquam tempore liceat sese, suosque actus ad aliam preter heremiticam, solitariam atque contemplativam vitam transferre. Nec unquam eis liceat ipsum sanctum locum in cenobitarum retorquere monasterium. Quia igitur quod bone memorie prefati nostri antecessores divina inspiratione prescriptis fratribus contulerunt, nosque pro remedio anime nostre nostrorumque successorum eis confirmavimus atque donavimus, ratum, firmum, atque inconcussum illis omni tempore manere volumus ex parte Dei patris omnipotentis, & Domini nostri Jesu Christi, sanctique Spiritus interdicimus & modis omnibus inhibemus, ut nullus noster successor sancte Aretine ecclesie episcopus, nullaque episcopii nostri magna parvave persona predictum domnum Rusticum prescripte heremi nostre rectorem, ejusque posteros successores, fratresque heremitas Deo in prenominato loco militantes de his, que ab antecessoribus nostris, sive ab aliis hominibus Deum timentibus concessa & a nobis eis confirmata sunt, sive que in futurum juste acquisierint, devestire, tollere, deminorare, molestare vel inquietare presumat. Quod si quis ausus fecerit in die tremendi judicii sese tamquam reum & sacrilegum pertimescat condempnandum. Ut igitur hec nostra confirmatio a nobis nostrisque successoribus atque ab omnibus hominibus observetur, sigilli nostri effigiem sancti Donati referentis impressione roborantes signari jussimus & manu propria scribendo confirmavimus.

† Ego Constantinus episcopus & comes ss.

Ego Jocundus archidiaconus & canonicorum rector interfui & ss.

Ego Teuzo Vicedominus ss.

Ego Vvido cantor ss.

Ego Andres presbiter & canonicus ss.

Ego Wibertus presbiter & canonicus ss.

Ego Arnulfus diaconus & canonicus

ad

ad episcopi jussum scripsi & alacriter subscripsi.

Ego Raynerius clericus & canonicus ss.

Datum anno ab incarnatione Domini M. LXIIII. indictione II. feliciter.

Loco ✠ sigilli in cera alba.

CVII.

Eldibrandus vendit suum jus in ecclesiam & monasterium S. Salvatoris de Cantiniano in diœcesi Lucensi ceteris consortibus.

Anno 1064. v. kl. aprilis.

Ex autographo ejusdem archivi, §. Venditio, n. 75.

Ibidem.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi Dei eterni anno ab incarnationis ejus millesimo sexagesimo quarto quinto kalendas aprilis indictione secunda. Manifestus sum ego Eldibrandus filius b. m. Lanberti, quia per anc cartula vendo & trado vobis Ubaldo filio b. m. Sigifredi & Hughiccioni & Roberto germani filii b. m. Vvillie, atque Ghisla filia b. m. Ardiccioni seo Lanberto & Enrigo & Sigifridi germani mei & filii suprascripti b. m. Lanberti, idest meam portionem ex integra de ecclesia & monasterii domni & sancti Salvatoris sito Cantinano una cum omnibus casis & cassinis seo casali, casalinis, aquis, terris & rebus, quod ad suprascripta ecclesie & monasterio sunt pertinentibus vel aspicientibus de casis, cassinis, seo casalinis, aquis, terris & rebus vero ipsis, tam donnicatis, quam & massaritiis, cum fundamentis & omne edificiis vel universis fabricis suorum, seo de curtis, ortis, terris, vineis, olivetis, castanietis, quercietis, silvis, virgareis, pratis, pascuis, cultis rebus vel incultis, de omnia & in omnibus rebus, de quantas ubique in qualibet locis vel vocabulis a suprascripta ecclesia & monasterio sunt pertinentibus vel aspicientibus, competi exinde mihi de tertia portione de tres portionis ex integra quartam portionem ex integra, ipsa vero ex integra mea portione vel quantas mihi exinde per quamcumque ordinem est pertinentes aut in antea pertinere debentur & cum inferioribus & superioribus suarum seo cum accessionibus & ingressoras earum vobis eas vendo & trado, pro quibus exinde recepit meritum da Vvido judex sacri palatii filio b. m. pro persona vestra, qui supra Ubaldo & Hughiccioni seo Roberto atque Gisla & Lamberto & Enrigo seo Sigifridi anulo uno de auro in prefinito. Unde repromicto ego, qui supra, Eldibrando *&c.* Actum in supradicto loco & finibus Cantiniano.

Singno de manu suprascripti Eldibrandi, qui hanc cartulam fieri rogavi.

Vvido judex sacri palatii ss.

Adalbertus judex domni imperatoris ss.

Raineri notarius domni imper. rogatus testis ss.

Leo notarius domni imperatoris post traditam complevi & dedi. Ista cartula est facta eo videlicet tenore, quod ab ac die in antea ego, qui supra, Eldibrando, dum vita mea fuerit, tollere neque contendere non abeo pro me, neque pro mea summissa persona per aliquod ingenium, neque ulla femina, que affectu mulieris abuero, de illis casis & terris seo rebus, neque de illa movilia, neque familia, que sunt pertinentes, de ecclesia & de jam dicto monasterio sancti Salvatoris de supradicto loco Cantiniano, aut in antea pertinere debebunt per quacumque ordine, neque recipere non abemus pro nullis modis ingenium de predictis rebus de jamdicta ecclesia & monasterio da nullus abbas, qui ibidem pro tempore fuerit ordinatus, neque da nullus monachus neque laicus de predicta ecclesia, neque da aliqua persona *&c.*

CVIII.

Albizo abbas S. Januarii Campi-leonis cedit decimam villæ de Largnano eremo Camaldulensi.

Anno 1065. mense aprili.

Ex apographo prædicti tabularii, §. Donatio n. 127.

Ad lib. XVIII. n. 23.

IN Dei nomine amen. Hoc exemplum quorumdam instrumentorum, videlicet cujusdam infrascripti libelli, & cujusdam instrumenti, laudi *&c.*

In Dei nomine. anno Dominice incarnationis millesimo sesagesimo quinto rengniante Henrico filio Enrici imperatoris mense aprilis indictione secunda. Et ideo ego domnus Albizo abbas de monasterio sancti Januarii, quod vocatur Campi-leonis, cum consensu & voluntate fratrum & fidelium nostrorum, pro remedio anime nostre & omnium antecessorum, idest domni Jacinti, & Petri, & Viventii, & omnium succes-

sorum abbatum sive cunctorum nostri monasterii fratrum, per hanc libelli paginam investimus & concedimus ecclesie sancti Salvatoris, que est constructa in heremo Camaldoli ad victum vel vestimentum fratrum heremitarum ibidem Deo servientium, qui ibi modo sunt, & semper sine fine futuri sunt, per manum domni Rustici prioris suprascripti heremi, omnem illam decimationem de illis nostris donicatis, que in villa de Largnano a tribus preteritis annis usque in odiernum diem ad jus nostri donicati facta vel detenta sunt, aut ab odierna die factura sunt in supradicta villa, vel ubicumque in casalibus ejusdem supradicte ville de Largnano inveniri possunt, vel sunt de mansis ipsius ville vel cultantur per manus ipsorum massariorum, qui vobis suas debent persolvi decimas, vel undecumque redituum nostre persolvunt ecclesie. Insuper pro anime nostre remedio cedimus donamus illam decimationem, que de manso, qui nominatur Piscl o, ad nostrum jus donicati recolligitur. De his igitur nostris domnicatis supradictis omnibus, que a tribus, sicut supradiximus, annis facta sunt, vel ab odierna die factura sunt in jamdicta villa de supradicto manso, aut ubicumque ex his inveniri possunt, damus & confirmamus omnem decimationem per hanc libelli paginam ecclesie sancti Salvatoris, que est in supradicto heremo Camaldoli, tibi suprascripto domno Rustico priori suisque posteris successoribus heremitis presentibus & futuris ibidem Deo servientibus. Simili modo remittimus & contradicimus illam Siclam de musto vel omnia que contra jus divine legis ex vestris decimis ab ipsis suprascriptis massariis vobis decimas debentibus requirebant, ut neque hic Fuschulus castaldio, neque aliquis suorum antecessorum castaldionum hanc malam consuetudinem requirat vel teneat, ideo dono supradicte Rustice prior tibi vel tuis posteris successoribus prioribus atque omnibus fratribus ibi Deo servientibus heremitis hec omnia suprascripta .... Albizo abbas ac nostri confratres dare decrevimus per hujus libelli paginam ex nostra nostrorumque successorum manum aliquam consolatricem habeatis & semper anime nostre ac animabus nostrorum antecessorum nostrorum, & sine successione nostri cenobii fratrum in vestris sanctis orationibus memoriam jugiter habeatis, & omni anno in festivitate sancti Januarii ... in mense settenbrio pensionem sine nostro supposito ministeriali in monasterio Campoleonis xxx. formel. casei persolvatis. Si enim vos hanc pensionem annualiter adimpleveritis, etsi, quod absit, aut ego abbas Albizo, aut mei posteri successores, aut aliqua nobis supposita vel immissa persona, per aliquod ingenium rettollere................ hec omnia, que supra leguntur, tunc componere promittimus, & componimus tibi supradicto Rustico priori ejusque successoribus ad partem vestre ecclesie argenti optimi libras quinque & libellus in sua firmitate permaneat, valeat atque existat *&c.* Actum in comitatu Aretino infra plebem sancte Marie sita Bujano in castello de Frunzola. Feliciter.

Sign........ Griffonis filii Alberti & Alberti filii Gerardi, & Ugonis filii Corbezi & Brige........ Zimarie rogati testes, & eorum manuum singna scribere rogaverunt.

Ego Albizo abbas in hoc libello a me facto ss.

Ego fr. Ugo prepositus mon. sancti Januarii ss.

Ego fr. Sasso sac. & monh. laudavi & ss.

Ego fr. Rodulfus laudavit & ss.

Ego fr. Manfredus levita ss.

Ego fr. Ugo ss.

Ego fr. Johannes indignus monach. ss.

Ego fr. Graffo indignus monach. ss.

Ego fr. Rodulfus manu mea singnavi & laudavi.

Fr. Boso monach. laudavit, & manu mea singnavit.

Fr. Gerardus monachus prepositus & custos curtis & castelli de Fronzula interfuit, laudavit, & ex sua parte confirmavit & propria manu singnavit.

.... qui Ugo dicor notarius sacri palatii scripsi & ex mea parte complevi.

CIX.

Sigizo offert monasterio Pratalienſi jus, quod ad se pertinebat, in curtem & castrum de Jello.

Anno 1065. mense junio.

Ex originali ejusdem chartularii §. Donatio n. 128.

Ibidem.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo sexagesimo quinto mense junius indictione tertia. Manifestus sum Siizo filius quondam Signorelli, qualiter per anc cartula judicati & offensionis, & pro Dei timore & remedio

medio anime meorumque parentum judico, trado, offero atque concedo tibi & monasterio sancte Marie de loco Pratalia a jus proprietatis ejusdem monasterii & Jeronimi ejus presenti abati a usum & sumptum fratrum monachorum ibidem, idest totam & integram unam portionem, oc est quantum mihi pertinet per reditatem & successione seo de aliquo quolibet... proprietario jure de curte & castello de loco qui dicitur Jello, cum fossis.... & munitionibus, atque penditiis, & cum donnicatis & mansis atque vineis, silvis, atque agrestibus, ubicumque de predicta mea portione de suprascripta curte & res esse invenitur insimul cum mea portionem de terris & casis, vineis, atque silvis, de loco qui dicitur Frasinita, sicut mihi .... successu ex parte Signorelli patris mei & ipse mortuus mihi ea dereliquit, vel ubicumque de mea portione de suprascripta reserv. viventis. Ideo autem tam denominatam meam partem de suprascripta curte de loco Jello una cum suprascripta mea portione de terris illis & rebus de loco Frassinita cum affecionibus suis & penditiis, & omnibus edificiis earum, una cum superioribus & inferioribus suis casis, curtis, terris, vineis, clausuris, pascuis, pumiferis, aquis, rivis, silvis, donicatis, mansis, cultas & in cultas, divisum & indivisum &c. Actum prata Pratali Aritio feliciter.

Singno mano Siizoni in anc cartula manu sua scribere rogavi.

Singno manu Guidonis filius Dominici & Siizonis filius quondam Dominici & Actonis filius quondam Johannis Kefensuli filius quondam Fuskeri rogatus sum testes.

Ego Teuzom notario scrisi & complevi.

CX.

Bulla Alexandri papæ II. ad clernm Velitrensem.

Anno 1065. III. idus junii.

Ex autographo tabularii ecclesiæ Velitrensis apud Alexandrum Borgiam archiep. Firmanum in historia Velitrensi pag. 183.

Ad lib. XVII. n. 28. Alexander episcopus servus servorum Dei dilectissimis in Christo Jesu filiis Tito archipresbitero venerabilis ecclesiæ sancti Christi martiris Clementis, que ponitur episcopatu Veletren. civitatis, ceu Gregorius archipresbiter ecclesie sancti Angeli in Castello, necnon Dominicus archipresbiter sancti Johannis de Plagis, simulque archipresbiter Petrus sancti Martini, atque Johannes sancti Antonini. Adrianus presbiter sancti Laurentii & Johannes presbiter sancti Salvatoris, atque Stephanus archipresbiter sancti Pauli, ceterisque aliis presbiteris in eadem civitate Velletri commanentibus intus & foris successoribusque vestris in perpetuum. Si extraneis laicisque personis apostolica suffragia irrogamus, quanto elegantius agitur, si sancte nostre ecclesie militantibus fideliaque servitia exhibentibus ecclesiasticis rebus collocemus. Quapropter fidelissimis servitiis vestris expressis a Petrus Damiani nostri coepiscopi ex nostro dono confirmavimus vobis, ut nullus ex vobis quodlibet servitium atque angariam facietis, foderum autem non detis, hostem vero minime faciatis, neque bandum, neque ullam dationem, aut quoquo modo promissionem detis solum episcopalis redituum, scilicet tertiam partem testamentorum & tertiam partem oblationis trium Missarum & quarta pars decimarum, a presenti tertia indictione successoribus vestris in perpetuum. Statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestationibus & anathematis interdictis, ut nullum quam nostrum nostrorum successorum pontificum, vel alie cujuslibet magna parvaque persona cujuscumque ordine sit vel dignitate contra hunc nostrum apostolicum privilegium aliquam inferre calumniam, si quis quod non optamus, temerario ausu venire tentaverit, & ita perficere non dimiserit, sciat se, nisi resipuerit, anathematis vinculo esse innodatum, & insuper compositurus existat auri optimi solidos quinquaginta, medietatem sacri palatii & medietatem vobis ceterisque successoribus. Qui vero pio intuitu custos & observator hujus nostri privilegii extiterit, benedictionis gratiam a justo judice Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manus Stephani notarii regionarii & scriniarii sancte Romane ecclesie in mense junio & indictione suprascripta tertia.

Johannes Portuensis episcopus subscripsi.

Ego Ildebrandus archidiaconus subscripsi.

Bene Valete.

Datum Rome III. idus junii per manus Petri sancte Romane ecclesie bibliothe-

thecarii anno IIII. pontificatus domini Alexandri pape secundi indictione tertia.

CXI.

Constantinus episcopus Arretinus adprobat donationes prædecessorum episcoporum monasterio Pratalia factas.

Anno 1065. mense julio.

Ex archetypo prænotati chartarii, §. Privilegia, A. I. 29.

Ibidem.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo sexagesimo quinto rengnante Heinrico rege mense julio indictione III. Constat me Constantinus Aretinensis ecclesie & sedis episcopus indignus, motus precibus Hieronymi venerabilis abbatis sueque congregationis ecclesie & monasterii beatissime & sancte Dei genitricis & virginis Marie matris Domini nostri Jesu Christi perpetue virginis, omniumque Sanctorum, quod quidem monasterium antecessor noster Elpertus episcopus Aretinus vir quidam beate memorie pro mercede & remedio anime sue suorumque antecessorum episcoporum a fundamento construxit & consecravit in loco sui episcopii, quod divina providentia nunc nostrum est, cui nomen est Pratalia juxta rivum nomine Bidentem ad radicem montis acuti, qui dividit inter Tusciam & Romaniam, in qua ecclesia jam olim prenominatus venerabilis antistes Helpertus ordinavit ibi Sigizonem abbatem cum ceteris sibi subjectis fratribus, ut in Dei omnipotentis servitio & laudibus omni tempore obsecundarent, & ut pro & antecessoribus atque successoribus suis episcopis ac pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defunctis valerent Deum orare, ibique & ille beatus antistes pro sua anima & suorum antecessorum ac successorum episcoporum contulit concessit atque donavit aliquantas res sui episcopii videlicet Aretini, & per scriptum ille vir beate memorie bono proposito eidem sancto oratorio judicavit, ac in perpetuum habendum ad regimen utilitatemque abbatis & monachorum stabilivit. Post mortem vero ejus beati Helperti episcopi ceteri Aretini presules sui successores antecessoresque nostri bono exemplo informati, prout divinum lumen & amor sancti Spiritus eos inspiravit, ut suis animis proposuerunt de rebus hujus episcopii predictum sanctum cenobium & oratorium augmentarunt aliquando cum institutione scripture, & aliquando sine scriptura. Et ideo ego quidem prenominatus Constantinus venerabilis ecclesie Aretine sedis episcopus, quia a bono proposito ceterorum antecessorum nostrorum episcoporum constat me non velle recedere, sed prout divina misericordia nunc mentem nostram visitare dignata est, predictorum antecessorum episcoporum normam sequentes concedimus libere & confirmamus quidem in eodem sacro monasterio omnes res, terras, casas, & vineas, silva, prata, cunctasque possessiones, omniaque beneficia, ac omnia sola pertinentia culta & inculta, dona, traditiones, concessiones, quas aliquis antecessor noster episcopus vel quivis alius christianus utriusque generis eidem loco concessit & contulit, & nunc sacrum oratorium beate Dei genitricis Marie & perpetue Virginis .... habet possidet suo nomine vel quivis alius nomine ejus monasterii habet & possidet, hujus etiam nostre scripture & pagine textu concludimus has res, hoc est mansos decem de curte de Urgia in Casentino cum omnibus adjacentiis & pertinentiis eorum mansuum, atque totum beneficium in integrum, quod Lamberti fratris Gotizonis in villa, que dicitur Peza, quod vulgo nominatur Gajo de Peza in integrum, necnon alterum mansum de Offiniana villa, quod similiter vulgo nominatur Gajo de Offiniano, quod similiter fuit beneficium prelibati Lamberti militis, atque mansum unum apud castrum Marcianum, quod vocatur de Lignario, & alterum mansum de monte Fatuclo, quem olim tenuit Johannes Scarno, & illam novam vineam, quam beatus Helpertus episcopus plantare fecit, & terram ibi adjacentem ipsi vinee usque ad rivum & omnes runcos, qui tunc erant tempore Helperti, & postea facti sunt vel fient in aliquo loco vicine alpis, & omnem terram cultam nemoris, que ad ejus episcopii domnicatum servit per ipsos fines, sicut currit rivus de Novoclo usque ad viam Pezzagelite, & usque ad saltum Vualteri pro via publica, & sicut dividitur inter Bezzo de Banzena, & sancto Donato, sicut dividitur de plebe sancti Hippolyti de Beblena usque ad pojo de Vinteneta, & sicut currit via pubblica usque ad pojo de Zana, & usque in montem Marli, & in loco qui dicitur Allante, & Savernano, & sicut currit via major usque ad prato Negisi, & radium usque ad terram Rubianam & terram cum vinea & clausura, & suis .... vinea de loco Camtra cum

cum domnicatis & mansis, que est prope civitatem Aretinam constructum & dedicatum in honore Dei & sancti Clementis presulis & martyris cum omnibus pertinentibus ejus & omnes res quas predicto monasterio nunc habet & tenet ab aliquibus concessas & attributas in integrum pro mercede nostre anime, in quantum nostra potestas & vigor deliberare valet ac possumus, misericordia motus & divinus inspiratus amore hoc totum supra comprehensum predicto monasterio & Hieronymo presenti abbati & fratribus sue congregationis largimur & confirmamus ex nostra parte, & nostrorum successorum episcoporum in hoc ordine, ut nullus Aretinus episcopus a modo in antea, vel quivis alius inlicito ausu presumat tollere, invadere, inquietare, subtrahere, minuere prefatas res ibi a nobis bene confirmatas, & si nos aut aliquis noster successor contra hoc beneficium pie confirmatum ire tentaverit atque impio ausu inquietare presumpserit, damnamus nos, & illos concessuros & soluturos obligamus atque componamus penam prefato monasterio ejusque abbati argenti optimi libras LX. Insuper quia multos novimus contra voluntatem Dei pessime agere, & bona sacrarum ecclesiarum perverse rapere, nequissimis hujusmodi malignis actibus insistentibus ad defensionem hujus monasterii obviam euntes statuimus, ut si quiscumque inlicito ausu huic nostro beneficio contraire quesierit, predictum monasterium de predictis rebus inquietaverit, & omnia que prefato monasterio possidet in terris & vineis, casis, ortis, pratis, silvis, alveis, molendinis cum omnibus ad predicta pertinentibus juris & possessionis eidem monasterii, si in integrum eidem sancto loco quiete & pacifice ei non permiserit habere & possidere, sciat se anathematis vinculo esse alligatum, & si non resipuerit, & debita ac justa satisfactione presumptionem illam non emendaverit, perpetua Dei maledictione damnetur. Ad ultimum autem posteros scire volumus, ut hoc prefatum monasterium semper sit sub justa nostra potestate & defensione, hoc ordine, ut Aretinus episcopus predictum cenobium cum rebus suis, prout melius poterit semper adjuvet & defendat pro anime sue mercede, atque abbas ejus monasterii sincerissime potestatem habeat de ejus rebus libellos & breves facere, & juste & utiliter ordinare ad augmentum ejus monasterii, unde hec carta perpetui judicati & confirmationis a me Constantino episcopo facta, ut ab Andrea notario scriberetur.

Actum in episcopio Aretino. Feliciter.

Ego Constantinus episcopus & comes ss.

Ego Jocundus archidiaconus ss.

Ego Teuzo Vicedominus ss.

Singnum manuum Sassonis filius quondam Ildibrandi atque Ugonis filius quondam alterius item Ildibrandi rogati testes.

Singnum manuum Gotizonis filius quondam Gottizonis, & Rodulfi filius quondam Uvidonis de Partina rogati testes.

Signum manus Gunizonis filius quondam Petri rogatus testis.

Lambertus judex rogatus testis ss.

Ego Andreas notarius scriptor cartule judicati post traditam scripsi & libenter complevi & dedi feliciter.

CXII.

Sabbatinus & Itta donant terras ecclesiæ S. Petri minoris de Arretio.

Anno 1066. mense aprili.

Ex archivo SS. Floræ & Lucillæ de Arretio, Caps. Q. n. 2.

Adlib. XVIII. n. 40

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo sexagesimo sexto regnante Henrico rege mense aprilis indictione quarta. Manifesta sum ego Itta filia bone memorie Joseppi, que modo videtur esse conjus Sabbatini, qui est vir jugalis & mundualdus meus atque cum notitia Lamberti judex domini imperatoris, a quo interrogata & inquisita sum secundum legem, quia nulla violentia me passa esse dico, sed mea, que supra mulier, bona & spontanea voluntate & per consensum suprascripti Sabbatini viro meo, nos ambo insimul Sabbatino & Itta jugalis cogitante nos diem extremi judicii, & quanta nobis gravissima immineant flagitia, nostro disposuimus animo, qualiter in sancto loco aliquit ex rebus nostris pro mercede & remedio anime nostre conferre debeamus. Quia si quis in sanctis ac venerabilibus locis ex suis aliquit contulerit rebus juxta auctoris vocem in hoc seculo centuplum accipiet, & insuper quod melius est, vitam possidebit eternam. Ideoque nos qui supra jugales pro mercede & remedio animarum nostrarum nostrorumque omnium defunctorum parentum, & eorum, quos presens seculum adhuc in carnali vita retinent, damus Domino Deo nostro & beato Pe-

tro

tro apostolo & apostolorum principi, vestreque ecclesie, que est dedicata in honore Dei & beati Petri apostoli, que est non longe a civitate Aretina, & vocatur sanctum Petrum piccolum, hoc est unam petiolam de terra nostra, que est prope predictam ecclesiam & est inter fines, sicut ic designavimus, ex una latere est terra Gerardi filii Aritii, ex alio latere est terra de filii Toti, ex tertio latere predicta ecchlesia, & terra cum orto ujus ecchlesie, ex quarto latere coeret ei via. Hanc autem petiolam de terra Deo eam damus, & judicamus tibi predicte sancte Dei ecchlesie, concedimus, donamus, & tradimus, ut si omnipotens Deus permiserit, quod donnus Arnolfus abbas monasterii sancti Salvatoris & omnium Sanctorum constructum in loco Silva munda, vel sui posteris successores abbates predictam ecchlesiam beati Petri apostoli infra hanc petiolam de terra edificare & innovare potuerint cum Dei adjutorio hoc nullius proprium sit, neque in mundius alicujus Langobardi vel alicujus persone, nisi in sola defensione Dei omnipotentis & beati Petri apostoli ejusque ecchlesie ibi constructe, atque abbatis predicti Arnulfi suorumque successorum ibi Deo servientium potestate & ordinatione permanead, & tibi suprascripte sancte Dei ecchlesie beati Petri apostoli predicta petiola de terra nostra damus & tradimus &c. Actum Aritio feliciter.

Signum manuum &c.

Lambertus judex suprascriptam Ittam interrogavi, ut supra, & ss.

Griffo notarius scripsi & complevit.

CXIII.

Rainerius filius Ugonis marchionis donat eremo Camaldulensi duos mansos terræ.

Anno 1066. mense octobri.

Ex tabulario Fontis-boni, §. Donatio n. 131.

Ad lib. XVIII. n. 39.

IN dei nomine anni Dominice incarn. millesimo sexagesimo sexto regnante domno Einrigo regem mense octobri indictione septima. Manifestus sum ego Raineri filio quondam Ugoni marchio, qualiter per anc cartula judicati & hoc meum testamentum judico & at proprium trado & confirmo vobis domnus Rustico monachus & priores de monasterio sancti Salvatoris & sancti Donati de loco Camalduli, ubi dicitur campo amabilis, pro redemtione & remedio anime mee, & remedio anime genitoris & genitricis mee, sic dedit & tradidit & proprium confirmavit a parte Dei & ecclesie sancti Salvatoris integris duo mansi cum case & vineis & omnia super se abentes, que sunt juris mei, & sunt in comitato Aritino infra plebes sancte Marie sito Clio in avocabulo Piino, sicut modo regere & tenere videtur per Vivenzo filio Fuscheri & per Johannis filio Petri, ideo tam predicti mansi cum solamentis cunctis & edificiis ejus, curtis, ortas, vineis, terris, pratis, campis, silvis, & reliquis pumiferis, pascuis, cultum vel incultum &c. In comitato Aritino.

Singno mano de predicto Reineri, qui ac cartula judicato & manu sua scribere rogavi.

Singno manibus Ubaldo filio Pagani & Salcaino filio Qualfridi & Belino filio Bonizi in ac cartula judicato rogati testes de manibus illorum scribere rogaverunt.

Ego Bernardus notarius scripsi & complevi.

CXIV.

Ejusdem Rainerii marchionis bannum pro bonis eremi Camaldulensis sitis in plebe S. Mariæ de Chio.

Anno 1066. mense octobri.

Ex autographo ejusdem tabularii, §. Bannum, n. 1.

Ibidem.

DUm esset Reineri filio quondam Ugoni, qui fuit marchio in comitato Aritino infra plebe sancte Marie scito Clio in avocabulo al colle sancti Savi, ibi posuit & confirmavit & posuit suum bandum ex parte Dei & suam qualiscumque homines de hac ora in antea venit a sancto Savino aut in predicto colle sancti Savini aut ibi mansionem fecerit, aut abitatio, aut commendationem in predicto colle, aut voluerit superfluam facere in qualecumque causa de monachi & eremite de sancto Salvatore de Campo amabilis, qui dicitur Camaldulo, aut in casa aut in terra unde ipse eremite tenenti sunt aut aliis omines pro ipsi tenenti sunt infra predicta plebe sancte Marie aut si meis vicecomitis aut castaldionibus aut fidelibus meis cognitum fuerit de aliquam superfluam, que in predicto colle aut in predicta res de predicti eremite factum erit, & ipsi atiutorium

rium

rium & emendare non fecerit, tunc ipsi & illi giamdictam superfluam fecerit, & noluerit mendare, sic daturi & componi pena numerum de bono arientum libris tres a predicti eremite aut amicos illorum, ubi autem & factum est & oc aterat ibi Ubaldo filio Pagani & Saracino fili Qualfridi, & Pelino filio Bonizi, & Petro filio Qualdrade, & Uberto filio Gerardi, & Gerardo filio ejus & Goccio filio Natali, & reliquis pluris ominibus. Factum in anni Domini millesimo sexagesimo sexto regnante donno Einrigo regem mense octobris indictione septima.

Ego Bernardus notarius scripsit & ibi fuit.

CXV.

Henricus filius Ugonis marchionis renuntiat eremo Camaldulensi suum jus in ecclesiam S. Savini sitam in eadem plebe de Chio.

Anno 1066. mense octobri.

Ex originali chartularii ejusdem, §. Donatio. n. 132.

Ibidem.

IN Dei nomine anni Dominice incarnationis millesimo sexagesimo sexto mense octobri indictione quarta. Manifestus sum ego Einrigo filio quondam Ugoni, qui fuit marchio, quia in extrema comonente die extremi judicii, & quando nobis gravia in inminenti flama dispofuit meo animo qualiter in sanctis ac venerabilis locis ex suis aliquit contullerit rebus juxta auctoris vocem in oc seculo centuplum accipiet & insuper quod melius est vitam possidebit eternam. Ideoque me predicto Einrigo qualiter pro Dei timore & mercede & remedio anime mee & parentorum meorum judico, trado & offero tibi sancte Dei ecclesie sancti Donati & sancti Salvatoris de loco Camalduli in avocabulo, qui dicitur Campo amabilis, & in servis servorum Dei de predicta & de tota ex integra mea portione de ecclesia sancti Savini cum giacentia & pertinentia sua, que est juris mea, & est in comitato Artino infra plebe sancte Marie scito Clio in avocabulo al colle sancti Savini, ego qui supra Einrigo tibi in predicta ecclesia predicta res cum predicta ecclesia in integrum at proprium per anc carta judico & trado, offero tibi in predicta ecclesia & in servis servorum Dei de predicta ecclesia, ut faciatis vos

quitquit volueritis secumdum legem, & si ego predicto Einrigo, aut ullus de filiis aut eredibus meis predicta res & nostrum judicatum unquam in tempore agere aut causare, tollere, aut minuare &c. In comitatu Artino intus castello de Castalione.

Singno manus de pred. Einrigo, qui anc cartula judicati & manu sua scribere rogavi.

Singno manibus Quarzo filio Guidoni & Azo filio Alberti & Pagano filio Verardi in anc cartula judicati rogati testes & manibus illorum scribere rogaverunt.

Ego Bernardus notarius scripsi & complevi.

CXVI.

Renuntiatio facta a Griffone notario juris sui, quod habebat in ecclesiam S. Petri minoris prope Arretium ad hoc ut monasterium inibi ædificaretur.

Anno 1066. mense octobri

Ex archivo monasterii SS. Floræ & Lucillæ Arretii, Capf. Q. n. 4.

Ad lib. XVIII. n. 40.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo sexagesimo sexto mense octuber indictione quinta. Manifestus sum ego Griffo notario filius quondam Bonizi judex qualiter considerante me divina providentia & inspiratione commotus, quod locum illum & terram que est non longe a civitate Aretina cum ecclesia beati Petri apostoli & apostolorum principi, ubi extat & consecrata est in honore ejusdem beati Petri principis cum omni cimiterio suo pertinentem ad eandem ecchlesiam atque casis, terris & ortis pertinentibus coerentibus confinibus, que eidem ecchlesie sancti Petri que husuario vocabulo nuncupatur sanctus Petrus Picculo, sicut mihi Griffoni per aliquas cartas vel scriptiones ad me predicta ecchlesia cum solo suo & edificiis, terris seu ortis ei coerentibus pervenerunt, aut proprietario jure vel directo usque modo pertinuerunt aut pertinent, sic ego qui supra Griffo Dei omnipotentis inspiratione compulsus per hanc cartam judicati & mee ordinationis, ordino, judico, trado, cedo, confero, & per hanc cartam perpetue mee ordinationis predictas terras cum suis edificiis & rebus inibi consistentibus Domino Deo omnipotenti & tuo beato apostolo Petro & apostolorum

Iorum principi, ut sit vestrum proprium & a mea proprietate & omnium hominum patronorum viventium subtractum & exhemtum nisi tua Dei & beati Petri, ut sit monasterium inibi masculorum monachorum Deo servientium & Arnulfi abbatis, ejusque posteris successoribus, & post ejus decessum volo & ordino, ut ibi sit electus abbas de congregatione monachorum illorum, qui ibidem in eodem loco assidue abitaverint, & ibi officium Dei assidue fecerint, & pro eo in nulli alie potestati fundatur, volo & ordino ut in electione abbatis interveniant sex boni omines laici Deum timentes in civitate Arretina abitantes, cum quorum provisione & studio gratis sine pecunia cum bono intellectu & cum Dei timore adsistant in hanc electione, & quem abbatem predicta congregatio elegerit, & ipsi eligant pro Dei timore, qui pro tempore predictam congregationem secundum Deum regat ejus per regulam beati Benedicti & servitium Dei conservari faciad & obsequantur pro omni populo cristianitatis, & pro anima mea meorumque parentum mercedem, & pro anima Dominici Vicedomini & omnium Cristianorum vivorum & mortuorum, ut sit predicta ecchlesia in proprietate Dei, & sancti Petri apostoli in perpetuum monasterium, & nullus hominum, neque laicus aut clericus atque publica privata persona possit illud alienare vel alicui subdere *&c.* Actum Arritio feliciter.

Ego Griffo notarius in ac carta a me facta ss.

Ego Aritius rogatus testis ss.

Ego *&c.* *&c.*

Martinus notarius scripsit & complevit.

CXVII.

Muricus episcopus & abbas S. Victoris de Clusis dat ad libellum terras Ugoni filio Gozonis.

Anno 1066. mense octobri.

Ex autographo archivi S. Catharinæ de Fabriano.

Ad lib. XVIII. n. 41.

IN nomine patris & filius & spiritum Sanctum anno pontificatus domni Alexandri pape in sede beati Petri principis apostolorum & sunt anni Domini mille setuainta sex & temporibus donno Gotefredu dux & marchio anno ejus XI. & die mense octuber per indicione quarta. Ego Murico episcopus & abbas, qui est abbas de monasterio beatu sanctum Victore, qui est edificatu in locu qui dicitur Victuria per consensu & voluntate de sui monachi & de a venerabili sacerdotibus, qui sunt in ipso predicto monasterio concessimus tibi Uvo filius quondam Gozo & a filiis & a nepotibus vestris ad incensu reddendum, idem est aliquis de tera nostra, que est posita infra comitatu Camerino in locu qui dicitur in fundo Casure, est ipsa tera primo latere ipsu rius, que pergit da sanctum Severinum & secundum latus ipsu riu quod pergit da Pratuscilla perveniente a Core perveniente in fluvium Matelicanum, & perveniente a Sommatrianum, & tertio latere ipsu riu qui pergit da campu Amati perveniente a Tolennanum & perveniente Quinanum perveniente a lu castellu de li filiis de Sicco, & perveniente in ipsu riu, qui est a primo latere, infra isti lateribus prenominate finis, quod est ipsa terra modiori. sex cum terris & vineis *&c.* habeatis *&c.*

† Sinnum manus de Murrico episcopo & abbas, qui ista cartula facta est scrivere rogavit.

† Sinum manus de Petrus monachus & de Acto & de Acto monachi rogati testi sumus.

† Sinnum manus de Johannis.

Ego Adamo judice & notarius scripsi complevit & clausit.

CXVIII.

Druda vendit Leoni presbytero terras prope ecclesiam S. Frigdiani Pisarum.

Anno 1067. pridie kl. martii.

Ex originali tabularii S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Ad lib. XVIII. n. 47.

EXemplar. In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille sexagesimo septimo pridie kal. martii indictione quinta. Manifesta sum ego Druda mulier Odi & filia b. m. Rolandi, qui consentientes mihi supradicto vir meus, ubi & secundum legem interesse videtur notitia Johannis judex domini imperatoris, a quibus secundum legem interrogata & cognita sum, quod nulla me passa sum violentiam, sed pura & integra mea bona voluntas sequenter edicti paginam consentientes mihi supradicto vir meus per

per anc cartulam vendo, & trado tibi Leo presbytero filio b. m. Vvalprandi, idest una petia de terra mea illa cum casa super se habentes, quam habeo infra civitate ista Pisense prope ecclesia sancti Fridiani tenentes uno capo in via Cararaglia, qui percurrit usque in via publica, & alio lato tenet in supradicta ecclesia sancti Fridiani, lato uno tenet in terra de hospitio sancti Fridiani, & alio lato tenet in terra & casa, qui fuit quondam Bonus judex a supradicta petia de terra cum casa super se habentes cum fundamento & omnem edificio suo in eodem loco qualiter ab omnis parte circumdata est per designatas locas in integrum cum inferioribus & superioribus suis, & cum accessionibus & ingressoras suas, & cum cartulis & monimines suas, seu exemplar exinde pertinentes, quas vos exinde habere & ostendere potueritis tibi eas consentientes mihi supradicto vir meus, vendo & trado, pro quibus a te merito recepit annulo de auro uno in prefinito, unde repromitto ego supradicta Druda consentientes mihi supradicto vir meus una cum miserit tibi supradicto Leo presbytero, vel ad tuos heredes, aut eidem homini, cui vos supradicta mea venditio dederitis, vel habere decreveritis, ut si nos vobis eas aliquando tempore in aliquo exinde intentionaverimus, aut retolli vel suptrai quesierimus, nos vel ille homo, cui nos eas dediscemus aut dederimus pro quolibet ingenio, & si nos exinde auctores dare volueritis, & eas vobis ab omnis homines defendere non potuerimus, & non defensaverimus, spondemus nos vobis componere scripta mea venditio in duplum inferquidem loco sub estimatione quales tunc fuerint, sic tamen si nos exinde auctores non defensores querere nec dare nolueritis, licentiam habeatis absque nostra persona, si vestra fuerit voluntas, exinde causas agendi, responsum reddendi, finem ponendi modis omnibus vobis eas defensandi cum cartula ista, vel qualiter justa legem melius potueritis, quia in tali ordine Ormundus notarius domini imperatoris scribere rogavi. Actum Pisa.

Signum de manibus supradicte Drude, que hanc cartulam fieri rogavit.

Ego Hoddo viro ipse ei Drude consentientes.

Johannes judex Domini imperatoris interfui.

Ego Ugo rogatus testis supscripsi.

Ego Errico rogatus testis ss.

Ego Teuselinda rogata testis ss.

Ego Gherardus notarius apostolice sedis rogatus subscripsi.

Ego Glandulfus rogatus test.

Ego Ormundus notarius domini Imper. post tradita complevi & dedi.

Gherardus notarius domni regis autentico illo exemplavi.

Ego Signorectus autentico illo vidi & legi unde hoc exemplar factum est.

Ego Pandulfus notarius domini regis autentico illo vidi & legi, unde hanc exemplar facta est.

Ego Ubaldus autentico illo vidi & legi, unde hanc exemplar facta est & ss.

CXIX.

Stephanus & Petrus commutant cum Stephano cardinale & abbate S. Gregorii de Urbe quasdam terras.

Anno 1067. v. martii.

Ex codice ejusdem monasterii. pag. 58.

Ibidem.

IN nomine Domini Dei salvatoris nostri Jesu Christi: anno Deo propitio pontificatus domni Alexandri summi pontificis & universalis secundi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli sexto indictione quinta mensis martii die quinta. Nos quidem Stephanus filius quondam Leonis Johannis de Benedicta, & Petrus filius quondam Franconis Johannis de....... hac die nullo prohibente, nec cogente, sed propria nostra voluntate damus, tradimus & commutamus tibi Stephano Dei gratia cardinali & abbati venerabilis monasterii sanctorum Andree & Gregorii, quod est in clivo Scauri tuisque successoribus ad opus & utilitatem ipsius monasterii in perpetuum, id est quinque petias sementaritias cum omnibus utilitatibus & pertinentiis suis positis foris portam sancti Pancratii in casali vestro, quod dicitur Mola-rupta, inter hos affines; ab uno latere unius petie & dimidie est vinea Petri de Cupo; ab alio est vinea heredum Petri de Maricunda; a tertio est rivus Galerie; a quarto vero latere est via publica. Item ad alias duas petias & dimidiam, & omni latere sunt vinee predicti vel tui monasterii. Et super has auximus vobis septem libras & duos solidos denariorum Papiensium, quas in requisitione Septasolis & in murorum edificatione dare debetis, has denique vineas simul cum predictis libris qualicumque modo nobis pertinent, ut dictum est, ad opus, & pro

proprietate ipſius monaſterii veſtri damus, tradimus & commutamus, ut per commutationis cartulam a vobis accepimus unum ſedile aquimoli, quod fuit de Johanne de Corilia, & de ſorore ejus, quod eſt in fluvio Tiberis in inſula, que Licaonia nuncupatur, reſpiciens in Tranſtiberinam regionem cum omnibus ſuis pertinentiis, ſicut in cartula ipſius commutationis dicitur. Tali vero illud nobis conceſiſtis & tradidiſtis tenore, ut nos noſtrique heredes in aliquo ſancto loco vel venerabili titulo minime aliquando relinquere vel donare audeamus, niſi in predicto veſtro monaſterio, & ne cui vendere niſi vobis veſtriſque ſucceſſoribus quinque ſolidorum minus juſto pretio, ſi emere volueritis. Sin autem, vobis demus quinque ſolidos, & vendere licentiam habeamus: tali tamen perſeverantia, que omnino hunc ſervent tenorem, ut in feſtivitate beati Gregorii in predicto monaſterio ſex denarios annuatim jure emphyteuſiorum reddere debemus nomine penſionis: & ſic in omnem uſum commutationis, ut ab hac hora licentiam & poteſtatem habeas tu una cum tuis ſucceſſoribus exinde faciendi quicquid vobis plauſerit ad opus & utilitatem veſtri monaſterii in perpetuum & nunquam a nobis neque ab heredibus vel ſucceſſoribus noſtris, nec etiam ab aliqua perſona a nobis ſubmiſſa habeatis exinde aliquam requiſitionem vel litis calumpniam, quam, ſi quod abſit, aliquo modo facere vel excitare preſumpſerimus, vel ſi neceſſe fuerit, illa vobis omni tempore in omni loco ab omni homine gratis non defenderimus, aut non potuerimus, componamus vobis ad opus predicti veſtri monaſterii pro pena unam auri optimi libram, & ſoluta pena quemcumque lis aut contrarietas exinde propoſita vel excitata fuerit, inanis omnino exiſtat & vacua, & hec commutatio, que & ſicuti in hac legimus cartula, perpetuo ſtabilis & firma permaneat. Quam, ut ſcriberet, ad eam confirmandam pro nobis ſignum manus faceret coram ſubſcriptis teſtibus rogavimus Raynerium ſcriniarium ſancte Romane eccleſie in menſe & indictione predicta quinta.

Signa †† manu predictorum Stephani & Petri hujus cartule rogatorum ad confirmandam & conceſſionem, que ſupra legitur.

Guido frater Fracolinus teſtis.
Guido nepos ejus teſtis.
Guelfo filius Gregorii de Calcata.
Gregorius, qui vocatur de Arcario teſtis.
Franco filius Romani Ferrarii teſtis.
Ego Raynerius ſcriniarius ſancte Romane eccleſie complevi & abſolvi.

CXX.

Johannes de Sicco cum aliis renuntiat eidem Stephano abbati hæreditatem ſuam.

Anno 1067. XXII. junii.

Ex eodem codice Gregoriano, pag. 56.

Ibidem.

IN nomine Domini. Anno ſexto pontificatus domini Alexandri ſecundi pape indictione quinta menſis junii die vigeſimaſecunda. Nos quidem Johannes de Sicco, & Johannes Petri de Tocco, & Johannes de Donato coſoobrini fratres, & Johannes de Azzo cognatus eorum hac die propria noſtra voluntate renuntiamus & refutamus tibi Stephano cardinali & abbati venerabilis monaſterii ſanctorum Andree apoſtoli & Gregorii apoſtolici, quod vocatur in clivo Scauri, id eſt totam illam hereditatem, quam parentes noſtri ab eodem monaſterio acquiſiverunt per cartulam tertii generis, que ſita eſt in territorio Mole rupte, ideſt terram ſementaritiam, & pantanum, quod vocatur Loranum cum omnibus eorum pertinentiis, pro eo quia inde penſionem non ſolvimus, ideo refutamus, quia tu nobis feciſti inveſtimentum a die preſenti per unumquemque noſtrum unam pedicam terre, & unam beſtiam per totum tempus, dum vixerimus, ad ligna nobis deferendum tempore vite noſtre. Johannes de Sicco pedicam unam, que vocatur Montedomnico; Johannes Petri de Tocco aliam pedicam in valle de Ilice; Johannes de Donato aliam pedicam ad caſtellum de Donati; Johannes de Azzo cognatus eorum aliam pedicam in Valle de Rubo ad obitum noſtrum omnia in predicto monaſterio redeant, ut ab hac hora, ſicuti dictum eſt, renuntiamus, ut quieta, & tranquilla, pacifica permaneant in perpetuum, quod ſi nunquam nos vel heredes noſtri litem vel requiſitionem in predicto monaſterio fecerimus, & cuncta, que dicta ſunt, non obſervaverimus vel noluerimus, componamus vobis pro pena ſex boni auri libras, & ſoluta pena cartula hec firma permaneat, quam ſcribendam rogavimus Raynerium ſcriniarium ſancte Romane eccleſie in menſe & indictione ſupraſcripta quinta.

Signum † manu dictorum Johannis de Sic-

Sicco, Johannis Petri de Tocco, Johannis de Donato, & Johannis de Azzo rogatorum cartule hujus.

Johannes Crescentii Meliosi testis. Petrus de Azzo testis. Johannes de Azzo Buccanulla testis. Benedictus de Nera testis. Concilius testis.

Ego Falconius scriniarius sancte Romane ecclesie sicuti inveni in dictis domini Raynerii scriniarii bone memorie complevi & absolvi.

CXXI.

Ermingarda donat terras ecclesiæ S. Petri minoris prope Arretium.

Anno 1067. mense decembri.

Ex archivo monasterii SS. Floræ & Lucillæ de Arretio, Caps. Q. n. 5.

Ibidem.

IN Dei nomine.... ab incarn......., mo sexagesimo septimo mense december indictione quinta feliciter. Manifesta sum ego Ermingarda filia quondam Sabatini & sum conjux Salamoni, qui Bello est clamatus, filius quondam Dominici, & sum interrogata & inquisita secundum lege &c. qualiter per anc cartam offertionis nomine dare & tradere atque offerre previdi tibi Deo omnipotenti & beati Petri principis apostolorum eas terras non longe civitate Aretina predicta terra cum orto & olivetis, seu pomis, alboribus super se habet cum inferioribus & superioribus suis & est juxta ecchlesiam que est dedicata in onore sancti Petri, qui dicitur Piccolo, & sunt eis coerentie, de prima parte est terra & oliveta de predicta ecchlesia ex parte orientali, de secunda parte est terra Berte filia Petri, & est conjux Ubaldi filius Luponi, & tertia parte est ei via, ex quarta parte finis muro ejusdem ecchlesie &c. Actum in comitatu Aretino intus burgo juxta civitatem Arretina. Feliciter.

Signa &c. &c.

Ego Arnulfus notarius scripsi & ec denotavi feliciter.

CXXII.

Guillia tradit eremo Camaldulensi suum jus in ecclesiam S. Savini de Chio.

Anno 1068. mense majo.

Ex autographo Fontis-boni. §. Donatio. n. 135.

Ad lib. XIX. n. 7.

IN Dei nomine anni Dominice incarnationis millesimi sexagesimo octavo regnante donno Eirigo regem mense madio indictione septima. Manifesti sumus nos Guilia filia quondam Ubaldi una per consensum & data licentia de Belino, qui est mundualdo meo, ambo insimul qualiter per anc cartula judicati & oc nostrum testamentum judicamus & tradimus tibi in ecchlesia sancti Salvatoris de loco Camaldulis, ubi dicitur Campo amabilis, pro redemptione & remedio anime nostre & genitoris ac genitricis nostre, sic dedimus & tradimus & pro redemptione parentorum nostrorum & judicamus tota ex integra nostra portionem de ecclesia, que est edificata in nore sancti Savini cum cimiterio de predicta ecclesia, & est predicto cimiterio duodecim pedes donni Liuprandi rex, nos predicti Belino & Guilia predicta ecclesia & pro dicto monasterio in integrum tibi pro jam predicta ecclesia judicamus & tradimus offerimus a partem & proprieta de predicta ecclesia sancti Salvatoris & at proprietatem de ipsi monachi, qui modo ibi desunt, & at illorum posteris successores, ut faciatis quitquit volueritis secundum legem, & si nos predicti Bellino & Guillia aut unus de filiis aut eredibus nostris predicta ecelesia & nostrum judicatum unquam in tempore agere vel causare presumpserimus, per nos vel aliquam personam ominibus, vel si predicta ecclesia ab omnibus ominibus non defensaverimus omni tempore, tunc in consimilis locis sup estimatione de ... is propriis in duplo componere promittimus & componamus nos, qui supra, Belino Guilia & nostris filiis vel eredibus in contra vobis pro dicta ecclesia sancti Salvatoris, & a servi servorum Dei, & de predicta ecclesia, & at illorum posteris successores, umde anc carta judicati at nos qui supra Belino & Guilia facta est, qualiter supra legitur, & rogavi Bernardus notarius, ut eam scriberet in comitato Aritino.

Signo manibus de pred. Belino & Guilia, qui

qui anc carta & manibus illorum scribere rogaverunt.

Signo manibus Petri filio Guidoni & Vivenzo filio Scopoli, & Teuzo filio Vizi & Gerardo filio Barunci, & Totulo filio Verrandi in anc cartula judicati rogati testis, & manibus illorum scribere rogaverunt.

Ego Bernardus notarius scripsi & complevi.

CXXIII.

Constantinus episcopus Arretinus confirmat monasterio Pratalienſi medietatem unius mansi de terra.

Anno 1068. menſe julio.

Ex autographo ejusdem archivi, §. Donatio. n. 136.

Ibidem.

IN Dei nomine anno Dominice incarnationis millesimo sexsaiesimo octavo mense julius indictione sexsta. Manifestus sum ego Constantinus Aretinus episcopus & comes, qui pro Dei amore & redentione anime nostre & antecessorum successorunque nostrorum episcoporum judico & trado atque confirmo in perpetuum jure monasterio sancte Marie & sancti Benedicti que es dedicata in avocabulo Pratalia tibi domnus Geronimus venerabili abbas, idest medieta de uno manso de terra, qui est ipsa res de comitatu istius Artino de plebe sancte Marie in Partina & de casale Contra sicut recta fuet per Ranfridi massario, & modo reiere tenere videtur per Roizo, & Vivizo, & Bonacto & Bonico massarii predicta res cum suis terris, vineis, pratis, campis, silvis, aquis, rivis, pascuis, cultum vel incultum, divisum & indivisum *&c.* Actum Aritio feliciter.

† Ego Constantinus episcopus ss.

Signo mano Pagano vicedomino in anc carta manus suas scribere rogavi.

Ego Teuzo clericus ss.

Signo manibus Rainerii & Guido filii Gherardi de Banzena & Uberto filio Buci rogati sunt testes.

Ego Teuzo notario scripsi & complevi.

CXXIV.

Venerandus & Guillia conjuges donant terras ecclesiis S. Petri minoris & S. Clementis prope Arretium.

Anno 1068. mense augusto.

Ex archivo SS. Floræ & Lucillæ de Arretio. Capſ. Q. n. 7.

Ibidem.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo sexagesimo octavo regnante Henrico rege mense augusto indictione sexta. Manifestus sum ego Venerandus .... & ego Guillia filia Terni conjux ejusdem Bari eo consentiente, atque cum noticia Guid...... .... interrogata sum, quia nulla violentia ex hac causa in me passa esse dico, sed mea ex .... jugales insimul per hunc scriptum judicati & nostrum testamentum pro redemptione animarum nostrarum .... testamur firmiter, que constituimus, ut quanto divina potentia nos judicavit, & de hoc seculo voca........ ut ecclesia sancti Petri piccolo habeat proprietario nomine nostram medietatem de duabus petiis de terra, que sunt in loco qui dicitur Campo leo niro, que nostra medietas videtur esse sestariores decem, & ecclesia sancti Clementis prope Piscinale habeat nostram medietatem de aliis duabus petiis de terra, que sunt advocabulo Ronchora & .... filia mea predicti Bari naturalis, que Avulterina dicitur, habeat jure proprietario nostram medietatem de terra cum casa & ortera, que sunt infra Aretinam civitatem non longe a porta, que dicitur Osehisi, prope curtem de nepotibus quondam Gerardi, & nostram medietatem de petia una de terra in loco Puzzolo, que nobis per cartam obvenit da Girardino filio Raineri Erize. Insuper judicamus, firmiterque statuimus pro animabus nostris libras viginti denariorum Lucensium per denarios vel valentes, ut post mortem nostram sive si ego Baro mortuus prius fuero, ut ita distribuantur, fraternitas hujus plebis sancte Marie in Gradis, qui ordinati sunt habeant libras tres, pauperibus erogentur libras sex, per unumquodque monasterium Aretini comitatus dentur solidi quinque, & per unamquamque plebem concedantur solidi tres. Fidecommissarios atque distributores hujus pecunie committimus Rello frater meus, & Guido Terni, qui est co-

cognatus meus, ut ipsi pro animabus nostris secundum predictum ordinem dare & distribuere debeant, qui & ipsi hoc facere in eorum fidem receperunt, si vero ipsi hoc facere noluerint, aut antea mortui fuerint, tunc substituimus eis Verando Marti Bonizi, ut in sua potestate ipsa pecunia veniat, & secundum predictum modum eam distribuat. Et quod absit, & minime fieri credimus, si aliquis ex filiis vel eredibus nostris suprascriptorum jugalium contra hanc paginam judicati & nostrum testamentum ire quandoque temptaverit, aut per quodlibet ingenium inrumpere vel infrangere quesierit, & in his, que statuta habemus, non permanserit, habeat maledictionem Dei patris omnipotentis, & filii & spiritus sancti, incurrat iram sancti Michaelis archangeli, qui animas recipiendi accepit potestatem, sit deputatus cum Annania & Saphyra in perpetua dampnatione. Insuper sit obligatus a nobis dare &, componere eis, cui predictum judicium debentur, penam argenti optimi libras triginta *&c.* Actum Aritio feliciter.

Exemplatum per Guidonem & Johannem, & Guidonem notarios.

CXXV.

Charta emphyteusis facta pluribus consortibus a Marino abbate SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia.

Anno 1069. mense martio.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ad lib. XIX. n. 11

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus millesimo sexagesimo nono temporibus domni Alexandri pape regnante domno Enrico filius quondam Enrici secundi imperatoris die martii decima quarta, indictione septima intra claustrum monasterii sanctorum Laurentii & Ipoliti. Petivi a te in Dei nomine domnus Marinus venerabilis abbas monasterii sanctorum Laurentii & Ipoliti me presente in Christi nomine Andreas petitore pro me & Guilla jugale mea & pro Gerardo & Ermengarda jugale sua & pro Johanne & Dignicasa jugale sua seu filiis suis .... custodibus de apares .... sit in potestate gratiosa .... omnibus diebus vite filiorum utendi, fruendi, concedisti & largistis seu confirmastis nobis de juris supradicti monasterii, idest ortum unum una cum introito & exito suo, quod est positum foris portam, que dicitur da ponte in pogium, qui dicitur de sancto Antonino, a primo latere Albertinus ..... una cum germanis suis, a secundo latere Panpanus, a tercio latere Petrus, qui ...... a quarto latere strata publica, & insuper concedistis nobis de insula una, quam habere & tenere visus sum jure dicti monasterii, que est posita in fundo, qui dicitur Agulino, a primo latere.... ...... a duobus lateribus Rainaldus diaconus, a quarto latere Dominicus Deinga, sita in territorio Faventino .... hec omnia habendum, tenendum, laborandum & in omnibus meliorandum in annis septuaginta ad renovandum sub pensione annua mense martii denariorum duodecim moneta Veneciarum, tibi, ut dictum est, persolvatur. Calciarii nomine, idest libram unam pro solidis numeratis quadraginta denariorum Veneciarum, & apares que superius legitur ab omnibus personis hominum in omnibus nobiscum stare, auctorizare & defendere promisisti. Si quando contra hanc aparam pacti ire, agere, vel contendere voluerimus per quemlibet modum vel titulum damnum composituros esse, tibi promittimus ante omnis litis initium aut interpellationem pene nomine auri uncias duas, & post pene solutionem maneat hec apara in suo robore, quam vero aparam scriptam per manus Bonizonis in Dei nomine tabellionis & civis Faventini, scribendam rogavi sub die mensis martii decima quarta. Faventie.

Ego Andreas Petri tam pro me & Guillia, & Johanne, & Dignicasa, & Gerardo, & Ermengarda in hac pagina .... subscripsi.

CXXVI.

Petrus filius Bennonis donat S. Petro Damiano, & ejus monasterio S. Gregorii in Conca partem ecclesiæ S. Johannis evangelistæ de Arimino, partem castri Factani, & alia castra & terras.

Anno 1069. XVII. junii.

Ex archivo ejusdem monasterii apud Lancellotum Hist. Montis-oliveti, pag. 201. *&* *Ughell.* T. II. col. 420.

Ad lib. XIX. n. 19

IN nomine Domini nostri Jesu Christi ab incarnatione ejus M. LXIX. & sedis domini Alexandri pape anno VIII. die XVII. mensis junii indictione...

Quo-

Quoniam divina inspirante misericordia placuit jamdudum mihi Petro bone memorie Bennonis filio omnia, que mihi Dominus largiri dignatus est, sibi soli reddere, & ad utilitatem servorum sibi fideliter servientium & serviturorum in perpetuum concedere, elegi unum, quem inter mortales magis idoneum & commendatione ad hoc opus existimare valui, cui omnia committerem, videlicet domno Petro Damiani sanctissimo anachorete patri nostro. Idcirco profiteor ego prefatus Petrus consentiente libentissime uxore mea Alganga desiderio & mente sincera servire semper devovi tibi prenominato eremite infrascriptorum locorum dispositori, & per te in monasterio sancti Gregorii, quod tu ipse in nostro predio ad honorem Dei juxta fluvium Concha in loco, qui dicitur Fontananecla, voluisti edificare, & abbatibus ac monachis illi venerabili loco servientibus, ac in perpetuum servituris. Per hanc paginam donationis dono tibi partem meam de ecclesia, cui vocabulum est sancti Johannis evangeliste, & palatium meum domnicatum & casas & curtes atque hortos quantacumque mihi proprio jure pertinent infra totam civitatem Arimini, & in suburbio ipsius, simulque curtem meam integram ipsius civitatis, positam tam in plebe sancti Laurentii, qui vocatur in Monte-apodiano, quam in plebe sancti Johannis in Bulgaria, & in plebe sancti Johannis in Cella-jovis, cum mea quarta parte de castro & curte, que vocatur Factani, cum suis appendiciis & pertinentiis, seu in plebe sancti Viti, & sancti Martini, qui vocatur Viburduclo, sive in plebe sancti Paterniani. Item concedimus castrum Monzanum cum curte sua integra, & cum omnibus, que mihi in territorio castri Conche in plebe sancti Gregorii pertinent. Necnon & curtem meam de Fagniano posita in plebe sancti Erasmi cum omnibus aliis, quas proprio jure infra ipsam plebem habeo, aut in plebibus sancti Savini & sancti Laurentii in Strata. Rursum concedo castrum meum, quod vocatur Mons-dainus, & aliud castrum, quod vocatur Lappole cum monte, qui vocatur Nurs, cum curtibus suis. Item infra plebem sancti Lauditii, & in plebe sancti Laurentii ..... si que etiam largior omnia, que mihi pertinent infra civitatem Pisauriensem, & in toto comitatu ipsius, curtem scilicet de Fageto;. & de Monteclo, quod olim fuit inceptum ad faciendum castrum a Carbone filio Moranti. Quin etiam dono meam proprietatem in prefato monasterio de territorio Fertrensi, videlicet castrum meum de Monte-mogantum, qui vocatur Pinna-russa, & Monte-Segizo, qui vocatur Florentino, & Monte-Deodato, qui vocatur Casule, & tertiam partem de Monte-cucco, & omnes pertinentias meas de montibus, qui vocantur Gemini, cum curtibus & appendicibus suis, & quartam partem de monte, qui vocatur Bonio &c.

CXXVII.

Martinus vendit aliquot terras Eriprando presbytero ecclesiæ S. Salvatoris de Curte regis Veronæ.

Anno 1070. VIII. maji.

Ex autographo monasterii Vangaticiensis.

IN nomine Domini Dei eterni, anni ab incarnacione Domini nostri Jesu Christi millesimo septuagesimo, octavo die mense madii indictione octava. Constat me Martino filius quondam Piculo quondam Dinello de loco Varano, modo abitator in loco effundo Monte tauri, qui profeso sum ex natione mea lege vivere Romana, ide cepisse sicut profesi esti, manifesto sum quod accepi ad te Eriprando presbiter de ecclesia sancti Salvatoris, qui dicitur Curte regis abitator in civitate Verunensi inter argentum & alias merces valentem denarios bonos Veronenses libras octo finitum pretium per eas & omnibus rebus illis juris proprietatis mee, quem ego abere & posidere viso sum in finibus Veronensibus in valle Fontense in predicto loco & fundo Varano, & in ejus territorio per singulis locis, quod est in primis pecia una de tera cum casa paladicia una cum curte & orto & area & tera aratoria totum in simul tenentem ad locum, ubi dicitur super fontana, & tera cum vitibus ubi dicitur Murioni, & in Magrano & in Longara, & teris aratoreis ubi dicitur Pausadorio & in Fontesla & in Badalo & in Novale & teris predictis ubi dicitur Mandre & in Modoledo & Alovoga & in Costavulpi, & in Gazago, & Avenaro, & in Scavelinge & in Foligne, & a fluvio Adege & in Raize & in Oflena & in Selva bona, & Meantero, & in Cluxengnano & in Lagomagno etiam in valle Luvaria, atque in fluvio non longne da ecclesia sancte Marie terris, casalinis, & terris aratoreis per

Ad lib. XIX. n. 37.

per singulis locis, ut dictum est, terris casalinis, & terris cum vineis & terris aratoreis seu vigris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, sationalibus, rivis, rupinis, ac padulibus, coltis & incoltis, divisis & indivisis una cum finibus terminibus accessionibus, & cursibus aquarum, aquarumque ductibus, cum omni jure ajacentiis & pertinentiis earum rerum per locas & vocabulas ab ipsis casis & rebus pertinentibus in integrum. Que autem suprascriptis casis & rebus juris mei supradictis una cum accessionibus & ingressoras earum ceu cum superioribus & inferioribus suis earum rerum, qualiter superius legitur, in integrum, ab ac die tibi, qui supra Eriprando presbiter pro suprascripto precio vendo, trado, & mancipo, nulli aliis venditis, donatis, alienatis, obnunciatis, vel traditis, nisi tibi, & facias exinde a presenti die tu & eredibus aut cui tu dederis jure proprietario nomine quidquid volueritis sine omni mea & eredum meorum contradictione. Quidem & spondeo atque promitto me ego qui supra Martino una cum meos eredes tibi cui supra Eriprando presbiter tuisque eredibus, aut cui tu dederis suprascripta vendicione, qualiter superius legitur in integrum, ab omni omine defensare, quod si defendere non potuerimus, aut si vobis exinde aliquid per covis ingenium subtraere quesierimus, tunc in duplum eadem vendita, ut superius legitur, vobis restituamus, sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub estimatione in consimilibus locis. Et nec mihi liceat ullo tempore nolle quod volui, & quod ad me semel factum vel conscriptum est, inviolabiliter observare promitto cum stipulatione subnixa. Et nihil mihi ex ipsum pretium amplius aliquid redere dico. Actum in suprascripto loco Monteauri feliciter.

Signum manu suprascripto Martino, qui ac cartula vendicionis fieri rogavi suprascripto precio accepi, ut supra.

Signum manibus Dominico & Arduino atque Vuargento viventes lege Romana testes.

Signum manibus Martino & Deidado seu Dominicus testes.

Ego Johannes, qui & Uvaldo notarius sacri palacii rogatus, qui ac carta vendicionis scripsi, & post tradita complevi.

† Ego Manfredus judex domni regis ipsum autenticum vidi & legi, & ibidem continetur, sicut legitur in isto exemplo, & in hoc exemplo subscripsi.

† Ego Teuzo judex autenticum hujus exempli vidi, & in eo continebatur sicut in isto exemplo legitur, & in hoc exemplo subscripsi.

† Ego Albericus quondam Bonefacius notarius ipsum autenticum vidi & legi, & ibidem continebatur, sicut legitur in isto exemplo, & unc exemplum scripsi & complevi.

CXXVIII.

Placitum Beatricis ducissæ & comitissæ Thusciæ super ecclesia S. Michaelis, & curte Caspreni pro Ardimanno abbate Berardingæ.

Anno 1070. VIII. kl. junii.

Ex autographo penes auctores.

DUm in Dei nomine in civitate Florentia in p.... domui sancti Johannis batiste in judicio resedebat domna Beatrix ducatrix & commitissa ad justitias faciendas hac deliberandas, resedentibus cum ea Vvido & Seniorićto & Petrus Florentinus, & alio Petrus Senensis, & Johannes Aretinus judicibus, necnon & Vv....s & Sesmundum, & Benno causidicis, seo & Albertus & Bolgari comitibus, & Pagano filio Rollandi, & Ildebrando filio Vvidi, & Ildebrando filio Sigifredi, & Rollando filio Villani, & Ugo filio Sesmundi, & Alberto & Vvido germani filii Rodulfi, & Teuderico filio Ildebrandi, & Ragineri filio Gottiti, & Ragineri de Galbine, & Ubaldo filio Vvimildi, & Rodulfus filio quondam Termie, & Gittefredus filio Rustichi, & Benno filio Ardingi, & Uberto filio Raineri, & Siccelmo filio Vvidi, & Johannes vicedomino de Sena, & Ragineri filio Corbiti, & Dominico & Ractio de Sena, & Raineri filio Corbiti, & Ugo de Martuli, & Lamberto filio Baroni, & Alberto filio Martini, & Rollando filio Rollandi filio Bensi, & Ubaldo filio Ragineri, & Alberto de Verona, & Toscani filio Maconi, & Tetbaldo filio Baroni, & reliqui plures, ibique in eorum predictorum presentiis veniens Ardimanno abbas de ecclesia & monasterio sancti Salvatori, qui est posito in lo Fonte bona infra comitato Sena, una cum Gerardo avocato suo, & ceperunt dicere. Abemus & detinemus curte & re illa, que est posita in loco & vocabulo Caspreno, una cum ecclesia sancti Michaeli ibidem posita a parte de ipso monasterio, si ic est ul-

Ad lib. XIX. n. 15.

ullus homo, qui predicta curte & ecclesia, & res, qui agere & causare vult, parati sumus cum eo in ratione standum, & legitime finiendum. Et dum nemo se ibidem appresentasset, qui ipsa curte & res atque ecclesia causasset, tunc jam dicta domina ducatrix & commitissa per laudationem ipsorum judicum, per fuste, quas in manibus suis detinebat, misit bannum super predicto abbate & denominato avocato suo, & super denominatis rebus in mancusos aureos mille, ut nullus quislibet homo, magna parvaque persona prefato monasterio & jam dicto abbati vel suos successores devestire audead sine regale judicio, qui oc fecerit, componat predictos mille mancusos aureos compositurum se agnoscat medietatem parti camere domni regis, & alia medietatem a pars de ipsa ecclesia & monasterio, huncde anc notitia per securitatem & firmitatem & fuctura ostensione ostendendam fieri jussimus. Quidem & ego Rodulfus notarius ex jussionem jamdicte domine Beatrix ducatrix & commitissa & judicum ammonitionem scripsi, anno Dominice incarnationis millesimo septuagesimo post mille, octavo kld. junii indictione octava.

† Vvido judex sacri palatii interfui.

† Petrus judex sacri palatii interfui, & subscripsi.

† Senerectus judex sacri palatii interfui.

† Winizo causidicus causam cognizionaliter perhorans jubente domina subscripsi.

† Sismundus causidicus patrocinari partibus legum preceptis validus subscripsi.

† Petrus judex sacri palatii interfui, & manu mea libenter subs.

† Ego Benno causidicus, qui ad anc rationem orandam interfui, ss.

CXXIX.

Acto donat terras Murico abbati & monasterio S. Victoris de Clusis.

Anno 1070. mense novembri.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XIX. n. 16.

IN nomine patris & filius & spiritum sanctum anno domini pontificatu Dongno pape se in sede beatu Petrus princes appostolorum & sunt anni Domini mille septuainta & temporibus dongno Gotefredu dux & marchio angno ejus XIV. & die mense novemb. per indicione octava. Quoniam certus sum ego Acto presbiter filius quondam Johannis & Berta sororem sua, & nobis ambi in simul communiter cum nostra bona propria voluntate secundum mea Romana lege propter Dei timore & indullencia de anima de parentibus nostri & anime nostre, ut Deus & dominus noster Jhesum facia nobis & a illis indullencia ante tribunal Christi rogavimus cartula de terra nostra ad tibi sanctum Salvatore, & a beatu sanctus Victore, quod est edificati in fundo Vituriannu, & a Murico abbas, qui est abbas de ipso monasterio, & a vestrisque supcessoribus usque in perpetuum possidendu, iden est aliquis de terra nostra, que est posita infra ducatus Spolitinum infra territuriu Castellu Petrosu in vocabulo Bovanum, quod dicitur Canterio, & in le Rotelle, & in valle de Ferraria, est ipsa terra, primo latere riu, qui preterit per fundo Bovanum, secundum riu de fonte Dulmu, tertio latere sanctus Damianus, qui est edificatu in la ripa, quarto latere via, que preterit da Clave veniente riu de Bovanum, quod est primo latere, infra istis suprascriptis lateribus prenominate finis, quod est ipsa terra per ipsi vocabuli, sicut superius leitur, modiori nove est ipsa terra cum terris & aquis, aquimolis, vel decursibus aquarum, & cum omnibus pomis & arboribus sui, & cum omnia, que infra se vel super se abentes in integrum, ita ut ab odiernu die firmiter valeatis abere & possidere vobis suprascripte ecclesie, & tu suprascriptu abbas & vestrisque supcessoribus ad juris proprietatis in perpetuum possidendu, abendu & tenendu, & vindendi & donandi & faciendi quicquit volueritis, sicut superius leitur, & sine omnis calumnia, & abeatis vobis benefactori oracione de pro isto beneficio usque in perpetuum, in tali aut ordine expondimus & obligavimus nobis benefactori & nostris eredis ad te suprascripte ecclesie, & tu suprascriptu abbas & a vestrisque supcessoribus usque in perpetuum quod sit contra ista cartula propter anima nostra facta est disrumpere aut infrangere vel retollere aut falsare volueri per quamlibet hoccasione quicumque homo dicere vel coitare possit, veniamus in obligacione & siamus compostituri de bono ariento libre tres & pos pena data & opsoluta ista cartula firma & stabile permanea usque in senpiternum, & si da omnis homine, & da omnis persona non voluerimus autoriare aut defendere, sicut les est, cum extimacione de ipsa terra duppla & meliorata restituamus in ipsa loca

loca vel vocabuli, ficut superius leitur, cum omnia, que infra se vel supra se abentes in integrum.

† Sinnum manum de Acto presbyter, & Berta benefactori, qui ista cartula fieri scrivere rogavimus.

† Sinnum manum de Cunpo rogatu testu sumus.

Sinnum manum de Petrus filius de Johannis rogatu testu sumus.

Sinnum manum de Johannis de Martinum de Johannis rogatus testu sumus.

Et ego Adamo judice & notarius scrissi, complevit & clausit.

CXXX.

Ugo, Albertus & Rainerius fratres tradunt decimas suorum bonorum ecclesiæ S. Petri minoris prope Arretium in die consecrationis ejusdem factæ a Constantino episcopo Arretino.

Anno 1071. VIII. kl. februarii.

Ex autographo archivi SS. Floræ & Lucillæ de Arretio, Capf. Q. n. 14.

Ad lib. XIX. n. 19.

BReve commemorationis pro futuris & modernis temporibus qualiter factum est in comitatu Aretino non longe a civitate Aretina intus ecclesiam sancti Petri, qui vulgo cognominatur Picculo in presentia domni Constantini episcopi de episcopio sancti Donati martyris, & in presencia Guidoni sacri palatii notarii, & Pinco ac Nigro germanis filii quondam Johannis, & Johannis filius bone memorie Brigi Lamberto filius quondam Toti, Algozo filius bone memorie Fusconis, Rainerius ac Rolando germani filii quondam Guidonis, Rainerio filius Fusconis, ac coram presbyteris & diaconibus, qui ad consecrationem suprascripte ecclesie venerant, ibique in eorum presentia, & in presentia aliorum bonorum hominum adherant Ugo & Alberto & Rainerio fratribus filii quondam Petri, tunc suprascriptis fratribus, idest Ugo & Alberto & Rainerio per fuste, quibus eorum tenebat manibus pro redempcione anime jam dicti Petri genitori eorum, & pro anime eorum suorumque parentum remedio tradiderunt & perpetualem concessionem fecerunt in manu suprascripti Constantini episcopi vice jam dicte ecclesie sancti Petri de tota & integra eorum decimacione de frugibus, que Deus in omnibus eorum terris & vineis dederit, quibus jam dictis finibus habebant & detinebant, aut in antea Deo adjuvante adquisierint in toto suprascripto comitato Aretino. Tunc vero jam dictus Constantinus episcopus coram omnibus ibi adstantibus, qui ad consecrationem suprascripte ecclesie convenerant, ex sua parte, jam dicta decima eidem ecclesie tradidit, & in perpetuum ibi concessit. Factum est autem hoc in suprascriptorum presentia anno Dominice incarnationis millesimo septuagesimo primo regnante Henrico rege octavo kalendas februarii indictione nona feliciter.

† Ego Albertus, qui supra legitur, feci manu mea ss.

† Ego Wido similiter ex mea parte harum decimacionem meam concedo, & manu mea adfirmo.

Ego Wido sacri palatii notarius interfui, & hunc brevem scripsi, & ex mea parte complevi & dedi.

CXXXI.

Charta donationis factæ a VVillia monasterio S. Michaelis Pisarum.

Anno 1071. IV. kl. aprilis more Romano.

Ex archetypo ejusdem monasterii.

Ad lib. XIX. n. 20.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille septuagesimo secundo, quarto kal. aprilis indictione nona. Manifesta sum ego Willia filia Teuti, quia consentientes mihi Fralmo mundualdo meo, in cujus mundium ego esse visa sum, per hanc cartulam pro anime mee remedio, & pro remedio & anime Berti filius b. m. Bernardi offero Deo omnipotenti, & ecclesie & monasterii sancti Michaelis, qui est posito foras civitate Pisa prope porta, que dicitur Samuelis, ubi domnus Rusticus abbas preesse videtur, idest quartam portionem de uno petio de terra posito in loco, qui dicitur Carragna sancti Pepuli, capo uno tenet in terra & monasterium sancti Zenonis, & alio capo tenet in terra comunalia, lato uno tenet in Carraria, & alio lato tenet in terra & monasterio sanct.. Mazz... dicto, supradicto petio de terra quartam portionem ego, que supra, Willia, consentientes mihi supradicto mundualdo meo offero, do, trado, cedo predicto monasterio, ut quarta portio de predicta petia de terra sit in potestate supradicti Rustichi abbatis, vel suorum successorum, & habendi, ordinandi & dispen-

sandi legaliter, ut de proprietate predicti monasterii quartam portionem in integrum cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressoris suis, si ego, que supra, Willia consentientes mihi supradicto mundualdo meo, vel meus heres, colibet modo per aliquod ingenium intentionaverimus aut retollere vel subtraere quesierimus, partin predicti monasterii, aut si aparuerit ullo nostrum factum, quod impediat a predictam nostram offertionem ullo modo, aut quod contradicat supradicto abbati, vel suis successoribus facere exinde, sicut superius positum est. Et si supradicta mea offertione vobis ab omnis homines defendere non potuerimus, spondeo ego, que supra, Willia, consentientes mihi supradicto mundualdo meo, me, meosque heredes debere componere libras vinti octimi arienti pro predicto Rustichi abbate, vel suis successoribus a parti predicti monasterii, & post penam data predicta res ad monasterium suprascriptum per hanc cartula offertionis pro predicta portione pertinead, quia in tali ordine hanc cartulam offertionis ego Willia consentientes mihi supradicto Fralmo mundual. do Petrum notarium domini regis scribere rogavi. Actum Pisa prope ecclesia sanctorum Justi & Clementis.

Signum de manibus supradicte Willie, que hanc cartulam offertionis fieri rogavi.

Signum de manu supradicti Fralmi consentientes supradicte Ghisle.

Signum de manibus Rolandi & Ubaldi germanorum filii b. m. Soffredi testis.

Signum de man. Lamberti filius b. m. Lamberti judex testis.

Ego Henricus sacri palatii judex testis.

Ego Petrus notarius domni regis post tradita complevi & dedi.

CXXXII.

Altera donatio, quam fecit eidem monasterio Bella uxor Contulini.

Anno 1071. XIV. kl. octobris stilo Pisano.

Ex autographo supradicti monasterii.

Ibidem.

IN eterni Dei nomine. Tibi Deo, & monasterio, & ecclesie sancti Michaelis fundati foris urbem Pisam prope portam, que dicitur Samuelis. Ego quidem Bella quondam Bondie cum consensu Contulini, quondam Bosi, qui fuit quondam vir meus, consentiente ei Gerardo quondam Mindoni tutore suo pro anime dicti Bosi remedio & mee offero, dono, tradere per cartulam profiteor meam portionem, que est quarta de quarta, vel si quid amplius mihi pertinet de uno videlicet petio de terra posito in loco ubi dicitur Fossa bandi, cui ab uno capite coheret via Carraricia, ab alio vero capite coheret ei terra filiorum quondam Ursi de Soartia, latus unum tenet in terra Stephani filii quondam Gisalberti, & aliud latus in terra Homodei, & Rainerii quondam Cuntie. Proinde ego, que supra, Bella consentiente mihi predicto mundualdo meo, cum consensu tutoris sui jam dicti quicquid mihi de predicto fundo pertinet, quod Deo & predicto monasterio obtuli, promitto ut si ego, vel meus heres predictam meam donationem oblationis subtrahere quesierimus jam nominato monasterio vel ecclesie, aut si ab omni homine eam defendere non potuerimus, & non defensaverimus ad partem predicti monasterii vel ecclesie, aut si ullum nostrum factum vel datum aparuerit in contrarium huic oblationi, spondeo me, meosque heredes debere componere predictam donationem in duplum in ferquidem loco sub estimatione, & insuper libras decem Lucensium denariorum expendibilium cartula firma remanente abbati, qui pro tempore ibi fuerit ad partem monasterii. Actum foris civitatem Pise prope ecclesiam sancti Petri a Vinculis anno Dominice incarnationis millesimo septuagesimo secundo, quartodecimo kalend. octobris indictione decima.

Signum manus supradicte Belle, que per hanc cartulam ab Henrico sacri palatii notario consentiente sibi Contulino mundualdo suo, & ei consentiente Gerardo tutore ejus scribi rogavit.

Signa manuum mundualdi & tutoris suprascriptorum, qui, ut dictum est, consenserunt.

Signa manuum Johannis filii Barucci & Morelli quondam Bonardi testium.

Ego Romanus notarius domni regis rogatus testis.

Ego Henricus sacri palatii notarius post traditionem complevi, dedique.

CXXXIII.

CXXXIII.

Constantinus episcopus Arretinus confirmat monasterio Pratalienſi terras & ſilvam.

Anno 1071. menſe decembri.

Ex autographo archivi Fontis-boni. §. Donatio. n. 142.

Ad lib. XIX. n. 19.

IN Dei nomine anno Dominice incarnationis milleſimo ſeptuaieſimo primo menſe december indictione decima. Manifeſtus ſum ego Conſtantinus Aritinus epiſcopus & comes, quia pro Dei timore & redemptione anime noſtre & anteceſſorum, ſucceſſorumque epiſcoporum, judico & trado & confirmo imperpetuum jure monaſterio ſancte Marie & ſancti Benedicti, que eſt dedicata in avocabulo, qui cognominatur Pratalia, ubi modo eſt domnus Geronimus venerabilis abbas, ideſt integra una petia de cum ſilva ſuper ſe abentes, que eſt mea donicata, qui eſt ſupraſcripta terra de comitatu iſtius Artino de plebe ſancte Marie ſito Partina, & de caſale Martigano in vocabulo Veſpolo eſt per deſignantes locas de duo parti via, de tertia monte Agutulo, de quarta parte eſt tenimento de filii Taizoni de Partina infra ſupraſcripte deſignantes locas ipſa petia de terra cum ſilva ſuper ſe abentes, exſcepto, antipono uno campo de terra ſicut recto eſt per Rodolfo filio Guidoni de Partina integra ipſa terra & ſilva, ſicut ſupra leitur in integrum in prenominato monaſterio cum jus & directum, quem nobis de predicta terra, & res leibus pertinet, judico & confirmo in perpetuum abendum & tenendum, & fruendum ſine omnia mea & meorumque epiſcoporum contradictione, & quidem ſpondeo & obligo me, qui ſupra Conſtantinus epiſcopus & meos poſteros ſucceſſores, ſi predicta terra & res tollere vel minuare preſumſerimus a prenominato monaſterio, aut ſi eam ab onnibus omine &c. Actum Aritio feliciter.

† Ego Conſtantinus epiſcopus & comes ss.

Ego Paganus vicedominus ss.

Singno manibus Tebaldo filio quondam Berardi & Bonizo filio quondam Berardi & Rodolfo filio quondam Guidoni rogati ſunt teſtes.

Ego Teuzo notario ſcripſi & complevi.

CXXXIV.

Petrus filius Johannis donat terras monaſterio S. Victoris de Cluſis.

Anno 1071. VIII. kl. decembris.

Ex autographo archivi S. Blaſii de Fabriano.

Ad lib. XIX. n. 20.

† IN nomine Domini Dei Salvatoris ab incarnatione Domini noſtri Jheſu chriſti agni ſunt milleſimo ſetuageſimo primo, & factum eſt optavo kal. decenber per inditione nona. Manifeſtum eſt ego Petru preſens Johannis filius bona mea voluntate do, dono, adque concedo, & trado, & corroboro, & confirmo at tibi beatu ſanctum Victore, quod eſt edificatu in locu, qui dicitur Victurianu, & a tibi Murico abbati de ipſo monaſterio in perpetuum ad poſſidendu pro redentione anima mea, & animabus de parentis meis minuare digneris, quia ſi do ipſa mea res, qua ego abeo infra comitato Kamerinenſi, & in locu qui dicitur a lu Cuccu da ſanctum Johannes, qui eſt infra finis dacimem parte fine vie, & eſt ipſa res pro meſura modiorum ſes cum ipſa kaſa, que aloco videtur, & cum ipſa vinea, que aloca plantata eſt cum pomis arboribus ſuis cum omnia, que intro ſe vel ſuper ſe abentes in integru do a ipſo monaſterio in perpetuum ad poſidendu abeat, teneat, vindendi, commutandi, & omnia faciendi quidquid ad ipſo monaſterio oportum fuerit facere, & quaſi dico & obligo me Petru preſens & meis eredibus ad ipſo moneſterio, & a tibi abbati & a poſteri adque ſucceſſoribus veſtris, ſi qui iſta donatione contre agere vel falſare aut corrumpere voluerimus, & da qualibe omine defendere non potuerimus aut non voluerimus, duplas & meliorata ad ipſo monaſterio reſtituamus, & iſta donatione ſemper firma e ſtabile permanea &c.

Ego Grimalde judice not. ſcripſi.

† Sinu manu de ipſu donatore, qui iſta donatione fieri rogavit.

† Ego Boni filiu Johannis rog. tt.

† Ego Johannes de Johannes filiu rog. tt.

† Ego Letterico filiu de Boni rog. tt.

Pos roboratione teſtiu Grimalde judice notarius ſcripſi, & ſolvi & redidit.

CXXXV.

CXXXV.

Altera donatio facta eidem monasterio.

Anno 1072. II. junii.

Ex autographo archivi S. Catharinæ de Fabriano.

Ad lib. XIX. n. 33.

IN nomine Domini facta est in anni Domini ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi, quod sunt anni Domini mille sectuagesimo secundum & rennante donno papa Alesandriu e duo die infra mense juniu per indicione decima. Ideoque ego Amico e Johanne dedimus e tradimus e cambiavimus pro voluntate e consensu nostro sanctu Victore, qui est edificatu in loco, qui dicitur Victoriano, & a Morico evisco vu & ambas, qui est custode de sancto Victore de ipsa terra, que est in dugatu Spolitinu & infra castenlu Petrosu, & in loco, qui dicitur Summo lucolle, e de valle de Berni est insa terra primo latere &c.

Ego Johanne notarius scripsi & complevi, & inclausis.

CXXXVI.

VVilla uxor VValpiti tradit terras monasterio S. Michaelis Pisarum.

Anno 1072. III. kl. julii stilo Romano.

Ex originali ejusdem monasterii.

Ibidem.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo septuagesimo tertio kal. julii indictione decima. Manifesta sum ego Vvilla mulier Vvalpiti, & filia b. m. Rodilandi, quia consentientes mihi vir meus, ubi & secundum legem interesse videatur notitia Ughi judex sacri palatii, a quo secundum legem interrogata & cognita sum, quia nulla me passa sim violentia, set pura & ex integra mea bona voluntas sequentes edicti painam, consentientes mihi supradicto vir meus, per hanc cartulam pro anime mee remedio offero, dono ac trado omnipotenti Deo & ecclesia monasterii sancti Michaelis archangeli, que est fundato & edificato foras civitate Pisa prope porta, que dicitur Samuelis, ubi nunc domnus Rusticus abbas preesse videtur, idest meam portionem ex integra de una petia de terra illa, que est posita in loco & finibus Macajo, ubi dicitur orto de picho, qui uno capo tenet in via publica, & alio tenet in terra Vvidi quondam Ildebrandi, lato uno tenet in terra supradicte ecclesie monasterii sancti Michaelis, & alio lato tenet in terra Uberti quondam Bocchi, & de consortibus suis. De has supradicta petia de terra, qualiter ab omni parte circumdata est per designata loca, competit exinde mihi tertiam portionem, ipsa vero meam portionem exinde integram cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressoras suas omnipotenti Deo & predicte ecclesie monasterii sancti Michaelis archangeli consentientes mihi supradicto vir meus, offero, dono ac trado, & per presentem painam offertionis ibidem ad abendum confirmo, ut sit jure proprietatis supradicti monasterii ad usum, & sumptum, seu stipendia cunctorum monachorum, qui ibi modo militant, quam quod in antea militare videbuntur, sine omni mea, meorumque heredum contradictionem vel repetitionem. Si quis vero, quod futurum esse non credo; & si ego, que supra, Vvilla, quod apsit, vel meus heredes, seu quislibet mea opposita persona contra hanc cartula offertionis venire quandoque tentaverimus, vel si eam infrangere vel disrumpere quesierimus, & si nos permiserimus permanere, sicut supra decrevi, vel si eam a pars supradicte ecclesie monasterii sancti Michaelis, ejusque rectoribus supradicta tertiam portionem de supradicta petia de terra in duplum in ferquidem loco sub estimationem quales tunc fuerit, sic tamen si nos rectores de supradicto monasterio exinde auctores, nec defensores querere nec dare noluerint, licentiam abeant apsque nostra persona exinde causas agendi, responsum reddendi, finem ponendi, modis omnibus eas defensandi a pars supradicti monasterio cum cartula ista, vel qualiter justa legem melius potuerint, quia in tali ordine hanc cartulam offertionis Vvido notarius domini regis scribere rogavi. Actum infra supradicto monasterio sancti Michaelis archangeli.

Signum de manu supradicte Vville, que hanc cartulam offertionis fieri rogavit.

Signum de manu supradicti Vvalpiti viro ipse ei Vville consentientes.

Ego Hugo judex sacri palatii interfui.

Signum de manibus Uberti filio b. m. Lei testis.

Signum de manu Boniti filio b. m. Junii testis.

Si-

Signum de manu Vvidi, filio Vvidi, qui est monachus testis.

Ego Vvido notarius domini regis post tradita complevi & dedi.

CXXXVII.

Privilegium Alexandri II. papæ concessum Rustico priori Camaldulensi, ejusque eremo.

Anno 1072. IV. kl. novembris.

Ex autographo Camaldulensi, §. Privilegia. A. I. 13.

Ad lib. XIX. n. 32.

ALexander episcopus servus servorum Dei Rustico priori & cuncte ejus congregationi de loco, qui dicitur Campus amabilis, in perpetuum. Nulli fidelium venit in dubium, quin sedis apostolica, eo quod princeps existat omnium ecclesiarum, omnibus hoc jure & debita solicitudine ecclesiis preesse debeat, ut non solum eas catholicæ religionis unitate concludat, sed generaliter ab his, que extrinsecus promoventur, sua auctoritate salvet & muniat. Inter quas tamen complures inveniuntur, que speciali & propria commendatione in tutelam ejusdem sedis apostolice se contulere, & speciali caritate & studio sue matris amplexe, securiores & liberiores ab omni infestatione consisterent. Quas, ut dignum erat, ita in suo sinu Romana suscepit ecclesia, tantaque protexit undique diligentia, ut omnibus ornamenta prestet, nonnullis quoque & gratiam conferat amplificationis. Cujus rei nobis plurima exempla sanctissimi viri precessores nostri reliquere, qui ante nos in ea, quam diximus, apostolica sede fulgentes pro honore ecclesiarum Dei & earum exaltatione, magis quam pro vita, aut salute sua soliciti fuere. Novimus monasteria plurima & cetera ecclesiastica bona, que a religiosis viris ad patrocinium & defensionem apostolice sedis sunt delata, cum summa caritate ab illis suscepta & privilegio apostolice defensionis, quasi muro munita firmissimo. In qua re quam sancte fecerint, & illorum nobis ostendit gloria, & ipsius rei tam fructuosa gratia. Nam cum oratoria in pace & tranquillitate consistunt, ecclesiastica beneficia pauperes Christi nutriunt, laus Deo condigna depromitur, & remedia peccatorum tam vivis quam defunctis pie impenduntur. Unde nos in eadem apostolica sede non nostris meritis, sed divina locati gratia oratorium sancti Salvatoris in Campo amabili constructum, & omnes cellas ipsi adherentes, & circumcirca adjacentes & omnia ad ipsum pertinentia communi rogatione fratrum in tutelam apostolice auctoritatis & nostram, successorumque nostrorum suscipimus defensione, salva quidem sue matricis ecclesie debita & canonica reverentia. Volentes, ut tam pia fidelium animarum, a quibus idem oratorium fuit inceptum, & adhuc usque productum, Deo crescat & illis eorumque posteris & successoribus ad salutem corporis & anime proficiat. Sic denique ipsum oratorium & predictum locum cum omnibus cellulis & hospitiis suis seu universis rebus ad eum pertinentibus in nostram defensionem suscipimus, ut tam illa que modo habere & tenere videtur, quam que in antea Deo largiente juste acquirere poterit ubicumque posita fuerint, sub apostolice sedis custodia & tuitione consistant. Primo itaque loco ponimus eremum & oratorium situm in loco, qui dicitur Campus amabilis; secundo hospitium ejus, quod dicitur Fons bonus, tertio cenobium, quod est constructum in loco, qui dicitur Cerreto, qui est infra comitatum Vulterrensem; quarto in loco, qui dicitur Agna; quinto in loco, qui dicitur, Monte & Soci; sexto in loco, qui dicitur Arcina, septimo in loco, qui dicitur Chaliano & Punina: octavo in loco, qui dicitur in Chio & ecclesia sancti Savini; nono in loco, qui dicitur Fogiano. Sancimus igitur hoc nostro privilegio, ut neque rex, imperator, dux, comes, aut pontifex, aut aliqua persona idem oratorium, aut fratres ibi Deo servientes, ejusque territoria, aut aliqua sibi juste modo aut antea pertinentia invadere aut molestare vel aliquo modo inquietare presumat. Libertatem vel licentiam ecclesiastici juris, quem hucusque habere visi sunt, seu quem juste in antea habere poterunt in hac eadem serie confirmamus, & perpetuam fore statuimus. Ne quis etiam malas consuetudines superinducat, quibus idem oratorium a sua religione turbetur apostolica auctoritate prohibemus. Ita tamen volumus & constituimus, ut jam dictum oratorium cum cellis suis omni tempore eo modo atque tenore, quo prius inchoatum est, & ad nostra usque tempora productum manet in suo vigore atque stabilitate, scilicet ut semper eremitico tramite contemplative vite celsitudine perseveret. Nec liceat cuiquam unquam aut abbatem ibi ponere aut cenobium

nobium facere, sed semper solitarie vite locus ipse sit deditus, & firmitate continua dedicatus. Hoc quoque vestra caritate rogante, & huic apostolice sedis privilegio annectimus, ut si quando opportunum fuerit aliquem ex vestra congregatione in ecclesiasticos gradus ordinari, & episcopus, ad cujus parochiam jam pertinet predictum oratorium sancti Salvatoris, seu aliqua ex ecclesiis, vel cellulis vestris in antea pertinebit, Simoniaca heresi fuerit depravatus, ut rite & canonice episcopale non possit implere officium; tunc libera facultas & licentia pateat vobis adire catholicum & beneviventem episcopum ubicumque in vestra vel proxima provincia inveniri potuerit, ut ab ipso in ecclesiasticis gradibus & officiis ordinari ex vestra congregatione dignus esse possit. Sacris enim canonibus, & bonis congruit moribus, ut sicuti, qui ordinandi sunt bone vite recteque scientie existere debent; sic juxta Apostoli sententiam, illi, qui manus ordinandis imponunt, irreprehensibiles, & absque crimine inveniantur. Si quis autem temerario ausu, quod fieri non credimus, contra hujus nostre apostolice auctoritatis confirmationis seriem agere tentaverit, sciat se esse excommunicatum a beato Petro Apostolorum principe, & nostra apostolica auctoritate. Qui vero custos & observator hujus nostri privilegii extiterit, benedictionis gratiam & vitam eternam a Domino Deo consequi mereatur.

Datum Luce IIII. cal. novembris per manus Petri sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis & bibliothecarii anno duodecimo pontificatus ipsius domini Alexandri pape secundi indictione x.

CXXXVIII.

Herimannus episcopus Volaterranus introducit Camaldulenses in monasterium S. Marie de Pulliciano, ut illud reforment.

Anno 1073.

Ex tabulario archiepiscopii Pisani.

Ad lib. XIX. n. 35.

IN nomine sancte, & individue Trinitatis, scilicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Magna consideratione est studendum prelatis omnibus, ne ovilis sibi commissa cura fiat proclivior eorum negligentia. Si vero, quod absit, ad devia pervenerit, tunc ipsa prelatio est illis plus anime detrimentum, quam fiat salutis incrementum. Illi autem, cui divina hoc annuit gratia, ut salubriter procuret, que sibi sunt commissa, illi datur revera jam contemplari celestia. Ergo si adeo est vigilandum ipsis, qui presunt cenobiis, monasteriis, congregationibusque aliis, nobis quantis, quibusque modis est sudandum, qui curam pastoralem habere videmur, qui sub nomine patrum vivere censemur. Valde insuper est nobis cavendum illud evangeliorum: Sint lumbi vestri precincti, & lucerne ardentes in manibus vestris. Ardere lucernas tunc in nobis pro certo curamus, cum boni pastoris vestigia sequimur. Consideremus diligenter quid sacra pagina insonat terribiliter: Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Qua in re nos esse sollicitos oportet vigiles, ne hostis malignus nostros possit invadere greges. Decet quoque nos esse studiosos procuratores per monasteria, per canonicas congregati fratres, quo religionis more sub quo statu obedientie suam regulam observantes maneant; Unde ego Herimannus omnium episcoporum infimus promere nequeo, dicere non valeo, quanto dolore concutior, quanto merore commoveor, quod ego non fui sollicitus in supradictis rebus, sed quamquam ad omnia, que debui plus merito incuriosus extiti. Est mihi quoddam monasterium, quod est situm in loco, qui dicitur Pulicianum, quod huc usque non stetit odine. quo debuit. Nam fratres ibi hactenus degentes non juxta beati Benedicti precepta steterunt, sed potius multis voluptatibus, pluribusque lasciviis dediti vixerunt. Qua de re multotiens condolui, multisque vicibus deflevi, quod invenire nequiveram monachum, Deum timentem, regulam diligentem, quem illis possem constituere patrem. Deo tandem favente, eodemque concedente, prout mihi erat desiderio, quem diu desideraveram, quem longo tempore quesieram, inveni loco supradictum fratrem idoneum Divinis moribus instructum, quem multis precibus, multisque supplicationibus postulavimus. Demum tamen devictus nostris adquievit consiliis communi consensu fratrum ibi degentium, communi voluntate nostrorum fidelium. Hunc tamen aliter superare nequivimus, nisi abbatie respueremus potestatem imperandi, & faciendi illas res, quas inibi feceramus usque

que ad illud tempus, excepta abbatie investitura, & abbatis consecratione divina. Si autem vel ego, vel mei successores per meos, aut per suos tante presumptionis fuerimus, ut per annum exinde studiose accipiamus ultra unum bizantium, & infra dies xxx. non emendaverimus, si tamen intra patriam & incolumes fuerimus, & ab abbate, aut a ceteris fratribus inquisitum fuerit, C. libras de auro loco pene persolvamus; medietatem heremitorio de Camalduli, medietatem potestati, cui conquesti fuerint. Abbates vero vel monachi prefati monasterii de Puliciano si istigante Diabolo mediocres fuerint, prior prenominati loci de Camalduli habeat potestatem trahendi reos ac mittendi bonos. Hoc scriptum ego Herimannus omnium episcoporum minimus confirmo & generali synodalis concilii consensu celebrato octavo idus mensis augusti illud corroboro, & anathematis vinculis, & auctoritate sanctorum patrum, & ex potestate mihi indigno concessa a Domino illum maledico & excommunico, & a gremio sancte ecclesie separo, & a fidelium consortio illum secerno. Qui commutare vel rumpere hoc factum studiose, & se sciente voluerit, & qui consilium dederit, nisi condigne satisfecerit.... Ad salutem enim anime mee, meorumque precessorum ac successorum episcoporum hoc est visum mihi juste fecisse.

Ego Herimannus Dei gratia episcopus confirmavi & subscripsi.
Ego Farolfo archipresbyter ss.
Ego Ugo archilevita ss.
Ego Petrus presbyter & canonicus ss.
Ego Dominicus presbyter ss.
Ego Azo Levita ss.
Ego Guido subdiaconus ss.

CXXXIX.

Commutatio terrarum facta ab Adelasia filia Jannecti cum Petro abbate S. Gregorii de Urbe.

Anno 1073. III. januarii.

Ex codice membranaceo ejusdem monasterii, pag. 229.

Ad lib. XIX. n. 38.

IN nomine Domini. Anno Deo propitio pontificatus domini Alexandri summi pontificis & universalis secundi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli .... mensis januarii die tertia. Ego quidem Adelascia filia quondam Jannecti de Sariano consentiente Centio filio Leonis de......& do, trado & inrevocabiliter committo tibi domno Petro religioso abbati venerabilis monasterii sanctorum Andree & Gregorii quod est in Clivus Scauri, proprietatem ipsius monasterii in perpetuum: id est unam pedicam terre sementaritie, cultum vel incultum, cum arboribus & pertinentiis positis foris portam Appiam in casale, quod vocatur Moreni, non longe a Mandra Camellaria juxta rivum, qui vocatur de Moreni, ab uno latere via Albanensis, ab alio est terra Alcherii, a tertio est terra Farulfi, a quarto vero latere est vinea heredum Johannis........ Guidonis de Jojo. Insuper do & similiter committo vobis unum petium terre sementaritie cum omnibus suis pertinentiis ibi ipso loco..... & inter hos affines....... &c. qualiter mihi competunt per successionem predicti patris mei, vel per quemcumque modum....... &c. ad opus & proprietatem predicti venerabilis monasterii do, trado & committo, eo quod per commutationis cartulam ad earum vicem recompen...... dedisti unam pedicam terre sitam foris predictam Appiam portam in capite hortis, qui dicuntur Perrectis via Ardeatina...... ut omni anno in assumptione sancte Marie persolvam una cum heredibus meis exinde vobis monasterioque vestro unum modium grani, & unum ordei nomine..... illum modium cum quo vestris agricolis vobis persolvant quartam &c. Cartula hec firma permaneat, quam ut scriberet, & ad eam confirmandam pro me signum manus faceret coram subscriptis testibus, rogavi Raynerium scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione predicta undecima.

Signum †† manu predicte Adelascie hujus rogatricis cartule & Centii mariti sui..... ad confirmanda & corroboranda, que superius leguntur.
Centius filius Johannis Theodoresi testis.
Johannes de Leone de Bonizo testis.
Franco filius Benonis de Fusco testis.
Gregorius, qui cognominatur Squarcacila, testis.
Petrus filius Johannis de Gizo testis.
Ego Raynerius scriniarius sancte Romane ecclesie complevi & absolvi.

CXL.

Rainerius filius Guidonis comitis promittit Benedicto abbati S. Salvatoris de Sexto nullam molestiam vel gravamen amplius se illaturum eidem monasterio.

Anno 1073. III. idus januarii.

Ex autographo archivi S. Pontiani de Luca.

Ibidem.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi Dei eterni anno ab incarnationis ejus millesimo septuagesimo tertio idibus januarii indictione undecima. Manifestus sum ego Raineri filius Guidonis comitis & nepos Raineri item comes, quia tu Wido filius Rodulfi dedisti mihi meritum argentum pro solidis centum, propterea per hanc repromissionis paginam repromitto tibi, qui supra Wido filio Rodulfi, pro persona Benedicti abbatis, que Joco vocatur, de ecclesia & monasterio domini Domini & Salvatoris sito Sexto, ut da ad modum in antea nunquam ullo tempore non habeamus potestatem neque licentiam, nec ego qui supra Raineri comes, neque meis heredibus, neque ulla nostra summissa persona, cui nos dedissemus aut dederimus tibi qui supra Wido filio Rodulfi, aut ad suprascripto Benedicto abbas de ecclesia & monasterio de Sexto, vel ad posteris que successoribus ejus, sive cui vos dederitis vel habere decreveritis intentionandi, nec subtrahendi, nec minuandi, neque molestandi, aut ullam vim faciendi, neque per albergariam seo per placitum fatigandi nullum de omnibus casis & terris seo rebus, quas modo habetis, sive in antea acquirere debeatis infra territorio Vulterense sive Lucense, vineis, olivetis, silvis, virgareis, pratis, pascuis, cultis rebus, vel incultis, quantas infra suprascriptis territoriis inveniuntur, quas modo habetis aut in antea adquisieritis. Insuper omnem debitum censum & justitiam ad prefato monasterio Domini Salvatoris, sive ad eorum ministerialem per singulos annos adimplere debeamus. Et si aliquo tempore ego qui supra Raineri comes sive meis heredes vobis qui supra Wido & Benedicto abbati ejusque successoribus &c. in aliquod exinde intentionaverimus aut retolli vel subtrahi quesierimus, nos vel ille homo, cui nos eas dedissemus aut dederimus per quodlibet ingenium, spondeo ego qui supra Raineri comes una cum nostris heredibus, aut si debitum censum ad prefato monasterio per singulos annos non dederimus sive omnia, sicut superius legitur, non observaverimus compr.... vobis qui supra Wido filio Rodulfi & Benedicto abbati, qui Joco vocatur, vel ad posterisque successoribus &c. penam argentum optimum libras sexaginta, & hanc promissio omni tempore in sua permaneat firmitate ac robore, quia taliter inter nos convenit, & ita in hoc ordine hanc promissionem Ildebrandum notarium domini imperatoris scribere rogavi. Actum in loco juxta plebem, que dicitur a Pino.

Signum domini suprascripti Raineri comitis, qui hanc promissionem fieri rogavit.

Signum domini Widi quondam Raineri de Latereto rogatus tt.

Signum domini Ildebrandi quondam... de loco Clanni rogatus tt.

Signum domini Bandi quondam........ de Palaja rogatus tt.

Signum domini Rodulfi quondam Bretuli qui Inganna majore vocatur, rogatus tt.

Signum domini Bonithi qui Lungo vocatur de loco Vvinciolo, rogatus tt.

Ildibrandus notarius domini imperatoris post tradita complevi & dedi.

CXLI.

Jucundus præpositus canonicæ Arretinæ concedit eremo Camaldulensi decimas castri de Mojona.

Anno 1073. mense junio.

Ex autographo ejusdem eremi, §. Donatio. n. 146.

Ad lib. XIX. n. 35.

IN Dei nomine anno Dominice incarnationis millesimo septuagesimo tertio regnante Henrico rege mense junio indictione undecima. Et ideo ego donnus Jocundus archidiaconus & prepositus canonice sancti Donati qualiter ad libellario nomine dedi tibi donno Martino heremite & tuis confratribus heremitis vestrisque successoribus heremitis degentibus in eremo, qui dicitur Camaldoli, idest decimam de curte nostra de Mojona de pane & vino & ortis de illa terra, que modo est laboratoria ad nostram manum donnicata, & de manentia infra predicta curte, eo tenore ut vos & vestri posteri successores eam ad vestram manu habeatis & teneatis usquedum in ere-

eremitica vita vos & vestrij successores permanseritis, sicut modo manetis, & non habeatis licentiam eam dandi nulli homini in beneficio, neque in cambio vel alio quolibet modo, quem homo in se cogitare possit. Et si hoc feceritis ista nostra donatio in nos redeat, ea videlicet ratione eam vobis dedimus, ut vos & vestri successores omni tempore oretis pro nobis & nostris successoribus prepositis & canonicis, nam nichil amplius vobis exinde imposuerimus, nisi quod supra legitur. Ego predictus prepositus obligo me & meos posteros successores tibi predicto donno Martino tuisque fratribus vestrisque successoribus heremitis, si predictam decimam vobis tollere vel minuere vel aliquod superfluum vobis exinde imposuerimus, nisi quod supra legitur, tunc componere promitto & conponamus vobis penam denariorum Lucensium solidos viginti. Iterum promitto ego Martinus & obligo me & meos confratres heremitas nostrosque successores tibi predicto preposito tuisque successoribus nos omnia observaturos, sicut superius legitur, ex parte nostra, & si non observaverimus vel eam alicui dederimus, hec donatio sit vacua, & insuper conponamus vobis similem penam sol. viginti, unde duo libelli inter nos facti qualiter, ut superius legitur, Farolfo notarius scribere rogavimus. Actum Aritio feliciter.

† Ego Jocundus archidiaconus & prepositus in hoc libello a me facto ss.

Ego Johannes presb. & canonicus ss.

Ego Ildebrandus presb. & canonicus ss.

Ego Arnulfus diaconus & canonicus ss.

Ego Ubertus diaconus & canonicus ss.

Ego Bonizo canonicus & subdiaconus ss.

Signum manuum Uberti filius Bunici & Ildibrandi filius quondam Griffi, qui fuit notarius, & Elie filius Petri medico rogati testes.

Ad lib. XIX. n. 35.

Ego Farolfo notarius scripsi & complevi.

CXLII.

Testamentum Randi filii Bulgari, quo reliquit eidem eremo sua jura in ecclesias & castra territorii Castri-felicitatis.

Anno 1073. mense junio.

Ea archetypo prædictæ eremi. §. Donatio. n. 147.

Ad lib. XIX. n. 36.

IN Dei nomine anno Dominice incarnationis millesimo setuagesimo tertio regnante Enrico rege mense junius indictione XI. Manifestus sum ego Rando filio quondam Bulgari, qualiter per anc cartula judicati, & oc meum testamentum & ofersionis judico & trado & offero tibi in ac ecclesia sancti Salvatoris de Camaldulo, ubi dicitur Campo amabilis, tota & integra res mea, que est juris mea, sicuti mihi succeffi da genitore & da genitrice mea per traditione aut venditione, & pro quolibet ingenio est ipsa res in comitato Castro felicitatis infra plebe sancte Marie sita Munte, & medietatem de castello de Planterano cum tertia mea portione de ecclesia sancti Laurentii de Castello & infra plebe sancti Petri sitam Teverina, & meam portionem de castello de Corzano, & ecclesia sancti Angneli de ipso castello, & meam portionem de castello de Veturita & in plebe sancti Donati de Opiano, excepto antepono manso, qui reitur pro Castulo filio Qualfridi & infra plebe sancte Marie sita Camorra, meam portionem e castello de Pietina & ecclesia sancti Leo & de ecclesia sancti Martini Aperito, & uno servo nomine Arnaldo filio Casoli cum omne suo servitio & agnatione cum filiis & filie, qui de eo nati vel procreati fiunt, antepono uno manso in Teverina qui est recto per Guido massario in loco, qui dicitur Bovegnano, ideo tam predicta res cum solamentis cunctis & edificiis ejus curtis ortas, vineis, terris, pratis, campis, silvis, vel reliquis pumiferis, aquis, rivis, cultum & incultum, tam de casis donnicatis, quam de massaritiis rebus ubicumque dicta res esse invenitur, aut esse pertinentes, excepto quanta anteposita abeo ego jamdicto trado tibi in predicta ecclesia sancti Salvatoris predicta res in integrum judico & trado & offero tibi in predicta ecclesia pro redemtionem & remedio anime mee & remedio anime genitoris & genitricis mee, unde mihi Dominus in bonis mercede tribuat &c. Actum Aritio.

Singno mano de jam dicto Rando, qui anc cartula manu sua scribere rogavi.

Singno manibus Ugo filio Ugonis, & Belino filio Bonizi & Uberto filio Gerardi, & Gerardo filio ejus, & Ubaldo filio Raineri rogatis testes.

Ego Bernardus notarius scripsi & complevi.

CXLIII.

VVelso dux Bavariæ offert monasterio Vangaticiensi ecclesias S. Mariæ, & S. Petri de Alberedo, & capellam S. Salvatoris de Verona cum terris & decimis.

Anno 1073. XI. julii.

Ex apographo archivi Vangaticiensis.

Ad lib. XIX. n. 37.

IN nomine Domini Dei eterni anno ab incarnacione Domini nostri Jesu Cristi M. septuagesimo tercio XI. kal. julii indictione X. Monasterio sancte Marie Dei genitricis semper virginis sita super flumen Atesis in finibus Vangaditie, in loco qui dicitur Petra, ubi nunc presenti tempore domnus Petrus venerabilis abas ipsius monasterii ordinatus & rector esse videtur. Ego quidem in Dei omnipotentis nomine Welfo Dux Barrianorum... filius marchionis Azonis, qui professus sum ex natione mea lege vivere Langobardorum, consentiente mihi quoque suprascripto genitore meo, & suptus confirmante, offertor & donator ipsius monasterii propterea dixi. Quisquis &c. Ideoque suprascriptus Welfo Dux dono & offro in eodem monasterio sancte Marie a presenti die & hora ad suam proprietatem ad habendum pro anime mee & genitricis mee Cunice seu parentum meorum mercedem, id est duas ecclesias in comitatu Vincentino sitas in loco, qui nominatur Albaredo, una in honorem sancte Marie constructa, alia ecclesia in honore sancti Petri cum cimiterio & cum omnibus ad easdem ecclesias pertinentibus, & integram decimam, que debet dari omnibus habitantibus in predicto loco Albaredo, & capellam unam infra civitatem Veronam, que est edificata in honorem sancti Salvatoris ejusque genitricis super flumen Atesis cum caminata & curte totum in simul tenente cum casis & ortis areis curtibus & omnibus rebus adpositis ad eamdem ecclesiam pertinentibus tam intra civitatem Veronam, quamque & de foris, que sunt posite in ipsis casis & rebus tam infra dictam civitatem Veronam non longe a predicta ecclesia domni Salvatoris, ejusque genitricis Marie, quamque & de foris in valle Paltenate & in valle Fortes ad locum, qui nuncupatur Varano, da ipso loco per cetera loca usque in Vellum, seu & in loco & fundo Porcile ibidem per aliis certis quibuscumque locis & vocabulis ad ipsas ecclesias pertinentibus in integrum. Quas autem suprascriptas ecclesias cum casis & ortis & areis, curtibus & omnibus rebus sibi pertinentibus ab hac die in eodem monasterio habendum confirmo eo videlicet ordine, dono & offero, & per presentem cartulam offersionis in eodem monasterio ut predictus donnus Petrus abas vel ejus successores faciant de easdem ecclesias & omnibus predictis rebus ad easdem pertinentibus, sicut de ceteris rebus ipsius monasterii pro anime mee & genitricis mee Cunice seu parentum meorum mercedem, & despondeo adque promitto ego, qui supra, Welfo dux Barrianorum una cum meis heredibus &c. hanc enim cartulam offersionis mee paginam Rozoni notario tradidi & scribere rogavi, in qua ic super confirmans testibusque obtulit roborandam. Actum in loco Adeste feliciter.

Signum manus suprascripto Welfo dux Barianorum, qui hanc cartula offersionis fieri rogavi, & omnia suprascripta.

Ego Rozoni notarius hujus cartule offersionis scripsi & post tradita complevi.

CXLIV.

Privilegium Gregorii VII. papæ pro eremo Camaldulensi.

Anno 1074. XIII. kl. aprilis.

Ex veteri authentico archivi S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XX. n. 2.

GRegorius episcopus servus servorum Dei Rustico priori & cuncte ejus congregationi de loco, qui dicitur Campus Amabilis in perpetuum. Nulli fidelium venit in dubium, quin sedes apostolica, eo quod princeps & mater omnium ecclesiarum, omnibus hoc jure & debita sollicitudine ecclesiis preesse debeat, ut non solum eas catholice religionis unitate concludat, sed generaliter ab his, que extrinsecus promoventur, sua auctoritate salvet & muniat. Inter quas tamen complures inveniuntur, que speciali ac propria commendatione in tutelam ejusdem sedis apostolice se contulerunt, ut speciali caritate & studio sue matris amplexe securiores & liberiores ab omni infestatione consisterent. Quas, ut dignum erat, ita in suo sinu Romana suscepit ecclesia, tantaque protexit undique diligentia, ut omnibus ornamenta, prestaret, nonnullis quoque gratiam conferret amplificationis. Cujus rei plurima nobis exempla sanctissimi viri precessores nostri reliquerunt, qui ante

nos

nos in ea, quam diximus, apostolica sede fulgentes pro honore ecclesiarum Dei & earum exaltatione magis quam pro vita aut salute sua solliciti fuerunt. Novimus enim monasteria plurima & cetera ecclesiastica bona, que a religiosis viris ad patrocinium & defensionem apostolice sedis sunt delata, cum summa caritate ab illis suscepta, & privilegio apostolice defensionis quasi muro munita firmissimo. In qua re quam pie, quam sancte fecerint, & illorum nobis ostendit gloria, & ipsius rei tam fructuosa gratia. Nam cum oratoria in pace & tranquillitate consistunt, & ecclesiastica beneficia pauperes Christi nutriunt laus Deo condigna depromitur, & remedia peccatorum tam vivis, quam etiam defunctis pie impenduntur. Unde nos in eadem apostolica sede non nostris meritis sed divina locati gratia, oratorium sancti Salvatoris in Campo Amabili constructum & cellas ipsi adherentes & circum circa adjacentes, sive omnia ad ipsum pertinentia communi rogatione fratrum in tutelam apostolice auctoritatis & nostram, successorumque nostrorum suscepimus defensionem. Salva quidem sue matricis Aretine ecclesie debita & canonica reverentia. Volentes, ut tam pia collatio fidelium animarum, a quibus idem oratorium fuit inceptum, & huc usque perductum Deo crescat, & illis eorumque posteris & successoribus ad salutem corporis & anime proficiat. Sic denique ipsum oratorium & predictum locum cum omnibus cellulis & hospitiis suis, seu universis rebus ad eum pertinentibus in nostram defensionem suscipimus, ut tam illa, que modo habere & tenere videtur, quam que in antea, Deo largiente, juste adquirere poterit, ubicumque posita fuerint, sub apostolica custodia & tuitione consistant. Primo itaque loco ponimus heremum & oratorium situm in loco, qui dicitur Campus Amabilis. Secundo hospitium ejus, quod dicitur Fons bonus. Tertio cenobium, quod est constructum in loco, qui dicitur Cerritum, qui est infra comitatum Vulterrensem, necnon & abbatiam sancte Marie virginis supradicto loco adherentem, positam in loco, qui dicitur Puliciano. Quarto in loco, qui dicitur Agna. Quinto in loco, qui dicitur Monte & Soci. Sexto in loco, qui dicitur Arcina. Septimo in loco, qui dicitur Caliano & Punina. Octavo in loco, qui dicitur in Chio, & ecclesia sancti Savini. Nono in loco, qui dicitur Fogiano. Sancimus igitur hoc nostro privilegio, ut neque rex, imperator, dux, comes, aut pontifex, aut aliqua persona idem oratorium, aut fratres ibi Deo servientes, ejusque territoria, aut aliqua sibi justo modo aut in antea pertinentia invadere, aut molestare, vel aliquo modo inquietare presumat, libertatem aut licentiam ecclesiastici juris, quam huc usque habere visi sunt, seu quam in antea juste habere poterunt, in hac eadem serie confirmamus & perpetuam fore statuimus. Ne quis autem malas consuetudines superinducat, quibus idem oratorium a sua religione turbetur, apostolica auctoritate prohibemus; hoc tamen volumus & constituimus, ut jam dictum oratorium cum cellis suis omni tempore, eo modo, atque tenore, quo prius inchoatum est, & ad nostra usque tempora perductum, maneat in suo vigore atque stabilitate, scilicet ut semper heremitico tramite, & contemplative vite celsitudine perseveret, nec liceat cuiquam aut abbatem ibi ponere, aut cenobium facere, sed semper solitarie vite locus ipse sit deditus, & firmitate continua dedicatus. Hoc quoque vestra caritate rogante, ut hic apostolice sedis privilegio annectimus, ut si quando opportunum fuerit aliquem ex vestra congregatione in ecclesiasticos gradus ordinari, & episcopus, ad cujus parochiam pertinet jam dictum oratorium sancti Salvatoris, seu aliqua ex ecclesiis vel cellis vestris in antea pertinebit, simoniaca heresi fuerit depravatus, ut rite & canonice episcopale non possit implere officium, tunc libera facultas ac licentia pateat vobis adire catholicum & bene viventem episcopum ubicumque in vestra vel proxima provincia inveniri poterit, ut ab ipso in ecclesiasticis gradibus & officiis ordinari & consecrari ex vestra congregatione, qui dignus est, possit. Sacris enim canonibus & bonis omnino congruit moribus, ut sicut hii, qui ordinandi sunt, bone vite, recteque scientie existere debent, sic, juxta apostoli sententiam, illi qui manus ordinandis imponunt, inreprehensibiles & absque crimine inveniantur. Si quis autem temerario ausu & incorrigibili temeritate, quod fieri non credimus, contra hujus nostre apostolice auctoritatis & confirmationis seriem agere temptaverit, sciat se auctoritate apostolorum Petri & Pauli districte animadversioni sententiam subiturum. Qui vero custos & observator hujus nostri privilegii extiterit, benedictionis gratiam & vitam eternam a Domino Deo consequi mereatur.

Da-

Datum Rome XIII. kal. aprilis per manus Petri sancte Romane ecclesie presbiteri cardinalis archibibliothecarii anno primo pontificatus VII. Gregorii pape, anno videlicet Dominice incarnationis millesimo septuagesimo quarto indictione tertiadecima.

CXLV.

Constantinus episcopus Arretinus donat eidem eremo praedium in plebe Partinae.

Anno 1074. mense majo.

Ex veteribus summariis Fontis-boni, pag. 62.

Ad lib. XX. n. 3.

CONstantinus episcopus Arretinus cum consensu suorum canonicorum per se suosque successores in perpetuum pro remedio anime sue suorumque antecessorum & successorum donavit & obtulit Camalduli heremo jus, & proprietatem totius poderis cum terris, vineis, casis & silvis, quod olim fuit Ugonis de Cignano positi in strumento sancte Marie in Partina in loco nominato Soci & Monticellus sub anno Domini M. LXXIIII. mense maji. Carta manu Aritii notarii.

CXLVI.

VVibertus archiepiscopus Ravennas concedit Petro abbati Bifurcensi ecclesiam S. Clementis.

Anno 1074. XIV. maji.

Ex autographo archivi Ravennatis archiepiscopii, Capsf. F. n. 2024.

Ad lib. XX. n. 4.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Dominice incarnationis millesimo septuagesimo quarto regnante Heinrico filio quondam Heinrici anno octavo decimo die quarto decimo mensis madii indictione decima Ravenne. Domino .... atque apostolico patri patrum domino Wiberto sancte catholice Ravenn. ecclesie archiepiscopo Johannes monachus pro persona Petri venerabilis abbatis monasterii sancti Benedicti, qui vocatur in Bifurco, & pro se in dicto monasterio successoribus in perpetuum. Congruum atque utillimum esse de .... petentium desideriis non obesse, sed Domini misericordiam considerantes desideriis subvenire, ut in futurum vobis proficiat ad augmentum & preteritarum gratiarum referat actiones. Idcirco concedistis nobis predicto Johannes monachus pro persona Petri venerabilis abbatis predicti monasterii sancti Benedicti, qui vocatur in Bifurco *&c.* idest ecclesiam vel capellam, cujus vocabulum est sancti Clementis una cum cimiterio suo, & case & mansione sua justa se....... cum manso suo integro cum terris vineis *&c.* Quam capellam vel mansum concedistis nobis ad lucrum & utilitatem predicti monasterii nostri in perpetuum, ut superius legitur, quatenus..... *&c.*

CXLVII.

Robertus cedit jure emphyteusis monasterio S. Gregorii de Urbe castrum de Guido.

Anno 1075. II. martii.

Ex chartulario ejusdem monasterii, pag. 59.

Ad lib. XX. n. 9

IN nomine Domini. Anno secundo pontificatus domni Gregorii septimi pape indictione tertia decima mensis martii die secunda. Ego quidem Robertus filius ..... a Balneo Mucino hac die nullo prohibente nec contradicente, propria spontaneaque mea voluntate pro redemptione anime mee, consentiente Adohara conjuge mea dono, largior & inrevocabiliter offero & trado in venerabili monasterio sanctorum Andree & Gregorii in clivo Scauri per vos domne Petre religiose rector & abbas ejusdem monasterii venerabilis in perpetuum .... tantum dierum vite mee & meorum legitimorum filiorum atque nepotum, & secundum subscriptum tenorem, idest illud castrum, quod cognominatur de Guido cum omnibus suis usibus & utilitatibus, & cum omnibus suis pertinentiis de intus scilicet & de foris, positis foris portam sancti Pancratii loco suo, & sicut suo vocabulo continetur: hoc videlicet, ut omni anno in festivitate sancti Andree demus vobis & vestris successoribus causa investitionis ipsius castelli tres solidos denariorum, & decem, ut ita dicam, salmas lignorum. Ad obitum vero meum si testamentum fecero, quicquid pro anima mea dari jussero in ipsum monasterium deveniat, & ibi sepeliar, & si intestatus obiero, quindecim libras denariorum ex meo pro anima mea ibidem id in ipsum monasterium deveniant: predicti autem mei filii & filie

&

& nepotes quicquid pro anima sua quisque judicaverit, similiter ibi veniat, & illic sepeliantur. Cum ergo omnes mortui erimus, tunc absque ulla contrarietate vel cunctatione ipsum nominatum castellum cum omnibus suis pertinentiis de intus & foris, & sicut suo vocabulo continetur, deveniat in ipsum vestrum monasterium ad faciendum quicquid vobis vestrisque successoribus placuerit, ad opus tamen & proprietatem ipsius monasterii in perpetuum, & numquam a me, neque ab heredibus vel successoribus meis, nec etiam ab aliqua persona a vobis submissa habeatis exinde aliquam requisitionem aut contrarietatem, nec litis calumpniam, quam, si quod absit, aliquo modo facere vel excitare presumpserimus, & si opus & necesse fuerit, si id vobis ab omni homine gratis non defenderimus aut non potuerimus, componamus vobis ad opus ipsius monasterii pro pena triginta boni auri libras, & soluta pena quisquis lis vel requisitio aut contrarietas exinde proposita vel excitata fuerit, inanis omnino existat & vacua. Et hec donatio, sicut in hac legitur cartula, perpetuo stabilis & firma permaneat, quam ut scriberet, & pro me ad eam confirmandam signum manus faceret, coram subscriptis testibus rogavi Raynerium scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta tertiadecima.

† Signum manu suprascripti Roberti rogatoris & Adohare consentientis huic cartule.

† Rusticus de Johanne Rizzuto de Arcola testis.

Nicolaus filius ejus testis.

† Johannes filius Johannis Cogiepazzi testis.

† Boneincasa filius Alcherii de Salamone a Colosseo testis.

† Petrus frater ejus testis.

† Petrus filius ejus quondam Johannis de Baldino testis.

† Gregorius filius Nitonis de Johanne de Sergio testis.

† Ego Raynerulus infimus scriniarius sancte Romane ecclesie, sicuti inveni in dictis predicti domini Raynerii bone memorie, que ipse prior notariorum mihi scribenda commisit, complevi & absolvi.

CXLVIII.

Albertus marchio, Azo appellatus, donat monasterio Vangaticiensi decimas quamplurium terrarum.

Anno 1075. VI. kl. octobris.

Ex autographo archivi ejusdem monasterii.

Ad lib. XX. n. 8.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione Dominica millesimo septuagesimo V. VI. kal. octobris indictione XIII. Monasterio sancte Marie, quod est constructum super flumen Atesi in loco, qui dicitur Vangadicia, ubi multe res ab omnis hominibus delegate sunt, ubi sanctorum corpora Primi & Feliciani requiescunt, necnon & corpus beatissimi quoque confessoris Teobaldi adesse videtur. Ego Albertus, qui Azo marchio vocatur, qui professus sum lege vivere Langobardorum, propterea dixi: Quisquis &c. Ideoque ego qui suprascriptus Albertus, qui Azo marchio vocatur, dono & offero in suprascriptum monasterium ad honorem sancte Marie, sancti quoque confessoris Teobaldi in sumptum & stipendio monachorum ibidem servientium, vel qui ibidem pro tempore fuerint ordinati usque in perpetuum; idest decimam portionem de paludibus, quas habere visus sum in comitatu Patavensis & in finibus de Vigezolo de ipsa palude, que dicitur valle de Termine, & decimam partem de paludibus in finibus Palso, de ipsis paludibus qui nominatur Arzere de Mola, partem de duabus portionibus de paludibus in fine Miliadino, de ipsa palude, que nuncupatur Cavadicia, & decimam de paludibus de finibus Altadura, de ipsa palude, que nullo tempore non fuerat laborata, sed adhuc laborati fiunt excepto ipsos ageres, qui ipsa factus palude, & in antea laborati fuerant, & in comitatu Vincentino, in loco qui nominatur Albaredo, duas ecclesias in honorem sancte Marie constructam, alia in honorem sancti Petri cum cimiteriis & cum omnibus easdem ecclesias pertinentibus, & integram decimam, que debet dari omnibus habitantibus vel laborantibus in predicto loco Albaredo, eo videlicet ordine, ut nulli liceat presentibus rectoribus vel futuris usque in perpetuum predictas decimas portiones de predictis paludibus & predictas ecclesias cum predicta decima in beneficium alicui dare, sed semper habeantur in usu & sumptum monachorum Deo militantium

in

in predictum monasterium & oratorium pro mercede anime mee, & Cunice quondam conjugis mee, cujus corpus ibidem requiescit, & omnium parentum meorum, ut Deus dimittat nobis omnia peccata nostra: quas autem suprascriptas decimas portiones de supradictis paludibus primis terris de paludibus de predictis finibus de Vigezolo, que dicitur valle de Termine, & in finibus Palso, que nominatur Arzere de Mota, & in finibus Miliadino, qui nominatur Cavadicia, & in finibus Altaduria, que nominatur Zudolegna, & confinibus casale, qui vocatur Lago frondado, & in finibus Merlaria, que nuncupatur Malauteda, & prefatas ecclesias cum cimiteriis & cum omnibus ad easdem ecclesias pertinentibus & predictas integras decimas de jamdicto loco Albaredo una cum accessionibus & ingressionibus earum, seu cum superioribus & inferioribus earum, qualiter superius legitur, & inter comprehensum predictis locis jam dictas ecclesias cum supradicta decima in integrum ab hac die in predictum monasterium & oratorium dono & offero pro remedio anime mee, ut superius legitur, & per hanc presentem cartulam offero ad habendum, confirmo faciendum exinde a presenti die a parte predicti monasterii & oratorii, aut cui pars prefati monasterii & oratorii dederit proprietario nomine, quidquid voluerint per remedium anime mee & conjugis mee & parentum meorum. Quidem exspondeo atque promitto ego qui supra Albertus, qui Azo marchio vocatur, una cum meis heredibus ab omni homine defensare, quod si defensare non potuerimus, aut si exinde aliquid per quodvis ingenium subtraere quesierimus, tunc in duplum eis de terris, de paludibus, & predictas ecclesias cum predicta decima, sicut superius legitur, restituamur, sicut pro tempore fuerint melioratis aut vallientibus sub estimatione in consimilibus locis. Hanc enim cartulam offersionis mee pagina mihi Petro notario tradidit & scribere rogavit, in qua hic subter confirmans testibus obtulit roborandum.

Actum in loco Este feliciter.

Signum ††† manuum Petro Vesconte, & Certaldus, & Gandulfus in hac cartula offersionis rogati testes fuerunt.

Ego Petrus notarius hujus cartulam offersionis scripsi & post tradita complevi.

Manu suprascripto Alberto, qui Azo marchio vocatur.

CXLIX.

Mainfredus abbas S. Hilari de Galeata tradit ad emphyteusim castra Civitellæ & Castelli-vetuli cum juribus suis VViberto archiepiscopo Ravennati.

Anno 1076.

Ex autographo tabularii archiep. Ravennæ, Capf. B. n. 386.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Dominice incarnationis millesimo septuagesimo .... filii quondam Heinrici imperatoris anno vigesimo primo die vigesimo quarto .... o .... omnibus manifestum est, atque congruam rationem dispositum libenter debere .... locis universitatibus meliorandis causam perficiunt. Et ideo ego quidem in Dei nomine donnus Mainfredus presbyter, monachus atque abbas monasterii sancti Illari in Galligata cum consensu & auctoritate monachorum ...... tibi domno Wiberto sancte catholice Ravennatis ecclesie archiepiscopo vestrisque successoribus in perpetuum ...... concedimus atque largimur seu confirmamus vobis rem juris prefati monasterii nostri. Idest castrum unum integrum, quod vocatur Civitella, una cum casalibus & appendicibus suis & capellis & curtis & cum terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, arbustis, arboribus, & cum rivis, rupinis, fontis, aquis, aquimolis, perennis, limitis, limitibusque suis, & cum omnibus ad predictum castrum integre pertinentibus. Verum etiam concedimus & largimur, seu confirmamus vobis predicto domno Wiberto sancte Ravennatis ecclesie archiepiscopo, vestrisque successoribus in perpetuum alterum castellum, quod vocatur Vetulum, cum curte & monte suo, & cum casalibus & appendicibus suis, cum terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, arbustis, arboribus, & cum rivis, rupinis, fontis, aquis, aquimolis perennis, limitis, limitibusque suis, & cum omnibus ad predictum castrum integre pertinentibus, sita hec omnia territorio Pupiliensi plebe sancti Petri, que vocatur in Galligata. Dum vos superius nominatus domnus Wibertus archiepiscopus sancte Ravennatis ecclesie, vestrisque successoribus in perpetuum, ut superius legitur, divina gratia in hac luce jusserit permanere, vita concedimus & largimur seu confirmamus vobis predictas omnes res, ut supe-

Ad lib. XX. n. 17.

superius legitur, habendas, tenendas, possidendas, ordinandas & meliorandas, & ego predictus Mainfredus abbas predicti monasterii sancti Illari in Galligata cum meis successoribus vobis prenominatus domnus Wibertus archiepiscopus vestrisque successoribus in perpetuum, sicut superius legitur, ab omni persona hominum in omnibus exinde vobiscum stare & auctoriare seu defensare promitto, & ex vestris propriis expensis seu laboribus mihi meisque successoribus nisi inferius declarandam affixam pensionem reputare debeatis prestante quoque vos superius nominatus domnus Wibertus archiepiscopus vestrisque successoribus in perpetuum, ut superius legitur, indesinenter secundum paginam petitionis vestre pensionem singulis quibusque annis omni marcio mense infra indictionem pro predictis omnibus rebus, que superius leguntur, hoc est in argentum denarios duodecim Venetiquorum pro pensione, ut dictum est, persolvatur. Pro eo quia exinde hacepi de manibus vestris prelibatis domnus Wibertus archiepiscopus in manibus meis prelibati abbatis in presentiam testium, qui hic subtus subscripturi sunt cal. nomine idest libram unam pro denariorum Veneticorum libris quinquaginta. Promittentes propterea nunc nullis diebus nullisque temporibus vite vestre denominatus domnus Wibertus archiepiscopus petitori vestrisque successoribus in perpetuum, ut superius legitur, pro quodlibet argumentis aut exquisitis hoccasionibus testus hujus paginam enfiteosin injuste refragando non violabimus, sed inviolabiliter modis omnibus conservare & custodire & defendere promitto cum meis successoribus in perpetuum. Et si contra hec ipsa que superius leguntur, agere presumpserimus daturo me promitto ego predictus abbas una cum meis successoribus vobis predicto domno Wiberto archiepiscopo tuisque successoribus ante omne litis initium aut interpellatione pene nomine auri optimi libras decem, & post pene solutionem maneat hanc paginam efiteusin in sua firmitate. Quam vero paginam a Deusdedit in Dei nomine tabellione hujus civitatis Ravenne scribendum rogavi & subscripsi manus mea propria firmavi testibusque a me rogatis optuli subscribendum, eorumque presentiam vobis tradidi sub die & mense & indictione predicta quintadecima Ravenne.

† Ego Mainfredus presbyter & monachus atque abbas monasterii sancti Illari in Galligata in hac pagina perpetuali enfiteosin a me facta subscripsi & suprascriptos calciarios accepi.

† Ego Grimaldus monachus presbyter monasterii sancti Ilari Galigate perpetuali enfiteosin consensi & ss.

† Ego Petrus Pupiliensis episcopus in henfiteosyn rogatus testis ss.

Petrus Ugonis rogatus testis ss.

† Ego Ingo testis rogatus ss.

Benno rogatus testis ss.

Signum † manuus Vviberti rogatus testis.

Ego Deusdedit in Dei nomine tabellio Ravennas scriptor hanc paginam enfiteusin, que est roborata testium complevi & absolvi.

Notitiam testium idest

Petrus testis episcopus Pupiliensis.

Petrus testis, qui vocatur Ugone.

Ingo testis qui vocatur Scorizo.

CL.

Constantinus episcopus Arretinus scribit libellum emphyteusis Rustico priori Camaldulensi.

Anno 1076. mense februario.

Ex archetypo Camaldulensi. §. Locatio A. 1. 43.

Ad lib. XX. n. 10.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo septuagesimo sexto regnante Henrico rege mense februarii indictione quartadecima. Et ideo ego Constantinus sancte Aretine sedis episcopus atque comes, qualiter per hoc scriptum libellario nomine ad regendum & detinendum do tibi domno Rodulfo priori sancte congregationis heremitarum ecclesie constructe ad honorem Salvatoris nostri sita Campus Amabilis ad usum & sumptum fratrum ibidem Deo famulantium, idest integram terram illam & mansum in suo loco Caprena, quam presbyter Leo & sui consortes ex nostra parte detinet in comitatu Aretino infra plebe sancte Marie, sita Partina in quibuscumque locis & vocabulis invenitur esse cum integra medietate de redditu, vel pensione ejusdem mansi, & integram partem illam de terra & manso, quam Gerardo filio Berte olim libellario nomine dedi, que est in vocabulo Beblena, seu per alia loca & vocabula, sicut antea detenta fuit ex nostra parte per presbyterum Gottizo cum redditu & pensione ejus. Seu & per hoc scriptum do tibi vigintiquatuor sextaria de terra cum sil-

va supra posita in advocabulo Broilo, & est infra hos fines. Ex uno latere est silva Goazi filius quondam Gotizonis; ex secundo via; ex tertio de filiis Feralmi; ex quarto episcopii nostri; supradictas autem res qualiter superius sunt comprehense in quibuscumque locis & vocabulis invenitur esse cum omnibus adjacentiis & pertinentiis earum, & cum omnibus edificiis earum superioribus & inferioribus. Ego, qui supra, Constantinus episcopus & comes tibi jam dicto Rodulfo priori, ut supra, do eo videlicet modo eam tibi do, ut tu, qui supra, Rodulfus & posteri successores tui heremite eam habeatis & fruatis, & pro ea mihi, meisque posteris sucessoribus annualiter reddatis censum denarios duodecim bonos Lucenses, & quos denarios, atque pensionem pro redemptione anime mee, meorumque posterorum successorum offero tibi & predicte sancte congregationi in perpetuum habendum, & nihil aliud vobis exinde non superponatur. Sic & ego, qui supra, Rodulfus prior cum meis posteris successoribus facere & adimplere promitto tibi Constantino episcopo, tuisque successoribus episcopis, quod si non fecerimus, aut si eam dimiserimus, vel pejoraverimus, tunc obligo me & meos posteros successores heremitas tibi jamdicto Constantino episcopo & comiti tuisque posteris successoribus episcopis compostituros, & componam mulcta, que est pena bonorum denariorum Lucensium libb. quinque. Item promitto ego, qui supra, Constantinus episcopus & comes, & obligo me & meos posteros successores episcopos tibi jam dicto Rodulfo priori, tuisque posteris successoribus eremitis, si quocumque tempore eam vobis quesierimus tollere, vel minuare, aut si aliquid superfluum vobis exinde superimposuerimus, nisi ut supra legitur, tunc componamus vobis similem penam, idest bonorum denariorum Lucensium libras quinque, sicut inter nos convenit, unde iste scriptus libellario nomine inter nos factus est, ut supra.

Actum Aritio feliciter.

††† Signa manuum Aritii filius quondam Johannis, & Gerardi filius quondam Boniki & Wimildi quondam Gizi rogati testes.

†† Signa manuum Ugonis filius quondam Minuti, & Petri filius quondam Berte rogati testes.

Ego Aritius notarius scripsi & complevi.

CLI.

Gregorius VII. papa suscipit monasterium Fontis-avellanæ sub sua protectione.

Anno 1076. x. kl. aprilis.

Inserta est hæc bulla alteri Honorii pp. III.

GRegorius episcopus servus servorum Dei archiepiscopis, episcopis, marchionibus, comitibus, proceribus, valvasoribus omnibusque in Christo credentibus salutem & apostolicam benedictionem. Notum sit vobis omnibus, quod nos ecclesiam sancte Crucis Fontis Avellane, & omnia, que ipsius heremi sunt, scilicet monasteria, heremos, cunctasque illi suppositas ecclesias vel capellas, castella, vicos villasque predia cum retinentibus ea, armenta quoque &c. in nostra suscepisse custodiam solo Dei timore, atque carissimi filii nostri Petri Damiani hujus Romane ecclesie cardinalis amore, unde omnibus hominibus precipimus, & ex beati Petri auctoritate ac nostra mandamus, ut omnia prefate ecclesie, ubi fuerint inventa sine lesione custodiri, nullus a nobis vel ab aliqua potestate &c. *Ad lib. XX. n. 15.*

Datum Laterani x. kalendas aprilis per manus Petri sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis bibliothecarii anno III. pontificatus domni Gregorii VII. pape.

CLII.

Guilla uxor Berardi vendit Rodulpho curtem & ecclesiam S. Mariæ de Vegognano.

Anno 1076. mense aprili.

Ex autographo archivi Fontis-boni, §. Promissio, n. 17.

IN Dei nomine anno Dominice incarnationis millesimo septuagesimo sexto regnante Enrico rege mense aprilis indictione quartadecima. Manifesta sum ego Guilla filia quondam Raineri & sum conjux Berardi filius quondam Lamberti qui est viro meo, quia per consensum & data mihi licentia suprascripti viri mei, quam & cum notitia de Rainerio judex, a quo ab eo interrogata & inquisita sum secundum legem, quod nulla *Ad lib. XX. n. 10.*

vio-

violentia in me passa dico nisi bona & spontaneaque supra mulieris voluntate, qualiter nos anbo insimul predicti jugalibus per anc cartam promissionis seu sponsionis spondimus & promittimus & obligamus nos & nostros filios & eredes tibi Rudulfo filius' quondam Ungani & a tuos filios & redes, itest de integra de una nostra curte, que est jures nostras propria, & est in comitatu Aretino infra plebe sancti Quirici sita Vegugnano in casalibus Vegugnano predicta curte cum ecclesia sancte Marie cum muris co extat, cum introitu & exitu, e cimiterio cum offersionibus murtuariis, & tenimentis ubicumque invenitur cum casa donicata, tam donicatis, quam que de mansis, & est casis, curtis, ortis, terris, vineis, campis, silvis, & pratis, aquis, rivis, pascuis, cultivis, & agrestibus, lingnis pomiferis, fructiferis, omnia & in omnibus, que de predicta nostra pars est pertinentes, sicut nobis suprascriptis jugalibus odie isto die per carta venditionis vendimus ad Inmilda conjux tua cum omnibus edificiis earum, & cum omnibus adjacentiis & pertinentiis earum, sicut in jam dicta cartula continet & ibidem relegere videtur, deinde spondimus, & promittimus & obligamus nos & nostros filios & eredes tibi suprascripto Rodulfo & a tuos filios & eredes, si supradicta res presumserimus agere vel causare, querere vel molestare &c. presumpserimus per nos vel per aliqua interposita persona a nobis &c. tunc componamus vobis penam per denarii boni & espendibili de argento Lucensi munita solidis centum, & pro ac promissione confirmanda recepimus meritum & launechild de mobiles res per libras argenti decem finitum, sicut inter nos conveni, unde ec cartam promissionis & convenientie a nos, qui supra, jugalibus, qualiter superius leitur facta est, & rogavimus ut a Teuzo notario scriberetur. Actum Aritio feliciter.

Signum manuum de suprascriptis jugalibus, qui ec cartam promissionis, sicut superius leitur, fieri rogaverunt.

Signum manuum de predicto Berardo, & suprascripta conjux sua consensi manu sua.

Signum manuum Uberti filius Rustici & Petrus filius Uberti & Rainerio filius Pagani rogati testes, manibus eorum scribere rogaverunt.

Ego Teuzo notario scripsi, & ex mea pars conplevi.

CLIII.

Quiricus & Incas conjuges donant Morico episcopo & abbati S. Victoris de Clusis ecclesiam S. Angeli & terras.

Anno 1076. mense septembri.

Ex autographo chartarii S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XX. n. 17.

† IN nomine Domini, quod sunt agni Domini millesimo setunnegesimo sesto, & temporibus domnus Gregorio universalis papa & die mense setember indiccione prima, & in comitato Castellano. Ideoque ego nos qui sumus Quirico filio condam Conberto & Incas muliere ejus, & pro voluntate, consensu de supradicto viro meo, & nos anbo in simul communiter nostra propria bona voluntate secundum nostras lege Langobardorum dono & trado, & trasato, & transfatamus a ipso monasterio beato sancto Victore, quod est dificato in monte Castellano, & a tibi domno Morico episcopo & a tui successoribus in servo servorum in perpetun a posidendum e damus propter Dei timore, e remedio, e redentione de agnime nostre de genitore & genetrice nostre, quando omnipotens abea misericordia & induliencia de pecatis nostris, & illas aveniente judicio a Domino mercede recipiamus, tradimus & dedimus ipsa re nostra, que est posita in comitato Castellano, in loco qui dicitur in fundo de Risano & Mufficano, & in monte Castellano & in Cisano & in Cellano & ubicunque abeo vel ubicumque infenta vel inquisita potueritis integra medietate de omnia nostra terra, & infra istis locis aut vocabulis vel persinaite finis vel inventa fuerit medietate integru, vel a persinaite finis a primo latere fluvio Sentino, secundum latere ipso fosato de Satrano, tercio latere viam per loca de Capeze e pervenientis Morunis, quarto latere a ipso fosato de Lurano, e perveniens in primo latere infra istis lateribus, medietate de omnia nostra terra, & de ipsa eccclesia a beato sancto Anelos & cupis, e tetis altaris, e libri cum omini patrocinia Sanctorum, & cu teris & case, & vineis e ortis, & terra culta & non culta, & cum ominis pomis & arboribus sui, & cum omnia, que infra se vel super se abetis in integrum, ita dab odierno die firmiter valeatis abere tenere ad jura da ipso mo-

nasterio usque in perpetuum, quia pro ipsa donatione non requirimus precio neque launeildo, sed orationem & repromissione de pecatis nostris, sicut superius legitur, quare promito & obligo me Quirico & Incas & nostris eredibus a ipso monesterio & a tibi Murico episcopo & a tuis successoribus, si contra ista cartula donatione ire & causare & contendere tolere minuare presumpserimus per quolibe genio, neque cartula... teriora au posteriora, nec e pro nulo ingenio tolere non posamus, & si stare, auctorare defendere non potuerimus au non voluerimus omni tempore da omni omine ..... daturis & compositturis dare & componere ego donatoris, & nostris eredibus a ipso monesterio, & a vobis sacerdotis dare de bo ariento libre quinquaginta, e pos pena data & absoluta ista cartula firmas e stabilis permanea usque in perpetuum, sicut prelegitur su die mense indiccione suprascripta.

† Sigu manu Quirico filio de Comberto & Inca muliere ejus, qui ista cartula fieri rogavi.

† Sigu manu Acto de Ugo rogatu teste subscripsi.

† Sigu manu Addamo de Actos rogatu teste subscripsit.

† Sigu manu Inhezo filio de Martino teste subscripsit.

Ego Johannes notario scriffit, complevit, inclausit & assolvit.

CLIV.

Alia tradunt eidem Clusino monasterio Musco & Sibilla conjuges.

Anno 1077. mense januario.

Ex originali archivi S. Catharinæ Fabriani.

Ad lib. XX. n. 21.

IN nomine Domini & factum est in anni Domini ab incarnacione Domini nostri Jesu cristi, quod sunt anni Domini mille septuagesimo septimo, & regnante Inrico mannum imperatore, & die mense januariu per indicione quinta. Ideoque ego Musco filius quondam Petrus qui Carvone vocatur, & Sibillam mulierem sua per consensu viro suo, per & Beliarda muliere que fuit de Petrus, per consensu & voluntate Musco filio suo, in cujus mundiu ipsa permansit, & nobis toti insimul communiter cum nostra bona propria voluntate secundum nostra lege Langubardorum dedimus & tradimus & rogavimus per ista cartula tibi beata sancta Maria, & a beatu sanctus Victore, qui sunt edificati in fundo Victurianum & Murico abbas, & suisque supcessoribus usque in perpetuum, idest aliquis de terra nostra, que est possita infra territoriu castellu Petrosu in locu qui dicitur Collina, &c.

Ego Adamo judice & notarius scriffi, complevit, clausit.

CLV.

Leo abbas S. Michaelis Pisarum libellum emphyteusis inscribit Ugoni & Leoni de terris olim Benedicti filii Henrici.

Anno 1077. pridie kl. aprilis.

Ex autographo chartularii ejusdem monasterii.

Ibidem.

EXemplar. In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus millesimo septuagesimo octavo pridie kal. aprilis indictione quintadecima Manifestus sum ego Leo in Christi nomine abbas de ecclesia e monasterio sancti Michaelis archangeli edificato foras civitate Pisa prope porta, que dicitur Samuelis, quia vos Ugo filius b. m. Carli, & Leo filius b. m. Franchi dediste mihi merito annulum aureum unum, propterea per hanc repromissionis paginam repromitto vobis, ut da atmodum illis cassinis, & curtis, & terris, & rebus quicquid Benedictus filius quondam Enrighi & Milda genitrice ejus fecerunt per cartula offersionis a supradicta ecclesia, & monasterio ego, qui supra, Leo abbas, neque nostri subcessores per nullum ingenium non abemus libellare, nec in beneficio alicui dare, & ille frugie & blava, & obedientia, que de nostris terris exierit, dum vita supradicte Milde nos, neque nostros missos non abemus ei tollere, neque intradicere, neque minuare, sine ...... licentia. Unde repromitto ego qui supra Leo abbas una cum posterisque successoribus meis vobis, qui supra, Ugo & Leo, vel a vestris eredibus, ut si ec omnia que superius legitur, taliter non observaverimus per colibet ingenium, tunc spondeo ego, qui supra Leo abbas una cum posterisque successoribus meis componere vobis, qui supra, Ugo & Leo, vel a vestris eredibus de pars supradicti monasterii, aut eidem omini, qui anc promissio pre manibus abuerit, & eam nobis ostenderit penam arientum obtimum libras quin-

qua-

quaginta, quia in tali ordine anc promissio Andreas notarius domni regis scribere rogavi. Actum Pisa.

Ego Leo abbas in hoc promisso a me facto subscripsi.

Signum de manibus Torni filio Vvilelmi judex testis.

Signum de m. Benencase filio b. m. Cristine testis.

Signum de m. Lamberti filio b. m. Geri testis.

Ego Andreas notarius domni regis post tradita complevi & dedi.

Ego qui supra Andreas notarius domni regis authentico illo exemplavi.

Ego Pandulfus authentico illo vidi & lei, unde hanc exemplar facta est, & ic subss.

Ego Vidbertus autentico illo vidi & legi unde anc exemplar facta est & ic subscripsit.

Ibidem.

CLVI.

Binia vidua Donichi donat eremo Camaldulensi terram, ubi extat ecclesia SS. Martini & Frigdiani Pisarum.

Anno 1077. VIII. kl. maji.

Ex autographo archivi Fontis-boni, §. Donatio. n. 157.

Ad lib. XX. n. 11.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi Dei eterni anno ab incarnationis ejus millesimo septuagesimo septimo hoctavo kalendas madii indictione quartadecima. Manifesta sum ego Binia relicta, qui fuit quondam Donichi, & filia b. m. Dominichi, qui una per consensum & data licentiam Bernardi clerico filio Johanni mundualdo meo, in cujus mundio ego esse visa sum, per anc cartulam pro anime mee remedium & anime suprascripti viri mei offero, dono hac trado omnipotenti Deo & ecclesie sancti Salvatori de Erimo, ubi dicitur Campo amabilem, ubi nunc domnus Rodulfo prior preesse videtur. Idest meam portionem ex integram, que est quartam portionem de omnia ex omnibus casis cassinis & terris & rebus, quas ad suprascripto vir meus per cartulas scripta manibus Ragineri & Teuperti notariorum obvenit a Farolmo qui Rusticus vocatur filius b. m. Gherardi, & ad Vvillia uxor sua filia b. m. Rodilandi, & sunt ipsis rebus positis & infra civitate Pisa, ubi ecclesia & ospitium sanctorum Martini & Frigiani est constructa, & in loco & finibus ubi dicitur Ghello & omnibus pertinentiis ...... rebus, que superius legitur, in integrum cum inferioribus & superioribus suis seo cum accessionibus & ingressibus suis omnipotenti Deo & predicte ecclesie sancti Salvatoris offero tali ordine, ut sint jure proprietario predicte ecclesie, ita ut semper permaneat ad ordinem monachicum, & sit in potestatem predicti Rodulfi prioris & consilio integre congregationis sue, & ejus successorum regendi & disponendi predicta loca, & constituendi monachos & eligendi prioris, & ita ut non abeant potestatem predictam ecclesia vel aliquam ecclesiam, que in predicto loco fuerit, que est in civitate Pisa, vendendi vel donandi, vel alio modo alienandi, & ut abeat potestatem de rebus & terris, que sunt extra civitatem de predictis locis damdi, & comutandi, & locandi solummodo per utilitatem predicti loci dandi, & ea omnia faciendi secundum qualitatem & possibilitatem predicti loci. Si quis vero quod fucturum esse non credo, & si ego, que supra Binia, quod apsis vel meis eredibus, seo quislibet nostra opposita persona contra anc cartulam offersionis venire quandoque tentaverimus, vel si eam infrangere vel disrumpere quesierimus. & si non promiserimus permanere, sicut supra decrevi, vel si meo dato vel facto exinde apauerit. Spondeo ego, que supra Binia, consentiente mihi suprascripto mundualdo meo una cum meis eredibus componere parti predicte ecclesie sancti Salvatoris ejusque rectoribus penam arientum optimum libras duodecim, & post pena solutam ahnc cartulam offersionis omni tempore in sua permaneat firmitatem &c. Actum foris Pisa prope ecclesiam sancte Marie.

Signum suprascripte Binie, qui anc cartulam consentiente sibi suprascripto mundualdo suo fieri rogavit.

Adfuit his sacris Sismundus Binie datis.

Lambertus judex sacri palatii ss.

Ego Eritio rogatus testis ss.

Signus de manu Sereti filio b. m. Alberti tt.

Singnus de manu Meli filio b. m.... tt.

Manfridus notarius donni regis post traditam complevi & dedi.

CLVII.

CLVII.

Eritius & Gontalda jugales offerunt terras eremo Camaldulensi pro eadem ecclesia.

Anno 1077. mense majo.

Ex autographo ejusdem archivi, §. Donatio n. 158.

Ibidem.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille septuagesimo septimo hoc .... madii indictione quartadecima. Manifesti sumus nos Eritio filio b. m. Enrighi qui fuit judex & Gontalda jugales, filia b. m. Balduvini, quia communiter & consentientes mihi suprascriptus vir meus, ubi & secundum legem interesse videtur notitia Lamberti judex sacri palatii, at eo secundum legem interrogata & cognita sum eo quod nulla me passa sum molestiam, se pura ex integram meam bona voluntas sequentem edicti painam consentientes mihi suprascripto vir meus anc cartulam pro anime nostre remedio, & de suprascripto Enrigo genitori meo, & de germano meo Enrigo & de omnes parentes nostros damus, donamus, ac tradimus omnipotenti Deo & ecclesie sancti Salvatori de erimo, ubi dicitur Campum amabilis, ubi nunc Rodulfus prior preesse videtur, idest omnia ex omnibus casis & cassinis, & terris & rebus, quas mihi, qui supra, Eritio per cartulam scriptam manibus Andreas notarius domni regis obvenit a Leo presbytero filio b. m. Vualprandi predictis omnibus casis & terris & rebus, sicut supra leitur, in integrum cum inferioribus & superioribus suis, seo cum accessionibus & ingressibus suis omnipotenti Deo & predicte ecclesie sancti Salvatoris offerimus tali ordinem, ut sint jure proprietario predicte ecclesie, itaut semper permaneant ordinem monachicum, & sit in potestatem predicti Rodulfi prioris consilio congregationis sue & ejus successorum, rejemdi & disponendi predicta loca, & constituendi monacos & elegendi prioris consilio nostro nostrorumque erednm, si fuerimus in comitatu Pisense, & adesse voluerimus spiritualiter apsque ullo seculari respectu, & itaut non abeat potestatem predictam ecclesiam vel aliquam ecclesiam, qui in predicto loco fuerit, que est in civitate Pisa, vendendi vel donandi vel alico modo alienandi, & ut abeat potestatem de rebus & terris, que sunt extra civitatem de predictis locis dandi & commutandi & locandi solummodo per utilitatem ..... loci dandi, & omnia faciendi secundum qualitatem & possibilitatem dicti loci. Si quis vero, quod futurum esse non credimus &c. spondimus &c. componere &c. penam arientum optimum libras duocentum, & post penam solutam &c. Actum Pisa.

Singnus de manu suprascripte Gontalde, que ac cartulam offersionis communiter & consentientes sibi suprascripto viro suo fieri rogavit.

Ego Eritio in hac cartulam ofertionis communiter consentientes a nos facta ettiam ss.

Lambertus judex sacri palatii interfui.

Singnus de manu Serecti filio b. m. Alberti tt.

Singnus de manu Johannis filio b. m. Curradi tt.

Singnus de manu Ughi filio Uberti tt.

Manfridus not. domni regis post tradita complevi & dedi.

CLVIII.

Charta donationis factæ a Landolfo & Guntelda conjugibus monasterio S. Michaelis Pisarum.

Anno 1077. XI. kl. junii.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ad lib. XX. n. 21.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus millesimo septuagesimo octavo, undecimo kalendas junii indictione quintadecima. Manifesti sumus nos Landolfus filius bone memorie Quirici & Guntelda jugalibus, & filia bone memorie Widi, quia communiter consentientes mihi supradicto vir meus, ubi & secundum legem interesse videtur notitia Theodorici judex sacri palatii Lateranensis, a quo secundum legem interrogata & cognita sum, quia nulla me passam sim violentia, sed pura & ex integra mea bona voluntas, sequentes edicti paginam comuniter & consentientes per hanc cartulam pro anime nostre remedio & pro remedio supradicti quondam Enrici offerimus, donamus, hac tradimus omnipotenti Deo & ecclesie monasterii sancti Michaelis archangeli, quod est fundato & edificato foras civitate Pisa prope porta, que dicitur Samueli, ubi nunc domnus Leone abbas preesse videtur, id est tres petias de terris illis, una ex ipse qui est posita in loco & finibus Montioni, qui ambas capitas tenet in via

Carsa-

Carſaricie, lato uno tenet in terra Siſmundi notarii filio bone memorie Lei, & alio lato tenet in terra eccleſie ſancti Donati, & eſt pro menſura ad juxta ſeminatura ſiſtariorum octo. Et illa ſecunda petia de terra eſt poſita in loco & finibus Silva longa, que uno capo cum uno lato tenet in via publica, & alio capo tenet in terra Widi filio bone memorie ..... & alio lato tenet in terra de filii quondam Moroni, & eſt pro menſura ad juxta ſeminatura ſiſtariorum ſex, & ille tertia petia de terra eſt poſita in loco & finibus Columgnola, que uno capo tenet in terra ſupradicte eccleſie monaſterii ſancti Michaelis, & alio capo quod eſt per traverſo per menſura ad juſto pedes, que dicitur Liutprandi regis, pedes triginta & ſex tenet in terra noſtra, quas nobis reſervamus ad faciendum viam ad utilitatem noſtram & de ſupradicto monaſterio, lato uno tenet in terra Uberti & Gerardi germanorum filii bone memorie Petri, & alio lato tenet in terra noſtra, quas nobis reſervamus, & eſt pro menſura ad juſtam ſeminaturam ſiſtariorum duo, as iſta tres petias de terris, qualiter ab omni parte circumdati ſunt per deſignata loca in integrum cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeu cum acceſſionibus & ingreſſoribus ſuis, & cum via ambulandi & egrediendi per iſta terra, quas ad viam faciendum reſervamus uſque ad via publica, omnipotenti Deo & predicte eccleſie monaſterii ſancti Michaelis archangeli offerimus, donamus & tradimus. Item offerimus omnipotenti Deo & predicte eccleſie monaſterii ſancti Michaelis tres ſtariorum de terra ad juſta ſeminaturam infra una petia de terra illa, que poſita eſt in loco & finibus Silva longa que unum caput tenet in terra Stephani filio bone memorie Bulgari, & alio capo tenet in via, lato uno tenet in terra Boni filio bone memorie..... & alio lato tenet in terra Petri presbyteri filio bone memorie ...... & Lamberti presbyteri filio bone memorie.... de aſcripta dicta petia ad terra qualiter ab omni parte circumdata eſt per deſignata loca, ut dictum eſt, tres ſtariorum ad juxta ſeminatura in integrum cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeu cum acceſſionibus & ingreſſoribus ſuis omnipotenti Deo & predicte eccleſie monaſterii ſancti Michaelis offerimus. Similiter offerimus omnipotenti Deo & predicte eccleſie monaſterii ſancti Michaelis, ideſt medietatem ex integram de una petia de terra illa, que eſt poſita in loco & finibus Titiniano, que unum caput tenet in Semetula, & alio capo tenet in via Carraricia, lato uno tenet in terra Widi filio bone memorie... & de conſortibus ſuis, & alio lato tenet in terra ſupradicti Theodorici judex, & eas ſupradicta petia de terra, qualiter ab omni parte circumdata eſt per deſignata loca, que eſt pro menſura ad juxta ſeminaturam ſtariorum ſex, ut dictum eſt, medietatem exinde integram cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeu cum acceſſionibus & ingreſſionibus ſuis omnipotenti Deo & predicte eccleſie monaſterii ſancti Michaelis offerimus, donamus ac tradimus per preſentem paginam offertionis ibidem ad habendum confirmamus, ut ſit jure predicti monaſterii ad uſum & ſumptum ſeu ſtipendio cunctorum monachorum, qui ibi modo militant, quamque in antea militare videbuntur ſine omni noſtra noſtrorumque heredum contradictionem vel repetitionem. Si quis vero *&c.* Actum Piſa.

Signum de manibus ſupradicte Gutelde, que hanc cartulam offertionis fieri rogavi.

Ego Landolfus viro predicte Gutelde in hac cartula offertionis communiter conſentientes a nobis facta.

Theodoricus judex ſacri palatii Lateranenſis interfui.

Signum de manibus Uberti filii bone memorie Lei teſtis.

Signum de manibus Godini filio bone memorie Gherardi teſtis.

Signum de manibus Gerardi filio bone memorie Bonaccioni teſtis.

Signum de manibus Ughi filio bone memorie Stephani.

Ego Vvido notarius Domini regis Henrici poſt tradita complevi & dedi.

CLIX.

Privilegium Gregorii VII. papæ pro monaſterio S. Michaelis in Burgo Piſarum.

Anno 1077. IV. idus auguſti.

Ex tabulario ejuſdem monaſterii.

Ad lib. XX. n.20

GRegorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio Leoni abbati monaſterii ſancti Michaelis archangeli Piſe conſtituti, ſuiſque ſucceſſoribus ibidem regulariter promovendis in perpetuum. Convenit apoſtolico moderamini pia religione pollentibus benivola compaſſione ſuccurrere, & poſcentium animis alacri devotione impertire aſſenſum, hoc enim potiſſimum premium a conditore omnium Deo proculdubio promerebimur,

bimur, dum venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Proinde, postulante te, dilecte fili, quatinus monasterio, cui Deo auctore preesse dinosceris, apostolicis privilegiis muniremus, ob reverentiam beati Michaelis archangeli, in cujus honore venerabilis locus ille constructus est, precibus tuis benivola concessione annuendum esse destinavimus. Suscipientes igitur prefatum locum, & omnia sibi pertinentia, necnon & congregationem fratrum inibi Deo servientium in tutelam & defensionem sancte Romane ecclesie apostolice tuitionis privilegium ex ea, qua per beatum Petrum Deo disponente suscepimus auctoritate concedimus, confirmantes & corroborantes eidem venerabili monasterio quecumque nunc sive in terris cultis aut incultis, sive in quibuslibet rebus mobilibus, vel immobilibus juste habet, aut in posterum, Deo opitulante, acquirere poterit, quatenus ea ad communem usum fratrum tam in tua, quam successorum tuorum providentia & congrua dispensatione inconvulsa illibataque dispensatione permaneant. Eadem etiam auctoritate sancimus, ut eos quos pia devotione & amore celestis patrie mundo abrenuntiantes ibidem ad monasticam vitam regulariter se conferre voluerint sine omni contradictione cujuslibet persone ab abbate, qui pro tempore fuerit, ceterisque confratribus recipi ac teneri liceat. Preterea statuimus, & justa quod beatus GG. Agapito Urbis vetere prescripsit firma perceptione censemus, ut nemo fideles Christianos in eodem monasterio sepelire cupientes contradicat, vel missam aliquo modo cantare prohibeat, aut helemosinas, quas vivorum aut defunctorum aliquis ibidem destinavit, aut pro amore Dei destinaverit, inde evellere, aliquo modo subtrahere presumat. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicum, ac secularium personarum hanc constitutionis nostre paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate agnoscat. Et nisi vel ea que ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna penitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in * eterno examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, ut hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant.

Loco ✠ sigilli plumbei ex funiculo pendentis.

Datum Florentie IIII. idus augusti per manus Cononis cardinalis presbiteri, anno ab incarnatione Domini mill. LXXVII. pontificatus vero domini Gregorii VII. pape IIII. indictione XV.

* Lege extremo.

CLX.

Ugo filius Bonati recipit terras ad emphyteusim ab eodem monasterio.

Anno 1077. pridie kl. septembris.

Ex authentico tabularii ejusdem monasterii.

Ad lib. XX. n. 23.

IN nomine Domini nostri Jesu Kristi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille septuagesimo octavo pridie kalendas septembris indictione quinta decima. Manifestus sum ego Ugo filio bone memorie Bonati, quia tu Leo in Kristi nomine abbas de ecclesia & monasterio domni & sancti Michaelis, quod est fundato edificato foras civitate Pisa in Burgo prope porta, que dicitur Samueli, per cartula livellario nomine a censum perexsolvendum dedisti mihi, idest duas portiones ex integris de una petia de terra illa, quot est vinea & est positas in loco & finibus Sciano, ubi dicitur Campo de Pero, quod est pertinentes supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis, quas ipsa petia de terra, quot est vinea, est tenentes ambas capitas cum uno lato in terra Vualamdi e Bernardi germani filii bone memorie Sigheri & suorum consortium, & alio lato tenet in terra de supradicti filii quondam Sigheri & suorum consortium, & in aliquanto de ipso lato tenet in terra de filii quondam Villani & de suorum consortibus, as supradicta petia de terra, quot est vinea in eodem loco, qualiter ab omnis parte circumdata est per designatas locas, ut dictum est, duas portionis exinde integris cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accemsionibus & ingressoras suas mihi eas livellario nomine dedisti, & tali ordinem, ut de admodum in mea, qui supra Ugo, vel ad meos eredes sint potestates eas abendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, meliorandi, & nobis eas privatum nomen abendi & usufructuandi, & inde tibi vel a posteris successoribusque tuis

tuis a pars supradicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis per singulos annos per omnes menses november censum exinde vobis reddere debeamus a supradicta ecclesia & monasterio sancti Michaelis, vel infra ejus clostra vobis vel a ministerialem illum, quas pro tempore ibidem abueritis per nos aut per misso nostro arientum denarios bonis expendibilis de moneta de Luca numeros quadrainta tantum, & si nos vobis ex omnia qualiter suprascriptas legitur, per singulos annos taliter adimpleverimus & conservaverimus, e vos nobis supradictis duas portiones de predicta petia de terra, quot est vinea, quas mihi livellario nomine dedisti, relaxaverimus, vel si per nos pejorata fuerit per colibet ingenio. Tunc spondeo ego qui supra Ugho una cum meis eredibus componere tibi qui supra Leo abbas vel a posteris & successoribus tuis penam arientum optimum libras vimti, quia taliter inter nos convenit, & duos inter nos libelli Ildebrandus notarius domni regis scribere rogavi. Actum supradicto loco & finibus prope supradicta ecclesia & monasterio sancti Michaelis infra predicta clostra.

Signum de manibus suprascripti Ughi, qui unc scriptum fieri rogavit.

Signum de manibus Borcio filio bone memorie Corbi testes.

Signum de manibus Tino e Vvido germani filii bone memorie Caldi testes.

Signum de manibus Rodulfi filio bone memorie Ughi testes.

Ego Ildebrandus notarius domini regis post tradita complevi & dedi.

CLXI.

Rainerius & Petrus germani donant VVidoni abbati Prataliensi terras in territorio Foro-popiliensi.

Anno 1078. ix. kl. januarii.

Ex autograpbo archivi Fontis-boni. §. Donatio. n. 163.

Ad lib. XX. n. 25.

IN nomine Domini anno ab incarnatione ejus millesimo septuagesimo octavo, temporibus domni Gregorii pape in apostolica sede beati Petri apostoli Domini sedentis anno sexto regnante domno Henrico filius quondam Henrici imperatoris die nono kl. januarii indictione secunda territorio Pupiliensi, in monte qui vocatur de Renclesi. Sancto hac beatissimo venerabilis regule monasterio sancte Marie in Pratalia, in quo nunc protegente tibi presenti Martino presbytero & monacho pro persona & in vice domni Vvidoni abbatis predicti monasterii preesse videtur. Nos quidem in Dei nomine Raineri, qui vocor Bulgaro & Ricca uxor mea & Petrus germani & cognate, filii & nura presentis & consentientis Matone donatore in predicto monasterio pro oblatione & illuminatione seu eterne remuneratione anime nostre. Presens presenti salute magne donationis sanctarum scripturarum nos ratio premonet, & ideo illam semper considerare atque disponere oportet, ut pro animarum meritis celestem retributionem mereamur, credentes sine dubio, quod evangelica doctrina promittit, vos qui secuti estis mea precepta centuplum accipietis & vitam eternam participes eritis, ut in hoc seculo centuplum, & in futuro eterne vite participes eritis. Quare nos dicti donatores prono animo & spontanea nostra voluntate donamus &c. & transcribimus in jus & dominium predicti monasterii, & pro te nominatum monachum in vice nominati abbatis suique successoribus in perpetuum more salario permanendum. Id quod habere & detinere videmur, quod nobis obvenit per quemcumque modum vel titulum, idest unam turnaturiam de terra laboratoria, quam damus & tradimus nos predicti Bulgaro & Ricca jugales positam in rivo qui vocatur de Vignole, & ego predictus Petrus do & trado tibi quartam partem hunius tornaturie de terra, in loco qui vocatur Ronco veclo, & in loco, ubi jam fuit ecclesia sancti Christophori, cum omnibus sibi pertinentibus, sitam territorio Pupiliensi plebe sancte Marie Castri novi, ut a modo a presenti die aut quandocumque volueris liceat tibi pro persona abbatis suorumque successorum in predictam rem introire & preoccupare ex potestate per hanc paginam donationis a nobis in te factam atque traditam, tamquam per legitimam & meam corporalem traditionem, quamque per istum nostrum missum nomine Albertum de Petro de Renzo, que a nostris manibus in tuis mitto in presentia testium, qui hic scripti sunt, ut illuc tecum vadat ad predictam rem & in vice nostra investiat abendi dominium & potestatem quieto tramite habeat, teneat vendendi, & ordinandi, & disponendi in eodem monasterio in perpetuum more salario permanendum, sicut supradiximus pro remedio animarum nostrarum &c.

Signo manus pred. donatorum Raineri,

ri, qui vocatur Bulgaro, & Ricca uxor ejus, ac Petrus germani & cognati filii & nura consentiente Matone hec omnia scribere rogaverunt.

Signo manuum Alberti, qui vocatur de Petro de Renzo, & Johannis, qui vocatur de Petro de Urso de Adha, & Petri, qui vocatur de Renzo, & Mainfredi filius quondam Petri & Johannes filius Johannis de Ardizone, ut superius legitur, rogati sunt testes.

Ego Martinus Dei nutu tabellio de territorio Pupiliensi complevi & absolvi.

Notitia	testium	idest	Johannes	Al
Johannes	Mam	Pe	de	ber
filius	fredus	trus	Pe	tus
Johannis	filius	de	tro	de
de	quondam	Ren	de	Pe
Ar	Pe	zo.	Ur	tro
di	tri.		so	de
zo			de	Ren
ne.			Ad	zo.
			ha.	

CLXII.

Ugo comes filius Alberici comitis facit donationem terrarum suarum territorii Æsini Rodulpho priori Camaldulensi.

Anno 1079. mense januario.

Ex archivis S. Blasii de Fabriano & Fontis-boni.

Ad lib. XX. n. 27.

IN Dei nomine ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi sunt anni Domini millesimo settuagesimo nono, donno Gregorio papa quis sede in apostolica sancti Petri & de mense genuario cive Esis scrisimus. Ideoque ego Ugo comes filio quondam Alberico comes per propriam meam bona voluntatem odiernum die cogitantes nos de Dei omnipotentis misericordia pro redencione anime mee de genitore meo & de genetrices meam, e si Dominus e de parentibus meis, e si Dominus facia nobis indulliegetiam de peccatis nostris ante tribunal Christi minuare possamus odiernum die dono e trado abeato, e offero a beato sancto Salvatore, quod est dificato in fundo montaniana Camaldule in comitatu Ariccio, & a donno Rodolfo priore vir venerabile, e a tuisque subcessoris, ide est in fundo le Turci, qui Murro vocatur, in comitato Esis, ide est terra e vinea, que est a perticas decipidas modiorum quarainta, e cum olives, elicis, & cum aliis arboribus, & cum omnia, que infra se abent, & vel subjacentes in integrum lateribus, & de propria res, a primo latere fosato da Roveliano, & a secundum latus via publica, que vai da Roveliano perveniente a la valle, e a tertio latere monte Riberti, & a quarto latere via publica, que pergit da iso monte Riberti perveniente a sancto Polu, e perveniente ad Gambaselli in primo latere. Ista omnia, sicut superius lehitur, e que nobis proprio donatus & obveni da parentibus meis aut pro meo conquisito, e que est juris meis propriis, quo aput nos teste sumus abere tantum, ut a die presente abeatis, teneatis, possideatis abendi, tenendi, donandi pro meliore gambio congambiandi tantum, e si quod vero contra ire voluero in talis vero tinore, e in talis vero ordine spopondo e obligo me ego proprio donatores vel meis eredibus a proprio Rodolfo priore eremito e a tuisque successoris a proprio sancto Salvatore ego ipso donatore promito stare e defensare, e quo si defendere non potuero, aut non voluero da qualibet omine, au si de isto ipsa eremita e donno Rodolfo eremito a tuisque successoribus, ut ipsa propria res a tibi proprio donatore a propria eremita e a proprio Rodolfo eremito e a tuisque successoribus dupla e meliorata restituamus in ilo propria loca e infra propri casalis manentes cartula ista anc donacionis fieri erogavimus.

Sinu manu de Ugo comes, qui ista cartula donatione ipso benefactore fieri erogavi.

Ego Ardovino de Giso rogatus est.

Ego Atto de Pagano rogatus est.

Ego Pagano de Manfredo rogatus est.

Pos roboracione omnibus testibus ego Johannes tabellio, qui ista cartula scripsi & complevi, e clausi e redidi.

CLXIII.

Charta donationis factæ ab Uberto & Berta conjugibus Leoni abbati & monasterio S. Michaelis Pisarum.

Anno 1079. xv. kl. junii.

Ex authentico archivi ejusdem monasterii.

Ad lib. XX. n. 29.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille octuagesimo quintodecimo kalen-

kalendas junii indictione secunda. Manifesti sumus nos Uberto filio bone memorie Petri & Berta jugales, & filia Wilelmi judex, quia communiter & consentientes mihi supradicto vir meus, ubi & secundum legem interesse videtur notitia Ughi judex sacri palatii, a quo secundum legem interrogata & cognita sum ego, quod nulla me passa sum violentia, sed pura & integra mea bona voluntas sequentes edicti paginam communiter, & consentientes mihi supradicto vir meus per hanc cartulam pro anime mee remedio offerimus, donamus ac tradimus omnipotenti Deo, & ecclesie ac monasterio sancti Michaelis archangeli, quod est fundato & edificato foras civitate Pisa prope porta que dicitur Samueli, ubi nunc domnus Leone abbas preesse videtur, idest nostram portionem ex integra, quod est medietate de una petia de terra illa, que est posita in loco & finibus Colignola prope fluvio Arno & juxta via publica, quod est ipsa medietas de partibus excurrentes, que una capo tenet in via justa fluvio Arni, & alio caput cum uno lato tenet in terra & vinea de supradicta ecclesia & monasterio, & alio latus tenet in supradicta via publica. Dicta supradicta petia de terra, qualiter ab omnis parte circumdata est per designatas locas, ut dictum est, pro dicta nostram portionem in integrum cum inferioribus & superioribus suis seu cum accessionibus & ingressoras suas omnipotenti Deo & predicta ecclesia & monasterio sancti Michaelis offerimus, donamus ac tradimus & per presentem cartulam offertionis ibidem ad abendum confirmamus, & sint jure predicti monasterii ad usum .... seu stipendia cunctorum monachorum, qui ibi modo militant, quamque in antea militare videbuntur sine omni nostra nostrorumque heredum contradictionem vel repetitionem. Si quis *&c.*

Actum Pisa .... sancti Bartholomei apostoli.

Signum de manibus supradictos Uberti & Berte jugalium, qui hanc cartulam offertionis fieri rogaverunt.

Ego Hugo judex sacri palatii interfui.

Ego Ubertus notarius domini imperatoris rogatus testis.

.... Willelmi judex testis.

Ego Bonio notarius domini imperatoris post tradita complevi & dedi.

CLXIV.

Placitum habitum a Constantino episcopo Arretino & ab Ugone comite pro canonica S. Donati de Arretio & pro eremo Camaldulensi.

Anno 1079. pridie nonas decembris.

Ex autographo archivi Fontis-boni, §. Promissio. n. 20.

Ad lib. XX. n. 27.

DUm in Dei nomine in palatio episcopatus Aretini in judicio residerent Constantinus episcopus & Ugo comes ad justitias faciendas hac deliberandas, residentibus cum eis Arderico, Gerardo, Johanne judicibus, Nordilo, Rodulfo, Sismundo, Uberto, Ugolino causidicis, Vualfredus comite, Pagano de Corsena, Ugone vice comite, Uberto filio Bucci, Ildebrando Ugonis filio, Rodulfo filius Mascari, Saracino, Rolando, Ursone, Griffone, Guilielmo, Rainerio filio Griffi & reliquis pluribus ibidem astantibus. Ibique in eorum presentia proclamaverunt Rainerius de Paurano, ac Teuducius de hereditatem Rainerii filio quondam Fusceri, qui dicebant suis uxoribus pertinere ex successione predicti Raineri fratris earum ab intestato defuncti, quod aversus herimo sancti Salvatoris de Camalduli, & adversus calonica sancti Donati, quod hereditatis illius partem possidebat, cujus calonice Joculo prepositus, & prior prefati heremi cum suis avocatoribus huic proclamationi hujusmodi fecerunt responsionem, quod prefatum Rainerium in quadam sua infirmitate testamentum fecerat, in quo cuncta sua bona distribuit, & partem hereditatis, de qua controversia erat, predicte canonice sancti Donati judicavit, scilicet tertia portione de castello & curte, quod nominatur Caliano, & tertia portione de curte de Sesto, & predicto herimo de Camalduli judicavit scilicet tertia portione de castello & curte de Subiano, totam suam partem de castello de Soci, & tota vinea domnicata, & medietatem de ipsa curte, ac testibus productis, in quorum presentia jamdictus Rainerius suam voluntatem ostenderat, de hoc testamento legitime reddiderunt testimonium, & ita verum esse, ut preposito canonice sancti Donati, & prior de Camalduli cum eorum avocatores affirmaverant. Is peractis & jussione Constantini Aritini episcopi, & Ugoni comitis & predictorum judicum, predictum

Rainerium & Teudicium pro se suisque heredibus, & pro eorum uxoribus refutaverunt suprascriptas res predicte canonice, & predicto heremo, & obligaverunt se, quod nec ipsi, nec eorum uxores vel eorum vel earum heredes predicto preposito & jamdicto prior ejusque successores de prefatis rebus nullam controversiam in posterum moturos sub pena centum librarum denariorum Lucensium. Insuper predictus episcopus, & Ugo comes miserunt bannum supra dictum prepositum & supra jam dicto priorem, atque suos avocatos, & supra prefatas res, ut nulla magna parvaque persona eos eorumve successores de predictis rebus disvestire seu molestare presumat sine legali judicio, qui vero fecerit hoc, sciat se compositurum duo milia Bisantios aureos, medietatem parti publice, & medietatem eisdem prepositus & priori suisque successoribus, unde quidem & ego Ardericus notarius sacri palatii ex jussione domni episcopi, & Ugoni comitis, & judicum, & causidicorum amonitione scripsi. Anno ab incarnatione Domini nostri Jhesu Christi millesimo septuagesimo nono pridie nonas decembris indictione tertia.

† Ego Constantinus episcopus ss.

† Ego Ardericus judex interfui & ss.

Ego Johannes judex domni imperatoris interfui & ss.

Nordinus hec laudat, que presens cartula monstrat.

Firmat Rodulfus legali jure peritus.

Gerardus judex sacri palatii ss.

Sismundus interfui.

† Caput & exemplar hujus notitie retinet Joculus prepositus in sua bona fide, ut si aliquo tempore necesse fuerit priori Camalduliensi illam videre vel habere pro aliqua utilitate sine aliqua contradictione videat & habeat. Et post eidem preposito vel successori ejus reddat ad conservandum eam, quia communis est & communi utilitati proficere debet.

CLXV.

Petrus abbas Vallis-castri concedit Salvo clerico ecclesiam S. Martini de Fracta diœcesis Perusinæ.

Anno 1234. XIII. exeunte januario.

Ex autographo archivi S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XII. n. II.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno Domini millesimo CC. XXXIIII. die XIII. exeunte januario indictione septima tempore domni Gregorii pape noni, & domni Frederici imperatoris. Ego quidem donnus Petrus abbas monasterii sancti Salvatoris & sancti Rumaldi Valliscastri, quia inveni te donnum Salvum ydoneum clericum utilem & fidelem, ideo per me meosque fratres & successores concedo tibi in vita tua pro tuo benefitio ecclesiam sancti Martini de Fratta Perusine diecesis, & te instituo in eadem cum omnibus rebus possessionibus & juribus ipsi ecclesie pertinentibus; & promitto tibi nomine dicti monasterii ipsam ecclesiam sancti Martini ab omni persona defendere in juditio & extra, & promitto tibi, quod faciam capitulum dicti monasterii huic concessioni seu institutioni consentire, quandocumque ad ipsum monasterium venire volueris. Et hec omnia promitto tibi per me & meos successores tenere, observare & non contravenire sub pena viginti librarum bonorum denariorum Lucensium, quam tibi dare promitto, si omnia predicta & singula non observavero. Et ego dictus domnus Salvus promitto tibi dicto abbati & tuis successoribus dictam ecclesiam sancti Martini ad obedientiam & reverentiam tuam & tuorum successorum, & prefati monasterii retinere, & non vendere, nec alienare bona ipsius ecclesie sancti Martini sine tua seu tuorum successorum licentia vel mandato, nec eam submittere alicui, & te & tuos successores, & monasterium nominatum pro vero domino recognoscere, tenere ac revereri sub pena viginti librarum bonorum denariorum Lucensium, quam tibi & tuis successoribus dare promitto, si omnia predicta & singula non observavero. Insuper ad majorem firmitatem tactis sacrosanctis Dei evangeliis omnia predicta & singula juro tenere, observare, & non contra venire.

Actum in ecclesia sancti Matthei de burgo porte sancte Susanne Perusine. Coram donno Manno capellano dicte ecclesie, donno Teoditio, Barone serviente dicti abbatis, & Martino Rainaldi Montisaldoni testibus.

Ego Brunacius imperiali auctoritate notarius his omnibus interfui, & ut supra legitur utriusque partis consensu scripsi & autenticavi.

CLXVI.

CLXVI.

Præceptum pro monasterio S. Michaelis sito in territorio Bononiensi.

Anno incerto.

Ex veteri exemplo parthenonis S. Christinæ de Bononia.

Ad lib. XX. n. 6.

IN nomine sancte & individue Trinitatis, anni ab incarnatione Domini nostri Jhesu Christi millesimo XI. Carolus divina favente clementia Romanorum augustus. Omnium sancte ecclesie Dei nostrorumque fidelium presentium scilicet ac futurorum noverit solertia, quod Guildulfus abbas presbyter & monachus & devotissimi nostri fideles nostram in omnibus exorasse clementiam, quatinus pro Dei amore animeque nostre perpetua salute monasterium sancti Michaelis archangeli ab imperiali manu constructum cum suis pertinentiis sive terris . . . . . privilegio nostro corroboraremus atque firmaremus. Cujus sacris petitionibus justisque desideriis devote ac libenter annuimus atque concedimus, damus & confirmamus omnia que ei data sunt per antecessores nostros, monasterium sancte Marine cum omnibus suis pertinentiis, monasterium sancte Marie super Stratam cum omnibus suis pertinentiis, monasterium sancti Quirici cum omnibus suis pertinentiis, monasterium sancti Benedicti in Barb.. cum omnibus suis pertinentiis, monasterium sancti Archangeli in Curalupo cum suis pertinentiis, monasterium sancti Laurentii in Malano cum omnibus suis pertinentiis, monasterium sancti Dalmatii cum suis pertinentiis, monasterium sancti Archangeli in Cinado cum suis pertinentiis, monasterium sancti Bartholomei, quod est juxta Bononiam cum suis pertinentiis, monasterium sancti Andree cum suis pertinentiis. Damus & in perpetuum concedimus fundum Pontianum, fundum Zolano & fundum Agganno, & fundum Petilianum, & fundum Valerianum & fundum Campezo, & fundum Libernianum, ubi dicitur silva la mar.. & fundum Bibolam.. & fundum Septegnanum & Fontanell.. & fundum Sanbucetum & fundum Gaudentios, & campum & pratum de Vezano, & fundum Quiliaul. .... & campum Dasole, & fundum ....m..... & fundum Ultianum, & fundum Subianum & fundum Rasiniacum, & fundum Politianum & fundum Veclianum, & fundum Gabianulum & Vezanulum, & casale septi..... Monttaniaculum, Nomaulum, & fundum Bibianulum, & cella duplici & fundum Calpianum & Peritulum, & fundum Lutianum & fundum Antonianum, & fundum Furano, & fundum Intinianum & cella, que dicitur sancti Archangeli, & pagum Barbarorum, & fundum Tersianum, & fundum Larsianum & fundum Bisanum, & fundum Scanellum, & fundum Oblatianum & fundum Antiniaculum, & fundum Autilianum, & piscina Abbatis plus centum tornatur.. ex ista parte ..... & fundum Similianum, monasterium sancti Martini, quod est fundatum in fundo Sisiano cum omnibus suis pertinentiis, fundum Campu Maurisini, & fundum Septimo & fundum Campisani, & fundum Bitterati, & fundum Cortisoso, & fundum Antelianum qui vocatur Monterion... fundum Lavatum, & fundum Rophello, & fundum Rontianum, fundum Saturianulum, fundum Raviulum, fundum Gobiaulum & fundum Fusignanum, & fundum Bagnolo & fundum Bibaulum & fundum Cerrito majore & fundum Cerrito minore & fundum petra Casporna, & fundum Linare, & fundum Barbaria, & fundum Valle nova, & fundum Valle Burciana & dedit castro, quod dicitur Gambaruta, quod vocatur Salvara, & fundum Gleula, fundum Sambuceto, & massa Pitti in plebe sancti Petri in Alfidiano, Casaduli majori & Casaduli minori, & castrum, quod vocatur Casula, destructum cum septem capellis & totum Malei...... & fundum Roselitum, & fundum qui vocatur Martiano, & fundum qui vocatur Gazolo & fundum qui vocatur Fontana, & fundum qui vocatur Centum columne, & silva una que vocatur Montaniaullo & fundum Cornitulo, & fundum Bagnarola, & fundum Ticiano & infra massa Eltrario terras & silvas, & in Massa Trexenta similiter terras vineas & silvas, in fluvio Corvonis piscaria una sic a suo principe Fuscario imperator.. designata de uno latere fossa Rachinaldi, alio latere via que pergit ad Ravennam, tertio latere fossa Steni, quarto latere ipsum fluvium Corvonis & infra plebem sancti Martini Margere curte una, que vocatur Sulplennito cum oratorio sancti Archangeli in Cinaclo cum pertinentiis suis, & in curte que vocatur pojo Cilinili fundum Farnito, ideo dicitur de Abbate, terris & vineis, silvis, pratis & pascuis & usis aquarum & fundum totum quod dicitur Valle Flori cum terris & vineis & usis aqua-

aquarum, & fundum Gaibolo ab uno latere fluvio Gena, alio latere fluvio Isice, ab uno capite Stratello, alio capite via que pergit ad Casula & culina que dicitur de Curalupo, similiter donavimus fundum Casale, quod vocatur de Bibolano, & fundum qui vocatur Fontanella & Septignaulo & Cuniaulo, ubi ipsa res esse videtur campis, terris, pascuis, fructiferis, finis ab uno latere fluvio Savena, ab alio latere ripo de Oglaxano, tertio latere silva Bruxolorum, quarto latere Tigna & strada, que pergit ad Monzonem, seu concedere volumus tibi abbati fundas; quorum vocabula sunt silva dicta de Abbate & Sambuceto & Monte alto & Fontanella coherente se finis ejus ab uno latere suprascrito fluvio Savene, ab alio latere rio de Sacugnano, tertio latere strata que dicitur de Verzano, quarto latere juris nostre proprietatis. Posteriores etiam abbates ab omni functione publica liberos permanere volo, preterea prescriptiones & usucapiones ne predicto monasterio noceant precipimus, & ab ejus lesione omnimodo removemus. Juramentum quoque de calumpnia nullo modo ab aliquo judicum ipsius monasterii monachi vel eorum conversi prestare compellantur. Dominationem aliquam vel invasionem aut temerariam presumptionem vel depredationem nullus quoque modo in rebus cunctis ecclesie aut hominibus super terras ecclesie sedentibus etiam theloneatum, aut aliquam dationem quamcumque vel publicam functionem appetere vel inferre presumendo pertentet. Insuper firmiter precipimus aput quemcumque imperatoris missum clamor cujuscumque offensionis pervenerit infra xxx. dies plenam justitie sententiam perferat. Sin autem cingulum dignitatis amittat. Concedimus enim secundum utilitatem, prout proficuum tante domus visum fuerit, aquarum usus sue totius terre ducendi & remittendi. Familias quoque ipsius monasterii a nemine injurias patiatur, nisi ab abbate visum fuerit vel concessum, quod si fecerit, penas dupliciter patiatur. Nolumus autem possessiones hujus monasterii, que date sunt vel dabuntur in ecclesiam non in omnibus subjectam, vel personas aliquando alterius dominationis ullo modo transire, quod si ante hoc tempus factum fuerit eo quod ab imperiali manu conditum est monasterium, omni modo cassamus, ac pro infecto habemus. Ad hec igitur firma preceptione statuimus, ut nullus dux, nullus marchio nullus comex, nullus schuldachius, aut episcopus vel archiepiscopus, aut aliqua persona, seo aliquis publicus exactor de rebus cunctis ecclesie ceu ospitium preter abbatis voluntatem se intromittat, vel ab ipsis arroganter abere queat. Hoc ideo dicimus, ne aurum, quod est Sanctorum conventus, obscurari vel obfuscari dispergendo in capite omnium platearum scit necesse, profecto ut libere pro me atque meorum incolomitate Deum exorare possint jure perpetuo quiete uti valeant. Si quod absit aliquis prophanus & Deo odibilis contra hoc preceptum facere presumpserit, si habet unde pena pati possit in rebus, medietatem suarum rerum omnium regis camera habeat & medietatis partem in usum monasterii cedat. Si autem nichil ex toto habet, per tres episcopatus virgis cesus sine ipsa possessione semper maneat. Hec pagina nostre concessionis atque preceptionis omni tempore firma semper permaneat. Actum juxta fluvio Reñ. Hec omnia facta sunt in presentia istorum principum, quorum nomina subscripta sunt. Rainaldus electus Magontinus, Fidericus Coloniensis, Hertoicus Bonnas... episcopus, Ber. Spirensis episcopus, Henricus Beluensis episcopus, Rõ. Rem.... episcopus, Ugo Constantiensis episcopus, Henricus dux, Fidericus dux, Simon dux, Bretoldus dux, Gotifredus dux & alii quamplures.

Ego Regbertus sacri palatii notarius scripsi & complevi. Feliciter.

Exemplar antiquissime carte.

SERIES

SERIES

DIPLOMATUM ALIORUMQUE MOMUMENTORUM

In Appendice hujus voluminis existentium ordine chronologico digesta.

---

mitæ Camaldulensis & aliorum divídit inter suos presbyteros Aretinæ diœcesis administrationem. n. LVIII. 112.

1045. XVI. kl. octobris. Præceptum Henrici III. regis pro monasterio Classensi S. Apollinaris concessum Lamberto ejus abbati. n. LIX. 114.

1046. III. kl. mart. Libellus terrarum factus Bono abbati & monasterio S. Michaelis in Burgo Pisarum ab Eritio filio Enrighi judicis. n. LX. 116.

1046. mense junio. Donatio Ugonis filii Johannis facta monasterio Prataliensi. n. LXI. 117.

1046. kl. decembris. Præceptum Henrici III. regis pro eodem monasterio. n. LXII. 118.

1047. III. non. januarii. Aliud ejusdem imperatoris pro Camalduli eremo. n. LXIII. 120.

1046. XI. kl. junii. Gherardus & Bodda offerunt bona monasterio S. Michaelis Pisarum. n. LXIV. 121.

1048. Breve recordationis de fundatione ejusdem monasterii S. Michaelis scriptum a Bono primo abbate & institutore. n. LXV. 123.

1048. Acto monachus donat Campezoni abbati monasterii S. Petri de Monte-cònero ipsam ecclesiam S. Petri una cum altera S. Antonii. n. LXVI. 127.

1048. mense novembri. Concordia inter homines filiorum Berardi & monasterium Prataliæ. n. LXVII. 128.

1049. Literæ Leonis IX. pp. ad Petrum Damianum, quibus laudat ejus opusculum contra incontinentes clericos, dictum *Gomorrhianum*. n. LXVIII. 129.

1049. Bulla ejusdem Leonis IX. pp. pro eremo de Ocri territorii Sarsinatis. n. LXIX. 131.

1049. XXVII. octobris. Hunfredus archiepiscopus Ravennas concedit Widoni abbati & monasterio S. Severi ecclesiam S. Thomæ prope Ravennam. n. LXX. 132.

1050. IV. kl. junias. Bulla Leonis pp. IX. pro monasterio S. Mariæ sito in diœcesi Arretina. n. LXXI. 133.

1051. mense octobri. Ubertus presbyter & Farolfus ac Petrus quondam Petroni, quorum gentiles ædificaverant ecclesiam S. Michaelis de Silva, alias de Camenza, donant Dominico abbati Pratalìensi jus suum in eam ecclesiam. n. LXXII. 135.

1051. XVII. kl. novembris. Bulla Leonis IX. pp. pro monasterio S. Mariæ in insula Gorgona data Bono abbati. n. LXXIII. 137.

1052. mense octobri. Testamentum Ugonis, quo ditat monasterium Prataliense medietate suarum ecclesiarum & castrorum, ad hoc ut recipiatur in sua infirmitate ad ordinem monasticum. n. LXXIV. 138.

1053. mense apr. Arnaldus episcopus Aretinus decimas largitur Dominico abbati supradicti monasterii. n. LXXV. 139.

1053. XIII. aprilis. Libellus emphyteusis factus Aimmoni abbati S. Adalberti in Pereo ab Henrico archiepiscopo Ravennate. n. LXXVI. 141.

1053. mense majo. Henricus archiepiscopus Ravennas confirmat Johanni abbati S. Severi in Classe monasteria SS. Johannis & Stephani ad Titum, & S. Laurentii de Castagniola. n. LXXVII. 142.

1054. mense aprili. Guido comes quondam Alberti offert Rainerio præposito monasterii S. Mariæ de Aprognano ecclesiam SS. Trinitatis & S. Ægidii de Gaviserre. n. LXXVIII. 145.

1054. mense decembri. Ergencbaldus abbas SS. Mariæ & Andreæ insulæ Serræ in Histria concedit libellum emphyteusis Petro Alegritto & Gasdiæ ejus uxori. n. LXXIX. 147.

1054. VII. kl. julii. Libellus emphyteusis, quem scripsit Sophia abbatissa Rosani S. Læto abbati Passinianensi. n. LXXX. 149.

1055. X. februarii. Torellus & Morellus bona largiuntur eremo SS. Nicolai, Michaelis & Blasii de Monte-cornu in territorio Pennensi. n. LXXXI. 151.

1055. V. kl. martii. Rainerius, Petrus & Farolfus comites filii Winigildi comitis donant terras Johanni abbati monasterii S. Petri in Campo. n. LXXXII. 153.

. . . . Prologus expositionis regulæ S. P. N. Benedicti abbatis scriptus a Teuzone monacho. n. LXXXIII. 156.

1056. XXI. maji. Henricus archiepiscopus Ravennas scribit chartam emphyteusis 2000. tornaturiarum terræ comitibus Ugoni & Imildæ præsentibus episcopis & nobilibus viris. n. LXXXIV. 157.

1057. VI. januarii. Altera emphyteusis

marchionis bannum pro bonis eremi Camaldulensis sitis in plebe S. Mariæ de Chio. n. CXIV. 207.

1066. eodem mense. Henricus filius Ugonis marchionis renuntiat eremo Camaldulensi suum jus in ecclesiam S. Savini sitam in eadem plebe de Chio. n. CXV. 208.

1066. eodem mense. Renuntiatio facta a Griffone notario juris sui, quod habebat in ecclesiam S. Petri minoris prope Arretium ad hoc, ut monasterium inibi ædificaretur. n. CXVI. 209.

1066. mense octobri. Muricus episcopus & abbas S. Victoris de Clusis dat ad libellum terras Ugoni filio Gozonis. n. CXVII. 210.

1067. pridie kl. martii. Druda vendit Leoni presbytero terras prope ecclesiam S. Frigdiani Pisarum. n. CXVIII. 211.

1067. v. martii. Stephanus & Petrus commutant cum Stephano cardinale & abbate S. Gregorii de Urbe quasdam terras. n. CXIX. 213.

1067. XXII. junii. Johannes de Sicco cum aliis renuntiat eidem Stephano abbati hæreditatem suam. n. CXX. 215.

1067. mense decembri. Ermingarda donat terras ecclesiæ S. Petri minoris prope Arretium. n. CXXI. 216.

1068. mense majo. Guillia tradit eremo Camaldulensi suum jus in ecclesiam S. Savini de Chio. n. CXXII. 217.

1068. mense julio. Constantinus episcopus Arretinus confirmat monasterio Prataliensi medietatem unius mansi de terra. n. CXXIII. 218.

1068. mense augusto. Venerandus & Guillia conjuges donant terras ecclesiis S. Petri minoris & S. Clementis prope Arretium. n. CXXIV. 219.

1069. mense martio. Charta emphyteusis facta pluribus consortibus a Marino abbate SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia. n. CXXV. 220.

1069. XVII. junii. Petrus filius Bennonis donat S. Petro Damiano & ejus monasterio S. Gregorii in Conca partem ecclesiæ S. Johannis-evangelistæ de Arimino, partem castri Factani, & alia castra & terras. n. CXXVI. 221.

1070. VIII. maji. Martinus vendit aliquot terras Eriprando presbytero ecclesiæ S. Salvatoris de Curteregis Veronæ. n. CXXVII. 223.

1070. VIII. kl. junii. Placitum Beatricis ducissæ & comitissæ Thusciæ super ecclesia S. Michaelis & curte Caspreni pro Ardimanno abbate Berardingæ. n. CXXVIII. 225.

1070. mense novembri. Acto donat terras Murico abbati & monasterio S. Victoris de Clusis. n. CXXIX. 226.

1071. VIII. kl. februarii. Ugo, Albertus & Rainerius fratres tradunt decimas suorum bonorum ecclesiæ S. Petri minoris prope Arretium in die consecrationis ejusdem factæ a Constantino episcopo Arretino. n. CXXX. 228.

1071. IV. kl. aprilis. Charta donationis factæ a Willia monasterio S. Michaelis Pisarum. n. CXXXI. 229.

1071. XIV. kl. octobris. Altera donatio, quam fecit eidem monasterio Bella uxor Contulini. n. CXXXII. 230.

1071. mense decembri. Constantinus episcopus Arretinus confirmat monasterio Prataliensi terras & silvam. n. CXXXIII. 232.

1071. VIII. kl. decembris. Petrus filius Johannis donat terras monasterio S. Victoris de Clusis, n. CXXXIV: 233.

1072. II. junii. Altera donatio facta eidem monasterio. n. CXXXV. 234.

1072. III. kl. julii. Willa uxor Walpiti tradit terras monasterio S. Michaelis Pisarum. n. CXXXVI. 234.

1072. IV. kl. novembris. Privilegium Alexandri II. papæ concessum Rustico priori Camaldulensi, ejusque eremo. n. CXXXVII. 236.

1073. Herimannus episcopus Volaterranus introducit Camaldulenses in monasterium S. Mariæ de Pulliciano, ut illud reforment. n. CXXXVIII: 238.


1073. III. januarii. Commutatio terrarum facta ab Adelasia filia Jannecti cum Petro abbate S. Gregorii de Urbe. n. CXXXIX. 240.

1073. III. idus januarii. Rainerius filius Guidonis comitis promittit Benedicto abbati S. Salvatoris de Sexto nullam molestiam vel gravamen amplius se illaturum eidem monasterio. n. CXL. 242.

1073. mense junio. Jucundus præpositus canonicæ Arretinæ concedit eremo Camaldulensi decimas castri de Mojona. n. CXLI. 243.

1073. mense eodem. Testamentum Randi filii Bulgari, quo relinquit eidem eremo sua jura in ecclesias

MO-



MONITUM.

IN præfatione primi Tomi horum Annalium Camaldulensium consilium nostrum aperuimus edendi præter historiam non tantum veteres paginas, tamquam testes & tabulas, quibus innititur veritas ipsorum Annalium, sed alia etiam opuscula & anecdota monumenta, quæ tum cœnobia nostra illustrarent, tum etiam eruditioni proficerent virorum, qui studium sacrarum antiquitatum excolerent. Ad calcem itaque hujus secundi voluminis post chartarum documenta publici juris facimus vetustum Sacramentarium, quod olim ad usum fuit monachorum seu eremitarum ecclesiæ sanctissimæ Trinitatis in monte Suavicinio, immo si audimus constantem popularem traditionem, quæ fere semper pedissequa aliquo saltem modo est veritatis, usus eo fuit sanctus Dominicus Loricatus, cui dono datum est a sancto ejus magistro Petro Damiano; ab immemorabili propterea sacram venerationem obtinuit apud populum Frontalis castri siti in diœcesi San-severinate, & haud longe a monasterio Suaviciniensi, in cujus castri parœciali ecclesia religiosissime etiamnum custoditur.

Character hujus ms. Sacramentarii seculum XI. refert, quo vixere uterque tam Dominicus, quam Petrus Damianus; nihilque in contrarium afferri potest, quod ad posteriora tempora revocare cogat. Clarissimus vir Octavius Turcius canonicus Pyranus, qui vitam sancti Dominici Loricati septem ab hinc annis typis vulgavit, quique Sacramentarium hocce ad superstitionem usque observavit, doctasque suas adnotationes, quæ inferius habentur, nobis edendas tradidit anno 1752. quo amicissimum virum visitavimus, codicisque antiquitatem una simul examinavimus, constantissime idem sentit. Idipsum domnus Gabriel Guastuccius pereruditus Classensis monachus, qui nobiscum tunc aderat, & ante nos præsul doctissimus noster domnus Maurus Sartius, qui pluries in conspectu positum diligenter perpendit. Hujus characteris specimen ad calcem subjicimus.

Idem Turcius in suis præviis observationibus, quas statim habes, putat codicem hunc pertinuisse prius ad celebre monasterium Classense sancti Apollinaris extra urbem Ravennam, vel ad aliquem locum Classensi subjectum, eo quod in litaniis *in ordine ad dandam pœnitentiam* invocetur *sanctus Apollinaris*, cujus titulo & sacro corpore gaudet Classensis basilica; nominentur insuper in iis *sanctus Severus*, *sanctus Vitalis*, *sanctus Guido* Ravennates omnes. Verum æquissimam illius animadversionem non improbantes superaddimus, ipsum exscribi potuisse ex simili codice, qui ad usum foret cœnobii & eremi sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, cui præsidebat sanctus Petrus Damianus, cum in vetustis ritualibus & libris liturgicis hujus monasterii litaniæ legantur fere similes, & ibi quoque reperiantur nomina sanctorum *Apollinaris*, *Severi* & *Vitalis*, Guidone tamen

men excepto ; quinimmo in aliquo ex ipsis codicibus officium cum hymnis propriis habeatur sancti Apollinaris. Petrus Damianus patria Ravennas, Classensis etiam monasterii ad tempus accola, inter cujus cœnobii monachos & Avellanenses maxima intercessit necessitudo & communicatio, Sanctorum suorum Ravennatum cultum introduxerat penes suos Avellanenses, ea speciali etiam observatione prosequentes sanctum Apollinarem, qui jamdudum, eo nimirum tempore, quo Avellanensis monasterii crepundia emergebant, *non longe a Catria*, ubi fundata Avellanensis eremus, conspiciendum se præbuerat sancto Romualdo parenti nostro, ut in ejus vita narrat idem Damianus. Guidoni Pomposiano abbati locum dederit in litaniis Sacramentarii nostri Damianus, quia ipse ante Avellanensem præfecturam per biennium tempore regiminis ejusdem præsulis Pomposianos monachos instruxerat; hunc proinde nuperrime inter cœlites relatum inferi curaverit liturgico missali.

Sacramentarius codex Suavicinius obseratur tegumentis duplicis laminæ anaglypho opere cælatæ ex argento inaurato, intra quam locatur tabula eburnea gyro parvo ebeneo circumdata. Supervacaneum foret heic loci observare evangeliaria, sacramentaria, missalia aliosque codices pro usu altaris consuevisse ornari nobilissimis & pretiosis cooperimentis. Id alii præstitere, & erudite præstat etiam canonicus noster Turcius. Egimus ea de re insuper [a] in observationibus ad antiquam nostram tabulam eburneam, & in brevi recordationis Boni abbatis Pisani, quod prostat [b] in Appendice hujus II. voluminis legitur: *Textum evangeliorum unum valde optime scriptum cum tabule de argento valde bone*. In ms. rerum catalogo [c] anni 1317. die XXVIII. aprilis confecto juxta constitutionem congregationis nostræ & præceptum Bonaventuræ præsidis generalis, domnus Bartholus abbas monasterii sanctorum Justi & Clementis prope Volaterras, inter cetera monasterii sui cimelia, adnotavit *unum tetraevangelium cum tabulis argenteis ponderis librarum decem & novem, & unciarum octo*. Ea pariter vigebat consuetudo recludendi intra laminas argenteas tabellas ebore sculptas. In museolo hujus nostri monasterii tabulam eburneam seculi XIII. asservamus, in qua cælata est imago sanctissimi Salvatoris, & ad oram duorum laterum prostant imagines sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, cujus ectypon transmisimus ad Cl. V. Antonium-franciscum Gorium inserendum pretioso suo Thesauro veterum operum eburneorum.

a *Differt. epistol.* §. x. T. xl. *Opusc. Filolog.*
b *Col.* 125.
c *Arch. Fontis-boni* §. *Inventar.* 1, *A.* 4.67.

Sed ipsas laminas & tabellas Sacramentarii nostri describamus. Plures parvi orbes in utraque lamina sunt descripti; & quidem in primo laminæ unius reperitur imago angeli, ut denotant alæ literæque appositæ ΜΙχαηλ. *Michael*. In altero e regione primi visitur similis imago cum literis Ο ΑΡχάγγελος ΓΑΒριὴλ. AR*changelus* GAB*riel*. Uterque angelus manus elevant versus aram, quæ locatur in orbe medio inter orbes laterales. Super ipsam aram collocatur codex gemmis dives, qui refert sacrum evangeliorum librum, sub quo procidit stratum, & sub strato pulvinar deponitur, visum a parte tantum lateris lævi. Pone pulvinar extolluntur arundo cum spugna ex una, ex altera vero parte lancea, notissima passionis Dominicæ instrumenta. Post codicem subrigitur Crux duplex nuncupata Hierosolymitana, Patriarchalis, Apostolica, & communiter Græca. Morem hujus symbolicæ aræ habemus penes Græcos sequioris ætatis, similemque aram conspeximus in musivo cathedralis Torcellanæ; & etiam in tabula lignea inaurata seculi XIV. quæ asservatur in sacrario canonicorum basilicæ majoris Tarvisii. Aliqua tamen in his diversitas notatur ab antiquioribus symbolicis aris remotioris ætatis, ut videre licet

apud Ciaconium & Ciampinium in musivis sanctæ Mariæ majoris de Urbe, & sanctæ Mariæ in Cosmedin Ravennæ, quæ spectant ad V. & VI. seculum. De cultu evangelicorum librorum super aras ad instar libri a Johanne apostolo visi egimus alio loco.

In quarto & quinto orbibus ad medietatem laminæ extant imagines sancti Petri apostoli & sancti coapostoli Paulli cum literis ⊕ ΠΕΤΡΟϹ. ⊕ ΠΑΥΛΟϹ. Demum ad oram laminæ inferiorem tres alii cælantur orbes, ex uno latere sanctus Marcus ⊕ ΜΑΡΚΟϹ. ex alio sanctus Lucas ⊕ ΛȣΚΑϹ. in medio angelus stans & nudum globum sinistra tenens, dextera autem premens aliquid, quod clare non apparet ob laminæ corrosionem, appositis literis Ο ΑΡχάγγελος ΓΑΒειήλ. A*Rchangelus* GA*Briel*. Repetitionem protome & literarum archangeli Gabrielis, & omissionem imaginis ac literarum archangeli Raphaelis deputamus errori artificis, remque credimus carere mysterio.

In tabula eburnea a præfata lamina argentea comprehensa cælatur imago sancti Georgii Ο ΑΓΙΟϹ ΓΕΟΡΓΙΟϹ, qui Crucem dextera tenet, sinistram autem extollit pallio coopertam, ut consuevere artifices exprimere in aliis imaginibus antiquis & inferioris ævi, tum græcis, tum latinis, & manus pallio obvoluta indicabat vel preces ad Deum fusas, vel quid humili veneratione receptum.

Tegumentum alterum, quo Sacramentarius codex ex parte subjecta clauditur, similem eburneam tabulam retinet, in qua conspicitur sanctus Theodorus cum literis Ο ΑΓΙΟϹ ΘΕΟΔωΡΟΣ, cujus manus eriguntur, sed nullo mysterio, nisi artificis arbitrio. Qui artifex cum Græcus esset, duos sibi proposuit ex Græcis Sanctos, qui majorem apud eam ecclesiam cultum obtinerent, ideoque frequentiores sunt eorum imagines in picturis & cælaturis græcanicis.

In orbe superiori a dextera parte hujus secundæ laminæ visitur sanctus Matthæus cum literis ⊕ ΜΑΘΕΟϹ. a sinistra autem sanctus Johannes apostolus & evangelista, appellatus hic Theologus ⊕ Ιωάννης ΘΕΟλογος. Illustrari hinc potest dissertatio Christophori-augusti Heumanni edita Isenaci anno 1715. *de Titulo Theologi Johanni prophetæ tributo.*

Comprehenditur inter hos duos orbes in quadrangulo imago sancti Michaelis globum nudum læva, hastam dextera tenentis. Orbes medii sanctum Jacobum Ο ΙΑΚΩΒΟϹ. & sanctum Andream Ο ΑΝΔΡΕΑϹ. & duo postremi ad infimam oram sanctum Bartholomæum Ο ΒΑΡΘΟλημαιος exhibent & sanctum Simonem Ο ϹΙΜων, recipientes in medio alterum orbem cum imagine sancti Nicolai magni Ο ΝΙΚΟΛΑΟϹ. qui æque apud Græcos summa veneratione colitur. Nil præterea in his imaginibus peculiari animadversione dignum, si excipiatur, quod apostolis, evangelistis, confessoribus & martyribus præponitur consueta sigla ⊕. Ο᾽ ΑΓΙΟϹ. nimirum SANCTUS, de qua alibi disseruimus [a], quæ tamen in his tegumentis denegatur archangelis.

[a] *Observat. in iconem S. Crucis.* §. *II.*

Artificium operis totum græcanicum est, quod constat ex ipsis literis græcis; temporibus enim mediis & sequioribus musiva, picturæ, cælaturæ ceteraque id genus Græcorum erant opera, cum artes in Italia miserandum in modum vel periissent, vel rudes admodum forent. Musiva ducalis basilicæ Marcianæ Venetiarum, alia cathedralis ecclesiæ Torcellanæ & plurima Romana ære impressa græcitatem olent, immo græcissima sunt. Refloruere postea artes in Italia seculo XV. Quare ante hoc seculum fabrefactæ fuere laminæ hactenus a nobis explicatæ; immo si examini subjiciatur forma characterum græcorum in duabus eburneis tabellis, qui

oblon-


oblongi potius sunt quam rotundi ; ad seculum antecedens XIV. vel ad finem XIII. possunt hæc tegumenta referri , cum characteres græci anteriorum seculorum ad majorem rotunditatem & extensionem forent expressi. Sed jam ad alteram Cl. V. Turcii præfationem accedamus , subjecto prius laminarum & tabularum ectypo.





ONCEDE qs omps
ds. ut nos uni
geniti tui no
ua p carne na
tiuitas liberet.
quos sub peccati iugo
uetusta seruitus tenet. Per.




blata dne Sec.
munera. noua unige
niti tui natiuitate scifica.
nosq; a peccatorum nrorum ma
culis æmunda. Per.
PREFAC






Ο ΑΓΙΟΣ
ΓΕΩΡΓΙΟΣ



VETUS SACRAMENTARIUM

Nunc primum editum ex codice membranaceo seculi XI. & observationibus ac notis illustratum a Cl. V.

OCTAVIO TURCIO

CANONICO PERINSIGNIS COLLEGIATÆ ECCLESIÆ PYRENSIS.

Eminentissimo & Reverendissimo. Principi

D. HENRICO HENRIQUEZ

S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO

Æmiliæ provinciæ Legato

OCTAVIUS TURCIUS

F.

NIl quidem gratius jucundiusque facere poteras, Princeps eminentissime, atque in paucis etiam doctissime, quam in iis, quæ diuturno labore atque intentiori diligentia & industria de Camerinensium ecclesia perscribenda suscepi, ut tandem digesta, ac disposita in lucem prodeant, studium atque operam Tuam polliceri. Ubi siquidem hæc tua in me voluntas perspecta est, adeo mihi erectus est animus, quem metu quodam tenuitatis meæ conscius pene desponderam, ut spes fuerit non aliis modo posse me haud mediocrem hinc utilitatem afferre, sed mihi ipsi parere fructum aliquem laudis & gloriæ. Quas igitur par erat, & quantas maximas animus capiebat mecum ipse tacitus gratias agebam, ac plane debere intelligebam; sed non facile occurrebat, quo pacto, ut gratum me ac memorem probarem, ex minima parte referrem. Cum vero in eam mentem adductus sim, ut, quas ad codicem hunc illustrandum elucubravi notas, una cum codice ipso in lucem emitterem, optime existimavi peropportunam mihi occasionem oblatam, quo Tibi, re quidem leve, sed si animum spectes, luculentissimum observantiæ in Te meæ argumentum patefaciam. Tibi enim, ut quanti Te fecerim, & quantum una debuerim, ætas omnis intelligat, hoc qualecumque est opus censui nuncupandum. Qua igitur singulari humanitate mihi es pollicitus, nonnulla Te exhibiturum, quæ in veteris & novæ Ecclesiæ Camerinensis historiam conferrem, quam scribendam jam diu sum aggressus, eadem excipias volumen hoc tua gravitate dignissimum; Tibique suadeas, etsi plurimi sint, qui Te maximi faciant, Teque observent, Tibique a Deo Opt. Max. bona omnia impetrata velint, me nemini prorsus in te observando, Tibique fausta omnia adprecando concedere. Vale.

Pyro sextodecimo cal. Januarii. M.DCC.LV.

OCTAVII TURCII

OBSERVATIONES PRÆVIÆ

Ad Vetus Sacramentarium.

JAm tum, humanissime lector, quum animum ad illustrandum contuli acta beati Dominici Loricati, quæ, ut in votis erat, jam sunt absoluta, ac typis etiam vulgata, unum illud spectavi quam maxime, ut ea omnia, quæ illorum decori, beati viri gloriæ, atque eruditionis amatoribus usui esse possent, simul congererem. Ut primum igitur perlatum mihi est in sanctæ Annæ castri Frontalis San-severinatis diœcesis parœciali ecclesia Missalem librum servari, ipsumque sub episcopalibus signis clausum concurrentium populorum cultui quotannis exhiberi, qui ad usum fuerat olim sanctissimi viri Petri Damiani, ac ab eodem postmodum beato Dominico Loricato ad usum Suavicinienfis monasterii seu eremi dono datus, juxta veterem continuatamque incolarum traditionem, episcoporum etiam San-severinatum literis firmatam, me operæ pretium factu-

rum censui, si tam venerabile vetustatis monumentum e tenebris eruerem, illiusque exemplar ad sacræ Liturgiæ incrementum vulgandum curarem. Consilia hæc mea probavit Dionysius Pieraugustinius fel. mem. episcopus præclarissimus, meque insuper ad opus exequendum incitavit. Literis exinde datis parocho Frontalis mandavit præsul apprime humanissimus, ut fractis signis codicem mihimet traderet exscribendum, prout incunctanter fecit, qui hic idem est, quem tuis oculis subjicio, additis quibusdam meis animadversionibus, quas opportune inserendas judicavi.

Vix autem sacrum codicem e custodia protuli, cum primo intuitu ex ipsismet tegumentis unum esse deprehendi ex iis sacris diptychis, quæ docti viri veterumque rerum studiosi si forte reperiant, uti pretiosissimos thesauros deosculantur, ac magnum quid se reperiisse putant. Diptychon siquidem generatim loquendo nihil aliud est, quam *duæ plicatiles tabellæ aptæ ad recipiendas sculpturas seu scripturas*, ut belle definit Cl. Negelein in sua dissertatione *de Diptycho Consulari & ecclesiastico*, (*a*) suamque ethymologiam ab eadem græca voce, quæ duplex sonat, ducere tradit in altera sua dissertatione super Diptychis eruditissimus Johannes-andreas Schimdt (*b*). Kusterus (*c*) itidem censet quemlibet librum gemina cooperimenta habentem Diptychon posse vocari, quamvis interior ejus pars pluribus constet foliis seu tabellis, & hujusmodi nomenclaturam pendere magis dicit ab hoc duplici tegumento, quam a numero paginarum seu tabellarum, quæ ibi continentur. Pretiosiora diptycha erant aurea, argentea, eburnea & cedrina, & hæc quidem varia. Omissis illis, quæ ad rem nostram non faciunt, quæque a laudatis viris Negelein & Schimdt recensentur, illa tantum memorare juvat, quæ sacra & ecclesiastica appellabantur. Hæc sacras præferebant imagines, variaque sanctissimæ religionis nostræ symbola, concludebantque libros sacros & divinos. Erat enim priscis illis temporibus erga sacros codices, & missales libros præsertim ac evangeliaria maximus cultus & reverentia. In capitulari Caroli M. ex concilio Aquisgranensi decretum fuit, ut *Missales libros scriberent cum omni diligentia perfectæ ætatis viri*, quod observat cardinalis Bona (*d*) *Rerum liturg. lib.* I. Hoc præsertim studio detinebantur monachi, exscribendo sacros libros, & operam præterea dabant, ut extrinsecus etiam libros illos quanto poterant ornatu ditarent. Idem honor evangeliorum libris præstabatur, ideoque in antiquo Fontanellensi chronico statutum legimus: (*e*) *Quatuor evangelia in membrano purpureo ex auro scribere jussit Romana litera*. Hujusmodi membranis purpureis argenteis literis exaratum lectionarium cum tegumento eburneo refert Cangius in suo glossario. (*f*) In bibliotheca itidem Vaticana codex asservatur, qui evangelia continet sanctorum Lucæ, & Johannis, coopertus diptycho eburneo, cujus una tantum medietas superest, ubi insculpti apparent Christus Dominus cum geminis sibi assistentibus angelis, & sancti tres Magi cum Herode loquentes, natoque Domino munera offerentes, ut per epistolam monuit cardinalis Quirinus dominum de Boze. (*g*) Diptycho pariter eburneo opertas fuisse epistolas sancti Pauli ad divi Maximini apud Treviros servatas refert Wiltemius in appendice ad Diptychon Leodiense. Hinc credimus morem in ecclesia viguisse ubique receptum sacros libros vel codices ad divinum cultum designatos, uti sunt Missalia, evangelia & alia hujusmodi, variis ornamentis auro vel argento convestiendi, ipsasque librorum paginas extrinsecus inaurandi. Sacramentarius codex noster Suavicinienis duobus tegumentis argenteis affabre elaboratis cooperitur, in quibus depictæ conspiciuntur plures imagines angelorum, apostolorum, evangelistarum & sanctorum Græcæ ecclesiæ cum lemmatibus pariter græcis.

Liber est membranaceus & omnino integer, characterem clarum & prægrandem exhibens. Paginas habet, una & altera tantum aliquantulum corrosis, perpolitas, nec usu ullove vitio consumptas aut fœdatas. Quæ omnia antiquissimi erga illum cultus habitæque non vulgaris diligentiæ sunt indicia. Numerantur in eo paginæ CXXVI. in quibus continentur præfationes, Missarum orationes, canon ad consecrationem aliquæque preces, dignus propterea, ut inter nobiliora diptycha recenseatur.

Nunc ad tempora, queis forte sacer hic codex scriptus fuit, transeo. Antiquitati undecimi seculi, quo vixit sanctus Petrus Damiani, omnia conveniunt. Propinquiora vero tempora habeo ab invocatione facta in litaniis, quæ leguntur in ordine *ad dandam pœnitentiam*, sancti Widonis, quem non alium puto, nisi celeberrimum Pomposianum abbatem, cujus precibus sanctus Petrus Damianus, cum adhuc in Avellanensi cœnobio degeret alumnus, ad illius monasterii

a §. III. pag. 3.
b Pag. 3. &c.
c De Diptych.
d Cap. 25. n. X.
e Cap. XVI.
f T. II. pag. 513.
g Epist. XXIV.

sterii se contulit cœnobitas instruendos. De Widonis glorificatione fidem facit ipsemet sanctus Petrus in epistola (*a*) ad Henricum archiepiscopum Ravennatem, ubi memorat *Romaldum sive Romualdum Camerinensem*, *Amicum Rambibonensem*, seu ut melius legit (*b*) Philippus Bonarota, *Rambonensem*, *VVidonem Pompostianum*, *Firmanum Firmensem* aliosque plures Sanctorum fastis adscriptos more illorum temporum. Cum autem certum sit sanctum Widonem ad Deum evolasse in suburbanis Parmæ anno Domini 1046. ut ex ejus vita ab anonymo coævo conscripta, & relata a Mabillonio (*c*) in actis Sanctorum ordinis sancti Benedicti, ecce tempus propius, quando liber noster scriptus est, post annum scilicet 1046. quo diem supremum obiit sanctus Guido, & ante annum 1060. quo juxta meam hypothesim, quam sequuntur Annalium Camaldulensium scriptores, vita cessit sanctus Dominicus Loricatus, cui a Damiano liber datus dono est. Quod si, uti rationi consonum, non sit credendum sanctum Widonem ipso suo emortuali anno Sanctorum fastis fuisse adscriptum, immo vero nonnihil temporis intercessisse, eadem ratione qua ab obitu sancti Romualdi quinque anni ad ipsius glorificationem intercesserunt, teste ipso Damiano; quod si insuper conjicere liceat monasterium eremi Suavicinii montis circa annum 1049. fuisse constructum, ibique sanctum Dominicum Loricatum priorem ab eodem Damiano eremi fundatæ designatum, post hujus eremi constructionem, & non antea, beatus Dominicus libri nostri Missalis possessionem assecutus est putandus, circa annum 1050.

a T. I. Lib. III.

b Dittic. sacro p. 28.

c Sec. VI. pag. 509.

Certum insuper est hunc sacramentorum librum totum esse monasticum, & ad monachos Benedictini ordinis spectare, tum ab ipsa Missa sancti Benedicti & a peculiari in ejus transitu præfatione, tum a geminis orationibus *in ordine ad induendum monachum*, ubi secunda oratione legitur: *Precamur te Domine, ut intercedente beato Benedicto confessore tuo, huic famulo tuo, cui habitum sanctæ religionis imponimus* &c. Idipsum constat ex litaniis *in ordine ad dandam pœnitentiam*, in quibus invocantur plures sancti monachi Benedictini; atque ab illorum & ab invocatione præsertim sancti Apollinaris, cujus sacrum corpus in Classensi basilica requiescit, qui ceteris martyribus, post sanctum Clementem papam præfertur, vel ipsimet Classensi Ravennati monasterio, vel alteri ejusdem ordinis & Classensi subjecto, hujus libri usum non dubitaverim adscribere. Tale fuit olim judicium Petri Pollidorii viri eruditissimi, cui accedit opinio doctissimi ac præclarissimi præsulis Auximani & Cingulani Pompeji Compagnonii. Argumenti fidem adauget Missa, quam habemus *in dedicatione ecclesiæ* post festum diem sancto Marco sacrum, & ante natalitia sancti Johannis-baptistæ. Porro dedicatio basilicæ Classensis sancti Apollinaris celebratur quotannis septima die mensis maji, ideoque prope dixerim librum hunc Missalem ad Classense cœnobium spectasse, & a monachis Classensibus primum sancto Petro Damiano, ab hoc vero sancto Dominico Loricato dono datum.

Sacramentarii hujus initium sumitur a præfatione communi, & procedit ad totam Missam *in honorem omnium Sanctorum pro vivis & defunctis*. Quæ præcedunt, quæque subsequuntur Missæ, præfationes & preces diverso charactere scriptæ nihil aliud sunt, quam geminæ appendices; eruditorum tamen judicio & Sartii præsertim Camaldulensis doctissimi præsulis harum rerum peritissimi, quorum oculis autographum ipsum subjecimus, eodem undecimo seculo scriptæ.

Habet quælibet Missa tres tantum orationes; prima quæ dicitur *collecta*, altera, quæ vocatur *secreta*, postrema quæ *post communionem* appellatur. Collectarum, quibus in Missa utimur, primum auctorem fuisse Gelasium norunt omnes rerum ecclesiasticarum scriptores, & antiqua monumenta evincunt, ut scribit Franciscus Pagius in breviario Romanorum pontificum sub Gelasio (*d*). Non habemus hic neque introitum, neque gradualia, sed nec epistolas, nec evangelia, non denique offertoria & versiculos post communionem. Quamobrem suspicari non immerito possum hunc sacramentarium librum Missis dumtaxat inserviisse sollemnioribus, in quibus celebrans olim recitabat tres illas hic prostantes orationes, præfationem & canonem, & reliqua ministri cantabant. Duos siquidem Sacramentarios libros ecclesias in Missæ sacrificio olim usurpasse dicendum; alterum plenarium dictum, quem Leo IV. tenendum esse præcepit in qualibet ecclesia: (*e*) *Missale plenarium*, inquit, *& lectionarium & antiphonarium unaquæque ecclesia habeat*; & forte illud est Missale plenarium, quo nunc sacerdotes utuntur ad privatas Missas celebrandas, plenarium ideo appellatum, quia quidquid in lectionariis & antiphonariis libris seor-

d Num. 13.

e Homil. de cura pastorali.

ſim continetur, collectum ibi eſt, & plene reperitur; & alterum ejuſdem generis cum noſtro, pro ſollemnibus tantum Miſſis aſſignatum, ultra quem etiam lectionarium, in quo epiſtolæ & evangelia, & antiphonarium, ubi introitus, gradualia, offertoria & verſiculi poſt communionem continerentur, eſsent comparanda.

Ut autem hujus vetuſti moris veritas magis clareſcat, memoria repetendum eſt, ſanctum Gregorium M. ex his pſalmis, quos Cœleſtinus papa alternatim ante Miſsam cantandos decreverat, aliquos ſelegiſse verſiculos pro introitu & reſponſoriis, alios pro offertorio & communione, alioſque in unum congeſſiſse librum, quem antiphonarium nuncupavit, Gregorianum propterea dictum, & a piæ memoriæ cardinali Thomaſio typis vulgatum. Quia vero nonnullæ ex illis antiphonis, quæ poſt epiſtolam dicuntur, in eminentiori loco cantari ſolebant, ad quem per gradus cantores aſcendebant, vocatæ ſunt graduales, ut ſentit (*a*) cardinalis Bona contra quoſdam, qui cenſent ſic appellatas a gradibus altaris.

a Lib. II. cap. 3. n. 4.

Olim pariter tam epiſtolæ, quam evangelia cantabantur ſemper in ambone, ſeu pulpito, & evangelia quidem altiori loco, epiſtola inferiori ex præſcripto Romani ordinis. Libri vero, ubi epiſtolæ & evangelia continebantur, lectionaria ſunt appellati, quorum unum titulo *Comitis* juſſu Damaſi primo compaginavit Hieronymus,

Lectionaria alio nomine paſſionaria vocabantur, in quibus acta etiam Sanctorum & eorum martyria erant ſcripta. Libri, in quibus exaratæ erant tantum epiſtolæ canonicæ, epiſtolaria dicebantur; ex iis unum Deſiderius abbas Caſinenſis, inde ſummus pontifex Victor III. ornatum voluit *geminis tabellis, argentea una, aurea altera*, ut in (*b*) chronico Caſinenſi legitur. Erat & liber evangeliorum evangeliarium vocatum, erga quem is fuit apud Fideles cultus & honor, ut teſtibus Baronio & Bona, quoties generalia concilia habebantur, ſub regali ſolio in medio patrum aſſeſſorum poneretur.

b Lib. III. cap. 3.

Reliquæ preces, quæ in Miſsæ ſacrificio dicuntur, & hic deſiderantur, velut *Kirie eleyſon. Gloria in excelſis. Symbolum apoſtolicum*, aliæque orationes ante canonem & ante communionem, ſcriptæ forte erant in illis tabellis, quæ juxta morem hodiernum in altari ſunt poſitæ ante oculos celebrantis, quaſque epiſcopi aliique epiſcopalia jura habentes legunt modo ex libro, quem vulgo Canonem vocant.

Tandem animadverto Miſsalem hunc librum in pluribus convenire cum Sacramentario ſancti Gregorii, quamvis frequentes varietates obſerventur juxta undecimi ſeculi uſum. Quidquid vero nota dignum in Miſsali reperivi, ſuis infra locis breviter appono.



VETUS



VETUS SACRAMENTARIUM
NUNC PRIMUM EDITUM.

IN Dei nomine. Amen. Hæc est copia publica cujusdam perantiqui Missalis carta membranacea manuscripti paginarum centum viginti sex, longitudinis unciarum tresdecim, latitudinis novem cum dimidio, & altitudinis unciarum duarum cum dimidio, cooperti in fronte & in suis fibulis ex serico gausapino viridis coloris cum tegumentis ex laminis argenteis auro linitis & concinne relevatis cum quibusdam parvulis imaginibus figuræ orbiculatæ hinc inde dispositis, circum quas quidam græci charactees apparent, in quorum medio conspiciuntur quædam aliæ imagines ex ebore pariter relevatæ & sculptæ, ebano circumductæ, prout apparent delineatæ in sequenti & altero folio apposito, in principio & in fine præsentis copiæ, in interiori vero tegumentorum parte ex tela serica omnino integra coopertis coloris pariter viridis, tenoris sequentis videlicet:

Adnotatio I.

IN FESTIVITATE SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS.

(✠) æterne Deus. Beati Stephani levitæ simul & martyris natalitia recolentes, quod fidei, quod sacræ militiæ, quod dispensationis & castitatis egregiæ, & prædicationis mirabilisque conf..... ejus confessionis ac patientiæ .... exempla veneranda proposuit, & ideo nativitatem filii tui merito præ ceteris passionis suæ festivitate prosequitur, cujus gloriæ sempiternæ primus martyr occurrit, per quem.

IN FESTIVITATE SANCTI JOHANNIS EVANGELISTÆ.

(✠) æterne Deus. Beati apostoli tui & evangelistæ Johannis veneranda natalitia recensentes, quod Domini nostri JHESU CHRISTI vocatione suscepta terrenum respuit patrem, ut posset invenire cœlestem, adeptus est in regno cœlorum sedem apostolici culminis, qui tantum retia carnalia contempserat genitoris, quique ab unigenito sic familiariter est dilectus & immensæ gratiæ muneribus adprobatus, ut eum idem Dominus in CRUCE jam positus ..... suæ matri VIRGINI filium ...... garet. Qu.... beatæ genitricis integritati probati dilectique discipuli VIRGINITAS deserviret; nam & in cœnæ mysticæ sacrosancto convivio super ipsum vitæ fontem æternum scilicet pectus recubuerat Salvatoris, de quo perhenniter manantia cœlestis hauriens fluenta doctrinæ tam profundis ac mysticis revelationibus est imbutus, ut omnem transgrediens creaturam excelsa mente conspiceret, & evangelica voce proferret, quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et ideo cum angelis.

IN NATIVITATE INNOCENTIUM.

(✠) æterne Deus. Et in pretiosis mortibus parvulorum, quos propter nostri Salvatoris infantiam bestiali sævitia Herodes funeste occidit. In ...... sola magis gratia, quam voluntas, & clara est prius confessio quam loquela: ante passio quam membra idonea passione. Existunt testes Christi, qui ejus nondum fuerant agnitores: quæ pro suo nomine trucidatis meritum gloriæ perire non patitur, sed proprio cruore perfusis, & salus regenerationis adhibetur, & imputatur corona martyrii: & ideo cum angelis & archangelis.

PER

Adnotatio II.

PER OMNIA SECULA SECULORUM. AMEN. DOMINUS VOBISCUM, & cum spiritu tuo. SURSUM CORDA, habemus ad Dominum. GRATIAS AGAMUS DOMINO DEO NOSTRO, dignum & justum est. DIGNUM ET JUSTUM EST, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus per Christum Dominum nostrum, per quem majestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, cœli cœlorumque virtutes ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant, cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas deprecamur supplici confessione dicentes.

SANCTUS. SANCTUS. SANCTUS. Dominus Deus sabaoth. Pleni sunt cœli & terra gloria tua.

Osanna in excelsis.

Benedictus, qui venit in nomine Domini osanna in excelsis.

Adnotatio III.

TE IGITUR clementissime pater per Jhesum Christum filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus & petimus, uti accepta habeas & bene † dicas. Hæc do † na. Hæc mu † nera. Hæc sancta † sacrificia illibata. Imprimis quæ tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare & regere digneris toto orbe terrarum una cum famulo tuo papa nostro & antistite nostro. Et omnibus orthodoxis catholicæ atque apostolicæ fidei cultoribus. Memento Domine famulorum famularumque tuarum ILL. & omnium circumastantium, quorum tibi fides cognita est & nota devotio. Pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus.

Pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ tibi reddunt vota sua æterno Deo vivo & vero.

Communicantes & memoriam venerantes imprimis gloriosæ semper virginis Mariæ genitricis Dei & Domini nostri Jhesu Christi.

Sed & beatorum apostolorum ac martyrum tuorum Petri, Pauli, Andreæ, Jacobi, Johannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Thaddei, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Grisogoni, Johannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, & omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna dampnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum.

Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus Bene † dictam, Ascri † ptam, Ra † tam, Ratio † nabilem acceptabilemque facere digneris, ut nobis Cor † pus & San † guis fiat dilectissimi filii tui Domini nostri Jhesu Christi. Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cœlum ad te Deum patrem omnipotentem, tibi gratias agens Bene † dixit, fregit & dedit discipulis suis dicens. Accipite & manducate ex hoc omnes.

Hoc est enim corpus meum.

Simili modo postea quam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens Bene † dixit, deditque discipulis suis dicens: Accipite & bibite ex eo omnes.

Hic est enim calix sanguinis mei novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Unde & memores Domine nos tui servi, sed & plebs tua sancta ejusdem Christi filii Domini nostri, tam beatæ passionis, nec non ab inferis resurrectionis, sed & in cœlis gloriosæ ascensionis offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis.

Ho † stiam puram. Ho † stiam sanctam. Hostiam † immaculatam. Panem † sanctum vitæ æternæ, & calicem † salutis perpetuæ. Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectum divinæ majestatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui corpus & sanguinem sumpserimus omni benedictione cœlesti & gratia repleamur. Per.

Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum ILL. qui nos præcesserunt cum signo fidei & dormiunt in

somno

somno pacis. Ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis & pacis, ut indulgeas deprecamur. Per eundem.

Adnotatio IV. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam & societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis & martyribus Johanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agne, Cæcilia, Anastasia, & cum omnibus sanctis tuis, intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, Sancti † ficas, Vivi † ficas, Bene † dicis & præstas nobis. Per ipsum & cum ipso, & in ipso est tibi Deo patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor & gloria. Per omnia secula seculorum. Amen.

Oremus. Præceptis salutaribus moniti & divina institutione formati audemus dicere. Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in temptationem. Sed libera nos a malo.

Sequitur *ORatio.*

Adnotatio V. Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis præteritis præsentibus & futuris, & intercedente pro nobis beata & gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria, & electis archangelis tuis, Michael, Gabriel, Raphael, beatoque Johanne baptista præcursore tuo & sanctis apostolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea cum omnibus sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, & a peccato simus semper liberi & ab omni perturbatione securi. Per Dominum nostrum Jhesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Pax Domini sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Agnus Dei, qui t.

Missa in nocte sancta.

Adnotatio VI. Deus, qui hanc sacratissimam noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere, da quæsumus, ut cujus lucis mysteria in terra cognovimus, ejus quoque gaudiis perfruamur in cœlo. Qui tecum vivit.

Secreta.

Accepta tibi sit Domine quæsumus hodiernæ festivitatis oblatio, ut tua gratia largiente per hæc sacrosancta commertia in illius inveniamur forma, in quo tecum est nostra substantia. Qui tecum.

Postcommunio.

Da nobis quæsumus Domine Deus noster, ut qui nativitatem Domini nostri Jhesu Christi nos frequentare gaudemus, dignis conversationibus ad ejus mereamur pervenire consortium. Qui tecum.

In die sancto natalis Domini.

Adnotatio VII. Concede quæsumus omnipotens Deus, ut nos unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetustas servitus tenet. Per eundem.

Secreta.

Oblata Domine munera, nova unigeniti tui nativitate sanctifica, nosque a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per eundem.

Praefat.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, quia per incarnati verbi mysterium nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit; ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amore rapiamur. Et ideo cum angelis & archangelis, cum thronis & dominationibus, cumque omni militia cœlestis exercitus hymnum gloriæ tuæ canimus sine fine dicentes.

Infra actionem.

Communicantes, & diem sacratissimum celebrantes, qua beatæ Mariæ intemerata virginitas huic mundo edidit Salvatorem, sed & memoriam venerantes ejusdem gloriosæ semper virginis Mariæ genitricis Dei & Domini nostri Jhesu Christi, sed & beatorum.

Post commun.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut natus hodie Salvator mundi, sicut divinæ nobis generationis est auctor, ita & inmortalitatis sit ipse largitor. Qui tecum vivit.

In sancti Stephani levitæ.

Da nobis quæsumus Domine imitari quod colimus, ut discamus & inimicos diligere, quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare. Per Dominum.

Secreta.

Suscipe Domine munera pro tuorum commemo-

memoratione Sanctorum, ut quod illos passio gloriosos, nos devotio reddat innocuos. Per.

Communio.

Auxilientur nobis Domine sumpta mysteria, & intercedente beato Stephano martyre tuo sempiterna protectione confirment. Per.

In sancti Johannis evangelistæ.

Ecclesiam tuam Domine benignus illustra, ut beati Johannis evangelistæ illuminata doctrinis ad dona perveniat sempiterna. Per.

Secreta.

Suscipe munera Domine, quæ in ejus sollempnitate tibi deferimus, cujus nos confidimus patrocinio liberari. Per.

Com.

Refecti cibo potuque cœlesti Deus noster te supplices deprecamur, ut in cujus hæc commemoratione percepimus, ejus muniamur & precibus. Per.

In octava Domini.

Deus, qui nobis nati Salvatoris diem celebrare concedis octavum, fac nos quæsumus ejus perpetua divinitate muniri, cujus sumus carnali commercio reparati. Per.

Secreta.

Præsta quæsumus Domine, ut per hæc munera, quæ Domini nostri Jhesu Christi archanæ nativitatis mysterio gerimus, purificatæ mentis intelligentiam consequamur. Per eundem. *Communio.*

Præsta quæsumus Domine, ut quod Salvatoris nostri iterata sollempnitate percepimus, perpetuæ nobis redemptionis conferat medicinam. Per eundem.

In epiphania Domini.

Deus, qui hodierna die unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti, concede propitius, ut qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per.

Secreta.

Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine dona propitius intuere, quibus jam non aurum, thus & myrrha profertur, sed quod eisdem muneribus declaratur, immolatur & sumitur. Per.

Præfat.

(✠) æterne Deus, quia cum unigenitus filius tuus in substantia nostræ mortalitatis apparuit, nova nos inmortalitatis suæ luce reparavit, & ideo.

Infra actionem.

Communicantes & diem sacratissimum celebrantes, quo unigenitus tuus in tua tecum gloria coæternus, in veritate carnis nostræ visibiliter corporalis apparuit. Sed & memoriam. *Communio.*

Præsta quæsumus Domine Deus noster, ut quæ sollempni celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia consequamur.

Benedictio super cereos in purificatione sanctæ Mariæ. *Adnotatio VIII.*

Exaudi quæsumus Domine plebem tuam, & quæ extrinsecus annua tribuis devotione venerari, interius assequi gratiæ tuæ luce concede. Per. Dominus vobiscum. Sursum corda. Gratias agamus Domino Deo nostro.

(✠) æterne Deus. Creator cœli & terræ, rex regum, & dominus dominantium, nos supplices tuos ad te clamantes clementer exaudire digneris, qui omnia ex nihilo creasti, & jussu tuo opera apum hunc liquorem ad perfectionem cerei evenire fecisti, & hodierna die petitionem justi Simeonis implesti, te humiliter deprecamur, ut has candelas ad usum hominum & sanitatem corporum & animarum quicumque tuus fidelis pro benedictione suis gestaverit in manibus sive in terra, sive in aquis per invocationem tui sanctissimi nominis, & intercessionem sanctæ Mariæ filii tui genitricis, cujus purgationem hodie celebramus mentibus devotis, atque omnium Sanctorum tuorum prece, & meritis bene†dicere, & sancti†ficare tua pietate digneris, ut hæc plebs tua, quæ hos cereos honorifice in manibus portat, teque psallendo laudes decantat, tu exaudias eorum voces de cœlo sancto tuo, & de sede majestatis tuæ, propitiusque sis omnibus clamantibus ad te, quos pretioso Christi filii tui sanguine dignatus es redimere, qui tecum vivit.

Oremus.

Præceptis salutaribus moniti.

Pater noster qui es in cœlis. *Totum.*

Alia oratio.

Bene†dic Domine Jhesu Christe hanc creaturam cerei supplicationibus, nostris & infunde ei per virtutem sanctæ Cru†cis benedictionem cœlestem, ut qui eam ad expellendas tenebras humano generi tribuisti talem signaculo Cru†cis tuæ fortitudinem & benedictionem accipiat, ut in quibuscumque locis accensa sive posita fuerit, discedat & contremiscat diabolus & fugiat pallidus cum omnibus ministris suis de habitationibus, nec præsumat amplius illudere servientibus Deo. Proinde te quæsumus Domine, ut mittas sanctum angelum tuum Raphaelem, qui evulsit a Sarra & Tobia dæmonem mortife-

tiferum eos infestantem, conterat illum, & perdat de cunctis habitationibus colentium Deum, de domibus, de angulis, de lectulis, de refectoribus, de universis locis in quibuscumque Deo famulantes habitant, quiescunt, dormiunt, vigilant, ambulant & consistunt, nec valeat ille malignus amplius inquietare illos, quos sancti chrismatis tui unctione fecisti esse munitos. Benedico hos cereos in nomine Dei † patris omnipotentis, & & filii † ejus unigeniti, & Spiritus † sancti paraclyti, ut sit ubique diaboli effugatio, atque omnium contubernalium suorum exterminatio, auxiliante eadem sancta & individua Trinitate, quæ in unitatis essentia semper permanet in secula seculorum, amen.

Sacerdos primitus accendat cereum & cæteris tribuat, & post accensionem dicat hanc orationem.

Omnipotens sempiterne Deus, qui unigenitum tuum hodierna die ulnis sancti Symeonis in templo tuo sancto suscipiendum præsentasti, te supplices deprecamur, ut hos cereos tuos, quos famuli tui omni magnificentia suscipientes gestare cupimus luce accensos, bene † dicere & sancti † ficare digneris, atque lumine supernæ bene † dictionis accendere, quatenus eos tibi Domino Deo nostro offerendo digni & sancto igne tuæ dulcedinis caritatis accensi, in templo sancto gloriæ tuæ repræsentari mereamur. Per.

MISSA IN DIE SANCTO.

OMNIPOTENS sempiterne Deus majestatem tuam supplices exoramus, ut sicut unigenitus filius tuus hodierna die cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus præsentari. Per eundem.

Secreta.

Exaudi Domine preces nostras, & ut digna sint munera, quæ oculis tuæ majestatis offerimus, subsidium nobis tuæ pietatis impende. Per.

Communio.

Quæsumus Domine Deus noster, ut sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, intercedente beata virgine Maria, & præsens nobis remedium esse facias & futurum. Per.

IN CATHEDRA SANCTI PETRI.

Adnotatio IX.

DEUS, qui beato apostolo tuo Petro collatis clavibus regni cœlestis animas ligandi atque solvendi pontificium tradidisti, concede intercessionis ejus auxilio a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Per. *Secreta.*

Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine preces & hostias beati Petri apostoli commendet oratio, ut quod pro illius gloria celebramus, nobis prosit ad veniam. Per. *Communio.*

Sancta tua nos Domine quæsumus sumpta vivificent, & intercedente beato Petro apostolo tuo misericordiæ sempiternæ præparent expiatos. Per.

IN SANCTI BENEDICTI.

Adnotatio X.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui per gloriosa beati Benedicti abbatis exempla humilitatis triumphale nobis iter ostendisti, da quæsumus, ut viam tibi placitæ obedientiæ, per quam venerabilis pater Benedictus inlæsus antecedebat, nos præclaris ejus meritis adjuti sine errore subsequamur. Per. *Secreta.*

Paternis intercessionibus magnifici pastoris Benedicti quæsumus familiæ tuæ, omnipotens Deus, commendetur oblatio, cujus vitalibus decoratur exemplis. Per.

Communio.

Percæptis Domine Deus noster sacramentis salutaribus humilitate deprecamur, intercedente beato Benedicto abbate, quæ pro illius venerando agimus obito, nobis proficiant ad salutem. Per.

IN ANNUNCIATIONE SANCTÆ MARIÆ.

Adnotatio XI.

DEUS, qui hodierna die verbum tuum beatæ virginis alvo coadunare voluisti, fac nos ita peragere, ut tibi placere valeamus. Per eundem. *Secreta.*

In mentibus nostris Domine veræ fidei sacramentum confirma, ut quod conceptum de virgine Deum verum & hominem confitemur, per ejus salutiferæ resurrectionis potentiam ad æterna mereamur pervenire lætitiam. Per eundem.

Communio.

Gratiam tuam Domine mentibus nostris infunde, ut qui angelo nuntiante Christi filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus & crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem.

PRIMA DOMINICA IN QUADRAGESIMA.

DEUS, qui ecclesiam tuam annua quadragesimæ observatione purificas, præsta familiæ tuæ, ut quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per. *Secreta.*

Sacrificium quadragesimalis initii sollemniter inmolamus te Domine deprecantes, ut cum æpularum restrictione carnalium a noxiis quoque voluptatibus temperemus. Per. *Communio.*

Tui nos sacramenti libatio sancta restauret,

ſtauret, & a vetuſtate purgatos in miniſterii ſalutaris faciat tranſire conſortium. Per.

INCIPIT BENEDICTIO PALMÆ ET OLIVÆ.

Adnotatio XII.

AUGE fidem in te ſperantium Deus, & ſupplicum preces clementer exaudi & veniat ſuper nos multiplex miſericordia tua, benedicantur & hi palmites olivarum, & ſicut in figura eccleſiæ multiplicaſti Noe egrediente de arca, & Moyſen exeunte de Ægypto cum filiis Iſrael, ita nos portantes palmas aut ramos olivarum bonis actibus occurramus obviam Chriſto, & per ipſum in gaudium introeamus æternum. Per. *Alia oratio.*

Deus, qui diſperſa congregas & congregata conſervas, qui populis in obviam Jheſu ramis portantibus benedixiſti, bene † dic etiam & hos ramos palmæ & olivæ, quos tui famuli ad nominis tui benedictionem fideliter ſuſcipiunt, ut quocumque loco introducti fuerint, tuam benedictionem conſequantur, ut omni adverſa valetudine effugata dextera tua protegat, quos redemit. Per eundem.

Lect. Dicite filiæ Syon.

Secundum Matthæum. In illo tempore cum appropinquaſſet.

Item oratio. Domine ſancte pater omnipotens æterne Deus, qui juſſiſti in creatura tua arboreis virgultis olivas producere ad concinnandas altaris luminaria, ita ſupplici prece depoſcimus, ut hos ramos palmæ & olivæ bene † dicere & ſancti † ficare digneris, ut famuli tui in manibus geſtantes, ſint ſanctificati anima & corpore, & tua benedictione repleantur dicentes, benedictus qui venit in nomine Domini oſanna in excelſis.

Tunc dicitur.

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Surſum corda. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum &c.

(†) æterne Deus. Te inter cetera mirabilium tuorum laudare & benedicere; qui Lamech ſemen juſtum dediſti; Noe revelaſti per ipſum aquas diluvii futura cognoſcens, cujus arca ad noſtram ſalvationem columba ſpiritualis olivæ fructuoſum ſurculum detulit, quam ad ſe revertentem Noe gaudens cum ſpirituali fructu libenter ſuſcepit. De cujus rami unctione Jacob electus titulum erigit, votum vovit, & oleum deſuper fudit. Hæc eſt inditio rami illius manantia de cœlis gratia, ſeu & populi vaſa replentes. Hæc eſt gratia, quæ & viduam benedixit in oleo. Hæc eſt inditio rami illius plantati ſecus decurſus aquarum, cujus folium non defluit. Per quod quotidie lavacrum baptiſmatis ab eccleſia procreatur, & noſtra delentur peccata. Hæc eſt tua plantatio bona valde, & tu es vita & reſurrectio mortuorum. Qui quatriduanum Lazarum ſuſcitaſti, & niſi cum proprio nomine vocaſſes, cuncti reſurrexiſſent a mortuis. Propterea & turba cum ramis palmarum obviantes clamabant: Oſanna benedictus, qui venit in nomine Domini rex Iſrael. Quapropter quæſumus clementiam tuam, ut nos famulos tuos, qui hujus rei gratiam & fidem veritatis percipimus, eruas & exuas de ore inferni, & adjutorium gratiæ tuæ nobis tribuere digneris, ut juſte & pie ſancteque viventes cum electis facias habere conſortium. Per quem hæc Domine ſemper bona creas, Sancti † ficas, Vivi † ficas, Bene † dicis & nobis ſervis tuis largiter præſtas. Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Alia oratio.

Deus, qui filium tuum Dominum noſtrum Jheſum Chriſtum pro noſtra ſalute in hunc mundum miſiſti, ut ſe humiliaret ad nos, & revocaret ad te, qui etiam dum Hieruſalem veniret, & adimpleret Scripturas, credentium populorum turba fideliſſima devotionis ſuæ veſtimenta cum ramis palmarum in via ſternebant, præſta quæſumus, ut illi fidei viam præparemus, de qua remoto lapide offenſionis & petra ſcandali, frondeat opere juſtitiæ ramos, ut ejus veſtigia conſequi mereamur. Per.

Hæc eſt alia oratio.

Petimus te ſancte pater omnipotens æterne Deus, ut reſpicere digneris ſuper hanc creaturam olivæ & palmæ, quæ ex ligni materia prodire juſſiſti, quam columba rediens ad arcam proprio protulit ore bene † dicere & ſancti † ficare digneris, ut quicumque ex ea ſumpſerint, accipiat ſibi ad perfectionem animæ & corporis, fiatque Domine noſtræ ſalutis remedium, tuæ gratiæ ſacramentum. Per.

INCIPIT MISSA IN DIE.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum Salvatorem noſtrum carnem ſumere, & Crucem ſubire voluiſti, concede propitius, ut & patientiæ ipſius habere documenta & reſurrectionis conſortia mereamur. Per. *Secreta.*

Concede quæſumus Domine, ut oculis tuæ majeſtatis munus oblatum & gratiam nobis tuæ devotionis obtineat & effectum beatæ

beatæ perennitatis aquirat. Per.

Præfac.

(†) æterne Deus, per quem nobis indulgentia largitur, & pax per omne seculum prædicatur. Traditur cunctis credentibus disciplina, ut sanctificatos nos possit dies venturus excipere. Et ideo cum angelis. *Communio.*

Per hujus Domine operationem mysterii, & vitia nostra purgentur & justa desideria compleantur. Per.

FERIA V. IN COENA DOMINI.

DEUS, a quo & Judas reatus sui pœnam, & confessione tua latro prœmium sumpsit, concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut sicut in passione sua Jhesus Christus Dominus noster diversa utrisque intulit stipendia meritorum, ita nobis ablato vetustatis errore resurrectionis suæ gratiam largiatur. Qni tecum vivit.

Secreta.

Ipse tibi quæsumus Domine sancte pater omnipotens sacrificium nostrum reddat acceptum, qui discipulis suis in sui commemoratione hoc fieri hodierna traditione monstravit. Qui tecum.

Infra actionem.

Communicantes & diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster Jhesus Christus pro nobis est traditus, sed & memoriam venerantes.

Communio.

Refecti salutaribus alimentis quæsumus Domine Deus noster, ut quod tempore nostræ mortalitatis exequimur, inmortalitatis tuæ munere consequamur. Per.

IM PARASCEVEN.

OREMUS dilectissimi nobis pro ecclesia sancta Dei, ut eam Deus & Dominus noster pacificare & custodire dignetur toto orbe terrarum subjiciens ei principatus & potestates, detque nobis quietam & tranquillam vitam degentibus glorificare Deum patrem omnipotentem.

Oremus. Flectamus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti, custodi opera misericordiæ tuæ, ut ecclesia toto orbe diffusa stabili fide in confessione tui nominis perseveret. Per eundem.

OREMUS & pro beatissimo papa nostro N. ut Deus & Dominus noster qui elegit eum in ordine episcopatus, salvum atque incolumem custodiat ecclesiæ sanctæ suæ ad regendum populum sanctum Dei. *Oremus. Flectam.*

Omnipotens sempiterne Deus, cujus judicio universa fundantur, respice propitius ad preces nostras & electum nobis antistitem tua pietate conserva, ut Christiana plebs, quæ tali gubernatur auctore, sub tanto pontifice credulitatis suæ meritis augeatur. Per.

OREMUS & pro omnibus episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, acolytis, exorcistis, lectoribus, hostiariis, confessoribus, virginibus, viduis, orphanis, & pro omni populo sancto Dei.

Oremus. Flect.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus spiritu totum corpus ecclesiæ sanctificatur & regitur, exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per.

OREMUS & pro Christianissimo imperatore nostro N. ut Deus & Dominus noster subditas illi faciat omnes barbaras nationes ad nostram perpetuam pacem. *Oremus Flect.*

Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manus sunt omnes potestates, & omnia jura regnorum, respice ad Romanum benignus imperium, ut gentes, quæ in sua feritate confidunt, potentiæ tuæ dextera comprimantur. Per.

OREMUS & pro catecumenis nostris, ut Deus & Dominus noster aperiat aures præcordiorum ipsorum, januamque misericordiæ, ut per lavacrum regenerationis accepta remissione omnium peccatorum & ipsi inveniantur in Christo Jhesu Domino nostro.

Oremus. Flect.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ecclesiam tuam nova semper prole fœcundas, auge fidem & intellectum catecumenis nostris, ut renati fonte baptismatis adoptionis tuæ filiis aggregentur. Per.

OREMUS dilectissimi nobis, Deum patrem omnipotentem, ut cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula dissolvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus portum salutis indulgeat. *Oremus. Flect.*

Omnipotens sempiterne Deus mæstorum consolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces nostræ de quacumque tribulatione clamantium, ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant affuisse. Per.

OREMUS & pro hæreticis & schismaticis, ut Deus & Dominus noster eruat eos ab erroribus universis, & ad sanctam matrem ecclesiam catholicam atque apostolicam revocare dignetur.

Oremus. Flect.

Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, & neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni hæretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, & ad veritatis tuæ redeant unitatem. Per.

Oremus & pro perfidis Judæis, ut Deus & Dominus noster auferat velamen de cordibus eorum, ut & ipsi cognoscant te Jhesum Christum Dominum nostrum. *Hic non dicatur Flect.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui etiam Judaicam perfidiam a tua misericordia non repellis, exaudi preces nostras, quas pro illius populi obcæcatione deferimus, ut agnita veritatis tuæ luce, quæ Christus est, a suis tenebris eruantur. Per.

Oremus & pro Paganis, ut Deus auferat iniquitatem de cordibus eorum, & relictis idolis suis convertantur ad Dominum vivum & verum, & unicum filium ejus Jhesum Christum Deum & Dominum nostrum, cum quo vivit & regnat cum Spiritu sancto Deus per omnia secula seculorum. *Oremus. Flect.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed vitam semper inquiris, suscipe orationem nostram, & libera eos ab idolorum cultura, & aggrega ecclesiæ tuæ sanctæ ad laudem & gloriam nominis tui. Per.

Adnotatio XIII.

Benedictio thimiamatis in sabbato sancto.

Æternam & justissimam pietatem tuam deprecor Domine sancte pater omnipotens æterne Deus, ut bene † dicere digneris hanc speciem thimiamatis, vel cujuslibet speciei, ut sit incensum majestatis tuæ in odorem suavitatis acceptum, & ad te Domine benedicatur, ita ubicumque odor pervenerit, estricetur, & effugetur omne genus dæmoniorum, sicut fumus jecoris piscis, quem Raphael archangelus tuus Tobiæ famulo tuo docuit accendi ad sanctam liberationem. Descendat super hanc speciem incensi plena bene † dictio, ut sit tibi acceptum, sicut ille, de quo David propheta tuus cecinit dicens. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.

Sit nobis odor consolationis ac suavitatis & gratiæ, ut fumus ejus effuget omnes fantasias mentis & corporis, ut simus apostoli tui voce boni odoris Deo, effugiat a facie hujus incensi omnis dæmonum incursus, sicut pulvis a facie venti, & sicut fumus a facie ignis. Præsta hoc piissime pater per unigenitum tuum, cum quo vivit & regnat cum Spiritu sancto Deus in secula seculorum. Amen.

Benedictio ignis novi.

Omnipotens sempiterne æterne Deus creator omnium rerum, te humiliter deprecamur, ut hunc ignem novum cœlo terræ largitum sancti † ficare & bene † dicere digneris, & sicut in adventu tuo elementa contagione peccatorum polluta purgare polliceris, ita & hic ignis novus tabernaculis fidelium tuorum habendus purgationem perfectam obtineat, & obstaculis invictus contra omnem nequitiam maligni spiritus perficiatur. Per.

In principio creav.

Deus, qui mirabiliter creasti hominem & mirabilius redemisti, da nobis quæsumus contra oblectamenta peccati mentis ratione persistere, ut mereamur ad gaudia æterna pervenire. Per. *Lec. II.*

Factum est in vigilia.

RE. Cantemus Domino. *Oratio.*

Deus, cujus antiqua miracula in præsenti quoque seculo coruscare sentimus, præsta quæsumus, ut sicut priorem populum ab Ægyptiis liberasti, hoc ad salutem gentium per aquas baptismatis opereris. Per.

Lec. Apprehendent septem mulieres.

RE. Vinea facta est. *Oratio.*

Deus, qui nos ad celebrandum paschale sacramentum utriusque testamenti paginis instruis, da nobis intelligere misericordiam tuam, & ea perceptione præsentium munerum firma sit expectatio futurorum. Per.

Lec. Hæc est hæreditas.

RE. Adtende cœlum. *Oratio.*

Deus, qui ecclesiam tuam semper gentium vocatione multiplicas, concede propitius, ut quos aqua baptismatis abluis, continua protectione tuearis. Per.

RE. Sicut cervus. *Oratio.*

Concede quæsumus omnipotens Deus, ut qui festa paschalia agimus, cœlestibus desideriis accensi, fontem vitæ saciemus. Per.

Ad Missam dicitur Gloria in excelsis Deo. *Adnotatio XIV.*

Deus, qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicæ resurrectionis illustras, conserva in nova familiæ tuæ progenie adoptionis spiritum, quem dedisti, ut corpore & mente renovati, puram tibi exhibeant servitutem. Per eundem.

Secreta.

Suscipe Domine quæsumus preces populi tui cum oblationibus hostiarum, ut paschalibus initiata mysteriis ad æternitatis nobis medelam te operante proficiant. Per. *Præfac.*

(✠) æquum & salutare, Te quidem Domine omni tempore, sed in hac potissimam noctem gloriosius prædicare, cum pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit. Et ideo. *Infra action.*

Communicantes & noctem sacratissimam celebrantes resurrectionis Domini nostri Jhesu Christi secundum carnem, sed & memoriam venerantes imprimis gloriosæ semper virginis Mariæ genitricis ejusdem Dei & Domini nostri Jhesu Christi, sed & beatorum apostolorum.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu sancto tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus Domine, ut placatus accipias. Per.

Post commun.

Spiritum nobis Domine tuæ caritatis infunde, ut quos sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per. in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus.

IN DIE DOMINICE SANCTUM PASCÆ.

DEUS, qui hodierna die per unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reserasti, vota nostra, quæ præveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eundem. *Secreta.*

Suscipe Domine preces populi tui cum oblationibus hostiarum, ut paschalibus initiata mysteriis, ad æternitatis nobis medelam te operante proficiant. Per.

(✠) æquum & salutare, te quidem.

Require retro.

Communicantes.

Require in nocte sancta.

Hanc igitur. *Similiter.* *Communio.*

Spiritum nobis Domine tuæ caritatis infunde, ut quos sacramentis paschalibus saciasti, tua facias pietate concordes. Per.

FERIA II. IM PASCA.

Adnotatio XIV.

DEUS, qui sollempnitate paschali mundo remedia contulisti, populum tuum cœlesti dono prosequere, ut & perfectam libertatem consequi mereatur, & ad vitam proficiat sempiternam. Per.

Secreta.

Pascales hostias recensentes, quæsumus Domine, ut quod frequentamus actu, comprehendamus affectu. Per.

Communio.

Impleatur in nobis quæsumus Domine sacramenti pascalis sancta libatio, nosque de terrenis affectibus ad cœlestem transferat institutum. Per.

FERIA III. IM PASCA.

DEUS, qui ecclesiam tuam novo semper fœtu multiplicas, concede famulis tuis, ut sacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt. Per.

Secreta.

Suscipe Domine fidelium preces cum oblationibus hostiarum, ut per hæc piæ devotionis officia, ad cœlestem gloriam transeamus. Per. *Post com.*

Concede quæsumus omnipotens Deus, ut pascalis perceptio sacramenti, continua in nostris mentibus perseveret. Per.

IN OCTAVA PASCÆ.

PRÆSTA quæsumus omnipotens Deus, ut qui pascalia festa peregimus, hæc te largiente moribus & vita teneamus. Per.

Secreta.

Suscipe munera quæsumus Domine exultantis ecclesiæ, & cui causam tanti gaudii præstitisti, perpetuum fructum concede lætitiæ. Per. *Postcommun.*

Quæsumus Domine Deus noster, ut sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, & præsens nobis remedium esse facias & futurum. Per.

IN NATALE SANCTI MARCI EVANGELISTÆ.

Adnotatio XV.

Deus, qui hunc diem glorioso beati Marci evangelistæ tui martyrio consecrasti, præsta quæsumus, ut ipse apud te pro nobis existat præcipuus suffragator, qui unigeniti tui fieri meruit evangelicus prædicator. Qui tecum. *Secreta.*

Suscipe quæsumus Domine dignanter oblata, & beati Marci evangelistæ suffragantibus meritis ad nostræ salutis auxilium provenire concede. Per.

Communio.

Cœlestibus Domine refecti muneribus supplices deprecamur, ut beati Marci evangelistæ & martyris tui protegamur auxiliis, cujus devotis mentibus celebramus triumphum. Per.

IN DIE ASENSIO DOMINI.

CONCEDE quæsumus omnipotens Deus, ut qui hodierna die unigenitum tuum redemptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus. Per eundem Dominum nostrum. *Secreta.*

Suscipe Domine munera, quæ pro filii tui gloriosa ascensione deferimus, & concede propitius, ut a præsentibus pericu-

lis

lis liberemur, & ad vitam perveniamus æternam. Per eundem. *Præfac.*

(†) æterne Deus per Christum Dominum nostrum, qui post resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit, & ipsis cernentibus est elevatus in cœlum, ut nos divinitatis suæ tribueret esse participes. Et ideo.

Communicantes & diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster unigenitus filius tuus unitam sibi fragilitatis nostræ substantiam in gloriæ tuæ dextera collocavit. Sed & memo.

Communio.

Præsta nobis quæsumus omnipotens & misericors Deus, ut, quæ visibilibus mysteriis sumenda percepimus, invisibili consequamur effectu. Per.

Sabbato sancto in Pentecosten.

Lect. Tentavit Deus.

RE. Cantemus Deo.

Deus qui in Habrææ famuli tui opere humano generi obedientiæ exempla præbuisti, concede nobis ex nostræ voluntatis pravitatem frangere, & tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere. Per.

Lec. Scripsit Moyses.

RE. Adtende cœlum. *Oratio.*

Deus, qui nobis per prophetarum ora præcepisti temporalia relinquere, atque ad æterna festinare, da famulis tuis, ut quæ a te jussa cognovimus, implere cœlesti inspiratione valeamus. Per.

Apprehendent septem mulieres.

RE. Sicut cervus. *Oratio.*

Deus incommutabilis virtus, lumen æternum, respice propitius ad totius ecclesiæ tuæ mirabile sacramentum, & opus salutis humanæ perpetuæ dispositionis effectu tranquillius operare, totusque mundus experiatur & videat dejecta erigi, inveterata novari; & per ipsum redire omnia in integrum, a quo sumpsere principium. Per. *Oratio.*

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut claritatis tuæ super nos splendor effulgeat, & lux tuæ lucis corda eorum, qui per gratiam tuam renati sunt, sancti Spiritus illustratione confirmet. Per.

Secreta.

Munera Domine quæsumus oblata sanctifica, & corda nostra sancti Spiritus illustratione emunda. Per.

Communicantes & diem sacratissimum Pentecosten celebrantes, quo Spiritus sanctus apostolis in variis linguis apparuit. Sed & memoriam. *Infra actionem.*

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu sancto tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus Domine, ut placatus accipias, diesque nostros.

Communio.

Sancti spiritus Domine corda nostra mundet infusio, & sui roris aspersione fæcundet. In unitate.

In die sanctum.

Deus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per. *Secreta.*

Munera, quæsumus Domine, oblata sanctifica & corda nostra sancti Spiritus illustratione emunda. Per. *Præf.*

(†) æterne Deus per Christum Dominum nostrum, qui ascendens super omnes cœlos, sedensque ad dexteram tuam promissum Spiritum sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit, quapropter profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat, sed & supernæ virtutes, atque angelicæ potestates hymnum gloriæ concinunt sine fine dicentes.

Communicantes. *Ut supra.*

Hanc igitur. *Ut supra.*

Commun.

Sancti spiritus Domine tuorum.

Reliqua in vigil.

In dedicatione templi.

Deus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecrationis reparas diem, & sacris semper mysteriis repræsentas incolumes, exaudi preces populi tui & præsta, ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur. Per.

Secreta.

Annue quæsumus Domine precibus nostris, ut quicumque infra templi hujus, cujus anniversarium dedicationis diem celebramus, ambitum continemur, plena tibi atque perfecta corporis & animæ devotione placeamus, ut dum hæc præsentia vota reddimus, ad æterna præmia te adjuvante venire mereamur. Per.

Postcommunio.

Deus, qui ecclesiam tuam sponsam vocare dignatus es, ut quæ haberet gratiam per fidei devotionem, haberet etiam ex nomine pietatem; da ut omnis hæc plebs nomini tuo serviens hujus vocabuli consortio digna esse mereatur, & ecclesia tua in templo, cujus anniversarius dies celebratur, tibi collecta te timeat, te diligat, te sequatur, ut dum ju-

jugiter per vestigia tua graditur, ad cœlestia promissa te ducente pervenire mereatur. Per.

Adnotatio XVI.

In nativitate sancti Johannis Baptistæ.

Deus, qui præsentem diem honorabilem nobis in beati Johannis nativitate fecisti, da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. Per. *Secreta.*

Tua Domine muneribus altaria cumulamus, illius nativitatem honore debito celebrantes, qui Salvatorem mundi & cecinit affuturum, & adesse monstravit Dominum nostrum Jhesum Christum.

Præfac.

† æterne Deus in die festivitatis hodiernæ, qua beatus Johannes baptista exortus est; qui vocem matris Domini nondum editum sensit, & adhuc clausus utero adventus salutis humanæ prophetica exultatione gestavit; qui & genitricis sterilitatem conceptus abstulit, & patris linguam natus absolvit, solusque omnium prophetarum, redemptorem mundi, quem prænunciavit, ostendit. Et ut sacræ purificationis effectum, aquarum naturam conceperit, sanctificandis Jordanis fluenta ipso baptismo baptismatis lavit auctorem. Et ideo cum. *Postcommunio.*

Sumat ecclesia tua Deus beati Johannis baptistæ generatione lætitiam, per quem suæ regenerationis cognovit auctorem Jhesum Christum filium tuum.

In nativitate apostolorum Petri et Pauli.

Deus, qui hodiernam diem apostolorum tuorum Petri & Pauli martyrio consecrasti, da ecclesiæ tuæ eorum in omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumpsit exordium. Per.

Secreta.

Hostias Domine, quas nomini tuo consecrandas offerimus, apostolica prosequatur oratio, per quam nos expiari tribuis & defendi. Per. *Præfac.*

(†) æquum & salutare, Te Domine suppliciter exorare, ut gregem tuum pastor æterne non deseras, sed per beatos apostolos tuos continua protectione custodias, ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores. Et ideo cum.

Communio.

Quos cœlesti Domine alimento faciasti, apostolicis intercessionibus ab omni adversitate custodi. Per.

In Nativitate sancti Laurentii.

Da nobis, quæsumus omnipotens Deus, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per.

Secreta.

Accipe, quæsumus Domine, munera dignanter oblata, & beati Laurentii suffragantibus meritis ad nostræ salutis auxilium pervenire concede. Per.

Postcommunio.

Sacro munere satiati supplices te Domine deprecamur, ut quod debitæ servitutis celebramus officio, salvationis tuæ sentiamus augmentum. Per.

Adnotatio XVII.

In die Assumptionis sanctæ Mariæ.

Veneranda nobis Domine hujus est diei festivitas, in qua sancta Dei genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum, qui tecum.

Secreta.

Oblatis Domine placare muneribus, & intercedente beata semper virgine Maria cum omnibus Sanctis tuis a cunctis nos defende periculis. Per.

Secreta.

Subveniat Domine plebi tuæ Dei genitricis oratio, quam & si pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in cœlesti gloria apud te pro nobis orare sentiamus. Per.

Præfac.

(†) æterne Deus, & te in veneratione sacrarum virginum exultantibus animis laudare, benedicere & prædicare, inter quas intemerata Dei genitrix virgo Maria, cujus assumptionis diem celebramus, gloriosa effulsit. Quæ & unigenitum tuum sancti Spiritus obumbratione concepit, & virginitatis gloria permanente huic mundo lumen æternum effudit Jhesum Christum Dominum nostrum, quem laudant angeli.

Postcommunio.

Mensæ cœlestis participes effecti imploramus clementiam tuam Domine Deus noster, ut qui festa Dei genitricis colimus, a malis imminentibus ejus intercessionibus liberemur. Per eundem.

Adnotatio XVIII.

In Nativitate sanctæ Mariæ.

Supplicationem servorum tuorum Deus miserator exaudi, ut qui in nativitate Dei genitricis & virginis congregamur,

gamur, ejus intercessionibus complacatus, a te de instantibus periculis eruamur. Per. *Secreta.*

Unigeniti tui Domine nobis succurrat humanitas, ut qui natus de virgine matris integritatem non minuit, sed sacravit, in nativitatis ejus sollempniis a nostris nos piaculis exuens oblatam nostram sibi faciat acceptam. Per.

Postcommunio.

Sumptis Domine sacramentis intercedente beata & gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria ad redemptionis æternæ proficiamus augmentum. Per.

Adnotatio XIX.

IN SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

DEUS, qui miro ordine angelorum ministeria hominumque dispensas, concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in cœlis semper assistitur, ab his in terra nostra vita muniatur. Per.

Secreta.

Hostias tibi Domine laudis offerimus suppliciter deprecantes, ut easdem angelico pro nobis interveniente suffragio, & placatus accipias & ad salutem nostram pervenire concedas. Per.

Præfac.

(†) æterne Deus, sancti Michaelis archangeli merita prædicantes, quamvis enim nobis sit omnis angelica veneranda sublimitas, quæ in majestatis tuæ assistit conspectu, illa tamen est propensius honoranda, quæ in ejus dignitate ordinis cœlestis militiæ meruit principatum. Per Christum. *Communio.*

Repleti Domine benedictione cœlesti suppliciter imploramus, ut quod fragili celebramus officio, sanctorum archangelorum nobis prodesse sentiamus auxilio. Per.

Adnotatio XX.

IN FESTIVITATE OMNIUM SANCTORUM.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari, quæsumus, ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessionibus largiaris. Per.

Secreta.

Munera tibi Domine nostræ devotionis offerimus, quæ & pro cunctorum tibi grata sint honore justorum, & nobis salutaria te miserante reddantur. Per.

Communio.

Da, quæsumus Domine, fidelibus populis omnium semper Sanctorum veneratione lætari, & eorum perpetua supplicatione muniri. Per.

EODEM DIE SANCTI CÆSARII.

Adnotatio XXI.

DEUS, qui nos beati martyris tui Cæsarii annua sollemnitate lætificas, concede propitius, ut cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per.

Secreta.

Hostias tibi Domine beati Cæsarii martyris tui dicatas meritis benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue pervenire subsidium. Per.

Communio.

Omnipotens Deus, ut qui cœlestia alimenta percepimus, intercedente beato Cæsario martyre tuo per hæc contra omnia adversa muniamur. Per.

IN SANCTI MARTINI EPISCOPI.

Adnotatio XXII.

DEUS, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus, concede propitius, ut intercessione beati Martini confessoris tui contra omnia adversa muniamur. Per. *Secreta.*

Da misericors Deus, ut hæc nos salutaris oblatio & a propriis reatibus indesinenter expediat, & ab omnibus tueatur adversis. Per. *Communio.*

Præsta quæsumus Domine Deus noster, ut quorum festivitate votiva sunt sacramenta, eorum salutaria nobis intercessione reddantur. Per.

IN SANCTI ANDREÆ.

MAJESTATEM tuam Domine suppliciter exoramus, ut sicut ecclesiæ tuæ beatus Andreas apostolus extitit prædicator & rector, ita apud te sit pro nobis perpetuus intercessor. Per.

Secreta.

Sacrificium nostrum tibi Domine quæsumus beati Andreæ precatio sancta conciliet, ut cujus honore sollemniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum. Per. *Communio.*

Sumpsimus Domine divina mysteria beati Andreæ festivitate lætantes, quæ sicut tuis Sanctis ad gloriam, ita nobis quæsumus ad veniam prodesse perficias. Per.

IN SANCTI NICOLAI EPISCOPI ET CF.

Adnotatio XXIII.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui hodierna die beatissimum confessorem tuum atque pontificem Nicolaum, æthera regna penetrare fecisti; da quæsumus supplicibus tuis digne illius sollempnia celebrare, ut per ejus venerandam festivitatem salutem consequamur & pacem. Per. *Secreta.*

Munera tibi Domine dicata sanctifica & in-

& intercedente beato Nicolao confessore tuo atque pontifice per eadem nos placatus intende. Per.

Communio.

Protege quæsumus Domine plebem tuam beati Nicolai præsulis patrocinio confidentem, & quam divinis recreas sacramentis, fac eam jugiter tuis inhærere mandatis. Per.

MISSA DE SANCTA TRINITATE.

Adnotatio XXIV.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia majestatis adorare unitatem, quæsumus ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per.

Secreta.

Sanctifica quæsumus Domine Deus per tui nominis invocationem hujus oblationis hostiam, & per eam nosmetipsos tibi perfice munus æternum. Per.

Præfac.

(†) æterne Deus, qui cum unigenito filio tuo & Spiritu sancto unus es Deus, unus es Dominus. Non in unius singularitate personæ, sed in unius Trinitatis substantia. Quod enim de tua gloria revelante te credimus, hoc de filio tuo, hoc de Spiritu sancto sine differentia discretionis sentimus, ut in confessione veræ sempiternæque Deitatis & in personis proprietas, & in essentia unitas, & in majestate adoretur æqualitas. Quem laudant angeli, venerantur archangeli, throni, dominationes, principatus & potestates, virtutes cœlorum adorant, quem Cherubin & Seraphin non cessant clamare dicentes. *Postcommun.*

Domine Deus pater omnipotens nos famulos tuos tuæ majestati subjectos, per unicum filium tuum in virtute Spiritus sancti benedic semper & protege, ut ab omni hoste securi in tua jugiter laude lætemur. Per eundem in unitate.

DOMINICA PRIMA DE ADVENTU.

EXCITA quæsumus Domine potentiam tuam & veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Qui vivis. *Secreta.*

Hæc sacra nos potenti virtute mundatos, ad suum faciant puriores venire principium. Per. *Communio.*

Suscipiamus Domine misericordiam tuam in medio templi tui, ut reparationis nostræ ventura sollemnia congruis honoribus præcedamus. Per.

MISSA IN HONORE OMNIUM SANCTORUM.

Adnotationes XXV. & XXVI.

CONCEDE quæsumus omnipotens Deus, ut intercessio nos sanctæ Dei genitricis virginis Mariæ, sanctorum omnium apostolorum, martyrum, confessorum atque virginum, & omnium electorum tuorum ubique lætificet, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per.

Secreta.

Oblatis quæsumus Domine placare muneribus, & intercedente beata semper virgine Maria cum omnibus Sanctis tuis a cunctis nos defende periculis. Per.

Communio.

Sumpsimus Domine beatæ Mariæ semper virginis & omnium Sanctorum tuorum commemorationem facientes sacramenta cœlestia, præsta quæsumus, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per.

MISSA PRO CONGREGATIONE.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, protende super famulos tuos & super cunctas congregationes illis commissas spiritum gratiæ salutaris, & ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per. *Secreta.*

Hostias Domine famulorum tuorum placatus intende, & quas in honore nominis tui devota mente celebrant, perficere sibi sentiant ad medelam. Per.

Communio.

Quos cœlesti recreas munere, perpetuo Domine comitare præsidio, & quos fovere non desinis, dignos fieri sempiterna redemptione concede. Per.

MISSA PRO PACE.

DEUS, a quo sancta desideria, recta consilia & justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem, ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine tempora sint tua protectione tranquilla. Per. *Secreta.*

Deus, qui credentes in te populos nullis finis concuti terroribus, dignare preces & hostias dicatæ tibi plebis suscipere, ut pax tua pietate concessa, christianorum fines ab omni hoste faciat esse securos. Per. *Communio.*

Deus auctor pacis & amator, quem nosse vivere, cui servire regnare est, protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos, ut qui in defensione tua confidimus, nullius hostilitatis arma timeamus. Per.

Missa pro iter agentibus.

Adesto Domine supplicationibus nostris & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes viæ hujus varietates tuo semper protegantur auxilio. Per. *Secreta.*

Propitiare Domine supplicationibus nostris, & has oblationes, quas tibi offerimus pro famulis tuis. ill. benignus assume, & viam illorum præcedente gratia tua dirigas, & subsequente comitari digneris, ut de actu atque incolumitate eorum secundum misericordiæ tuæ præsidia gaudeamus. Per.

Postcommunio.

Tua nos Domine sperantes in te, quæ sumpsimus sacramenta, custodiant, & famulos tuos contra omnes ubique tueantur incursus. Per.

Missa pro familiaribus.

Omnipotens sempiterne Deus miserere famulis tuis. ill. & dirige eos secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant. Per.

Secreta.

Proficiant, quæsumus Domine, hæc, quæ tuæ supplices offerimus majestati, ad salutem famulorum tuorum. ill. ut tua providentia eorum vita inter adversa & prospera ubique dirigatur. Per.

Communio.

Sumentes Domine perpetuæ sacramenta salutis, tuam deprecamur clementiam, ut per ea famulos tuos ab omni adversitate protegas. Per.

Missa votiva.

Deus, qui justificas impium & non vis mortem peccatoris, majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut famulum (*os*) tuum (*os*) de tua misericordia confidentem (*es*) cœlesti protegas benignus auxilio, & assidua eum (*os*) protectione conserves, ut tibi jugiter famuletur (*entur*, & nullis tentationibus a te separetur (*entur*). Per. *Præfac.*

Deus, qui proprium est &c. suscipe clementissime pater hostiam placationis & laudis, quam ego indignus famulus tuus sacerdos tibi offerre præsumo ad honorem & gloriam nominis tui pro incolumitate famuli (*orum*) tui (*tuorum*). ill. ut omnium delictorum suorum veniam consequatur (*antur*). Per.

Postcommunio.

Purificent nos, quæsumus Domine, sacramenta sancta, quæ sumpsimus, & famulum (*os*) tuum (*os*). ill. ab omni culpa liberum (*ros*) esse concede, ut qui conscientiæ suæ reatu constringitur (*guntur*) de cœlestis remedii plenitudine glorietur (*entur*). Per.

Missa pro infirmo

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulo (*is*) tuo (*is*), pro quo (*quibus*) misericordiæ tuæ imploramus auxilium, ut reddita sibi sanitate gratiarum tibi in ecclesia tua referat (*ant*) actionem (*es*). Per. *Secreta.*

Deus, sub cujus moderamine vitæ nostræ momenta decurrunt, suscipe preces & hostias famuli tui, pro quo misericordiam tuam ægrotante imploramus, ut de cujus periculo metuimus, de ejus salute lætemur. Per. *Communio.*

Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium auxilii tui super infirmum (*os*) famulum (*os*) tuum (*os*) ostende virtutem, ut ope misericordiæ tuæ adjutus (*ti*) ecclesiæ tuæ sanctæ præsentari mereatur (*antur*). Per.

Missa pro seipso.

Suppliciter te Deus pater omnipotens, qui es creator omnium rerum, deprecor, ut dum me famulum tuum coram omnipotentia majestatis tuæ graviter deliquisse confiteor, manum misericordiæ tuæ mihi porrigas, quatenus dum hanc oblationem tuæ pietatis offero, quod nequiter commisi, clementissime digneris absolvere. Per. *Secreta.*

Deus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, indulge quæso & miserere mei, & hoc sacrificium, quod pietati tuæ humiliter offero, benigne digneris suscipere, & peccata, quæ labentibus viciis contraxi, pius & propitius ac mi seratus indulgeas, ut locum pœnitentiæ ac flumina lacrymarum concessa venia a te merear accipere. Per. *Postcom.*

Deus caritatis & pacis, qui pro salute generis humani crucis patibulum suscepisti, & sanguinem tuum pro redemptione nostra fudisti, preces meas placatus & benignus suscipe & misericordiam tuam mihi concede, ut cum animam meam de corpore exire jusseris, pars iniqua in me non habeat potestatem, sed angelus tuus pacis inter Sanctos & electos tuos me collocet, ubi lux permanet indeficiens & vita perpetua. Qui vivis & regnas.

Missa pro omnibus.

Pietate tua, quæsumus Domine, nostrorum omnium solve vincula delictorum,

rum, & intercedente beata & gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria cum omnibus Sanctis tuis, domnum papam, pontifices & abbatem nostrum, seu omnes congregationes illis commissas, reges & principes nostros, & omnem populum Christianum, nosque famulos tuos, atque locum istum cum omnibus habitantibus in eo in omni sanctitate custodi, omnesque affinitate ac familiaritate, sive orationis commendatione nobis conjunctos a vitiis purga, virtutibus illustra, pacem & salutem nobis tribue, hostes visibiles & invisibiles remove, carnalia desideria repelle, aerem salubrem indulge, inimicis nostris caritatem largire, necnon qui suas eleemosynas nobis largiti sunt, delicta clementer ignosce, & omnibus fidelibus vivis & defunctis in terra viventium vitam pariter & requiem æternam concede. Per eumdem.

Secreta.

Deus, qui singulari corporis tui hostia totius mundi solvisti delicta, hac oblatione placatus maculas scelerum nostrorum absterge, & omnium fidelium Christianorum vivorum ac mortuorum peccata dimitte, eisque præmia æterna concede. Qui vivis.

Commun.

Sumpta quæsumus Domine cœlestia sacramenta omnia crimina nostra detergant, omnemque pravitatem & infirmitatem, seu hosticam rabiem, nec non & subitaneam mortem, meritis & intercessione sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum a nobis procul repellant, & omnibus fidelibus vivis & defunctis prosint ad veniam, pro quorum tibi sunt oblata salute. Per.

IN SANCTI URBANI.

DA quæsumus omnipotens Deus, ut qui beati Urbani martyris tui atque pontificis sollemnia colimus, ejus aperte intercessionibus adjuvemur. Per.

Secreta.

Hæc hostia Domine quæsumus emundet nostra delicta, & ad sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per.

Communio.

Refecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine Deus noster, ut cujus exequimur cultum, sentiamus effectum. Per.

IN NAT. UNIUS APOSTOLI.

QUÆSUMUS omnipotens Deus, ut beatus. ıll. apostolus tuum pro nobis imploret auxilium, ut a nostris reatibus absoluti, a cunctis etiam periculis eruamur. Per. *Secreta.*

Sacrandum tibi Domine munus offerimus, quo beati. ıll. apostoli tui sollemnia recolentes purificationem quoque nostris mentibus imploramus. Per.

Adnotatio XXVII.

Communio.

Perceptis Domine sacramentis suppliciter exoramus, ut intercedente. ıll. apostolo tuo, quæ pro illius veneranda gerimus sollemnitate, nobis proficiant ad medelam. Per.

IN NAT. PLURIMORUM APOSTOLORUM.

DEUS, qui nos annua apostolorum tuorum. ıll. sollemnitate lætificas, præsta quæsumus, ut quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per.

Secreta.

Munera Domine, quæ pro apostolorum tuorum. ıll. sollemnitate deferimus, propitius suscipe, & mala omnia, quæ meremur, averte. Per.

Communio.

Quæsumus Domine repleti mysteriis, ut quorum sollemnia celebramus, eorum orationibus adjuvemur. Per.

IN NATALI UNIUS MARTYRIS.

VOTIVOS nos Domine quæsumus. ıll. martyris tui natalis semper excipiat, qui & jucunditatem nobis suæ glorificationis infundat, & tibi nos reddat acceptos. Per. *Secreta.*

Præsentia munera, quæsumus Domine, ita serena pietate intuere, ut sancti Spiritus profundantur benedictione, & nostris cordibus eam dilectionem validam infundant, per quam sanctus martyr. ıll. omnia corporis tormenta devicit. Per.

Communio.

Sumentes Domine cœlestis dona mysterii, quæsumus, ut beati. ıll. martyris tui adjuvemur meritis, cujus sollemnitatem debita veneratione celebramus. Per.

IN NAT. PLURIMORUM MARTYRUM.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui per gloriosa bella certaminis ad inmortales triumphos beatos martyres tuos. ıll. transtulisti, da cordibus nostris dignam pro eorum commemoratione lætitiam, ut quorum gaudemus meritis, proficiamus exemplis. Per. *Secreta.*

Munera tibi Domine nostræ devotionis offerimus, quæ & pro tuorum tibi grata sint honore justorum & nobis salutaria te miserante reddantur. Per.

Communio.

Præsta nobis Domine quæsumus interce-

tercedentibus Sanctis tuis. ill. ut quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per.

IN NAT. PONTIFICUM.

DA quæsumus omnipotens Deus, ut beati. ill. confessoris tui atque pontificis veneranda sollemnitas & devotionem nobis augeat & salutem. Per. *Secreta.*

Sacris altaribus Domine hostias superpositas, quæsumus, ut sanctus. ill. pontifex atque confessor in salutem nobis provenire deposcat. Per. *Commun.*

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente beato. ill. confessore tuo atque pontifice beneficia potiora sumamus. Per.

IN NAT. CONFESSORUM, QUI NON FUERUNT PONTIFICES.

ADESTO Domine supplicationibus nostris, quas in sancti. ill. confessoris tui commemoratione deferimus, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit, precibus adjuvemur. Per. *Secreta.*

Hostias tibi Domine pro commemoratione sancti. ill. confessoris tui offerimus, quem a tui corporis unitate nulla tentatio separavit. Per. *Commun.*

Ut nobis Domine tua sacrificia dent salutem, beatus. ill. confessor tuus quæsumus precator accedat. Per.

IN NAT. VIRGINUM.

DEUS, qui nos beatæ. ill. virginis martyrisque tuæ annua sollemnitate lætificas, concede propitius, ut ejus adjuvemur meritis, cujus castitatis irradiamur exemplis. Per. *Secreta.*

Offerimus Domine preces & munera in honore sanctæ. ill. virginis martyrisque tuæ gaudentes, præsta quæsumus, ut & convenienter hæc agere, & remedium sempiternum valeamus acquirere. Per. *Communio.*

Adjuvent nos quæsumus Domine hæc mysteria sancta, quæ sumpsimus, & beatæ. ill. virginis martyrisque tuæ intercessio veneranda. Per.

INCIPIT ORDO AD MONACHUM FACIENDUM.

Projiciat se novitius ante altare.

Pater noster. Miserere mei. *Capitulum.*
Ostende nobis Domine.
Esto ei Domine.
Mitte ei Domine.
Domine exaudi. *Oratio.*

Deus indulgentiæ pater, qui te veritatem tuæ discretionis temperans indulsisti, ne filius portaret iniquitatem patris, & qui mira dispensatione etiam malis bene utens tuæ dignationis gratiam per eos frequenter operaris, quæsumus clementiam tuam, ut huic famulo tuo. ill. non obsistat, quod per habitum religionis per nos tanta ac tali re indignos accepit, sed ministerium, quod exterius per nos exhibetur, tu interius per donum sancti Spiritus exequaris. Per.

Alia oratio.

Deus, qui per coæternum filium tuum cuncta creasti, quique mundum in peccatis inveteratum per mysterium sanctæ incarnationis ejus renovare dignatus es, te supplices exoramus, ut ejusdem Domini nostri gratia super hunc famulum tuum abrenunciationem seculi profitentem clementer respicere digneris, per quam in spiritu suæ mentis renovatus veterem hominem cum suis actibus exuat, & novum hominem, qui secundum Deum creatus est, induere mereatur. Per.

BENEDICTIO CUCULLÆ.

DOMINE Jhesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam ut hoc genus vestimenti, quod sancti patres ad innocentiæ vel humilitatis indicium abrenuntiantes ferre sanxerunt, ita bene†dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui hoc usus fuerit, te induere mereatur. Per.

Item alia oratio.

Deus æternorum bonorum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infusor, te subnixis precibus deprecamur, ut hanc vestem bene†dicere & sancti†ficare digneris, qua famulus tuus. ill. pro indicatione castimoniæ induere vult, ut inter reliquos homines tibi cognoscatur esse devotus. Per Christum.

Tunc exuat eum veste laica ita dicendo.

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis.

Induens vestem monachicam dicat.

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.

Benedictio vestimenti.

Deus, qui vestimentum salutare & indumentum æternæ jucunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, ut hæc indumenta humilitatem cordis & contemptum mundi significantia, quibus famulo tuo. ill. visibiliter est in formando proposito, propitius bene†dicas, & beatæ castitatis habitum,

tum, quem te inspirante suscepit, te protegente custodiat. Per.

AD INDUENDUM VESTEM MONACHICAM.

ACCIPE vestem hanc sanctam atque monachicam, quam ante tribunal Domini nostri Jhesu Christi sine macula perferas, per virtutem & misericordiam ejusdem, qui cum æterno Patre & Spiritu sancto vivit & regnat per infinita secula seculorum. Amen.

Dominator Domine Deus salutaris noster custodi hunc famulum tuum. ill. sub hoc jugo usque in finem & dignum eum fac cum his, qui tibi bene placuerunt, indue eum sanctificationis stola, accinge lumbos ejus sobrietate, ostende illum creatorem in omni abstinentia, perfice illum in donis gratiæ spiritualis, ad gloriam potentiæ tuæ laudabilis, quia tu es Deus noster, qui vis omnes homines salvos fieri. Qui vivit. *Oratio.*

Te invocamus, Domine sancte pater omnipotens æterne Deus, super hunc famulum. ill. qui tibi vovit servire pura mente mundoque corde, ut eum sociare digneris inter illa centumquadragintaquatuor millia infantium, qui virgines permanserunt, & se cum mulieribus non coinquinaverunt, in quorum ore dolus inventus non est, ita & hunc famulum tuum. ill. facias permanere per inmaculatum filium tuum Dominum nostrum, cum quo vivis & regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

AD CLERICUM FACIENDUM.

Oratio.

OREMUS dilectissimi fratres Dominum nostrum Jhesum Christum super hunc famulum suum. N. qui ad deponendam comam capitis sui pro amore Christi festinat, ut donet ei Spiritum sanctum, qui habitum religionis in eum perpetuo custodiat, & a mundi impedimento vel seculare desiderio ejus corda custodiat, & sicut mutatus erit in vultu, ita manus dexteræ tuæ in eum virtute perfectionis boni operis tribuat in actum, & ab omni cæcitate spiritali oculos aperiat, ac lumen æternitatis gratiæ concedat. Per.

Dum tondis eum dicis. Antiphona.

Tu es Domine, qui restitues hæreditatem meam mihi. Dominus pars hæreditatem meam. Cum gloria patri.

Item alia ant.

Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob. Hic accipiet benedictionem a Domino.

Postquam tonsuratus est. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus propitiare peccatis nostris & ab omni servitute seculari habitum super hunc famulum tuum. N. dum ignominiam deponit, tua semper in eum perfruatur gratia, & sicut similitudinem coronæ tuæ ornatum gestare fecimus in capite, sic tua virtute & hæreditatem subsequi mereatur in corde. Per. *Alia oratio.*

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut famulum tuum. N. quem hodie capiti comam suam pro divino amore deposuimus, ut in tua dilectione perpetua maneat, & eum sine macula in sempiterno custodias. Per.

AD BARBAM TONDENDAM. *Adnotatio XXVIII.*

DEUS, cujus Spiritus creatura omnis adulta congaudet, exaudi preces nostras super hunc famulum tuum. N. juvenili ætate decorem lætantem, & primis auspiciis adtundentem, exaudi, ut omnibus protectionis tuæ munitus auxilio cœlestem benedictionem accipiat, & præsentis vitæ præsidiis gaudeat & æternis. Per.

INCIPIT AD POENITENTIA DANDA. *Adnotatio XXIX.*

Apprehende manum ejus dexteram & dic.

Suscepimus Deus misericordiam tuam *usque* dextera tua.

Gloria patri. *Capit.*

Salvum fac servum tuum. Deus meus.
Mitte ei Domine auxilium. Et de Syon.
Domine exaudi orationem. Et clamor.
Exurge Domine adjuva. Et libera nos.
Dominus vobiscum. Et cum spiritu.

Oratio.

Exaudi quæsumus Domine supplicum preces & confitentium tibi famulorum tuorum parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem. Per. *Alia oratio.*

Præveniat hunc famulum tuum quæsumus Domine tua misericordia, & omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per. *Item alia oratio.*

Precamur clementiam tuam, Domine quæsumus, & magnam misericordiam tuæ majestatis, ut famulo tuo. N. peccata & facinora confitenti veniam relaxare & præteritorum criminum culpas donare digneris, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti ad caulas, qui publicani precibus & confessione placatus es, tu etiam huic famulo tuo placare Domine, tu hujus preces benignus suscipe, remitte ei Domine omnia crimina & peccata, & da ei pro suppliciis veniam, pro morte vitam, ut qui ad tantam spem cœlestis apicis est devolutus, de tua misericordia confidens ad æterna gaudia te protegente perveniat. Per

TUNC

TUNC INCIPIUNT LETANIÆ CUM VII. PSALMIS.

Kyrie eleison. Christe eleison.
Pater de cœlis Deus. miser. nobis.
Fili redemptor mundi Deus. miser. nob.
Spiritus sancte Deus. mis. nob.
Sancta Trinitas unus Deus. mis. nob.
Sancta Maria. ora.
Sancte Michael. or.
Sancte Gabriel. or.
Sancte Raphael. or.
Sancte Johannes baptista. or.
Sancte Petre. or.
Sancte Paule. or.
Sancte Andrea. or.
Sancte Johannes evang. or.
Sancte Thoma. or.
Sancte Jacobe. or.
Sancte Philippe. or.
Sancte Bartholomæe. or.
Sancte Matthæe. or.
Sancte Mathia. or.
Sancte Barnaba. or.
Sancte Marce evang. or.
Sancte Luca evang. or.
Sancte Stephane. or.
Sancte Clemens. or.
Sancte Apollinaris. or.
Sancte Vitalis. or.
Sancte Laurenti. or.
Sancte Vincenti. or.
Sancte Felix. or.
Sancte Fortunate. or.
Sancte Corneli. or.
Sancte Cipriane. or.
Sancte Sebastiane. or.
Sancte Cosmas. or.
Sancte Damiane. or.
Sancte Blasi. or.
Sancte Silvester. or.
Sancte Martine. or.
Sancte Ambrosi. or.
Sancte Augustine. or.
Sancte Hieronyme. or.
Sancte Severe. or.
Sancte Nikolae. or.
Sancte Leo. or.
Sancte Benedicte. or.
Sancte Maure. or.
Sancte Placide. or.
Sancte Philiberte. or.
Sancte Columbane. or.
Sancte Majole. or.
Sancte Galle. or.
Sancte Wido. or.
Sancta Felicitas. or.
Sancta Perpetua. or.
Sancta Agatha. or.
Sancta Agnes. or.
Sancta Cæcilia. or.
Sancta Lucia. or.
Sancta Justina. or.
Sancta Anastasia. or.
Sancta Savina. or.
Sancta Columba. or.
Sancta Barbara. or.
Omnes sancti. or.
Propitius esto. parce.
Ab omni malo. libera.
Ab insidiis diaboli. l.
A periculo mortis. l.
A persecutione inimici. l.
A peccatis multis. l.
Ab omni tentatione. l.
Ab omni cogitatione iniqua. l.
Ab omni iniquitate. l.
Ab omni inmunditia. l.
A subitanea morte. l.
A gehenna ignis. l.
Misericors Deus. te rogamus.
Redemptor mundi. te rog.
Peccatores. te rog.
Ut pacem nobis dones. te rog.
Ut veniam delictorum nostrorum nob. dones. t.
Ut veniam pœnitentiæ nobis dones. t.
Ut compunctionem cordis nobis dones. t.
Ut fontem lacrymarum nobis dones. t.
Ut mentis constantiam nobis dones. t.
Ut remissionem peccatorum nobis dones. t.
Ut ad vitam æternam nos perducere digneris. t.
Ut nos exaudire digneris. t.
Fili Dei te rogamus audi nos. IJ.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, mis.
Christe audi nos. IJ.
Kirie eleyson IIJ.
Pater noster. *Capit.*
Ego dixi Domine. Sana.
Fiat Domine misericordia tua. Quemadmodum.
Domine averte faciem tuam. Et omnis iniq.
Converte nos Deus salutaris. Et averte iram.
Domine exaudi orationem. Et clamor meus.
Exurge Domine adjuva. Et libera nos.
Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Exaudi Domine preces nostras, & convertenti tibi famulo tuo parce peccatis, ut quem conscientiæ suæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per.

Alia oratio.

Deus, qui omnium confitentium tibi corda purificas, & accusantem suam conscientiam ab omni vinculo iniquitatis absolvis, da indulgentiam famulo tuo, & medicinam tribue vulnerato, ut exclusa domina-

minatione peccati, liberis tibi mentibus famuletur. Per. *Alia oratio.*

Præsta Domine quæsumus huic famulo tuo. ill. dignæ pœnitentiæ fructum, ut ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate peccando discessit, ad ejus mysterium veniam consequendo reddatur innocuus. Per.

Incipit poenitentium vera credulitas.

Credis in Deum patrem omnipotentem & filium & spiritum sanctum? ℟. Credo.

Credis, quod istæ tres personæ, quomodo diximus, pater & filius & spiritus sanctus tres sint & unus Deus? ℟. Credo.

Credis, quod ista carne, in qua nunc es, in ipsa habebis resurgere, & recipere sive bona, sive mala, quæ egisti? ℟. Credo.

Vis dimittere illis, qui in te peccaverunt, dicente Domino, si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra? ℟. Dimitto.

Si de criminalibus peccatis peccasti, hoc est superbia, sacrilegium, homicidium, adulterium, furtum, rapinam, vel alia, quæ dinumerare longum est. Sanctus ergo Paulus & Augustinus & alii sancti patres computaverunt fieri pro his largas helymosinas, & longo tempore jejunium. Clerici v. ann. Diaconi vii. Presbyteri x. Monachi vii. Episcopi xii. Si in consuetudine fuerit, addatur pœnitentia.

Tunc cantetur oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui secundum magnam misericordiam tuam peccata pœnitentium deles, & in te sperantibus celeri pietate succurris, famulo tuo. ill. quæsumus remissionem omnium peccatorum tribue & vota placatus assume, renova in eo piissime pater quicquid terrena fragilitate corruptum est, quicquid diabolica inmissione violatum, miserere Domine gemituum ejus, miserere lacrymarum, ut de mœrore in gaudium per tuam misericordiam transferatur. Per.

Secreta.

Deus omnipotens, Deus misericors, Deus clemens, qui indulgentiam tuam nulla temporum lege concludis, suscipe preces & hostias, quas tibi pro indulgentia famuli tui. ill. deferimus, ut & peccatorum ei veniam misericors largiaris, & cordis ejus recta desideria implere digneris. Per. *Postcommunio.*

Deus, qui misericordiæ tuæ petenti auxilio & prospera tribuis, & adversa depellis, universa obstacula, quæ famulo tuo. ill. adversantur, expurga, & remotis tentationibus universis indefessa tibi gratiarum actione laudare mereatur. Per.

Missa in die depositionis.

Adnotatio XXX.

Deus, cui proprium est miserere semper & parcere, te supplices deprecamur pro anima famuli tui. ill. quam hodie de hoc seculo migrare jussisti, ut non tradas eam in manus inimici, & ne obliviscaris in finem, sed jubeas eam a sanctis angelis suscipi & ad patriam paradisi perduci, ut qui in te speravit & credidit, non pœnas inferni sustineat, sed ad gaudia æterna possideat. Per.

Secreta.

Propitiare quæsumus Domine animæ famuli tui. ill. pro qua tibi hostiam immolamus, majestatem tuam suppliciter deprecantes, ut per hæc piæ placationis officia pervenire mereatur ad requiem sempiternam. Per. *Præfac.*

(†) æterne Deus. Qui benignitate gratuita peccatoribus largiens veniam, præparasti mortuis vitam, ne diutius teneret in pœna, quos misericordia liberasset ex culpa. Tibi ergo Domine supplices preces effundimus, tibi famuli tui. ill. animam & spiritum commendamus, ut receptus inter agmina Sanctorum, loca nesciat inferorum.

Nihil illi noceat Domine quicquid attrahente carnis fragilitate commisit, aut quod humanæ cupiditatis consuetudine pergravatus actu, verbo vel cogitatione peccavit, sed secutus vestigia Salvatoris potiatur infinita dulcedine & præsentia veritatis.

Redemptionem quoque corporis sui commonitus fiducialiter expectare, quicquid habuit prius in fide, consequatur in munere. Per Christum. *Postcommunio.*

Præsta quæsumus Domine, ut anima famuli tui. ill. quæ hodie de hoc seculo migravit, his sacrificiis purificata, & a peccatis omnibus expedita indulgentiam pariter & vitam capiat sempiternam. Per.

Deinde sequatur.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyr. ele. Dominus vobiscum.

Oratio.

Tibi Domine commendamus animam famuli tui. ill. ut defunctus a seculo tibi vivat, & si qua fragilitatem mundanæ conversationis peccata admisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per.

Alia oratio.

Fac quæsumus Domine hanc cum servo tuo. ill. misericordiam, ut factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem, ut sicut eum vera fides junxit fidelium turmis,

mis, ita eum illic tua miseratio societ angelicis choris. Per. *Alia oratio.*

Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quoniam nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum tribuatur remissio, non ergo eum tua quæsumus judicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat, sed gratia tua illi succurrente mereatur evadere judicium ultionis, qui dum adviveret, insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis. Per.

Item alia oratio.

Deus vitæ dator & humanorum corporum reparator, qui te a peccatoribus exorari voluisti, exaudi preces, quas speciali devotione pro anima famuli tui. ill. tibi lacrymabiliter fundimus, ut liberare eam ab infernorum cruciatibus & collocare inter agmina Sanctorum tuorum digneris, veste quoque cœlesti & stolam immortalitatis indui, & paradisi amœnitate confoveri. Per. *Alia oratio.*

Deus, qui humanarum animarum æternus amator es, animam famuli tui. ill. quam vera, dum in corpore maneret, tenuit fides; ab omni cruciatu inferorum redde extorrem, ut segregatam ab infernalibus claustris, Sanctorum mereatur adunare consortiis. Per.

Item alia oratio.

Delicta juventutis & ignorantias famuli tui. ill. ne memineris Domine, sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in vita claritatis tuæ, aperiantur ei cœli, lætentur ei angeli, in regnum tuum Domine servum tuum suscipe. Per.

Absolutio supra sepulchrum.

In ea potestate vel auctoritate fidentes, quam Dominus noster Jesus Christus beato Petro apostolo tribuit dicens. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. Et quorum remiseritis peccata, ceteris dixit discipulis, remittuntur eis. Quantum nobis permissum est, ab omni vinculo peccatorum absolvimus te, ut quicquid suadente diabolo voluntate aut operatione commisisti, quantum Deo adjuvante possumus, tantum tibi indulgemus.

Ut fracta de collo tuo omnium delictorum catena liber & absolutus venias ante tribunal Domini nostri Jhesu Christi in vita æterna, recepturus ab ipso hæreditatem cœlestis regni & sine fine gaudendi in secula seculorum. Amen.

Dehinc pro omnibus in Christo quiescentibus in eodem cimiterio. Psal. cum antiph.

Dele Domine iniquitates eorum.

Psal. Miserere mei Deus secundum.

Pater noster. Et ne nos.

A porta inferi. Erue Domine animas eorum.

Dominus vobiscum. *Oratio.*

Deus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis & famulabus tuis, vel omnibus hic in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti sine fine lætentur. Per.

Requiescant in pace. Amen.

Missa in tricesimo.

Quæsumus Domine famulo tuo. ill. cujus iij. vij. xxx. obitus sui diem commemoramus, Sanctorum atque electorum tuorum largiaris consortium, & rorem misericordiæ tuæ perhennis infundas. Per. *Secreta.*

Adesto Domine supplicationibus nostris, & hanc oblationem, quam tibi offerimus ob diem depositionis iij. vij. xxx. pro anima famuli tui. ill. placatus ac benignus assume. Per.

Postcommunio.

Omnipotens sempiterne Deus collocare dignare animam famuli tni. ill. cujus depositionis diem iij. vij. xxx. celebramus, in finibus Abrahæ, Isaac & Jacob, ut cum dies agnitionis tuæ advenerit, inter sanctos electos tuos eum resuscitari præcipias. Per.

Missa in anniversario.

Præsta quæsumus Domine, ut anima famuli tui. ill. cujus anniversarium depositionis diem commemoramus, indulgentiam pariter & requiem capiat sempiternam. Per. *Secreta.*

Propitiare Domine supplicationibus nostris pro anima famuli tui. ill. cujus hodie annua dies agitur, pro qua tibi offerimus sacrificium laudis, ut eam Sanctorum tuorum sotiare consortio digneris.

Per. *Præfacio.*

(†) per Christum Dominum nostrum. Per quem salus mundi, per quem vita hominum, per quem resurrectio mortuorum, per ipsum te Domine suppliciter deprecamur, ut animæ famuli tui. ill. cujus diem anniversarium celebramus, indulgentiam largire digneris perpetuam, atque a contagiis mortalitatis exutam, in æternæ salvationis partem restituas cum angelis. *Communio.*

Suscipe Domine preces nostras pro anima famuli tui. ill. cujus diem anniversarium

ſarium hodie celebramus, ut ſi quæ ei maculæ de terrenis contagiis adhæſerunt, remiſſionis tuæ miſericordia deleantur. Per.

MISSA PRO EPISCOPO.

DEUS, qui inter apoſtolicos ſacerdotes famulum tuum. ill. pontificale feciſti dignitate vigere, præſta quæſumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur conſortio. Per. *Secreta*.

Suſcipe Domine quæſumus pro anima famuli tui epiſcopi, quas offerimus hoſtias, ut cui in hoc ſeculo ſacerdotale donaſti meritum, dones & præmium. Per. *Communio*.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris & animam famuli tui epiſcopi. ill. in vivorum regione æternis gaudiis jubeas ſociari. Per.

MISSA PRO ABBATE.

DEUS, qui famulum tuum ſacerdotem atque abbatem ſanctificaſti vocatione miſericordiæ, & aſſumpſiſti conſumatione felici, ſuſcipe propitius preces noſtras & præſta, ut & ille tecum ſit meritis, & a nobis non recedat exemplis. Per.

Secreta.

Concede quæſumus omnipotens Deus, ut anima ſervi tui abbatis atque ſacerdotis, cui regiminis & ſacerdotii donaſti meritum, per hæc ſancta myſteria, quæ tibi fideliter miniſtravit &c. Per.

Communio.

Proſit, quæſumus Domine, animæ famuli tui abbatis atque ſacerdotis miſericordiæ tuæ implorata clementia, ut ejus, in quo ſperavit & credidit, æternum capiat te miſerante conſortium. Per.

MISSA PRO SACERDOTE.

DEUS, cujus miſericordiæ non eſt numerus, ſuſcipe pro anima famuli tui. ill. ſacerdotis preces noſtras, & lucem ei lætitiæ in regione Sanctorum tuorum ſocietatem concede. Per. *Secreta*.

Hoſtias tibi Domine laudis offerimus pro anima famuli tui ſacerdotis, ut eam in numero fidelium tuorum lux æterna poſſideat. Per. *Communio*.

His ſacrificiis, quæſumus Domine Deus, purgata anima famuli tui ſacerdotis ad indulgentiam & refrigerium ſempiternum pervenire mereatur. Per.

MISSA PRO OMNIBUS DEFUNCTIS.

INCLINA Domine aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſuppliciter deprecamur, ut animam (*as*) famuli (*lorum*) tui (*tuorum*). ill. quam (*as*) de hoc ſeculo migrare juſſiſti, in pacis ac lucis regione conſtituas, & Sanctorum tuorum jubeas eſſe conſortem (*es*). Per. *Secreta*.

Annue nobis Domine, ut animæ (*abus*) famuli (*lorum*) tui (*tuorum*). ill. hæc proſit (*ſint*) oblatio, quam immolando totius mundi tribuiſti relaxari delicta. Per. *Communio*.

Proſit, quæſumus Domine, animæ (*abus*) famuli (*lorum*) tui (*tuorum*). ill. divina celebratio ſacramenti, ut ejus, in quo ſperavit (*verunt*) & credidit (*derunt*) æternitatis capiat (*ant*) te miſerante conſortium. Per.

ALIA MISSA PRO DEFUNCTIS.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, cui nunquam ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur, propitiare animabus famulorum tuorum, ut qui de hac vita tui nominis confeſſione deceſſerunt, Sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per.

Secreta.

Propitiare Domine quæſumus animabus famulorum tuorum, pro quibus tibi hoſtias placationis offerimus, & quia in hac luce cum fide manſerunt catholica, in futura vita eis retributio condonetur. Per. *Communio*.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut animas famulorum tuorum ab angelis lucis ſuſceptas in præparatis habitaculis deduci facias Beatorum. Per.

MISSA PRO DEFUNCTIS FRATRIBUS.

DEUS veniæ largitor & humanæ ſalutis amator, quæſumus clementiam tuam, ut noſtræ congregationis fratres, qui ex ſeculo tranſierunt, beata Maria ſemper virgine intercedente cum omnibus Sanctis, ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire concedas. Per. *Secreta*.

Deus, cujus miſericordiæ non eſt numerus, ſuſcipe propitius preces humilitatis noſtræ, & animabus, quibus tui nominis dediſti confeſſionem, per hæc ſacramenta ſalutis cunctorum remiſſionem tribue peccatorum. Per. *Communio*.

Deus vita viventium, ſpes morientium, ſalus omnium in te ſperantium, præſta propitius, ut hujus animæ congregationis a noſtræ mortalitatis tenebris abſolutæ, beata Maria ſemper virgine intercedente, in perpetua cum omnibus Sanctis tuis luce lætentur. Per.

MISSA PRO DEFUNCTA FEMINA.

QUÆSUMUS Domine Deus omnipotens pro tua pietate miſerere animabus famularum tuarum, & a contagiis mortalitatis exutas in

in æternæ salvationis partem restitue. Per. *Secreta.*

His sacrificiis Domine quæsumus animæ famularum tuarum. ill. a peccatis omnibus exuantur, sine quibus a culpa nemo liber extitit, ut per hæc piæ placationis officia perpetuam misericordiam consequantur. Per. *Postcommunio.*

Inveniant quæsumus Domine animæ famularum tuarum. ill. lucis æternæ consortium, cujus perpetuam gratiam consecutæ sunt sacramentum. Per.

MISSA PLURIMORUM DEFUNCTORUM.

FIDELIUM Deus omnium conditor & redemptor animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Per. *Secreta.*

Hostias, quæsumus Domine, quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum. ill. offerimus, propitiatus intende, ut quibus fidei Christianæ meritum contulisti, dones & præmium. Per. *Postcommunio.*

Animabus quæsumus Domine famulorum famularumque tuarum. ill. oratio proficiat supplicantium, ut eas & a peccatis exuas, & tuæ redemptionis facias esse participes. Per.

MISSA IN HONOREM OMNIUM SANCTORUM PRO VIVIS ET DEFUNCTIS.

SANCTORUM tuorum intercessionibus, quæsumus Domine, gratia tua nos protege, & famulis vel famulabus tuis, quorum commemorationem agimus, & quorum eleemosinas recepimus, seu etiam his, qui nobis familiaritate & consanguinitate juncti sunt, misericordiam tuam ubique protende, ut ab omni impugnatione defensi tua opitulatione salventur. Et animas famulorum famularumque tuorum omnium videlicet fidelium catholicorum orthodoxorum, quorum comemorationem agimus, & quorum corpora in hoc monasterio & in cunctis cœmeteriis fidelium requiescunt, remissionem cunctorum tribue peccatorum. Per.

Adnotatio XXXI.

IN TRANSLATIONE SANCTI MARCI. *Oratio.*

DEUS, qui nobis per ministerium beati Marci evangelistæ & martyris tui veritatem evangelii patefieri voluisti, concede quæsumus, ut quod ab illius ore didicimus, gratia tua adjuti operari valeamus. Per. *Secreta.*

Hæc nos oblatio Deus, intercedente beato Marco evangelista tuo, mundet & renovet, gubernet & protegat, & ad cœlestis patriæ regna perducat. Per. *Communio.*

Sumptis Domine donis cœlestis mysterii humiliter deprecamur, ut intercedente beato Marco evangelista & martyre tuo & temporalis vitæ nos facias pace gaudere, & æternæ reperire subsidium. Per.

Appendix.

CUSTODI frater vestem hanc sanctam, quam ante tribunal Domini nostri Jhesu Christi sine macula proferas per virtutem & misericordiam ejusdem, qui cum coæterno patre & spiritu sancto vivit & regnat.

Precamur te Domine, ut intercedente beato Benedicto confessore tuo, huic famulo tuo, cui habitum sanctæ religionis imponimus, indulgentiam tribuas suorum omnium peccatorum, opus ejus in bonum perficias, misericordiam tuam & gratiam ei concedas, fide, spe & caritate eum repleas, mentem ei ad cœlestia desideria erigas, ab omni adversitate eum defendas, & ad bonam perseverantiam eum perducas. Per.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI NOSTRI JHESU CHRISTI.

(†) PER Christum Dominum nostrum. Cujus hodie circumcisionis diem & nativitatis octavum celebrantes, tua Domine mirabilia veneramur, quia quæ peperit, & VIRGO, & mater est, qui natus est & Deus est, merito cœli locuti sunt, angeli gratulati, pastores lætati, magi mutati, reges turbati, parvuli gloriosa passione coronati. Et ideo cum angelis.

IN TRANSITU SANCTI BENEDICTI.

(†) ÆTERNE Deus. Et gloriam tuam profusis precibus exorare, ut qui beati BENEDICTI confessoris tui veneramur festa, te opitulante ejus sanctitatis imitari valeamus exempla, & cujus meritis nequaquam possumus coæquari, ejus precibus mereamur adjuvari. Per Christum.

IN ANNUNTIATIONE DOMINICA.

(†) ÆTERNE Deus. Qui per beatæ MARIÆ VIRGINIS partum ecclesiæ tuæ tribuisti mirabile mysterium & inennarabile sacramentum, in qua manet intacta castitas, pudor integer, firma constantia, quæ lætatur, quod VIRGO concepit, quod cœli Dominum castis portavit visceribus, quod VIRGO edidit partum. O admiranda divinæ dispensationis operatio, quæ virum non cognovit & mater est, & post

filium

filium VIRGO est. Duobus enim gavisa est muneribus, miratur quod VIRGO peperit, lætatur quod Redemptorem mundi edidit JHESUM christum Dominum nostrum; quem laudant angeli atque archangeli, cherubin quoque ac seraphyn, qui non cessant clamare quotidie una voce dicentes Sanctus Sanctus.

IN NATIVITATE SANCTÆ MARIÆ VIRGINIS.

(†) ÆQUUM & salutare. Nos tibi in omnium Sanctorum tuorum provectu gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, & præcipue pro meritis beatæ Dei genitricis MARIÆ gratia plenæ, tuam omnipotentiam laudare, benedicere & prædicare. Quem laudant angeli *ut supra*.

IN SOLLEMNITATE OMNIUM SANCTORUM.

(†) ÆTERNE Deus. Clementiam tuam suppliciter obsecrantes, ut cum exultantibus Sanctis in cœlestis regni cubilibus gaudia nostra conjungas. Et quos virtutis imitatione non possumus sequi, debitæ venerationis contingamus affectu, per Christum Dominum nostrum. Per quem.

IN FESTIVITATE SANCTI MARTINI EPISCOPI.

(†) ÆTERNE Deus. Cujus munere beatus MARTINUS confessor pariter & sacerdos, & bonorum operum incrementis excrevit, & variis virtutum donis exuberavit & miraculis coruscavit. Quodque verbis edocuit, operum exhibitione complevit, & documento simul & exemplo subditis ad cœlestia regna ducatum præbuit. Unde tuam clementiam petimus, ut ejus, qui tibi placuit, exemplis ad bene agendum conformemur, meritis muniamur, intercessionibus adjuvemur, qualiter ad cœleste regnum illo interveniente & te opitulante pervenire mereamur. Per Christum Dominum nostrum.

DEUS, qui nos redemptionis nostræ annua expectatione lætificas, præsta, ut unigenitum tuum, quem redemptorem læti suscipimus, venientem quoque judicem securi videamus Dominum nostrum.

Da nobis quæsumus omnipotens Deus, ut sicut adoranda filii tui natalitia prævenimus, sic ejus munera capiamus sempiterna gaudentes. Qui tecum.

(†) æterne Deus per Christum Dominum nostrum. Cujus hodie faciem in confessione prævenimus, & voce supplici exoramus, ut superventuræ noctis officiis nos ita pervigiles reddat, ut sinceris mentibus ejus percipere mereamur natale venturum. In quo invisibilis ex substantia tua visibili per carnem apparuit in nostra, tecumque uno non tempore genitus, non natura inferior ad nos venit ex tempore, natus Jhesus Christus Dominus noster. Per quem majestatem.

Da nobis Domine quæsumus unigeniti filii tui recensita nativitate respirare, cujus cœlesti mysterio pascimur & potamur. Per eumdem.

Adnotatio XXXII.

DOMINE labia mea aperies.
Salvum fac servum tuum.
Mitte ei Domine auxilium de sancto.
Dominus custodiat te ab omni malo.
Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum.
Et auferat a te spiritum elationis. Amen.

Quam quidem copiam ego Nicolaus Gioni Sancto-severinas publicus Dei gratiæ Apostolica, Imperialique authoritatibus notarius in archivo Romanæ curiæ descriptus fideliter per alium mihi fidum extrahere & copiare feci ex suprascripto perantiquo Missali ad usum olim beati Petri Cardinalis Damiani inservienti, & ab eodem dono tradito devoto illius discipulo beato Dominico Loricato, mihi ad hujusmodi effectum tradito & postea restituto, quod quidem Missale custoditur in priorali parochiali ecclesia S. Annæ castri Frontalis Sancti Severini diœcesis, ac publicæ venerationi exponitur & asservatur in reliquiario figuræ orbicularis cerulei ac diversi coloris ornamento interius depicto, similique forma exterius in parte posteriori decorato, in anteriori vero vitreis repagulis simul annexis ac plumbo colligatis clauso, incisisque ex ligno pluribus frondibus ac floribus inauratis circumdato, prout id totum clare constat ex authenticis R. P. D. Alexandri Calvi, olim de Organis, episcopi Sancto-severini, & successive ex aliis R. P. D. Dionysii Pieragostini episcopi pariter Sancto-severini, sub quorum sigillis asservatum manebat; cum quo quidem Missali facta per me collatione, in omnibus & per omnia concordare inveni etiam quoad formam aliquarum literarum græcarum. Salvo semper &c. Ideo ad fidem hic me scripsi, subscripsi & publicavi, meoque solito signo, quo utor, munivi requisitus. Apyri hac die decima quinta mensis maji anni 1746.

Loco ✠ signi notariatus.

OCTAVII TURCII ADNOTATIONES IN IDEM VETUS SACRAMENTARIUM.

Adnotatio I.

Harum trium præfationum in hac priori Appendice scriptarum mentio fit in mss. consuetudinibus sancti Germani a Pratis, sub quarum fine hæc leguntur (*a*) apud Martene: *Sequitur videre, quando dicatur præfatio in vigilia Natalis Domini, in die ad tres Missas, in natali sancti Stephani, sancti Johannis evangelistæ, necnon sanctorum Innocentium.*

a Antiq. monachorum Rit. lib. II. cap. 4. n. 29.

Nostra pro sancto Stephano est omnino singularis; non enim reperitur in aliis sacramentorum libris a Thomasio editis, nec in Gregoriano Pamelii, non denique in libris de antiqua ecclesiæ disciplina a Martene editis.

Altera sancti Johannis reperitur in libris sacramentorum studio (*b*) Menardi & (*c*) Pamelii vulgatis, quorum auxilio nostræ præfationis defectus supplentur.

b T. III. col. 10.
c Pag. 551.

Præfatio in festo die sanctorum Innocentium habetur sola sine Missa vel sine oratione in corpore nostri Missalis libri. Notandum est hujus festivæ diei institutionem excedere tertium seculum. Origenes enim, (*d*) qui hoc seculo floruit, sermonem habet de sanctis Innocentibus, sicut & sanctus Augustinus, ut scribit Baronius in suis notis ad Martyrologium. Refert Martene hunc sollemnem diem festum in concilio Basileensi fuisse vetitum ob multos, qui tunc irrepserant abusus, & præsertim, quia variis in locis a pueris puerilibus lusibus celebrabatur. Cum autem in hac prævia Appendice sola sanctorum Innocentium præfatio habeatur sine Missa, inferri quodammodo potest circa medium seculum XI. inter Benedictinos monachos festi hujus excrevisse propagationem. Missalis liber Mozarabicus habet Missam de sanctis Innocentibus. Videantur inter opera (*e*) ven. viri cardinalis Thomasii ordo divini officii Gothici Mozarabum, & tractatus liturgiæ Hispanicæ antiquæ (*f*) a Pinio exaratus.

d Homil. III. in Matthæ.
e T. I. cap. 35.
f Cap. IX. §. 4. n. 422.

Ab hac præfatione conjici nequit dies, quo festivus a monachis celebrabatur, an ante, an forte post Epiphaniam. Ante colebatur a Græcis ex eorum menologio (*g*) apud Canisium, nempe die XXIX. decembris. In libello orationum Gothico-hispanicarum (*h*) apud Thomasium hic festivus dies apponitur post Epiphaniam: *In die allisionis infantium*; qui postremus mos congruentior videtur, cum Innocentium stragem præcesserit Magorum adoratio, quæ recolitur in Epiphania. Videantur, quæ eruditissime congessit in suis notis ad dictum libellum Cl. V. Joseph Blanchinius.

g T. III. fol. 941.
h T. I. pa. 165.

Adnotatio II.

Incipit Missalis liber a præfatione communi. Peculiares enim & sollemnioribus assignatæ festivis diebus habentur suis locis in propriis Missis. Præfationum institutio tribuitur a quibusdam sancto Gelasio I. sed cardinalis Bona (*i*) concedit quidem plures præfationes fuisse additas, attamen contendit & pluribus probat earumdem usum ab ipsis ecclesiæ primordiis, & ab apostolis vel ab apostolicis viris esse repetendum. Olim præfationes pro temporum festorumque dierum varietate erant multæ & diversæ; tot quippe habebantur præfationes, quot festi dies, ut notat (*k*) idem cardinalis. Habemus Pelagii II. (*l*) epistolam ad episcopos Germaniæ & Galliarum, qui pontificem rogaverant, ut ordinem præfationum eis mitteret, quem sancta Romana ecclesia tunc servabat, quibus respondens numerat novem dumtaxat præfationes tenendas, & sunt: *Unam in albis Paschalibus, alteram de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione, sextam de Apostolis, septimam de Trinitate, octavam de Cruce, nonam de jejunio & quadragesima.* Attamen cardinalis Bona (*m*) existimat epistolam illam Pelagio per errorem fuisse tributam, multaque argumenta refert dignissima in sententiam suam. Demum concludit: „Quod „si mea suspicio æquo lectori non placet, hoc saltem negare non poterit „usum Romanæ ecclesiæ, de quo Pelagius testatur, post ejus decessum antiquatum fuisse; ejusque decretum de „novem præfationibus nullibi receptum, „nec executioni demandatum, nisi seculis

i Lib. II. cap. 10.
k Ibid. cap. 8. n. 14.
l Apud Baron.
m Ut supra n. 33.

„ culis x. & xi. Evidens enim est in „ libris antiquis sacramentorum, qui „ Romanæ ecclesiæ titulum præseferunt, „ plures reperiri præfationes; vixque „ ulla Missa est, cui propria & peculia„ris non assignetur. Quo vero tempo„re tot præfationes desierint, non li„quet; nisi quod in Missalibus scriptis „ post annum M.CC. illæ novem dum„taxat reperiuntur a Pelagio numeratæ, „ duabus tantum additis; una communis „ antiquissima, quæ Gelasii vel Grego„rii esse creditur, altera de beata Vir„gine ab Urbano II. instituta, & hæ „ undecim sunt, quibus omnes ecclesiæ „ ritui Romano adhærentes hodie utun„tur." Quod vero seculo x. vel xi. Pelagii II. decretum fuerit executioni mandatum, ex nostro Missali libro contrarium potius deducitur. Leguntur enim hic in variis Missis XXVII. præfationes, & inter has non reperitur præfatio de Cruce, nec illa de jejunio in Quadragesima. Præfatio de apostolis legitur peculiaris in festo die sanctorum apostolorum Petri & Paulli. Refert tandem (*a*) Martene numerum præfationum contractum fuisse in concilio Westmonasteriensi.

a *De antiq. monach. ritibus lib. II. c. 4. à. 29.*

ADNOTATIO III.

DE auctore Canonis a multis multa dicuntur, quos recenset Pagius (*b*) sub Gelasio I. Adhelmus episcopus (*c*) illum tribuit sancto Gregorio M. At Gregorius ipse (*d*) scribit a Scholastico fuisse compositum. Quisquis sit Scholasticus iste, illud per certo tenendum est antiquiorem fuisse Gelasio, qui Canonis auctor non fuit. Polidorus Virgilius (*e*) scribit a multis pontificibus compactum fuisse, sed perperam; quamvis enim aliqui nonnulla verba canoni addiderint, ut puta sanctus Leo, *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*; sanctus Gregorius M. *diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi & in electorum tuorum jubeas grege numerari*, ex libro pontificali & ex (*f*) Beda, idque asserit etiam Johannes diaconus in Gregorii vita, illum tamen, ut ait Vigilius papa in epistola ad Euducium, *ex apostolica traditione suscepimus*, & idipsum repetit (*g*) sacrum concilium Tridentinum, docendo ex ipsis Domini verbis, ex apostolorum traditionibus & ex summorum pontificum constitutionibus esse compositum. Post sanctum Gregorium M. nil in Canone vel additum, vel immutatum fuisse a Romanis pontificibus animadvertit (*h*) laudatus Bona.

b *Num. XV.*
c *De laud. virg. cap. XXIII.*
d *Epist. LXIV. lib. VII.*
e *Lib. V. cap. 10. de invent. rer.*
f *Histor. eccles. lib. II. cap. 1.*
g *Sess. II. cap. 4.*
h *Cap. XI.*

Perpauca notis digna habemus in Canone nostri Missalis, cum simillimus pene sit illi, quo modo utimur. Proprium nomen summi pontificis & antistitis non præscribitur, sed dumtaxat dicitur, *una cum famulo tuo papa nostro & antistite nostro*. Forte monachi, quorum usui serviebat hic liber, aliqua peculiari rubrica instructi papæ & episcopi nomen pronuntiaverint; est enim antiquissimi ritus apostolici memoria pontificis & episcopi in Canone, & habetur in omnibus mss. sacramentorum libris, Græcorumque liturgiis. (*i*) Ita Bona.

i *Cap. XI.*

ADNOTATIO IV.

POST orationem pro defunctis alia habetur oratio, quæ incipit *nobis quoque peccatoribus*. In hac aliquot Sancti recensentur, quorum in principio canonis mentio facta non fuit. Ii sunt ex diversis ordinibus electi, ex diaconis Stephanus, ex apostolis Mathias, ex discipulis Barnabas, ex episcopis Ignatius, ex summis pontificibus Alexander, ex presbyteris Marcellinus, ex clericis minoribus Petrus, ex conjugatis Felicitas & Perpetua, cumque nullæ nominarentur ex virginibus, Gregorius M. Agatham, Luciam, Agnetem, Cæciliam & Anastasiam huic parti canonis adjunxit, ut scribit (*k*) Adhelmus. Adderem ego ex patriarchis selectum fuisse Johannem-baptistam.

k *Cap. XXVI.*

ADNOTATIO V.

POST orationem Dominicam sequitur oratio *Libera nos* &c. in qua post invocationem B. V. M. habentur nomina archangelorum Michaelis, Gabrielis, Raphaelis, & insuper Johannis-baptistæ, quæ in Canone, quo modo ecclesia Romana utitur, desiderantur. Priscis tamen temporibus, ut refert (*l*) cardinalis Bona, addebantur nomina plurium Sanctorum ad libitum sacerdotum, testibus (*m*) Micrologo, & (*n*) Honorio Augustodunense. Extat etiam Missalis liber ms. (*o*) in bibliotheca Vaticano-Palatina, ubi post illa verba *Petro & Paulo atque Andrea* subjungitur: *Hic nominat quotquot Sanctos voluerit*. In aliis mss. sacramentorum libris addita leguntur nomina patronorum illius ecclesiæ, ad quam codex spectat.

l *Lib. II. cap. 15 §. 2.*
m *Cap. XIII.*
n *Lib. I. cap. 109.*
o *Num. 483.*

ADNOTATIO VI.

SANCTO Thelesphoro hujus *in nocte sancta* Missæ ubique celebrandæ constitutio tribuitur, & decretum refertur (*p*) a Gratiano. Verum ea Thelesphori decretalis supposititia est, idque clare evincitur, quia pervigilium & pernoctatio, immo

p *De consecr. dist. I.*

immo & ipse festus dies Natalis Domini multis post hujus Rom. pontificis annis sub Julio I. diei xxv. decembris affixus fuit celebrandus, ut probat Florentinius (*a*) in notis ad Martyrologium Hieronymianum, & Pagius (*b*) in suo Breviario sub Thelesphoro & sub Julio I. qui Nicephori sententiam refellit scribentis Justinum imp. festum Natalis diem per totum orbem statuisse recolendum, cum sciamus longe ante Justinum in Occidente & in Oriente institutum fuisse vel die xxv. decembris vel vi. januarii, & Justinianum anno 557. non Justinum diei xxv. decembris consignasse ubique celebrandum.

a Exercit. II.

b Num. I. & XI.

Adnotatio VII.

Duas tantum Missas habemus festivo die Natalis Domini, altera *in nocte sancta*, altera *ipso die*. Desideratur Missa *in aurora*. Non est sane credendum a monachis Benedictinis eo die hanc omissam. Docet nos Cl. V. Joseph Blanchinius (*c*) in suis notis ad orationes antiquas Gothico-Hispanicas, unam tantum Missam esse assignatam in Missali Gothico, & in sacramentario & in Lectionario Gallicano edito a Mabillonio, itemque in Missali Mozarabico & in Ambrosiano apud Pamelium. In Gelasiano tamen & in novo Ambrosiano tres Missæ assignantur. Idcirco cum noster sacramentorum liber Gregorianum sequatur, & in Gregoriano tres Missæ reperiantur, non alia sane ratione credendum hic Missam in aurora deficere, nisi quia noster Missalis liber sollemnes tantum contineat Missas, adeoque prætermittatur Missa in aurora, ut minus sollemnis, & quæ non cantabatur.

c T. I. p. 168.

Adnotatio VIII.

Cerei benedictio in die purificationis Mariæ posterior valde est temporibus sancti Gregorii M., non enim ejus meminit neque Amalarius, neque Walfridus, neque supposititius Alcuinus, qui tamen meminit cereorum benedictorum, quos pontifex maximus distribuebat; multo minus in Gelasiano, in Gregoriano, in Gellonensi aliisque sacramentorum libris de hac benedictione agitur. In quodam antiquo Turonensis ecclesiæ Missali libro circa x. seculum scripto unica tantum oratio reperitur *ad luminaria benedicenda*, & in alio perantiquo monasterii sancti Theodorici unica pariter oratio *ad benedicendos cereos*; quas orationes refert (*d*) Martene cum aliquibus ritibus sane antiquis ad cereos benedicendos. Nihil de ipsa insuper in antiquo libello orationum Gothico-hispanicarum alias memorato.

d T. III. Antiq. ecc. discip. lib. IV. n. 5.

Adnotatio IX.

Cathedræ sancti Petri festus dies recolitur in nostro Missali post festivum purificationis beatæ Mariæ virginis, ideoque mense februario; quod apertissime ostendit neque temporibus sancti Petri Damiani in ordinario Romano cathedræ Romanæ festum diem, qui januario mense recolitur, fuisse descriptum. Immo penes me est antiquum breviarium membranaceum seculo xiv. scriptum, ubi sancti Petri cathedra non habetur xv. kalendas februarii. Putandum tamen non est haberi hic festum diem de sola cathedra Antiochena, qui mense februario celebratur, eo vel maxime quia de Romana nulla fit memoria in libris sacramentorum Gelasii & Gregorii. Menardus enim, & quidem sano consilio, putat hac die de utraque cathedra memoriam recoli ab ecclesia, quod revera auctoritate nostri Missalis libri probatur, ubi Missa habetur in cathedra sancti Petri sine expressione, an illa Romana sit vel Antiochena. Ad hanc sententiam confirmandam multum conferunt doctissimæ notæ patris Blanchinii ad libellum orationum Gothico-hispanarum, in quo habetur mense februario viii. kal. martii cathedra sancti Petri, ut in nostro, & tamen hymnus, qui ibi legitur, aperte demonstrat festum illum diem esse statutum ad utramque cathedram recolendam, cum dicatur,

Adest dies, quo Romulea
In urbe consecratus es.

Opportune subdit (*e*) vir ille doctissimus, en Romanæ cathedræ una cum Antiochena commemoratio viii. kal. martii. Etiam Pinius (*f*) de cathedra sancti Petri agit, & quidem luculenter in suo tractatu chronologico de *Liturgia antiqua Hispanica*.

e T. I. p. 173.

f Num. 441.

Adnotatio X.

Ab hac sancti Benedicti abbatis Missa liquet, ut jam dixi, hunc Missalem librum ad usum fuisse monachorum ordinis sancti Benedicti, & præcipue a prima & a secunda oratione, quibus Deus exoratur, *ut paternis intercessionibus magnifici pastoris* Benedicti oblatio monasticæ *familiæ commendetur*. In ejus transitu habetur propria præfatio exarata in postrema Appendice.

ADNOTATIO XI.

FESTUS dies Annuntiationis beatæ Mariæ habetur hic mense martio. De ejus antiquitate testem habemus (a) divum Augustinum. In concilio Toletano habito anno 656. de illo pariter agitur tamquam jamdiu instituto, & ab omnibus ecclesiis universe recepto. Eadem Toletana ecclesia, quæ hunc festum diem celebrat octo dies ante Natalitia Domini nostri Jesu Christi, renovat iterum ejus memoriam ad diem XXV. martii, ut monet (b) Bollandus, quem morem aliæ postmodum ecclesiæ sunt imitatæ. Rodulphus Glaber undecimi seculi scriptor narrat habita fuisse plura concilia ad definiendum tempus festi diei Annuntiationis beatæ Virginis extra quadragesimam; & inter PP. multæ coortæ sunt difficultates, multaque dissidia. In vetustissimo kalendario Romano (c) a Martene edito ordo habetur ad festum diem hunc celebrandum hebdomada una ante Natalitia Domini, & hic mos, ait, servatur etiam nunc in ecclesia Mediolanensi. Idipsum affirmat Blanchinius dicens a prædicta Mediolanensi ecclesia recoli quarta dominica Adventus sub titulo *de incarnatione Verbi*, seu de Annuntiatione Mariæ. Novissimus ordo Romanus utrumque festum agit, alterum die XXV. martii sub titulo: *Annuntiatio Mariæ*; alterum XVIII. decembris sub titulo: *Expectatio partus*. In hoc nostro Sacramentario codice habemus utramque Missam, primam mense martio, alteram in Appendice postrema, sed sine titulo; attamen quod sit de partus Virginis expectatione ab ipsa oratione ostenditur.

a De Trinit. lib. IV. c. 5.

b T. III.

c Anecd. T. V.

ADNOTATIO XII.

BENEDICTIO palmæ & olivæ non est institutionis Gregorianæ. De ejus origine non conveniunt Martene & Meratus. Primus (d) affirmat nullam apud auctores ante octavum & nonum seculum memoriam haberi de benedictione palmarum. Alter (e) in suis notis ad Thesaurum sac. rituum Gavanti eam sententiam refellere nititur. At (f) Cl. V. Joseph Blanchinius utramque sententiam conciliat dicens: Sextam dominicam quadragesimæ dictam fuisse in ramis palmarum, diu antequam is benedicendi ritus haberetur. Sed ante seculum VIII. nulla suppetunt documenta, quæ comprobent benedictionem palmarum fuisse divo Gregorio coævam vel etiam vetustiorem; quare sic concludit: „ Ut complectar „ brevi, quidquid Cl. Meratus prolixa „ confutatione reponit Edmundo Martenio, fixum ratumque esse volo. Auctoritates omnes, quæ ante VIII. seculum adversus scriptorem aliquem „ proferuntur, id unum adstruere nomen „ dominicæ in ramis palmarum esse antiquissimum, at ipsæ ritum benedictionis, de quo est controversia, jam tum „ institutum minime persuadent. “

d Antiq. eccl. disciplin. c. 20.

e Pag. 1003.

f T. I. p. 202.

Orationes, quæ in sequenti Missa habentur, sunt eædem ac illæ, quas Meratus affert ex libro Sacramentorum Othoboniano præter orationem super populum, quæ hic desideratur.

ADNOTATIO XIII.

BENEDICTIO thymiamatis apud Martene habetur, sed est posterior sancti Gregorii temporibus, nec reperitur in ullo alio antiquo Sacramentorum libro XI. seculi. In Missali Mozarabum adest hæc rubrica. *Deinde benedicat quinque grana thuris infigenda cereo*. Quem ritum notat in margine Blanchinius initium sumpsisse seculo X. At in ea Missa nulla fit mentio de benedictione thymiamatis, neque thuris comburendi.

ADNOTATIO XIV.

DUO in hac Missa sunt potissimum animadvertenda. Primum post benedictionem thuris & novi ignis præcipitur cantus angelici hymni *Gloria in excelsis Deo*. Ea fuit olim erga hymnum hunc reverentia, ut solis episcopis infra annum concederetur ipsius recitatio in Missa; ceteris vero sacerdotibus die tantum sollemni paschæ, qui mos usque ad XI. seculum, & præcise ad annum 1040. creditur continuatus. Secundum Missa, quam hic habemus in privilegio paschæ Resurrectionis Domini, celebrabatur nocte, ut liquet ex precibus. Non immerito igitur sollemnis hic dies inter polilituricos est rejiciendus, sicut Natalitius Christi Domini; dies poliliturgici ii sunt, in quibus ab unico sacerdote plures celebrantur Missæ, quorum duos habemus in nostro Missali libro; diem nempe Natalem Domini & diem Resurrectionis. Varia sunt in ecclesiasticis historiis exempla de hoc antiquissimo ritu. Cautum est ab Emeritense concilio (g) habito sub Vitaliano pontifice post medium VII. seculum, *ut presbyter, qui plures sub suo regimine habet ecclesias, in singulis die Dominico sacrum faciat*. Salegunstadiense celebratum anno 1022. (h) præfixit numerum Missarum, & decrevit, ne quis præsumat celebrare nisi tres dumtaxat Missas. Et apud cardinalem Bonam (a) exem-

g Can. XIX.

h Cap. V.

(a) exempla colliguntur Sanctorum, qui pluries unoquoque die sacrum faciebant, ibique inducitur S. R. E. consuetudo bis terque uno die sacrificium offerendi certis quibusdam festivis diebus. Concilium Oxoniense tempore Honorii III. mandavit unam tantum Missam eodem die dicendam, exceptis die Natalis & Resurrectionis Domini, & in exequiis ac sepultura mortuorum. In regno Valentiæ & aliis Hispaniæ regionibus sacerdotes bis & ter celebrabant die commemorationis omnium defunctorum, sive ex privilegio, sive ex consuetudine. SS. DN. Benedictus XIV. P.M. sua decretali novissime edita hujusmodi consuetudinem confirmat & ampliat. His ergo fixus rationibus inter poliliturgicos dies, sicut Natalem Domini, ita festum Resurrectionis Domini recensere non ambigo. At si quis dicat, ut quidam asserere non dubitant, non ab uno sacerdote, sed a pluribus sacrificium offerri illis festivis diebus, quibus duæ Missæ adnotatæ leguntur, legat quæso (b) cardinalem Bonam in suis liturgicis libris, qui summa eruditione hanc opinionem refellit.

a Lib. I. c. 18. n. V.

b Num 8.

ADNOTATIO XV.

IN prima hujus Missæ oratione sanctus Marcus martyrii gloria decoratur contra quosdam, qui ipsum e numero martyrum expungunt, quamvis Gelasius papa clare illum martyrem vocet. Eorum opinio his rationibus præcipue nititur, quia videlicet neque (c) Eusebius, qui illius acta scripsit, neque Isidorus vocent illum martyrem, neque martyrium dicant fuisse passum; ideoque Marcus, (idem dic de Luca) in canone Missæ non est adscriptus, cum dubium sit, an occubuerit martyr; in canone enim locum habent sancti martyres, confessoribus semper exclusis, (d) teste Bona. Attamen tanta est in ecclesia Gelasii auctoritas, ut omnem suspicionem tollat, cum dicat: *In Ægyptum directus verbum puritatis prædicavit, & gloriose consummavit martyrium.* Auctoritati Gelasii altera accedit nostri Sacramentarii, in quo seculo XI. appellatur martyr. Testimonio Pinii seculo V. vel VI. legitur in fragmento kalendarii Mozarabum VI. *id. febr. sancti Marci evangelistæ & martyris.*

c Lib II. c. 14. 15. Lib. III. cap. ult.

d Lib. II. c. 12. n. II.

ADNOTATIO XVI.

MISSA hæc cum sua præfatione est ritus Ambrosiani, sed aliquantulum immutata. Affert P. Blanchinius præfationem Ambrosianam his verbis: *Æterne Deus, & in die festivitatis hodiernæ, quo beatus Baptista Johannes exortus est, exultare, qui vocem matris Domini nondum editus sensit, & adhuc clausus utero adventum salutis humanæ prophetica exultatione gestivit, qui & genitricis sterilitatem conceptus abstersit, & patris linguam natus absolvit, solusque omnium prophetarum redemptorem mundi, quem nuntiavit, ostendit* &c. Quæ in Ambrosiana sequuntur, in nostra prætermittuntur, quæ vero continuantur in nostro Sacramentario, ex Gregoriano desumuntur, nimirum, *& ut sacræ purificationis effectum aquarum natura conciperet, sanctificandis Jordanis fluentis, ipsum baptismo baptismatis lavit auctorem, & ideo* &c.

ADNOTATIO XVII.

VARIÆ sunt opiniones circa tempus, quo ante seculum XI. festus dies beatæ Virginis in cœlum assumptæ celebraretur, quas refert Martene. Mabillonius (e) in liturgia Gallicana scribit celebratum fuisse die XVIII. januarii, idque auctoritate vetustissimorum martyrologiorum probat, inter quæ affert Hieronymianum Florentinii, ubi habetur: XV. *kal. februarii depositio sanctæ & gloriosæ beatæ Mariæ matris D. N. J. C.* ibique disertissime de hoc festo die loquitur ad XV. augusti translato lege Mauritii imp. quod auctoritate Nicephori probat. Dictum Nicephori (f) ita accipiendum est, ut festus dies ab ecclesia jam institutus per Orientem a Mauritio sanctione edita propagatus fuerit, quare Martene iis non assentitur, qui ad seculum VIII. retrahunt institutionem hujus festivi diei. Legatur & Pagius (g) in suo Breviario sub Sergio.

e Lib. II.

f Lib. XVII. cap. 28.

g Num. XXVI.

In hac Missa notis dignæ sunt prima & ultima orationes, in quibus beatæ virginis obitus, ejusque in cœlum assumptio memorantur, ad reprimendam hæreticorum Collridianorum temeritatem asserentium beatam Virginem divina natura præditam mortis corruptionem effugisse. Sancta Rom. ecclesia constanter agnovit in ipsa humanam dumtaxat naturam, eamque corpus habuisse mortale, & revera esse mortuam. Quapropter plurima martyrologia sub die XVIII. januarii illius dormitionem annuntiant. Vide Baronium in notis ad martyrologium ad diem XV. augusti.

ADNOTATIO XVIII.

VALIDUM argumentum ab hac Missa habemus contra illos, qui hunc festivum diem institutum autumant seculo XIII. ab Innocentio IV. De ejus antiqui-

tiquitate luculenter disserit card. Baronius in suis notis ad martyrologium ad diem VIII. septem. Quo vero certo tempore fuerit institutum, non liquet. Ex ecclesiasticis historiis compertum habemus, Gallicanam ecclesiam temporibus Caroli M. & Ludovici Pii hunc festum diem nescisse ex concilio Moguntino habito anno 813. ideoque post seculum IX. ejus institutio vel propagatio est referenda; & ex nostro Missali libro, in quo Missa, & in postrema Appendice etiam præfatio exarata sunt, suspicari possumus circa XI. seculum fuisse festivum hunc diem propagatum.

Adnotatio XIX.

Festus dies sancti Michaelis archangeli refertur ad III. kal. octobris, qua die de dedicatione ecclesiæ ipsius in monte Gargano universaliter agitur. In meo membranaceo breviario seculo XIV. scripto legitur: III. *kal. octobris dedicatio basilicæ sancti Michaelis duplex*. Cardinalis Baronius in suis notis ad martyrologium animadvertit VIII. idus maji agi de apparitione sancti Michaelis, hic de dedicatione ecclesiæ, quæ facta videtur hoc die, quo omnium Angelorum sollemnis memoria consuevit antiquitus in ecclesia celebrari. Et revera in nostro Sacramentario libro duæ hujus Missæ orationes diriguntur ad omnes Angelos, oratio postrema ad omnes Archangelos, præfatio sanctum dumtaxat Michaelem Angelorum principem respicit; ideoque ritus ille antiquus a Baronio enuntiatus hic servatur, & in hoc festo die singulorum Angelorum sollemnis memoria recolitur.

Adnotatio XX.

Omnium Sanctorum festivus dies posterior est sancti Gregorii temporibus, qui Romæ jussu Bonifacii IV. initium sumpsit, deinde communis ceteris etiam ecclesiis evasit præcepto Gregorii IV. Ita (a) Baronius ex chronico Sigeberti sub anno 835. ubi habetur Ludovicum Pium monente Gregorio IV. aliisque episcopis assentientibus statuisse, ut in Galliis & in Germania festivus omnium Sanctorum dies kalendis novembris haberetur; non enim ante Ludovicum Pium illorum memoria recolebatur, ut patet ex concilio Moguntino sub Carolo M. in quo nulla de hoc festo die mentio. Propriam præfationem habemus hic in postrema Appendice.

a Not. ad Martyrol.

Adnotatio XXI.

Hac ipsa die alteram habemus Missam de sancto Cæsario martyre; etiam in Martyrologio Romano ejus passionis memoria recolitur kalendis novembris, ut & in meo breviario alias memorato kalendis novembris legitur: *Festivitas omnium Sanctorum & sancti Cæsarii martyris*. Multa de sancto Cæsario in suis notis ad martyrologium refert Baronius, quibus peculiaris erga illum Benedictini ordinis cultus elucet. Habet siquidem sanctus Cæsarius scriptorem suorum actorum Albericum diaconum Casinensis cœnobii, teste (b) Petro diacono libro de viris illustribus. Gelasius II. pont. max. antea monachus Casinensis ipsius acta versibus exornavit. Romæ antiqua sancti Cæsarii ecclesia celeberrima erat una ex vigintiduabus abbatiis, quas notatas vidit idem Baronius in antiquo rituali libro, qui extat in Vaticana bibliotheca in codice ms. *liber censuum* nuncupato, cujus ecclesiæ titulo modo exornantur S. R. E. cardinales. Sancti Cæsarii corpus ad sanctæ Crucis in Jerusalem in agro Sessoriano monachorum Benedictino-Cisterciensium hodie quiescit. His ergo fisus argumentis conjicio monachos Benedictinos ad præcipuam erga sanctum Cæsarium allectos fuisse venerationem. Ideoque in hoc nostro Sacramentario tam insignis ipsius memoria recolitur, ut duæ forte Missæ hac ipsa die sollemniter cantarentur.

b Cap. 31.

Adnotatio XXII.

En alium, quem Benedictinus ordo præcipuo cultu fuit prosecutus, sanctum scilicet Martinum episcopum Turonensem, cujus Missa habetur in sacramentorum libris etiam Gelasiano & Gregoriano. Ipsemet sanctus Benedictus oratorium in Monte-casino erexit in illius honorem. Sancti Martini festivus dies post ejus obitum statim celebrari cœpit, ideoque solus e confessoribus proprium in vetustissimis breviariis officium habet, quia ipsi primo publicus ab ecclesia cultus est tributus, ut observat (c) Bona. In postrema Appendice propria præfatione distinguitur.

c Lib. II. c. 12 n. III.

Adnotatio XXIII.

Sancti Nicolai sollemnis memoria haberi cœpit post illius sacri corporis translationem Barium, quæ contigit anno 807. ut scribit Sigebertus. Ante hæc tempora vix Nicolai extat memoria in mss. Sacramentorum libris, vel in Grego-

 goria-

goriano ordine, sed neque in meo breviario membranaceo legitur. Ejus autem festivus dies institutus fuit seculo XI. ut scribit (a) Gavantus in actis sancti Alexii auctoritate Zonaræ.

a Com. in rub. Brev. §. VII. cap. 2.

Adnotatio XXIV.

Ante primam dominicam Adventus habemus hic Missam de SS. Trinitate, quod est valde notandum. Opportune legi debet decretum Alexandri II. quo sic cautum est: *Festivitas sanctissimæ Trinitatis secundum consuetudinem diversarum regionum a quibusdam consuevit in octavis Pentecostes, ab aliis dominica prima Adventus Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in usu non habet, quod in aliquo tempore hujusmodi celebret specialiter festivitatem, cum singulis diebus Gloria patri & cetera similiter dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.* (b) Micrologus scribit ab aliquibus ecclesiis hunc festivum diem propria auctoritate fuisse celebratum, quod redarguit; asserit etiam fuisse Missam ab Alcuino compositam, præfationem a Pelagio approbatam. Rupertus de hoc festo die loquitur tamquam jamdiu instituto & ubique recepto. Ipsius memoria non reperitur nec in Missis Mozarabum, neque in libello orationum Gothicarum. Ecclesia Autissiodorensis anno 1217. celebrabat hoc ipso die, nempe ultima dominica post Pentecosten festum de SS. Trinitate, ut legitur in statutis ejus ecclesiæ cap. LIX. (c) apud Labbeum. Monachos Cistercienses singulis dominicis diebus post Nonam olim cantasse Missam de Trinitate asserit cardinalis Bona (d).

b Cap. VI.

c Bibl. nov. T. II. p. 498.

d Lib. I. cap. VIII. n. 10.

Adnotatio XXV.

Quæ sequuntur Missæ votivæ appellatæ omnes reperiuntur in libris Sacramentorum editis a Menardo & a Pamelio in Gregoriano, & a Cl. præsule Angelo Rota.

Adnotatio XXVI.

Hæc est prima votiva Missa in hoc Sacramentario. Ne quis tamen putet hanc esse duplicatam, cum alia habeatur kalendis novembris; hæc enim respicit sollemnitatem omnium Sanctorum sub una celebritate; votiva vero est in honorem omnium Sanctorum ad implorandum ipsorum patrocinium. Infra pariter altera habetur Missa inter votivas, cujus titulus est: *In honorem omnium Sanctorum pro vivis & defunctis*, cum unica oratione, & reliquæ duæ forte desumendæ sunt ex præsenti Missa, quæ prima habetur inter votivas.

Adnotatio XXVII.

Expletis Missis votivis sequitur Missa sancti Urbani papæ & martyris in nostro Sacramentario, quod non est mirandum; peculiari siquidem cultu monasticus ordo sanctum pontificem prosequebatur. Videantur, quæ hac super re dicat Martene (e). In nostro agro Pyrano adest nobile templum ad Æsinantis fluvii ripas sancto Urbano sacrum, cui a seculo XI. adnexum erat insigne monasterium ordinis sancti Benedicti, nunc tandem vetustate collapsum. De ipso & de templo longiori calamo in antiquitatibus Vallis sancti Clementis & in dissertatione de episcopis Camerinensibus sub episcopo Hugone scribo. Agunt de eo etiam Camaldulensium Annalium scriptores T. I. & in hoc II.

e De antiq. ecc. ritib. lib. IV. c. 32. n. XII. & cap. 27.

Adnotatio XXVIII.

In ordine ad initiandum monachum ritum habemus *ad barbam tondendam*. Priscis temporibus viri seculares barbam prælongam portabant & nutriebant, eratque proinde signum vanitatis barba prolixa & oblonga. Monachi ad respuendam omnem seculi vanitatem tironibus suis barbam tondebant. Vide, quæ de hoc more dicant Annalium Camaldulensium scriptores (f). Sic tamen monachi imberbes apparebant, ut nulla in eorum vultibus notaretur mollities, quæ sane nimia fuisset, si novaculam adhibuissent. Forcipibus propterea barbam tondebant. Addimus sanctum Albertinum priorem Fontis-avellanæ in antiquissima icone in ejus monasterii templo depictum barba carere. Antiqua pariter imago sancti Petri Damiani labente seculo XIII. coloribus expressa in tabula principis aræ sancti Exsuperantii Cinguli, ubi monachi Avellanenses diu vixerunt, hirsutam & brevem barbam exhibet, similem illis, quæ sæpe forcipibus detruncantur. Morem istum barbæ radendæ seculo XI. apud nonnullas ecclesias locum obtinuisse, sed non æque ab omnibus fuisse receptum probat quoddam monumentum genuinum apud Papebrochium in actis Sanctorum, qui in Exegesi episcoporum Mediolanensium exhibet imaginem Heriberti præsulis Mediolanensis circa annum 1046. barbatum præferentem episcopum pallio ornatum. Probat etiam vir ille doctissimus Romanos pontifices hujus disciplinæ radendæ

f T. I. p. 380.

barbæ

barbæ non usque adeo tenaces fuisse, quin pro arbitrio recedendum sibi ab illa ducerent. In altero hujus libri tegumento eboreo sculptus conspicitur sanctus Theodorus, & quidem barbatus, sed sanctus Theodorus ex Græcis erat, qui contra Latinorum morem barbam non tondebant. Thomassinius (*a*) animadvertit hoc ipso seculo XI. concilium Bituricense habitum anno 1031. statuisse canone VII. ut *tonsuram ecclesiasticam habeant* (clerici), *hoc est barbam rasam, & coronam in capite*. Item Coyacense anno 1050. canone III. *semper coronas apertas habeant & barbas radant*. Gregorius VII. qui hoc ipso XI. seculo floruit, cum præfecto Sardiniæ insulæ causam assignat, cur episcopo Calaritano jnsserit barbam radere, rescribit: *Ut scilicet ecclesiæ Occidentalis moribus antiquissimis se accommodet*. Et hortatur præfectum, ut clerum universum compellat rasitare barbas, contumaces bonis spoliet, ecclesiæque fisco adjudicet. Sanctus Carolus Borromeus præcipit clericis observandum barbæ radendæ institutum a patribus in concilio Carthaginensi IV. firmatum (*b*). Quid igitur mirum, si hoc seculo XI. quando barbæ prolixæ vanitas excreverat, monachi seculi pompis contradicentes barbam deponerent?

a Lib. II. c. 41. n. 1.

b Act. ecc. Mediolan. p. 1061.

Adnotatio XXIX.

Ritus iste ad dandam pœnitentiam vulgatissimus est apud antiquos monachos. Sciendum est, morem apud illos fuisse, ut quisquis ad Deum conversus e seculo monasterium ingrederetur, deberet prius suæ conscientiæ maculas monasterii priori vel abbati detegere, & singillatim confiteri omnia peccata sua, recepturus pœnitentiam ad præscriptum sacrorum canonum. Apud Cartusianos juxta antiquas eorum leges monachi conscientiæ manifestationem faciebant, non solum quando monasticum habitum suscipiebant, verum etiam quoties prior novus eligebatur. Ea tamen sacramentalis confessio videtur non fuisse. De hac re consule, quæ eruditissime animadvertit præsul Sartius mei amantissimus in observatione VIII. ad caput IV. (*c*) vitæ sancti Johannis Laudensis. Hujus dandæ pœnitentiæ ritus non erat privatus, sed publicus.

c Pag. 45.

Adnotatio XXX.

Apostolicæ traditionis (*d*) est sacrificium pro defunctis offerre, & Aetii error fuit negare sacrificium offerendum esse pro ipsis, ut scribit (*e*) Epiphanius.

d Bona lib. II. c. 15. n. IV.

e Hæres. 75.

Ritus deinde invaluit sacrum faciendi pro defunctis non tantum eorum die emortuali & sepulturæ, verum etiam die tricesima, septima, tertia & anniversaria obitus eorumdem. Hic non habemus nisi Missas in die depositionis, in tricesima & in anniversaria cum propriis præfationibus tam die depositionis, quam anniversaria. Muratorius (*f*) multis probat exemplis antiquitatem ritus anniversariorum emortualium dierum pro defunctis. Desideratur hic Missa pro commemoratione fidelium defunctorum die secunda novembris, quæ fuit instituta a sancto Odilone abbate Cluniacensi anno dumtaxat 1040. Qui ritus in universam ecclesiam pontificum auctoritate fuit postea propagatus, ut adnotat Baronius (*g*).

f Antiq. medii ævi T. IV. disser. 55.

g Not. ad Martyrol. die 2. nov.

Adnotatio XXXI.

Ab hac Missa, quæ est in Translatione sancti Marci, initium habet postrema hujus Sacramentarii Appendix. Sancti evangelistæ Marci corporis translatio recolitur die 31. januarii, & habetur in martyrologio Romano & in aliis ecclesiasticis tabulis. Augustinus Calmet (*h*) opinionem affert illorum, qui contendunt divi Marci corpus Venetias translatum sub Leone Armeno circa annum 815. Illud pro certo habendum anno 870. hanc Translationem jam contigisse, & Venetiis custoditum fuisse ejus sacrum corpus. Ita Bernardus monachus (*i*) apud Mabillonium. Baronius (*k*) meminit hujus festivæ Translationis sub anno 820. & circa hæc tempora factam contendit. Bollandiani huic adhærent opinioni in titulo de cultu sancti Marci, qui pariter referunt historiam hujus Translationis ex codice ms. bibliothecæ Vaticanæ, relato etiam a Baronio in suis notis ad Martyrologium, ex quo codice translatio illa refertur ad annum 820. Sabellicus stat pro anno 831. regnante Venetiis Justiniano duce. Platina hujus Translationis meminit sub pontificatu Gregorii III. qui sedere cœpit anno 823. & in pontificatu vixit annis sexdecim. Sed cum Justinianus fuerit dux Venetus annis tantum duobus, necessario hæc translatio figenda est vel ad IV. vel ad V. annum Gregorii, & consequenter ad annum 831. vel 832. Antonius Pagius (*l*) in criticis notis, Antonius Sandinns (*m*) in sua historia Apostolica & novissime eruditissimus senator Venetus Flaminius Cornelius in elaboratissimo opere (*n*) de Venetis ecclesiis agunt de hac Translatione.

Hujus festi propagatio in monachos

h Histor. univers. T. IV. cap. 54.

i Act. SS. T. IV.

k Ann. 820. n. 22.

l Ad ann. 820. n. 9.

m De S. Marco.

n Dec. XIII. P. I.

Benedictinos rejicienda est ad tempora sancti Petri Damiani, quando Appendix huic Missali libro facta est, quique etiam sermones habuit (a) in festivo ejus die, ubi de hac eadem Translatione verba facit.

a T. II. p. 31. &c.

ADNOTATIO XXXII.

HEBDOMADARIUS lector in mensa (b) ad præscriptum Regulæ divi Benedicti debebat post Missas & Communionem die Dominico petere suprascriptis versiculis ab omnibus, ut pro se orarent, & ter repetito: *Domine labia mea aperies*, accipere benedictionem; qui mos apud monachos servatur adhuc, ut scribit sæpe laudatus cardinalis Bona (c), usuque ipso patet.

b Cap. 38.

c Lib. I. c. 13. n. 3



EXCERPTA EX VETERIBUS

LITURGICIS CODICIBUS FONT-AVELLANENSIBUS,

Duplici Sacramentario & Breviario quingentorum & iis amplius annorum.

ILLUSTRABUNT vetus Sacramentarium Suaviciniense, quod mox protulimus, hæc excerpta, quæ paucis ab hinc annis collegerunt ex tribus codicibus abbatiæ Avellanensis, atque ad nos perhumaniter transmiserunt monachi ejusdem loci. Primus codex, qui est missalis seu sacramentarius antiquus liber, scriptus, & ad usum fuit ascetarum Font-avellanensis eremi vel ante seculum XIV. cum in eo memoretur prior loci; qui prioratus titulus perduravit ad tempora Johannis XXII. Romani pontificis; is enim circa annum 1325. Ubaldum primum abbatem dedit Avellanensibus, & eremum abbatiæ honore decoravit. Incipit hic Sacramentarius liber ab ordine servando feria IV. in capite jejunii, & in hebdomada majori Quadragesimæ. Sequitur ordo Missæ ab episcopo vel a presbytero celebrandæ; inde habentur orationes propriæ in Natalitiis Sanctorum; demum missæ quædam, quarum olim recitatio vigebat. Ejus sententiæ sumus ipsum pro Avellanensibus potissimum exaratum fuisse; non ignobile documentum petimus ab octava sancti Andreæ apostoli, quæ præscribitur; scimus etenim eorum ecclesiam dicatam fuisse tam in honorem sanctæ Crucis, quam etiam sancti Andreæ apostoli. Verum cum Avellanenses in pluribus locis & urbibus monasteria & ecclesias obtinerent, quorum monachi ritus & disciplinam sequebantur præcipuæ eremi, orationes sacramentario etiam inspersæ leguntur, quæ usuveniebant in ceteris diœcesibus, & non in Eugubina, in cujus territorio exsurgebat eremus Avellanensis. Orationes seu collectæ omnes, quæ habentur in missali sine assignatione tamen diei, sunt hæ, hoc pariter ordine distributæ. In natali sancti Ambrosii episcopi; sanctæ Luciæ virginis & martyris; sancti Thomæ apostoli; sancti Anastasii martyris; sancti Projecti martyris; sanctæ Brigidæ virginis. Orationes in die purificationis beatæ Mariæ virginis, & benedictio cereorum. In natali sancti Blasii martyris; sancti Benedicti abbatis, & in festo annuntiationis beatæ Virginis Mariæ. In natalitio die sanctæ Euphemiæ martyris; in alio sanctorum Laurentini & Pergentini fratrum. Horum martyrum orationes, nisi pro Avellanensibus, confectæ erant pro iis monasteriis Avellanensi subjectis, quæ erant in Arretino territorio & in illo Civitatis-castelli constituta, apud quæ cultus vigebat eorumdem martyrum. Extat sermo Petri Damiani in honorem ipsorum sanctorum martyrum. Sequuntur orationes in natali sancti Bonifacii martyris, Moguntini scilicet, cum sociis Heobano & Adhelario; sanctorum Albini, Paullini & Niceti episcopi cum nongentis octuaginta-novem sociis; in vigilia & festo die sancti Johannis-baptistæ; in pervigilio pariter & natalitiis sanctorum apostolorum Petri & Paulli; sanctæ Mustiolæ; sanctorum VII. fratrum; sancti Paterniani. Hic sanctus episcopus patronus erat urbis Fanensis, in qua ejusque territorio monasteria & ecclesiæ erant Avellanensium ascetarum. In natali sanctæ Margaritæ virginis; sanctorum Quirici & Jolittæ martyrum; sanctorum martyrum Ermacoræ & Fortunati; sanctæ Praxedis virginis; sanctæ Mariæ Magdalenæ; sancti Apollinaris martyris & pontificis; sanctæ Christinæ martyris; sancti Jacobi apostoli; sancti Christophori martyris; sanctorum Nazarii & Celsi martyrum; sanctarum virginum Floræ & Lucillæ. Cultus earum præcipuus Arretii; & in ipsarum natalitia die sermones habuit Damianus, actaque & translationem scripsit.

Ora-

Orationes in inventione sancti Stephani ; in festo sancti Donati episcopi & martyris; in vigilia & in assumptione beatæ Mariæ virginis, & in natali sancti Magni martyris. Is Trani, in Apulia alibique colebatur, ubi erant cœnobitæ Avellanenses. Collectæ in dedicatione basilicæ sancti Floridi: Patronus erat sanctus Floridus urbis Tiphernatis seu Civitatis-castelli; & ex Innocentii II. ac Honorii III. Romanorum pontificum privilegiis innotescit Avellanenses monasteria & ecclesias possedisse in urbe & territorio Civitatis-castelli: *In comitatu Castellano castrum Montis-majoris*, ait Innocentius, *& monasterium sanctæ Crucis in eodem castro cum ecclesiis & villis*. Et Honorius: *Ecclesiam sancti Cassiani, & sancti Fortunati cum capellis & earum pertinentiis, ecclesiam sanctæ Crucis de Monte-majore, & sancti Aegydii de Castello, sanctæ Crucis de Citerna, sancti Petri de Agilone cum capellis & earum pertinentiis, & quidquid habetis in toto comitatu Castellano*. Pariter habentur orationes in natali sancti Simphoriani martyris ; sancti Bartholomæi apostoli ; sancti Rufi martyris ; in die decollationis sancti Johannis-baptistæ ; sanctæ Felicitatis martyris ; sanctorum confessorum Floridi & Amantii (Festum hoc occurrebat VI. kalendas octobris) & omnium Sanctorum. Succedunt aliæ missæ, aliæque collectæ, ac missæ pro defunctis. In oratione pro defuncto sacerdote imploratur intercessio sancti Floridi confessoris. Subsequuntur aliæ missæ & preces ad Deum pro variis necessitatibus, & demum liturgia pro defunctis.

Alterum Sacramentarium, quod videtur antiquius primo, mentionem facit abbatis. Forte usui fuit monachorum & parochorum ecclesiæ sancti Blasii de Fabriano, quæ seculo XIII. subjiciebatur monasterio sancti Victoris de Clusis, nunc vero abbatia est sui juris, cui unitæ fuere aliæ duæ sancti Romualdi Vallis-castri & sancti Urbani ad Æsinantem; nam in confessione prævia ad Missam nominatur post sanctos apostolos Petrum & Paullum sanctus Blasius ; similiter in Canone ante consecrationem post sanctos Cosmam & Damianum. Ad *nobis quoque peccatoribus* post sanctam Anastasiam nomen apponitur sanctæ Scholasticæ; ad orationem vero *Libera nos* nomina sancti Apollinaris, sancti Laurentii & sancti Benedicti adjiciuntur nominibus archangelorum & apostolorum. Sacramentarium hocce continet ordinem ad Catechumenum faciendum, ordinem baptismatis ad succurrendum, ordinem ad pœnitentiam dandam, ordinem ad visitandum infirmum, & demum ordinem ad sepulturam defunctorum. Ordo quoque in eo habetur ad sacram liturgiam peragendam; adsunt & missæ quædam ac orationes pro variis necessitatibus, aliæ de Communibus, aliæ demum pro variis generibus defunctorum.

Tertium denique est Breviarium, cujus titulus: *Incipit officium breviarii secundum ordinem heremi sancte Crucis Fontis-avellane*. Incipit ab adventu Domini. Leguntur hymni antiqui in die Nativitatis Dominicæ, in natali sancti Andreæ apostoli, sancti Benedicti abbatis, in festivo die inventionis sanctæ Crucis, in aliis festis apostolorum Petri & Paulli, sanctæ Mariæ Magdalenæ, assumptionis beatæ Mariæ virginis & sancti Martini. Orationes propriæ habentur de sanctis Ambrosio, Zenone, Syro, Blasio, Gregorio ac Æmygdio. Is colebatur potissimum in urbe Asculana. Ecclesia sancti Hilarii, alia sanctæ Crucis in ea urbe erant juris Avellanensium monachorum. De sancto Apollinare, quem summa religione coluerunt semper Avellanenses, officium integrum proprium legitur. Postremo in calce Breviarii reperitur officium beatæ Mariæ virginis. Sed excerpta ipsa in medium afferamus, iis nimirum omnibus prætermissis, quæ extant in editis missalibus & in breviariis.

EX-

EXCERPTA EX VETERIBUS
LITURGICIS CODICIBUS FONT-AVELLANENSIBUS.

FERIA QUARTA CAPUT JEJUNII.

COLLECTA ad sanctam Anastasiam. In primis vero benedictio cineris.

Omnipotens sempiterne Deus &c. *Hæc prima oratio est eadem, quæ habetur in editis.*

Alia oratio.

Concede nobis Domine præsidia militiæ christianæ sanctis inchoare jejuniis, ut contra spirituales nequitias pugnaturi continentiæ muniamur auxiliis. Per.

Alia.

Deus indulgentiæ, Deus pietatis & misericordiæ, qui Ninivitis cinere & cilicio indutis, & misericordiam tuam clamantibus subvenisti, exaudi nos propitius clamantes ad te, & hanc creaturam cineris, quo peccatores indulgentiam tuæ sanctæ misericordiæ implorantes utuntur, bene † dicere, & sanctificationis tuæ gratiam infundere digneris, ut quicumque istius pulveris exustione aspersus fuerit, indulgentiam & remissionem omnium peccatorum a te pius Deus mereatur accipere. Per.

Alia oratio.

Deus, qui humiliatione &c. *Hæc pariter oratio est eadem, quæ in editis. Alia vero, quæ in iisdem subsequitur, in nostro Missali ms. desideratur.*

Sequitur antiphona.

Immutemur habitu. Interim ponendi sunt cineres super capita hominum. Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. His finitis dicat cantor. Misereris omnium.

AD MISSAM.

Statio ad sanctam Sabinam.

Oratio.

PRÆSTA Domine &c. *ut in editis etiam quoad Secretam & Communionem; cum hoc tamen, quod in ms. una tantum Oratio ponitur.*

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

SECUNDA hora diei mediante conveniunt in ecclesiam. Itaque fratribus Tertiam cantantibus induunt se ministri in vestiario; unus ad Crucem, duo ad candelabra, alter ad aquam benedictam, subdiaconus ad thuribulum in tunica, diaconus in dalmatica, sacerdos in cappa. Finita Tertia, ubi cantor imposuerit antiphonam: Collegerunt; ministri transeunt per chorum sequente conventu cantando antiphonam usque ad locum Palmarum, ubi antiphona & versus: Unus autem; finito & repetito: Ne forte, subdiaconus versus super titulum ad Orientem incipit lectionem: Dicite filiæ Syon. Qua finita cantetur: ℟. Christus factus est. Deinde diaconus versus ad Aquilonem incipiat evangelium: Cum appropinquasset. Quo finito benedicuntur Palmæ & Olivæ a sacerdote ad Orientem verso.

Dominus vobiscum. *Oremus.*

Auge fidem &c. *Hic ponuntur omnes Orationes, ut in editis, præter illam longiorem, quæ incipit:* Deus, qui miro dispensationis ordine &c.

Tunc rami benedicti aspergantur aqua benedicta cum antiphona: Asperges me Domine. Postea projicitur aqua super conventum ordinate venientem & super populum. Deus, qui filium tuum &c.

Post hæc incipit cantor antiphonam: Pueri Hæbreorum, & alias. Interim ministri accipiunt ramos de manu sacerdotis, postea osculatur conventus] manum ejus. Deinde dantur populo repetendo antiphonam, donec omnes accipiant. Quo completo incipit cantor antiphonam: Cum appropinquaret; & cum omni veneratione, quasi ipsum Dominum comitantes, procedunt ad ecclesiam. Ibique ante ostium ordinatis, finita antiphona, intrant duo fratres in ecclesiam & cantent: Gloria, laus & honor tibi. Et post finem binorum versuum repetunt de foris. Gloria laus. Percantatis versibus intrant in ecclesiam cantando ℟. Ingrediente; sonando omnibus signis.

Demum ministri præparent se ad Missam; & officiales duo cappis induuntur in choro. Ad Tractus induantur alii duo, & quatuor cantent, duo & duo.

FERIA QUINTA IN COENA DOMINI.

HORA nona excutitur ignis de cristallano vel silice, itaut ex eo possit accendi candela; & benedicit sacerdos ignem apud nos indutus stola tantum & pluviali & aqua benedicta: Asperges. Apud quosdam diaconus benedicit.

DEUS

Deus, qui per Filium tuum angularem scilicet lapidem caritatis tuis fidelibus ignem contulisti, productum e silice nostris profuturum usibus, novum hunc ignem sanctifica, & concede nobis, ita per hæc festa Paschalia cœlestibus desideriis inflammari, ut ad perpetuæ claritatis puris mentibus valeamus festa pertingere. Per.

Alia oratio.

Domine Deus, Pater omnipotens, lumen indeficiens, & sancte conditor omnium luminum, bene†dic hoc lumen, quod a te sanctificatum atque benedictum est, qui illuminasti omnem mundum, ut ab eo lumine accendamur, & illuminemur igne claritatis tuæ, & sicut ignem illuminasti Moysi, ita illumines corda & sensus nostros, ut ad vitam æternam pervenire mereamur. Per.

Alia oratio.

Veniat quæsumus omnipotens Deus super hoc incensum larga tuæ benedictionis infusio, & hunc nocturnum splendorem invisibilis regnator accende, ut non solum sacrificium, quod hac nocte litatum est, arcana luminis tui admixtione refulgeat, sed in quocumque loco ex hujus sanctificationis mysterio fuerit deportatum, expulsa diabolicæ fraudis nequitia, virtus tuæ majestatis adsistat. Per.

De quo igne novo lampas una servetur accensa usque in Sabbatum sanctum ad illuminandum cereum, qui eodem die benedicendus est, ordine, quo in Sacramentario continetur. Hoc expleto omni lumine decorata ecclesia ingrediantur ad Missam, quæ pro præsentis Sacrificii recenti institutione devotissime decantetur. In hac enim die Sacrificium Corporis sacri, & divini muneris sacri sanguinis ab ipso Domino celebrationis sumpsit initium. Hac die in toto orbe sacrum Chrisma conficitur. Hac die etiam pœnitentibus per indulgentiam subvenitur.

Dum autem cantatur Nona, præparent se ad Missam festive sacerdos, diaconus in dalmatica, subdiaconus in tunica, ceroferarii quoque, & qui thuribulum deferat. Et cantato in choro indutus cappa Missam sollemniter incipiat, quæ pro præsentis Sacrificii recenti institutione devotissime decantetur; in qua iteratur: Responsum; & cantetur: Credo in unum Deum. Gloria in excelsis Deo. Ubi Chrisma conficitur, cantatur.

Missa ad S. Johannem in Laterano.

Oratio *&c. ut in nostris editis usque ad consecrationem Corporis & Sanguinis inclusive.* Post: Agnus Deus, sacerdos dividat oblatas, & omnes, qui possunt, communicent. Tantæ hac die consecrentur hostiæ, ut ex ipsis possint ipso & sequenti die sufficienter habere ad communicandum. Notandum autem, quod de Corpore Domini integræ oblatæ servandæ sunt usque mane die Parasceve, de quibus communicant. Sanguis vero Domini ipso die penitus absumatur. Interim vero communicant, dicitur. Agnus Dei; & Communio; Dominus Jesus; absque osculo.

Postea incipitur antiphona ad Vesperum: Calicem salutaris; cum psalmis, qui suaviter cantentur. ℣. Christus factus est. Antiphona: Cœnantibus autem accepit. Post Magnificat finita antiphona sequitur oratio ad complendum.

Refecti vitalibus alimentis quæsumus Domine Deus noster, ut quod tempore mortalitatis nostræ exequimur, immortalitatis munere consequamur. Per.

Post quam diaconus dicit: Benedicamus Domino. In pluribus ecclesiis Ite Missa est dicitur, quia & Gloria in excelsis dicunt, quod nos non dicimus.

Feria sexta in Parasceven.

Dum cantatur Nona induunt sacerdos & ministri casulis nigris, si habentur, faciuntque ibidem in vestiario Confessionem; & tunc non accenduntur candelæ circa altare, & mittant parvulum linteum, mundissimum tamen, super altare. Postquam vero sacerdos cum ministris venerit coram altari, statim diaconus accedit ad legendum, pronuntians in lectione nomen prophetæ, sic. Lectio Oseæ prophetæ. Qua finita dicant Tractum in choro *&c. ut in editis usque ad totam ultimam orationem*: Omnipotens sempiterne Deus.

Finitis orationibus prior facit sermonem ad populum de pace, & omnes discordantes ecclesiæ suæ filios, ad concordiam revocare summopere studeat, ut digni sacramento reconciliationis humanæ esse valeant. His transactis accedant ad Crucem discooperiendam, sicut in Ordine habetur. Qua discooperta & adorata veniat sacerdos cum ministris ante altare. Diaconus sit indutus casula sua, sicut mos est ei ministranti; subdiaconus autem indutus sua. Factaque confessione ante altare, deferat diaconus corporalem ad altare & extendat. Et in sacrario in loco convenienti præparet diaconus calicem cum vino non consecrato, imposito super patenam diligenter & reverenter Corpore Domini, idest integris

tegris Oblatis, quæ servatæ sunt de Corpore Domini pridie; & desuper corporale plicatum componat, quia dignum est, ut corpus Domini, in quo est tota salus nostra & redemptio, summa reverentia tractetur. Procedant vero ad eum duo ceroferarii in albis, & tertius cum thuribulo fumigante, & subdiaconus portans ampullam aquæ. Deferat autem diaconus calicem cum Corpore Domini dicens apud se: Hoc Corpus, quod pro vobis tradetur, hic calix novi Testamenti est in meo sanguine, dicit Dominus. Hoc facite, quotiescumque sumitis, in meam commemorationem. Tenente autem diacono calicem sacerdos misceat aquam, quibus oblatis inclinet sacerdos ante altare dicens: In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur Domine a te *&c.* Post hæc levans se incipit mediocri voce: Oremus, præceptis salutaribus. Pater noster. Et finiat totum, respondente choro: Sed libera nos a malo. Postea dicat sub silentio: Libera nos quæsumus Domine; sicut mos est; & cum dixerit: Per omnia secula seculorum. Amen. Pax Domini, non dicatur, neque per oscula detur, sed sumat de Sancta, & ponat in calicem, nihil dicens. Sanctificatur autem vinum non consecratum per Corpus Domini immissum, & communicent omnes cum silentio fratres. Communicatis omnibus dicant vesperas plane. Psalmos de feria. Postea: Magnificat; deinde: Pater noster. Psalmus: Miserere mei Deus. ℣. Christus factus est.

Sabbati vero die sancto dum cantatur Nona, induunt se ministri cultioribus vestibus, diaconus dalmatica, subdiaconus tunica ad thuribulum, duo ad candelabra in albis. Et finita Nona diaconus benedicat cereum. Exultet jam Angelica turba cœlorum *&c. ut in editis usque ad verba* & antistite nostro. *Excepto quod in ms. non adest accensio lampadarum. Post ergo prædicta verba* antistite nostro *hæc immediate sequuntur, videlicet* & serenissimo imperatore nostro N. ejusque nobilissima prole vel cuncto exercitu ejus, & omnibus circumstantibus, quiete temporum concessa in his paschalibus gaudiis conservare digneris. Hunc ergo cereum Domine, quem tibi offert famulus tuus N. acceptum esse digneris, ut hæc per multos annos lætus & gaudens tibi Domino vota persolvat, & usque ad optatam perveniat senectutem. Unde bene✝dico te creatura ceræ per De✝um vivum, per De✝um sanctum, per Deum, qui te ex omnibus agri floribus congregari præcepit, & in conspectu suæ claritatis ignem accendere jussit, ut ubicumque ex te positum fuerit, sit locus ille munitus, protectus atque defensus ab omni ira divina & ab omni infestatione inimici, per virtutem & nomen Domini nostri Jesu Christi; qui vivit & regnat cum Deo patre in unitate Spiritus sancti in secula sempiterna. Amen.

Cereo benedicto ascendit lector ad ambonem pronuntians. Lectio libri Genesis. In principio creavit. Lectio prima. Legens plane & aperte ad intelligendum. Ad singulas lectiones singulæ orationes habentur, quarum primam domnus prior dicit indutus cappa & stola; sequentes alii sacerdotes. Ad nullam harum orationum dicitur: Dominus vobiscum, sed tantum: Oremus.

Oratio.

Deus, qui mirabiliter *&c. ut in editis usque ad totam duodecimam lectionem, post quam hæc subjiciuntur.* Tractus: Sicut cervus. *Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus respice propitius ad devotionem populi renascentis, qui sicut cervus aquarum expetit fontem, & concede propitius, ut fidei ipsius sitis baptismatis mysterio animam corpusque sanctificet. Per.

Ad ultimam lectionem sacerdos egrediens ex choro cum ministris optimis vestimentis induitur, si tamen baptismum non est celebraturus; tunc enim vilioribus utitur usque ad Missam. His itaque peractis cantores duo cappis induti letaniam ternam faciant, quæ pro tempore protrahatur. Qua finita conventus in choro expectans sedeat. Ministri autem reversi in sacrario usquedum campanæ sonatæ fuerint; quibus cessantibus fit processio per claustrum, & cantatur antiphona: Cum descendisset Dominus ad inferna. Usquequo redeant in chorum. Ubi finita antiphona sacerdos ante basim altaris consistens mediocri voce incipit: Jam Christus Dominus resurrexit. Choro respondente: Deo gratias. Hoc fit tertiò. His dictis cantor incipit alta voce: Alleluja, Alleluja, Alleluja. Deinde: Kyrie eleyson. Quo finito sacerdos devotissime incipiat: Gloria in excelsis Deo. Post orationem epistola; post epistolam: Alleluja. Deinde Tractus: Laudate Dominum. Quo finito diaconus incipit evangelium, ante quod non portetur lumen, sed tantum incensum.... Postea sacerdos dicit: Credo in unum Deum. Deinde: Dominus vobiscum, & Oremus. Offertorium, nec Agnus, nec Communio cantatur; osculum tamen secun-

cundum usum nostræ ecclesiæ datur. Data pace cum sacerdos & ministri communicaverint: Alleluja in choro imponitur cum psalmo: Laudate Dominum omnes gentes ad Neofitos. Quo finito cum Gloria, Alleluja repetitur, & fine neumate finitur. Postea prior, si Missam non celebraverit, incipiat antiphonam; Vespere autem Sabbati; cum psalmo: Magnificat anima. Et finita antiphona, & communicatis fratribus, tandem oratione de Missa vesperæ finiuntur. Et ideo apud quosdam non incongrue a diacono: Benedicamus Domino, dicitur; sed apud nos quotiens: Gloria in excelsis Deo canitur, etiam: Ite Missa est, a diacono dicitur.

In sabbati sancti Nocte ad Missam.

Oratio.

Deus, qui hanc sacratissimam noctem *&c. ut in editis quoad hanc Orationem, Secretam, Præfationem, Communicantes, Hanc igitur, & Communionem; quæ omnia tantum habentur in enunciato missali mss.*

Incipit ordo qualiter episcopus vel presbyter ad Missam se debeat præparare.

In primis cantent tres psalmos per se vel a circumstantibus clericis; idest psalmum: Quam dilecta; ps. Benedixisti; ps. Inclina, & preces .... sequuntur Capitulum: Exurge: Fiat: Deus convertens: Ostende nobis: Ab occultis: Non intres: Sacerdotes tui.

Deinde cum exuerit Tunicam dicit: Exue me Domine veterem hominem cum actibus suis, & indue me novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.

Ad Amictum: Scinde Domine saccum meum & da lætitiam cordis mei. Amen.

Ad Albam: Indue me Domine loricam justitiæ & galeam salutis. Amen.

Ad Cingulum: Præcinge Domine lumbos mentis meæ & circumcide vitia cordis mei. Amen.

Ad Stolam: Stola justitiæ circumda Domine cervicem meam, & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam.

Ad Casulam: Indue me Domine sacerdotali justitia, ut induci merear in tabernacula sempiterna.

Dum intrat ad altare dicat: Introibo ad altare Dei; ad Deum: psal. Judica me Deus.

Cum pervenerit ad altare humiliter inclinato vultu dicat confessionem hanc totam per ordinem: Kirie. Christe. Pater noster, qui es. Adjutorium nostrum. Qui fecit cœlum & terram. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. Et ego miser infelix confiteor Deo omnipotenti Patri, & Filio & Spiritui sancto, & omnibus Angelis & Sanctis ejus, & tibi, frater, quia peccavi nimis mea culpa, mea culpa, mea culpa, in cogitatione, locutione, delectatione, consensu & opere: ideo deprecor omnes Sanctos Dei & te, frater, orare & intercedere pro me peccatore Dominum nostrum Jesum Christum.

Misereatur tui omnipotens Deus & dimittat tibi omnia peccata tua; liberet te ab omni malo, salvet & confirmet te in omni opere bono, & perducat te Christus filius Dei in vitam æternam. Amen.

Indulgentiam & remissionem omnium peccatorum nostrorum & spatium veræ, fructuosæ pœnitentiæ tribuat nobis omnipotens Dominus.

℣. Deus tu convertens vivificabis nos. ℟. Et plebs tua lætabitur in te.

℣: Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Non intres in judicio. ℟. Quia non justificabitur.

℣. Propitius esto. ℟. Ne quando dicant.

℣. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio.*

Aufer a nobis, Domine quæsumus, intervenientibus istis & omnibus Sanctis tuis, cunctas iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mentibus mereamur introire. Per Dominum.

Quando osculatur altare dicit: Oramus te Domine Deus omnipotens, ut per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt, indulgere nobis digneris omnia peccata nostra.

Deinde cum Evangelium osculatur: Pax Christi, quam nobis per Evangelium suum tradidit, confirmet & conservet corda & corpora nostra in vitam æternam. Amen.

Ante Evangelium cum posuerit incensum in Thuribulum dicit, vel antequam diaconus se inclinet: Odorem cœlestis inspirationis suæ accendat in nobis Dominus, & impleat corda nostra ad audienda & implenda sui evangelii præcepta. Qui vivit.

Alia oratio.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Incensum istud *&c.* Dirigatur Domine *&c.*

Cum

Cum autem diaconus petierit benedictionem: Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, ut competenter nunties Evangelium pacis.

Perlecto autem Evangelio dicat: Pax tibi.

Quando autem osculatur Evangelium, dicit: Per istos sermones sancti Evangelii filii sui Domini nostri Jesu Christi indulgeat Dominus universa delicta nostra.

Antequam oblationem accipiat humillime dicat: Ante oculos tuos Deus reus conscientiæ testis assisto, rogare non audeo, quod impetrare non mereor; tu enim scis Domine, quæ aguntur in nobis, erubescimus confiteri, quod non timemus admittere; verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur, & quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus; sed parce Domine confitentibus, ignosce peccantibus, miserere te rogantibus, & quia omnis sensus in sacramentis tuis infirmus est, & apud te non habent verba sine crimine, præsta Domine, ut ex nobis indignis & peccatoribus verba non suscipias, per temetipsum veniam largiaris, qui vivis & dominaris.

Dum abluit manus postquam perlectum est Evangelium: Largire sensibus nostris omnipotens Pater, ut sicut hic abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur interius pollutiones mentium, & crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum.

Antequam ad sacramenta accedat, inclinet se ante altare dicens: Facturus ego peccator memoriam salutaris hostiæ totius mundi, cum illius dignitatem, & meam intueor fœditatem, conscientia torqueor peccatorum, verum quia tu multum misericors es, imploro, ut digneris mihi dare spiritum contribulatum, quod tibi gratum revelasti sacrificium, ut eo purificatus vitali Hostiæ pias manus admoveam, quæ omnia peccata mea aboleat, & ea in perpetuum vitandi cautelam infundat, omnibusque, pro quibus tibi offertur salutis commercia largiatur. Per. Amen.

Quando quis offert oblationem presbytero dicat: In spiritu humilitatis & in animo contrito tibi Domino creatori meo Hostiam offero pro remissione omnium peccatorum meorum, & cunctorum fidelium vivorum atque mortuorum.

Sacerdos oblationem accipiens dicat: Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offert famulus tuus, & præsta, ut in conspectum tuum tibi placens ascendat. *Alia*.

Suscipe sancta Trinitas, quam tibi offero pro animabus famulorum famularumque tuarum, ut requiem æternam illis dones inter Sanctos & electos tuos, ut in illorum consortio vita perfruantur æterna. Per.

Presbyter vel diaconus calicem offert, dicat: Domine Jesu Christe, qui in cruce passionis tuæ de latere tuo sanguinem & aquam, unde ecclesiam consecrares, manare voluisti, suscipe hoc sacrificium altari tuo superpositum, & concede clementissime, ut pro redemptione nostra & totius mundi in conspectum divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat.

Cum superposita oblata dicat: Acceptum tibi sit omnipotenti Deo sacrificium istud super altare tuum positum.

Tunc calix super altare ponitur: Offerimus tibi Domine calicem salutaris, deprecamur clementiam tuam, ut in conspectu divinæ majestatis tuæ sacrificium nostrum cum odore suavitatis ascendat.

Tunc devota manu benedicat oblationem & calicem dicens: Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, bene † dic & sanctifica hoc sacrificium tibi præparatum. *Alia*.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti sit hoc sacrificium immaculatum, & a te Deo vivo & vero adunatum, & consecratum & benedictum.

Super Oblata: Sanctifica quæsumus Domine hanc obla † tionem, ut nobis unigeniti tui corpus fiat.

Super Calicem dicat: Sanctifica, quæsumus Domine, hunc cali † cem, ut nobis Filii tui sanguis fiat.

Cum incensum posuerit in thuribulo, dicat: Per intercessionem sancti Gabrielis archangeli *&c. ut in nostris editis. In mss. tamen deest conclusio*.

Hic incensum super sacrificium faciat vel in circuitu dicat: Incensum istud. Require retro.

Cum incensum offertur singulis dicit: Accendat in nobis Dominus ignem amoris, & flammam æternæ caritatis.

Postea vertat se ad circumstantes dicat: Orate fratres pro me, ut meum & vestrum impleatur officium.

Dicant respondentes: Orent pro te omnes Sancti & electi Dei. Exaudiat te Dominus orantem pro nostra omniumque salute. Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat.

Postea dicat hos psalmos: Ad te Domine levavi. Psalmum: Miserere mei Deus. Psal. Domine refugium factus.

Psal. Qui habitat in adjutorio. Salvum fac servum tuum. Fiat Domine misericordia tua super nos. Exurge Domine.

Oratio.

Gaudeant Domine quæsumus famuli tui beneficiis impetratis, & quibus fiduciam sperandæ salutis tribuisti, optatæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per.

Per omnia secula seculorum *&c. ut in nostris editis, tum quoad omnes Præfationes communem & particulares, cum quoad Canonem usque ad nomina* Johannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, *post quæ sequuntur hæc verba*: Necnon & illorum, quorum hodie sollemnitatis in conspectu gloriæ tuæ celebratur triumphus. *Quæ sequuntur in ms. Missali communia sunt editis usque ad totam orationem*: Libera nos quæsumus *&c.*

Oratio.

Fiat commixtio & consecratio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi accipientibus in vitam æternam. Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi miserere nobis. Tribus vicibus.

Ad pacem osculando altare dicit: Domine Jesu Christe *&c. ut in editis usque ad totam tertiam orationem.*

Quando corpus Domini in manibus accipit, dicat: Panem cœlestem accipiam & nomen Domini invocabo. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.

Quando communicat: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam.

Ad sonitum Patenæ hanc fratres orationem dicant: Hujus Sacramenti susceptio fiat nobis Domine omnium peccatorum nostrorum remissio. Per Christum.

Cetera sunt eadem, quæ in editis usque ad totam Orationem: Placeat tibi sancta Trinitas; *in quam terminatur Missa enuntiati Missalis ms. ubi non fit mentio, neque de*: Ite Missa est, *&c. neque de benedictione, neque de Evangelio, ut apud nos. Similiter nusquam in canone fit mentio de genuflexionibus.*

Missæ in Natalitiis Sanctorum.

In natali sancti Ambrosii.

Sancti Ambrosii nos Domine jugiter prosequatur oratio, ut quod petitio nostra non impetrat, ipso pro nobis interveniente præstetur. Per. *Secreta.*

Hæc in nobis Sacrificia Deus intercedente beatissimo confessore tuo Ambrosio & actione permaneant, & operatione firmentur. Per. *Communio.*

Hæc nos communio Domine purget a crimine, & intercedente beato Ambrosio confessore tuo atque pontifice, cœlestibus remediis faciat esse consortes. Per.

In octava sancti Andreæ.

Protegat nos Domine sæpius beati Andreæ apostoli tui repetita sollemnitas, ut cujus patrocinia sine intermissione recolimus, perpetuam defensionem sentiamus. Per. *Secreta.*

Indulgentiam nobis præbeant hæc munera, quæsumus Domine largiorem, quæ tibi pro venerandis sancti Andreæ suffragiis offeruntur. Per.

Communio.

Adjuvet familiam tuam Domine supplicando venerandus Andreas apostolus, & pius interventor efficiatur, qui tui nominis extitit prædicator & rector. Per.

In natali sanctæ Luciæ virginis.

Oratio & Secreta *eædem, quæ in editis.*

Communio.

Læti Domine sumpsimus sacramenta cœlestia, intercedente pro nobis beata Lucia martyre, ad vitam nobis proficiant sempiternam. Per.

In natali sancti Thomæ apostoli.

Oratio & Secreta *ut in editis.*

Communio.

Beati apostoli tui Thomæ Domine quæsumus intercessione nos adjuva, pro cujus sollemnitate percepimus tua sancta lætantes. Per.

In natali sancti Anastasii martyris.

Votivos nos Domine quæsumus beati Anastasii martyris tui natalis semper excipiat, qui & jucunditatem nobis suæ glorificationis infundat, & tibi nos reddat acceptos. Per. *Secreta.*

Præsentia munera quæsumus Domine ita serena pietate intuere, ut sancti Spiritus perfundantur benedictione, & in nostris cordibus eam dilectionem validam infundant, per quam sanctus martyr omnia corporis tormenta devicit. Per.

Communio.

Sumpsimus Domine sancti Anastasii martyris tui sollemnitate cœlestia sacramenta, cujus suffragiis quæsumus largiaris, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per.

Sancti Projecti.

Beati martyris tui Projecti nos, quæsumus Domine, interventio gloriosa commendet, ut quod nostris actibus non mere-

meremur, ejus precibus consequamur. Per. *Secreta.*

Suscipe Domine propitius orationem nostram cum oblationibus hostiarum superimpositis, & martyris Projecti deprecatione pietati tuæ perfice benignus acceptas, & illam, quæ in eo flagravit fortis dilectio, in nobis aspira benignus. Per. *Communio.*

Votiva Domine pro beati martyris tui Projecti passione dona percepimus, quæsumus, ut ejus precibus, & præsentis vitæ nobis pariter & æternæ tribuas conferre subsidium. Per.

SANCTÆ BRIGIDÆ VIRGINIS.

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, qui prudentium lampadibus oleo bonæ conscientiæ ornatis lumen tuæ claritatis infundis, concede propitius, ut beatæ Brigidæ virginis tuæ, cujus natalitia colimus, a fatuarum consortio ejus intercessionibus liberemur. Per.

Secreta.

Hostias quæsumus Domine pacificas, quas tuæ majestati sollemniter offerimus, sanctæ Brigidæ virginis tuæ meritis sanctifica, ut & vincula peccatorum nostrorum absolvant, & tuæ nobis famulis tuis misericordiæ dona multiplicent. Per.

Communio.

Divinis quæsumus Domine redempti mysteriis, ut beatæ Brigidæ virginis tuæ suffragiis sublevemur, & a præsentis vitæ adversitatibus liberemur, & æternæ beatitudinis præmia consequamur. Per.

PURIFICATIO SANCTÆ MARIÆ.

Collecta ad sanctum Adrianum.

In primis cantetur Tertia; postea benedicantur candelæ, deinde dicit sacerdos. Oremus.

ERUDI quæsumus Domine plebem tuam, quæ extrinsecus annua tribuis devotione venerari, interius assequi gratiæ tuæ luce concede.

Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum & justum est.

Præfatio.

VERE dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æternæ Deus, creator cœli & terræ, rex regum, & Dominus dominantium, nos supplices tuos ad te clamantes & exorantes clementer exaudire dignare, qui omnia ex nihilo creasti, & jussu tuo per opera apum hunc liquorem ad perfectionem cerei venire fecisti, & qui hodierna die petitionem justi Symeonis implesti, te humiliter deprecamur, ut has candelas ad usum hominum & ad sanitatem corporum & animarum, sive in terra, sive in aquis accensæ fuerint per invocationem tui sanctissimi nominis, & per intercessionem sanctæ Mariæ genitricis Filii tui, cujus hodie festa devote celebrantur, ac per preces omnium Sanctorum tuorum bene†dicere & sancti†ficare digneris, ut hujus plebis tuæ, quæ illas honorifice in manibus portat, teque cantando laudat, exaudias voces de cœlo sancto tuo & de sede majestatis tuæ, propitiusque sis omnibus clamantibus ad te, quos redemisti pretioso sanguine filii tui, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate spiritus sancti per omnia secula seculorum, Amen. Oremus præceptis salutaribus moniti & divina institutione formati audemus dicere: Pater noster, qui es in cœlis. *Usque*: & ne nos inducas in tentationem. Sed libera.

Hic mutat vocem quasi legens: Oremus. Benedic Domine Jesu Christe hanc creaturam cerei supplicationibus nostris, & infunde ei per virtutem sanctæ Crucis bene†dictionem cœlestem, ut qui eam ad repellendas tenebras humano generi tribuisti, talem signaculo crucis tuæ fortitudinem & bene†dictionem accipiat, ut in quibuscumque locis accensa sive posita fuerit, discedat diabolus & contremiscat, & fugiat pallidus cum omnibus ministris suis de habitationibus illis, nec præsumat amplius inquietare vel illudere servientibus Deo. Proinde supplices quæsumus te Domine, ut emittas sanctum Angelum tuum Raphaelem, qui evulsit & repulit a Sara & Tobia dæmonium mortiferum eos infestantem, & conterat illum & perdat de cunctis habitationibus colentium Deum, de basilicis, de domibus, de angulis, de lectibus, de refectoriis, de universis locis, in quibuscumque Deo famulantes habitant & requiescunt, dormiunt, vigilant, ambulant & consistunt, nec valeat ille malignus amplius inquietare vel pavores mittere super illos, quos sancti chrismatis tui unctione fecisti esse munitos, bene†dico te cera in nomine Dei Patris omnipotentis & Filii ejus unigeniti, & Spiritus sancti paracliti, ut sis ubique diaboli effugatio, atque omnium contubernalium suorum exterminatio, adjuvante eadem sancta & individua Trinitate, quæ in unitatis essen-

sentia vivit & conregnat in secula seculorum, Amen.

Finita benedictione sacerdos accipiat aquam benedictam, & aspergat super candelas, & sumat de cereis & accendat. Cum ceperint accendi, cantor inchoet hanc antiphonam: Lumen ad revelationem gentium. Psalmus: Nunc. Repetita antiphona per omnes versus ejusdem psalmi. Gloria Patri. Sicut; usquedum accendantur omnes candelæ. Accensis vero dicant hanc orationem.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die unigenitum tuum ulnis sancti Simeonis in templo sancto tuo suscipiendum præsentasti, te supplices deprecamur, ut hos cereos tuos, quos nos fideles tui omni magnificentia suscipientes gestare cupimus luce accensos, bene✝dicere, & sancti✝ficare, atque lumine supernæ benedictionis accendere digneris, quatenus eos tibi Domino Deo nostro offerentes digni & sancto igne tuæ dulcissimæ caritatis succensi in templo sancto gloriæ tuæ repræsentari mereamur. Per eumdem.

Finita oratione pergant ad sanctam Mariam canendo antiphonam: Ave Maria gratia plena Dei genitrix virgo. Adorna thalamum tuum Sion & suscipe.

Perfice in nobis Domine quæsumus gratiam tuam, qui justi Simeonis expectationem implesti, ut sicut ille mortem non vidit, priusquam Christum Dominum videre mereretur, ita & nos vitam obtineamus æternam. Per eumdem.

Sancti Blasii.

Deus, qui præsentem diem honorabilem nobis in beati Blasii martyris tui sollemnitate fecisti, da populis tuis spiritualium munus gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. Per. *Secreta.*

Hostias Domine, quas nomini tuo consecrandas offerimus, sancti Blasii martyris tui prosequatur oratio, per quam nos expiari tribuas quæsumus & defendi. Per. *Communio.*

Beati Blasii martyris tui quæsumus Domine intercessione nos adjuva, pro cujus sollemnitate percepimus tua sancta lætantes commercia. Per.

Sancti Benedicti.

Deus, qui beatum Benedictum confessorum tuum in terris vita laudabili decorasti, & in cœlis æterna gloria sublimasti, ejus quæsumus suffragantibus meritis vita nostra apud te commendetur. Per. *Secreta.*

Benedictio tua Domine beati Benedicti confessoris intercessione super has hostias descendat, quæ & benedictionem nobis clementer operetur, & beatæ immortalitatis dona conciliet. Per.

Communio.

Beati Benedicti confessoris tui Domine precibus confidentes, quæsumus clementiam tuam, ut per ea, quæ sumpsimus, æterna remedia capiamus. Per.

Annuntiatio sanctæ Mariæ.

Deus, qui hodierna die verbum tuum beatæ virginis alvo coadunari voluisti, fac nos ita peragere, ut tibi placere valeamus. Per eumdem.

Secreta, ut in editis. *Communio.*

Adesto Domine populo tuo, ut quæ sumpsit fideliter, & mente sibi & corpore beatæ Mariæ semper virginis intercessione custodiat. Per.

Sanctæ Eufemiæ.

Concede nobis omnipotens Deus sanctæ martyris tuæ Eufemiæ & exultare meritis, & beneficia referre suffragiis. Per. *Secreta.*

Muneribus nostris quæsumus Domine te magnificantes, quæsumus, ut in sanctæ nobis sollemnitatibus Eufemiæ gaudia superna concilies, & patrocinia sempiterna largiaris. Per.

Communio.

Sanctæ martyris tuæ Eufemiæ nos Domine grata comitetur oratio, & tuam nobis indulgentiam poscere non desistat. Per.

Laurentini et Pergentini.

Tuorum nos Domine precibus tuere Sanctorum, ut festa martyrum tuorum Laurentini & Pergentini sine cessatione venerantes, & fidei muniamur auxilio & magnifico proficiamus exemplo. Per.

Secreta.

Martyrum tuorum Laurentini & Pergentini Domine festa venerantes munera nomini tuo dicata offerimus, præsta quæsumus, ut illis reverentiam deferentes nobis veniam impetremus. Per.

Ad communionem.

Protege Domine plebem tuam, ut festivitatem martyrum tuorum Laurentini & Pergentini, quam nobis tradidisti, assidue debitam tibi solvi precibus concede Sanctorum. Per.

Sancti Bonifatii cum sociis suis.

Deus, qui beatum Bonifatium pontificem constantiæ in passione roborasti, quique illi ad prædicandum Gentibus glo-

gloriam tuam Heobanem & Adhelarium sociare dignatus es &c.

SANCTORUM ALBINI, PAULINI ET NICETÆ CUM NONGENTIS OCTOGINTA NOVEM.

PROPITIARE Domine supplicationibus nostris & sanctorum martyrum tuorum Albini, Paulini & Niceti episcopi cum nongentis octoginta novem, qui passi sunt propter nomen tuum, eorum suffragantibus meritis, preces nostras dignanter exaudi, ut dimittantur nobis peccata nostra, & tecum vivere in æternum mereamur. Per.

Secreta.

Suscipe Domine propitius orationes nostras cum oblationibus hostiarum, & martyrum tuorum, quorum natalitia gloriosa celebramus, deprecationem pietatis tuæ perfice benigno affectu, & illam, quæ in eis flagravit fortis dilectio, in nobis respirare benignus concede. Per.

Communio.

Sanctorum tuorum Domine, quorum festa celebramus, intercessione opem misericordiæ nobis tribue, ut qui coronam martyrii tui non meremur, saltem a venia non repellamur. Per.

VIGILIA SANCTI JOHANNIS BAPTISTÆ.

Oratio, ut in editis.

Secreta.

MUNERA populi tui, quæsumus Domine, propitiatus intende, & beati Johannis Baptistæ, cujus nos tribuis præire sollemnia, fac gaudere suffragiis. Per.

Postcommunio, ut in editis.

Missa mane primo.

Concede quæsumus omnipotens Deus, ut qui beati Johannis Baptistæ sollemnia colimus, ejus apud te intercessionibus muniamur. Per. *Secreta.*

Munera quæsumus Domine &c. *ut in editis.*

Communio.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut qui cœlestia alimenta percepimus, intercedente beato Johanne Baptista, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per.

Alia ad Vesperum.

Deus, qui nos annua beati Johannis Baptistæ sollemnia frequentare concedis, præsta quæsumus, ut & devotis eadem mentibus celebremus, & ejus patrocinio promerente plene capiamus securitatis augmentum. Per.

VIGILIA APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

DEUS, qui nobis beatorum apostolorum Petri & Pauli natalitia gloriosa præire concedis, tribue quæsumus eorum nos semper & beneficiis præveniri & orationibus adjuvari. Per.

Secreta, ut in editis. *Communio.*

Beatorum apostolorum tuorum Petri & Pauli natalitia gloriosa præire concedis, tribue quæsumus eorum nos semper & beneficiis præveniri, & orationibus adjuvari. Per.

Deus, qui ecclesiam tuam apostoli tui Petri fide & nomine consecrasti, quique beatum illi Paulum ad prædicandum Gentibus gloriam tuam sociare dignatus es, concede, ut omnes, qui ad apostolorum tuorum sollemnia convenerunt, spirituali remuneratione ditentur. Per.

APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui ecclesiam tuam in apostolica soliditate fundatam, ab infernarum eruis terrore portarum, præsta ut in tua veritate persistens, nulla recipiat consortia perfidorum. Per. *Alia.*

Familiam tuam Domine propitius intuere & apostolicis defende præsidiis, ut eorum precibus gubernetur, quibus nititur te constituente principibus. Per.

Alia.

Exaudi nos Deus salutaris noster, & apostolorum tuorum nos tuere præsidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis. Per.

Ad Vesperum.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut qui jugiter apostolica defensione munimur, nec succumbamus vitiis, nec opprimamur adversis. Per.

OCTAVA SANCTI JOHANNIS BAPTISTÆ.

Oratio.

PRÆSTA quæsumus omnipotens Deus, ut ecclesia tua, quæ iterato nativitatem præcursoris filii tui Domini nostri Jesu Christi Johannis Baptistæ in octavo veneratur, eo ipso pro ea apud misericordiam tuam præveniente, a peccatis omnibus te miserante liberari mereamur. Per eumdem. *Secreta.*

Sancti Johannis Baptistæ honorabilem nativitatem muneribus, o piissime Domine, geminatis in octavo ecclesia tua die devotissime consequitur præsta solita clementia tua, ut ipso pro ea intervenientte id munus salutare sibi penes te fieri mereatur. Per. *Communio.*

Mune-

Munera tua, quæ in honorem nominis tui in sollemnitate iterata præcursoris ac Baptistæ Filii tui Domini nostri Jesu Christi Johannis sumpta sunt, quæsumus omnipotens Deus, præstent auxilium ecclesiæ tuæ, ut expiata ab omni immissione insidiatoris te benedicat, tibi serviat, & te protegente ab omnibus malis semper sit libera. Per.

SANCTÆ MUSTIOLÆ.

CRESCAT in nobis Domine semper sanctæ jucunditatis effectus, ut beatæ Mustiolæ martyris tuæ veneranda festivitas augeatur. Per. *Secreta.*

Sanctæ Mustiolæ martyris tuæ Domine festa celebrantes preces offerimus, hostiam immolamus, præsta quæsumus, ut cum præsidio temporali, & vitam nobis præbeant & incrementa perpetua. Per.

Communio.

Deus virtutum cœlestium quæsumus, ut sacrificia pro sanctæ Mustiolæ martyris tuæ passione delata, desideriorum nos temporalium doceant habere contemptum, & amare dona cœlestium gaudiorum. Per.

OCTAVA APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Oratio & *Secreta* ut in editis.

Communio.

BEATORUM apostolorum tuorum Domine Petri & Pauli desiderata sollemnia recensentes, præsta quæsumus, ut eorum supplicationibus mundemur, quorum regimur principatu. Per.

SANCTORUM SEPTEM FRATRUM.

PRÆSTA quæsumus omnipotens Deus, ut qui gloriosos martyres Januarium, Felicem, Philippum, Silvanum, Alexandrum, Vitalem atque Martialem fortes in sua confessione cognovimus *&c. ut in editis, etiam quoad* Secretam *&* Postcommunionem.

SANCTI PATERNIANI.

DEUS, qui per angelum tuum Raphaelem iter ostendisti beato Paterniano, & obitum demonstrasti, exaudi preces, quas in ejus tibi sollemnitate deferimus &c. *ut in editis secunda Missa Confessoris Pontificis.*

SANCTÆ MARGARITÆ.

DEUS, qui beatam Margaritam virginem hodierna die ad cœlos per martyrii palmam venire fecisti, concede propitius, ut ejus exempla sequentes ad te pervenire mereamur. Per.

Secreta.

Hæc victima Domine quæsumus pro beatæ virginis Margaritæ martyrio oblata, & mentium nobis puritatem & corporum obtineat sanctitatem. Per.

Communio.

Hujus Domine sacramenti perceptione, & beatæ Margaritæ virginis intercessione & tu in nobis manere dignare, & nos in te vicissim manere concede. Per.

SANCTORUM QUIRICI ET JULITTÆ.

DEUS, qui sanctorum tuorum Quirici & Julittæ cordibus flammam tuæ dilectionis accendis, da cordibus nostris eamdem fidei caritatisque virtutem, ut quorum gaudemus triumphis, provocemur exemplis. Per. *Secreta.*

Illa nos veritas Domine semper illuminet, quæ Sanctorum tuorum cordibus flammam tuæ dilectionis accendit. Per.

Communio.

Deus, qui sanctis tuis martyribus Quirico & Julittæ vincendi solatium, & immensam vincentibus gloriam æternam concedis, & laceratas carnes eorum tamquam odorem bonum suavitatis assumis, tribue quæsumus, ut sicut eis coronam martyrii præstitisti, ita nobis peccatorum nostrorum veniam largiaris. Per.

SANCTORUM ERMAGORÆ ET FORTUNATI.

INTERVENIENTIBUS Domine sanctis martyribus tuis Ermagora & Fortunato ecclesiæ tuæ voces placatus admitte, ut destructis adversitatibus universis secura tibi serviat libertate. Per.

Secreta.

Munera humilitatis nostræ Domine pro sanctorum martyrum tuorum Ermagoræ & Fortunati gloriosa passione & sollemnitate offerentes, quæsumus propitius respicere dignare, & ipsorum intercessione tam ad profectum vitæ, quam animæ salutaria nobis consueta miseratione provenire concede. Per.

Communio.

Sumentes Domine cœlestis dona mysterii, quæsumus, ut sanctorum martyrum tuorum Ermagoræ & Fortunati adjuvemur meritis, quorum sollemnitatem debita veneratione celebramus. Per.

SANCTÆ PRAXEDIS VIRGINIS ET MARTYRIS.

DEUS, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam castitatis & martyrii contulisti, da quæsumus, ut beatæ & sanctæ martyris tuæ Praxedis adjuvemur meritis, cujus beatitudi-

titudinis irradiamur exemplis. Per.

Secreta.

Accipe Domine munera, quæ in beatæ martyris tuæ Praxedis sollemnitate deferimus, quia ad tua præconia recurrit & laudem, quod talis est orta mortalis assumpta. Per. *Communio.*

Hæc in nobis Domine gratia tua quæsumus semper exerceat, ut & divinis instauret nostra corda mysteriis, & sanctæ martyris tuæ Praxedis commemoratione lætificet. Per.

SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ.

Oratio & Secreta, *ut in editis.*

Communio.

VIVIFICA Domine animam & spiritum nostrum peccati vulnere sauciatum, intercedente beata Maria Magdalena, qui ejus precibus tua invicta virtute quatriduanum Lazarum resuscitasti de monumento. Qui vivis.

SANCTI APOLLINARIS.

Oratio, *ut in editis.* *Secreta.*

RESPICE Domine super has hostias nostras, quas nomini tuo sacrandas offerimus, & beati Apollinaris martyris tui atque pontificis prosequatur oratio, per quam nos expiari facias & defendi. Per.

Communio.

Præsta nobis quæsumus Domine, ut tua Sancta, quæ sumpsimus, præsidia mentis & corporis, & intervenientibus beati Apollinaris meritis ab omnibus absolve peccatis. Per.

SANCTÆ CHRISTINÆ.

CRESCAT in nobis Domine semper sanctæ jucunditatis effectus, ut beatæ Christinæ martyris tuæ veneranda festivitas augeatur. Per. *Secreta.*

Sanctæ Christinæ martyris tuæ Domine preces offerimus, hostiam immolamus, præsta quæsumus, ut cum præsidio temporali, & vitam nobis præbeant, & incrementa perpetua. Per.

Communio.

Deus virtutum cœlestium quæsumus, ut sacrificia pro sanctæ Christinæ martyris tuæ passione delata, desideriorum nos temporalium doceant habere contemptum, & dona habere faciant cœlestium gaudiorum. Per.

VIGILIA SANCTI JACOBI APOSTOLI.

CONCEDE nobis omnipotens Deus venturam beati apostoli tui Jacobi sollemnitatem congruo prævenire honore, & venientem digna celebrare devotione. Per.

Secreta.

Accepta tibi sit Domine nostræ devotionis oblatio, & ad sancti Jacobi apostoli tui venturam puriores faciat nos venire festivitatem. Per. *Communio.*

Præsta nobis æterne Salvator beati Jacobi apostoli tui nos ubique pia protegi oratione, cujus natalitia per hæc Sancta, quæ sumpsimus, votivo prævenimus obsequio. Per.

SANCTI CHRISTOPHORI.

Oratio, *ut in editis.* *Secreta.*

HUJUS tibi precibus, Domine quæsumus, grata hæc reddatur oblatio, pro cujus est festivitate immolanda. Per.

Communio.

Repleti sumus Domine munere sollemnitatis optatæ, qua beati Christophori martyris tui, & celebritate vivamus & precibus.

NAZARII ET CELSI.

Oratio, *ut in editis.*

Secreta.

SANCTORUM martyrum tuorum Domine Nazarii & Celsi intercessione placatus, præsta quæsumus; ut quæ temporali celebramus actione, perpetua salvatione capiamus. Per.

Communio.

Exaudi Domine preces nostras, & populus tuus, qui sub tantis sanctorum martyrum tuorum Nazarii & Celsi patrociniis est constitutus, & a suis offensionibus liberetur, & ab omnibus tueatur adversis. Per.

NATALIS SANCTARUM VIRGINUM FLORÆ ET LUCILLÆ.

DA nobis Domine Deus noster in sanctarum martyrum tuarum Floræ & Lucillæ incessabili veneratione lætari, ut quod digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per. *Secreta.*

Offerimus Domine preces & munera in honorem sanctarum virginum tuarum Floræ & Lucillæ gaudentes, præsta quæsumus, ut & convenienter hæc agere mereamur, & remedium sempiternum valeamus acquirere. Per.

Communio.

Sacramentis Domine muniamur acceptis, & sanctarum tuarum virginum Floræ & Lucillæ intercessione contra omnes nequitias irruentes armis cœlestibus protegamur. Per.

INVENTIO SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS.

DEUS, qui es Sanctorum tuorum splendor

dor mirabilis, qui hodierna die corpora ſanctorum tuorum Stephani, Nicodemi, Gamalielis atque Abibon inventione glorioſa revelaſti, da nobis in æterna lætitia de eorum ſocietate gaudere. Per.

Secreta, ut in editis plurimorum martyrum tempore Paſchali.

Communio.

Sumpſimus Domine ſanctorum tuorum Stephani, Nicodemi, Gamalielis atque Abibon ſollemnia celebrantes ſacramenta cœleſtia, præſta quæſumus, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis conſequamur. Per.

BENEDICTIO UVÆ.

BENEDIC Domine & hos fructus novos uvæ, quos tu Domine rore cœli & inundantia pluviarum & temporum ſerenitate atque tranquillitate ad maturitatem perducere dignatus es, & dediſti eam ad uſus noſtros, cum gratiarum actione percipere in nomine Domini Jeſu Chriſti, per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas.

SANCTI DONATI EPISCOPI ET MARTYRIS.

DEUS, qui in beati Donati martyris tui atque pontificis manibus poculi fragmenta reſtaurare dignatus es, ſupplicantium preces benignus exaudi, ut quod fiducia non habet meritorum, ejus nobis interceſſione donetur. Per.

Secreta.

Deus, qui in beati Donati epiſcopi & martyris tui manibus poculi fragmenta reſtaurare dignatus es, munera plebis tuæ propitiatus intende, ut ejus nobis fiat ſupplicatio ſalutaris, pro cujus ſollemnitate hodiernam diem celebramus. Per.

Communio.

Omnipotens & miſericors Deus *&c. ut in editis.*

VIGILIA SANCTÆ MARIÆ.

Oratio, ut in editis. *Secreta.*

MAGNA, quæſumus Domine, apud clementiam tuam pro nobis interveniat Dei genitricis oratio, quam idcirco de præſenti ſeculo tranſtuliſti, ut pro peccatis noſtris fiducialiter intercedat. Per eumdem. *Communio.*

Concede quæſumus omnipotens Deus ad beatæ Mariæ ſemper virginis gaudia æterna pertingere, de cujus nos veneranda aſſumptione tribuis annua ſollemnitate gaudere. Per eumdem.

ASSUMPTIO SANCTÆ MARIÆ.

VENERANDA nobis Domine hujus diei feſtivitas opem conferat ſalutarem, in qua ſancta Dei genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum noſtrum de ſe genuit incarnatum, qui tecum. *Secreta.*

Subveniat Domine quæſumus *&c. ut in editis etiam quoad Poſtcommunionem.*

OCTAVA SANCTI LAURENTII.

BEATI Laurentii nos faciat Domine paſſio veneranda lætantes, & ut eum ſufficienter recolamus, dignos efficiat. Per.

Secreta.

Beati Laurentii martyris nos Domine precibus protege, cujus honorabilem paſſionem muneribus geminatis exequimur, quæ licet propriis ſit memoranda principiis, indeſinenter tamen permanet glorioſa. Per.

Communio.

Sollemne nobis interceſſio beati Laurentii martyris quæſumus Domine præſtet auxilium, ut cœleſtis menſæ participatio, quam ſumpſimus, tribuat eccleſiæ tuæ recenſitam lætitiam. Per.

SANCTI MAGNI.

ADESTO Domine ſupplicationibus noſtris & intercedente beato martyre tuo Magno, ab hoſtium nos defende propitiatus incurſu. Per.

Secreta.

Præſta nobis quæſumus omnipotens Deus, ut noſtræ humilitatis oblatio, & pro tuorum tibi grata ſit honore Sanctorum, & nos corpore pariter & mente purificet. Per.

Communio.

Tua ſancta ſumentes quæſumus Domine, ut beati Magni nos faveant beata præſidia. Per.

DEDICATIO BASILICÆ SANCTI FLORIDI.

Oratio *&* Secreta, *ut in editis in Dedicatione eccleſiæ.*

Communio.

DEUS, qui eccleſiam tuam ſponſam vocare dignatus es, ut quæ haberet gratiam, per Dei devotionem haberet etiam ex nomine pietatem; da, ut omnis hæc plebs nomini tuo ſerviens, hujus vocabuli conſortio digna eſſe mereatur, & eccleſia tua in templo, cujus anniverſarius dies celebratur, tibi collecta te timeat, te diligat, te ſequatur, ut dum jugiter per veſtigia tua graditur, ad cœleſtia promiſſa te ducente pervenire mereatur. Per.

SAN-

Sancti Simphoriani.

Beati martyris tui Simphoriani Domine nos tuere præsidiis, ut cujus sollemnitatem annua devotione recolimus, ejus intercessionibus ab omnibus adversitatibus eruamur. Per. *Secreta*.

Suscipe Domine quæsumus propitius orationem nostram cum oblationibus hostiarum superimpositis, & martyris tui Simphoriani deprecatione pietati tuæ perfice benignus acceptus, & illum, qui in eum flagravit, fervorem, in nobis aspira benignus, ut in tua dilectione permanentes, & in tua fide inveniamur stabiles, & in moribus concordes & in opere efficaces. Per.

Communio.

Sacro munere satiati quæsumus omnipotens Deus, ut interveniente beato Simphoriano martyre tuo omnes nos Sanctorum tuorum jubeas nos adscisci collegio. Per.

Sancti Bartholomæi apostoli.

Oratio & *Secreta*, ut in editis.

Communio.

Protege Domine populum tuum, & apostoli tui Bartholomæi patrocinio confidentem perpetua defensione conserva. Per.

Sancti Rufi martyris.

Adesto Domine supplicationibus nostris, ut beati Rufi intercessionibus confidentes, nec minis terreamur adversantium, nec ullo conturbemur incursu. Per. *Secreta*.

Oblatis quæsumus Domine placare muneribus, & intercedente beato Rufo martyre tuo, a cunctis nos defende periculis. Per. *Communio*.

Cœlestibus refecti sacramentis & gaudiis supplices te rogamus Domine, ut quorum gloriamur triumphis, protegamur auxiliis. Per.

Sancti Johannis Baptistæ.

Oratio, ut in editis. *Secreta*.

Munera tibi Domine pro sancti martyris tui Johannis Baptistæ passione deferimus, quia dum finitur in terris, factus est cœlesti sede perpetuus, & quæsumus, ut ejus obtentu nobis proficiat ad salutem. Per. *Communio*.

Conferat nobis Domine sancti Johannis Baptistæ utraque sollemnitas, ut & magnifica sacramenta, quæ sumpsimus, sanctificata veneremur, & in nobis potius edita gaudeamus. Per.

Sanctæ Felicitatis.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut beatæ Felicitatis martyris tuæ sollemnia recensentes meritis ipsius protegamur & precibus. Per. *Secreta*.

Vota populi tui Domine propitiatus intende, & quorum nos tribuis sollemnia celebrare, fac gaudere suffragiis. Per.

Ad Communionem.

Supplices te rogamus omnipotens Deus, ut intervenientibus Sanctis tuis, & tua in nobis dona multiplices, & tempora nostra disponas. Per.

In Natali sancti Bartholomæi.

Exaudi Domine populum tuum cum sancti Bartholomæi apostoli tui patrocinio supplicantem, ut tuo semper auxilio secura tibi possit devotione servire. Per.

Secreta.

Sacrificium nostrum tibi Domine quæsumus beati apostoli tui Bartholomæi precatio sancta conciliet, ut cujus honore sollemniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum. Per. *Communio*.

Sumpsimus Domine divina mysteria beati Bartholomæi apostoli commemoratione lætantes, quæ sicut tuis Sanctis ad gloriam, ita nobis quæsumus ad veniam prodesse perficias. Per.

In sanctorum confessorum Floridi et Amantii.

Propitiare quæsumus Domine nobis famulis tuis per horum sanctorum confessorum tuorum Floridi & Amantii, qui in præsenti venerantur ecclesia, merita gloriosa, ut per eorum piam intercessionem ab omnibus semper protegamur adversis. Per. *Secreta*.

Suscipiat clementia tua Domine quæsumus de manibus nostris munus oblatum, & per horum sanctorum confessorum tuorum Floridi & Amantii orationes ab omnibus nos emundet peccatis. Per. *Communio*.

Divina libantes mysteria, quæ pro horum sanctorum confessorum tuorum Floridi & Amantii veneratione tuæ obtulimus majestati, præsta quæsumus Domine, ut per ea veniam mereamur peccatorum, & cœlestis gratiæ donis reficiamur. Per.

In honorem omnium Sanctorum.

Concede quæsumus omnipotens Deus, ut intercessio nos sanctæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, & omnium cœlestium virtutum, sanctorumque omnium Apostolorum, Martyrum, Confessorum

atque Virginum, & omnium electorum tuorum ubique lætificet, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per. *Secreta*.

Oblatis Domine placare muneribus, & intercedente beata Maria cum omnibus Sanctis tuis a cunctis nos defende periculis. Per. *Communio*.

Sumpsimus Domine beatæ Mariæ semper virginis, & omnium Sanctorum tuorum commemorationem recolentes sacramenta cœlestia, præsta quæsumus, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per.

IN HONOREM OMNIUM SANCTORUM, QUORUM RELIQUIÆ IN ECCLESIA SUNT.

CONCEDE quæsumus omnipotens Deus, ut sancta Dei genitrix Maria, sanctique tui Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, atque omnes Sancti, quorum in ista continentur ecclesia patrocinia, nos ubique adjuvent, quatenus hic in illorum præsenti suffragio, tranquilla pace in tua laude lætemur. Per.

Secreta.

Munera tuæ misericors Deus majestati oblata benigno quæsumus suscipe intuitu, ut eorum nobis precibus fiant salutaria, quorum sacratissimæ in hac basilica reliquiæ reconduntur. Per.

Communio.

Divina libantes mysteria quæsumus Domine, ut beatæ Mariæ semper virginis, & eorum nos ubique intercessio protegat, quorum hic sacra gaudemus præsentia. Per.

IN SANCTORUM OMNIUM.

DEUS, qui nos beatæ Mariæ semper virginis & beatorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum continua lætificas commemoratione, præsta quæsumus, ut quos quotidiano veneramur officio, etiam pia conversatione sequamur exemplo. Per.

Secreta, ut in editis.

Communio.

Præsta nobis Domine quæsumus intercedentibus beatæ Mariæ semper virginis & omnium Sanctorum tuorum meritis, ut quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per.

PRO SALUTE VIVORUM ET MORTUORUM.

PIETATE tua quæsumus Domine omnium nostrorum solve vincula delictorum, & intercedente beata Maria semper virgine cum omnibus Sanctis pontificem nostrum & omnem congregationem illi commissam, & nos famulos tuos ac famulas, atque locum istum omni sanctitate custodi, omnesque affinitate & familiaritate nobis junctos, & omnes christianos a vitiis purga, virtutibus illustra, pacem & salutem nobis tribue, hostes visibiles & invisibiles remove, inimicis nostris caritatem largire, & omnibus fidelibus vivis & defunctis in terra viventium vitam & requiem æternam concede. Per.

Secreta.

Deus, qui per singularis corporis tui hostiam totius mundi solvisti delicta, hac oblatione placatus, maculas peccatorum nostrorum absterge, & omnium Christianorum fidelium vivorum atque mortuorum peccata dimitte, eisque præmia æterna concede. Per. *Communio*.

Sumpta quæsumus Domine sacramenta omnia vitia famuli tui pontificis nostri & nostra detergant, omnemque pravitatem & infirmitatem seu etiam hostium rabiem atque subitam mortem meritis beatæ Mariæ virginis & omnium Sanctorum tuorum a nobis procul repellant, & omnibus fidelibus vivis & defunctis prosint ad veniam, pro quorum tibi sunt oblata salute. Per.

MISSA AD POSTULANDAM GRATIAM SPIRITUS SANCTI.

DEUS, cui omne cor patet *&c. ut in editis quoad tres orationes*.

Lectio libri Sapientiæ.

Spiritus disciplinæ effugiet fictum *&c. usque* habet vocis.

MISSA PRO EPISCOPO VIVO.

Oratio eadem, quæ in editis pro Papa. *Secreta*.

IN famulo tuo pontifice nostro quæsumus Domine bonos mores placatus institue; tu in eo, quod tibi placitum sit, dignanter infunde, ut & dignus sit, & tua valeat beneficia promereri. Per.

Communio.

Hæc quæsumus Domine, &c. *ut in editis*.

ALIA MISSA PRO SEMETIPSO SACERDOTE.

SUPPLICITER te piissime Deus Pater omnipotens, qui es creator omnium rerum, deprecor, ut dum me famulum tuum coram omnipotentiam majestatis tuæ graviter deliquisse confiteor, per intercessionem beatæ Mariæ semper virginis, & omnium Sanctorum tuorum manum misericordiæ tuæ mihi porrigas, quatenus dum hanc oblationem tuæ pietatis offero,

quod

quod nequiter admisi, clementissime digneris me absolvere. Per.

Secreta.

Deus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, indulge quæso & miserere mei servo tuo, & sacrificium, quod pietatis tuæ gratiæ humiliter offero, benigne digneris suscipere, & peccata, quæ labentibus vitiis contraxi, beatæ Mariæ semper virginis, & omnium Sanctorum tuorum pius ac propitius & misericors indulgeas, & locum pœnitentiæ ac lacrymarum flumina concede, ut veniam merear accipere delictorum. Per.

Communio.

Deus, qui vivorum es Salvator omnium, qui non vis mortem peccatorum, nec lætaris in perditione morientium, te suppliciter deprecor, ut concedas mihi veniam peccatorum meorum, ut admissa defleam, & postmodum flenda non admittam, ut cum mihi extrema dies finisque vitæ advenerit, emundatum delictis omnibus me angelus sanctitatis suscipiat. Per.

Missa pro Amico vivente.

Deus, qui justificas impium, & non vis mortem peccatorum, majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut famulum tuum N. de tua misericordia confidentem cœlesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famuletur, & nullis tentationibus a te separetur. Per. *Secreta.*

Hujus Domine quæsumus virtute mysterii & a propriis nos munda delictis, & famulum tuum N. ab omnibus absolve peccatis. Per. *Communio.*

Purificent nos Domine quæsumus sacramenta, quæ sumpsimus, & famulum tuum N. ab omni culpa liberum esse concede, & qui conscientiæ reatu constringitur, cœlestis remedii plenitudine glorietur. Per.

Pro Amicis viventibus.

Omnipotens sempiterne Deus miserere famulis tuis, & dirige eos secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant. Per.

Secreta.

Proficiat quæsumus Domine hæc oblatio, quam tuæ supplices offerimus majestati, ad salutem famulorum tuorum, ut providentia tua eorum vita inter adversa & prospera ubique dirigatur. Per.

Communio.

Sumentes Domine perpetuæ sacramenta salutis tuam deprecamur clementiam, ut per ea famulum tuum N. ab omni adversitate protegas. Per.

Alia pro Amicis.

Deus, qui caritatis dona per gratiam sancti Spiritus tuorum cordibus infudisti, da famulis tuis N. pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis & corporis, ut te tota virtute diligant, & quæ tibi placita sunt, tota devotione perficiant. Per.

Secreta.

Miserere quæsumus Domine famulis tuis, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ offerimus majestati, ut per hæc sacramenta supernæ benedictionis gratiam obtineant, & gloriam æternæ beatitudinis acquirant. Per.

Communio.

Divina libantes mysteria quæsumus Domine, ut hæc salutaria sacramenta illis proficiant ad prosperitatem & pacem, pro quorum dilectione, hæc tuæ obtulimus majestati. Per. *Alia.*

Deus, qui supplicum tuorum vota per caritatis officia suscipere dignaris, da famulis tuis in tua proficere dilectione, ut & tibi secura mente deserviant, & in tua pace semper assistere mereantur. Per.

Missa pro Peccatis.

Exultatio divina, pietas paterna, majestas immensa te supplex tremensque deprecor pro famula tua N. ut des ei mentem puram, caritatemque perfectam, in actibus sinceritatem, in corde puritatem, in opere virtutem, in moribus disciplinam, ut quod nos licet indigni ante conspectum majestatis tuæ fideliter devoteque pro ipsa clementiæ tuæ offerimus, pietatis tnæ gratia obtinendo cognoscat. Per. *Secreta.*

Indulge Domine supplicanti mihi famulo tuo, da indulgentiam poscendi, ut secure tibi Domino Deo nostro victimam pro famula tua N. offerre valeam, ut pro delictis suis veniam obtineat, & per te pariter sancta munera consecuta ad salutem æternæ gratiæ cum tuo adjutorio possit pervenire. Per. *Communio.*

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, & custodi gratiam, quam nobis conferre dignatus es, tuorum intercessione Sanctorum, & donum tuæ misericordiæ famulæ tuæ conferre dignare. Per.

Missa pro Peccatis.

Deus misericordiæ, Deus indulgentiæ, indulge quæso & miserere famulo tuo N. ut delictorum, quæ tibi ex ore aperuit, nul-

nulla in eo macula reservetur interius, sed per pœnitentiæ luctum ad tua mereatur pervenire promissa. Per.

Lectio Ezechielis prophetæ.

Convertimini ad me &c. *usque* dicit Dominus.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore: Discumbente Jesu &c. *usque* peccatores in pœnitentiam.

Secreta.

Respice quæsumus Domine ad preces famuli tui N. qui tibi mente & corde se peccasse graviter confitetur; & præsta, ut per oblationem tui corporis & sanguinis, quam tibi pro ipso offerimus, veniam impetrare valeamus. Per.

Communio.

Refecti quæsumus Domine datis tuis, te supplices exoramus, ut converso fratre nostro ad viam justitiæ, fontem lacrymarum in eum concutias, & ne ultra lugenda committat, cum paterna pietate custodi. Per.

PRO CONFITENTIBUS PECCATA SUA.

EXAUDI quæsumus Domine supplicum preces &c. *ut in litaniis editis.*

Secreta.

Hostias tibi Domine placationis offerimus, ut delicta nostra miseratus absolvas, & pacem nobis concedas. Per.

Communio.

Præsta nobis æterne Salvator, ut percipientes hoc munere veniam peccatorum de tuis semper beneficiis gloriemur. Per.

MISSA PRO PECCATIS.

DEUS, qui peccantium non vis animas perire, sed culpas, contine pœnam, quam meremur, & quam precamur, super nos effunde clementiam tuam, ut de mœrore gaudium tuæ misericordiæ consequi mereamur. Per.

Secreta.

Subveniat nobis Domine quæsumus sacrificii præsentis oblatio, quæ nos & ab universis erroribus potenter absolvat, & a totius eripiat perditionis incursu. Per.

Communio.

Exaudi Domine gemitum populi tui, ne plus apud te valeat offensio delinquentium, quam misericordia tua indulta fletibus supplicantium. Per.

PRO REMISSIONE PECCATORUM.

Oratio & Secreta, *ut in editis.*

Communio.

QUOS munere cœlesti reficis Domine, divino tuere præsidio, ut tuis mysteriis perfruentes nullis subdamur adversis, & a cunctis iniquitatibus nostris exue nos omnipotens Deus, & in tua fac pace gaudere. Per.

MISSA PRO MALIS COGITATIONIBUS.

Oratio & Secreta, *ut in editis.*

Communio.

PER hoc sacrificium quæsumus Domine, quod tuæ obtulimus majestati, ab omnibus cor famuli tui emunda tentationibus. Per.

MISSA PRO PETITIONE LACRYMARUM.

Oratio & Postcommunio *ut in editis.*

Secreta.

HÆC sacrificia quæsumus Domine, quæ tuæ pietati obtulimus, nobis proficiant ad nostrorum veniam peccatorum, & miserationis tuæ semper tribuant solatium. Per.

PRO TRIBULATIONE.

INEFFABILEM misericordiam tuam quæsumus Domine nobis clementer ostende, ut simul nos & a peccatis exuas, & a pœnis, quas pro his meremur, eripias. Per. *Secreta.*

Purificet nos Domine quæsumus muneris præsentis oblatio, & dignos sacra participatione perficiat. Per.

Communio.

Præsta Domine quæsumus, ut a terrenis affectibus expiati ad superni plenitudinem sacramenti, cujus libavimus Sancta, tendamus. Per.

ALIA MISSA.

DEUS, qui contritorum non despicis gemitum, & mœrentium non spernis affectum, adesto precibus nostris, quas pietati tuæ pro tribulatione nostra offerimus implorantes, ut nos clementer suscipias, & solo bonitatis tuæ intuitu tribuas, ut quicquid contra nos diabolicæ atque humanæ moliuntur adversitates, ad nihilum redigas, & consilio misericordiæ tuæ allidas, quatenus nullis adversitatibus læsi, sed ab omni tribulatione & angustia liberati, gratias tibi in ecclesia tua referamus læti. Per.

Secreta.

Deus, qui tribulatos corde sanas, ad hanc propitius hostiam dignanter adtende, & qua totius mundi voluisti laxari delicta, pro tribulatione nostra clementer assume, nostraque cuncta discrimina solve, tribulationem attende, miserias pelle, angustias & pressuras amove, ut exuti ab omnibus, quæ patimur, malis, in tuis semper delectemur exultare beneficiis. Per. *Communio.*

Dimitte

Dimitte quæsumus Domine peccata nostra, & tribue nobis misericordiam tuam, orisque nostri alloquio deprecatus nostram humilitatem adtende, vincula solve, delicta dele, tribulationem inspice, adversitatem repelle, effectumqne petitionis nostræ jugiter clementer exaudi. Per.

MISSA IN TEMPORE BELLI.

OMNIPOTENS & misericors Deus a bellorum nos quæsumus turbine fac quietos, quia bona nobis præstabis, si pacem dederis & mentis, & corporis. Per.

Secreta.

Sacrificium *&c. ut in editis.*

Communio.

Sacrosancti corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi refectione confortati, supplices te rogamus omnipotens Deus, ut hoc remedio singulari ab omnium peccatorum nos cogitatione purifices, & a periculorum munias incursione cunctorum. Per eumdem.

MISSA PRO PERSEQUENTIBUS.

HOSTIUM nostrorum quæsumus Domine Deus elide superbiam, & per intercessionem beatæ Mariæ virginis, & omnium Sanctorum dexteræ tuæ virtute prosterne. Per.

Secreta.

Hujus Domine quæsumus virtute mysterii per intercessionem beatæ Mariæ virginis & omnium Sanctorum a nostris mundemur occultis, & ab inimicorum liberemur insidiis. Per.

Ad Communionem.

Vivificet quæsumus Domine propitiatio tui sancta mysterii, & per merita beatæ Mariæ virginis, & Sanctorum omnium pariter nobis expiationem tribuat & munimen. Per.

MISSA IN TEMPORE MORTALITATIS.

Oratio *&* Secreta *ut in editis.*

Communio.

SACRAMENTA nos quæsumus Domine tua Sancta sumentes, & ab omni propitius iniquitate & periculo defende. Per.

MISSA PRO ITER AGENTIBUS.

Oratio *&* Secreta *ut in editis.*

Communio.

DEUS infinitæ misericordiæ & majestatis immensæ, quem nec spatia locorum, nec intervalla temporum, ab his, quos tueris, abjungunt, adesto famulis tuis in te ubique fidentibus, & per omnem, quam ituri sunt viam, dux eis & comes esse dignare, nihil eis adversitatis noceat, nihil difficultatis obsistat, cuncta eis salubria, cuncta sint prospera, ut sub ope dexteræ tuæ quicquid justo expetierint desiderio, celeri consequantur effectu. Per.

IN DIE DEPOSITIONIS DEFUNCTI, SIVE III. VEL VII. VEL XXX.

Oratio, *ut in editis die tertio.*

Secreta.

ADESTO Domine supplicationibus nostris, & hanc oblationem, quam tibi offerimus pro anima famuli tui N. in die depositionis ejus III. VII. vel XXX. placidus ac benignus assume. Per.

Communio.

Omnipotens sempiterne Deus collocare dignare animas famulorum famularumque tuarum, illorum, quorum diem celebramus depositionis ,] in sinibus Abrahæ, Isaac & Jacob, ut cum dies agnitionis tuæ advenerit, inter Sanctos tuos & electos resuscitari præcipias. Per.

PRO UNO SACERDOTE DEFUNCTO.

BEATI Floridi confessoris tui quæsumus Domine intercessione nos protege, & animam famuli tui sacerdotis Sanctorum tuorum junge consortiis.

Secreta.

Suscipe quæsumus Domine hostias placationis & laudis, quas tibi in honorem beati & nomine beati Floridi confessoris tui consecrandas deferimus, & pro requie famuli tui sacerdotis N. tibi suppliciter immolamus. Per.

Communio.

Ascendant ad te Domine preces nostræ, & animam famuli tui sacerdotis N. gaudia æterna suscipiant, & quem fecisti adoptionis participem, jubeas hæreditatis tuæ esse consortem. Per.

PRO DIACONIBUS DEFUNCTIS.

ADESTO Domine supplicationibus nostris, & animæ famulorum tuorum Diaconorum, & omnium clericorum tuæ propitiationis abundantiam & indulgentiam consequantur, & lucis perpetuæ tribuas eis mansionem. Per.

Secreta.

Exaudi nos sancte Pater, omnipotens æterne Deus, ut his sacris muneribus placatus animas omnium famulorum tuorum Diaconorum redemptio sempiterna possideat. Per.

Communio.

Omnipotens æterne Deus suscipe propitius preces nostras pro animabus famulorum tuorum Diaconorum, ut in lucis regione eas in Sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per.

MIS-

MISSA PRO SUBDIACONIBUS.

DEUS, cui proprium est misereri semper & parcere *&c. ut in editis.*

Secreta.

Offerimus tibi Domine hostias placationis & laudis, ut perpetuæ misericordiæ largitate animas famulorum tuorum subdiaconorum in lucis æternæ perficias regione gaudere. Per. *Communio.*

His sacrificiis quæsumus omnipotens Deus purgentur animæ & spiritus famulorum tuorum subdiaconorum, ut ad indulgentiam & refrigerium sempiternum pervenire mereantur. Per.

PRO UNO DEFUNCTO.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, propitiare animæ famuli tui, ut qui de hac vita in tui nominis confessione discessit, Sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per. *Secreta.*

Propitiare quæsumus Domine animæ famuli tui N. pro quo tibi hostias placationis offerimus, & quia in hac luce in fide mansit catholica, in futura vita ei retributio cœlestis gaudii condonetur. Per.

Communio.

Presta quæsumus omnipotens Deus, ut anima famuli tui N. ab Angelis lucis suscepta in præparata habitacula deduci facias Beatorum. Per.

MISSA PRO PLURIBUS DEFUNCTIS.

DEUS, cujus misericordiæ non est numerus, suscipe propitius pro animabus famulorum tuorum preces nostras, & lucis eis lætitiam atque in regione Sanctorum tuorum societatem concede. Per.

Secreta.

Pro requie Domine animarum famulorum tuorum N. suscipe hostiam, quam tu Deo Patri pro nobis obtulisti benignam, ut qui causa hominum descendisti de cœlis, te redeunte mereantur numerari in consortio Sanctorum, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivis & regnas in secula seculorum. *Communio.*

Hæc nos communio Domine purget a crimine, & animabus famulorum tuorum cœlestis gaudii tribuat consortium, ut ante thronum gloriæ tuæ segregatæ cum dextris, nihil commune habeant cum sinistris. Per.

MISSA PLURIMORUM DEFUNCTORUM.

DEUS, cui proprium est semper misereri & preces exaudire supplicantium, propitiare animabus famulorum tuorum N, ut te miserante a peccatorum vinculis absoluti, ad æternæ beatitudinis requiem pervenire mereantur. Per. *Secreta.*

Suscipe clementissime Pater pro commemoratione famulorum tuorum N. hostiam placationis & laudis, ut sacrificii præsentis oblatio ad refrigerium animarum eorum te miserante perveniat. Per.

Communio.

Absolve quæsumus Domine animas famulorum tuorum N. ab omnium vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos tuos resuscitati respirent. Per.

PRO FEMINA DEFUNCTA.

OMNIPOTENS sempiterne Deus conditor & redemptor animarum, qui animabus Sanctorum tuorum æternæ beatitudinis præmium contulisti, præsta quæsumus, ut anima famulæ tuæ N. quam de hoc seculo migrare jussisti, cujus commemorationem agimus, Sanctorum consortio perfrui mereatur. Per.

Secreta.

Pro anima famulæ tuæ N. hostiam Domine quæsumus suscipe benignus oblatam, ut per hoc singulare officium vinculis horrendæ mortis exuta vitam mereatur æternam. Per. *Communio.*

Inclina quæsumus aurem tuam supplicationibus nostris, & animæ famulæ tuæ perpetuæ lucis tribue mansionem. Per.

MISSA PRO DEFUNCTIS FEMINIS.

Oratio & Secreta *ut in editis pro una defuncta.* *Communio.*

INVENIANT quæsumus Domine animæ famularum tuarum lucis æternæ consortium, cujus perpetuæ gratiæ consecutæ sunt sacramentum, per resurgentem e mortuis Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia secula seculorum.

MISSA IN HONOREM SANCTÆ TRINITATIS.

BENEDICTA sit sancta Trinitas atque indivisa unitas, confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Psal. Benedicamus Patrem & Filium.

℟. Benedictus es Deus, qui intueris abissos, & sedes super Cherubim.

℣. Benedicite Deum cœli cœlorum, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Alleluja.

℣. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum & laudabilis in secula.

Offertorium & Communio *ut in editis.*

IN HONOREM SANCTÆ CRUCIS.

Nos autem gloriari oportet in Cruce Domi-

Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita & resurrectio nostra, per quem salvati & liberati sumus.

Psal. Deus misereatur. ℟. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

℣. Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Alleluja.

℣. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi.

Offertorium & Communio *ut in editis*.

In honorem sanctæ Mariæ.

Vultum tuum deprecabuntur &c.

Psal. Eructavit. ℟. Diffusa est gratia &c.

℣. Propter veritatem &c. Alleluja.

℣. Specie tua & pulcritudine tua &c.

Offertorium.

Offerentur Regi virgines post eam, proximæ ejus offerentur tibi.

Communio.

Regina mundi dignissima, virgo Maria perpetua, intercede pro nostra pace & salute, quæ genuisti Christum Dominum sine virili semine.

In sancti Michaelis.

Benedicite Dominum omnes angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Psal. Benedic anima mea. ℟. Benedicite Dominum omnes angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum.

℣. Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomen sanctum ejus. Alleluja.

℣. Concussum est mare, & contremuit terra, ubi archangelus Michael descendebat de cœlo. *Offertorium.*

Stetit angelus super aram templi habens thuribulum aureum in manu sua, & data sunt ei incensa multa, & ascendit fumus aromatum in conspectu Dei. Alleluja.

Communio.

Benedicite omnes angeli Domini Dominum, hymnum dicite, & superexaltate eum in secula.

In honorem sancti Spiritus.

Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, alleluja, per inhabitantem spiritum ejus in nobis, Alleluja, Alleluja.

Psal. Domine Deus. ℟. Beata gens, cujus est Dominus Deus eorum, populus, quem elegit Dominus in hæreditatem sibi.

℣. Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus virtus eorum. Alleluja.

℣. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. *Offertorium.*

Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ, sit gloria Domini in secula, Alleluja.

Communio.

Spiritus sanctus docebit vos, Alleluja, quæcumque dixero vobis, Alleluja.

Sequentia.

Sancti Spiritus adsit nobis gratia,
Quæ corda nostra sibi faciat habitacula.
Expulsis inde cunctis vitiis spiritualibus.
Spiritus alme illustrator omnium
Horridas nostræ mentis purgat tenebras.
Amator sancte sensatorum semper cogitatuum
Infunde unctionem tuam clemens nostris sensibus.
Tu purificator omnium flagitiorum Spiritus,
Purifica nostros oculos interioris hominis,
Ut videri supremus genitor possit a nobis
Mundi cordis, quem soli cernere possunt oculi.
Prophetas tu inspirasti, ut præconia Christi præcinuissent inclita.
Apostolos confortasti, ut trophæum Christi per totum mundum veherent.
Quando machinam per verbum suum fecit Deus cœli, terræ, maria.
Tu super aquas facturus eas nomen tuum expandisti Spiritus.
Tu animabus vivificandis aquas fœcundas.
Tu aspirando das spiritales esse homines.
Tu divisum per linguas mundum & ritus adunasti.
Idololatras ad cultum Dei revocans magistrorum optime.
Ergo nos supplicantes tibi exaudi propitius sancte Spiritus.
Sine quo preces omnes cassæ creduntur & indignæ Dei auribus.
Tu, qui omnium seculorum sancte,
Qui nominis docuisti instincte complectendo Spiritus,
Ipse hodie apostolos Christi
Donans munere insolito & cunctis inauditis seculis
Hunc diem gloriosum fecisti.

Missa pro peccatis.

Misereris omnium &c. *ut in editis usque ad* Alleluja.

Graduale.

Alleluja, ℣. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Offertorium.

Miserere mihi Deus secundum magnam misericordiam tuam. Dele Deus iniquitatem meam. *Communio.*

Inclina aurem tuam, accelera, ut eruas nos.

IN PLURIMORUM MARTYRUM.

SAPIENTIAM Sanctorum narrent populi, & laudes eorum nuntiet ecclesia, nomina autem eorum vivent in seculum seculi.

Psal. Magnus. ℟. Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, Alleluja. Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te. *Offertorium.*

Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exultationes Dei in faucibus eorum.

Communio.

Ego vos elegi de mundo, ut eatis & fructum afferatis.

IN CONFESSORUM.

SACERDOTES tui Domine induantur &c. *ut in editis.*

Psal. Memento. ℟. Sacerdotes ejus induant salutari, & sancti ejus exultatione exultabunt. Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. Alleluja. Sancti tui Domine.

Offertorium.

Exultabunt Sancti in gloria.

Communio.

Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.

OFFICIUM DE VIRGINIBUS.

VULTUM tuum. *Psal.* Eructavit, ℟. Propter veritatem & mansuetudinem *&c.* Audi filia & vide *&c.* Specie tua *&c.*

Offertorium.

Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum & in seculum seculi.

Communio.

Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus.

Sequentia sancti evangelii secundum Marcum.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Videte, vigilate & orate *&c. usque ad* omnibus dico: Vigilate *inclusive.*

OFFICIUM SANCTÆ MARIÆ.

SALVE sancta parens, enixa puerpera regem, qui cœlum terramque regit in secula seculorum.

Psal. Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. ℟. Benedicta & venerabilis es virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es mater Salvatoris. Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Alleluja. ℣. Post partum virgo inviolata permansisti, Dei genitrix intercede pro nobis.

Sequentia.

Hac clara die turma festiva dat præconia,
Mariam concrepando simphonia nectarea.
Mundi domina, quæ est sola castissima virginum regina.
Salutis causa, vitæ porta, atque cœli referta gratia.
Nam ad illam sic nuntia olim sunt facta angelica.
Ave Maria gratia Dei plena per secula.
Mulierum pia agmina intra semper benedicta
Virgo, & gravida mater intacta prole gloriosa.
Cui contra Maria hæc reddit famina.
In me quomodo tua fient nuntia?
Viri novi nullam certe copulam,
Ex quo atque nata sum incorrupta.
Diva missus ita reddit affata;
Flatu sacro plena fies Maria,
Nova afferens gaudia Sancto plena nati per exordia
Intra tui uteri claustra regnat, qui gubernat æthera
Omnia, qui dat tempora pacifica.

Sequentia sancti evangelii secundum Lucam.

In illo tempore repleta est Helisabeth *&c. usque ad* salutari meo *inclusive.*

Offertorium. Ave Maria.

Communio.

Beata viscera Mariæ, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

EXCERPTA
EX SECUNDO CODICE AVELLANENSI.

Missa pro Tribulatione.

SALUS populi ego sum dicit Dominus; de quacumque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos, & ero illorum Dominus in perpetuum.

Psal. Attendite popule. *Psal.* Gloria. Evovae.

Omnipotens sempiterne Deus mœstorum consolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium, ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant affuisse. Per.

Lectio libri Sapientiæ.

Miserere nostri Deus *&c. usque ad verba* ut enarrent mirabilia tua Domine Deus noster.

Graduale.

Propitius esto Domine peccatis nostris, ne quando dicant gentes, ubi est Deus eorum?

℣. Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter honorem nominis tui Domine libera nos. Alleluja. *Psal.* Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Sequentia sancti evangelii secundum Lucam.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Quoniam oportet semper orare *&c. usque ad* vindictam illorum *inclusive.*

Offertorium.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me Domine, & super iram inimicorum meorum extendes manum tuam, & salvum me fecit dextera tua.

Secreta.

Has tibi Domine offerimus hostias pro salute nostra & pro omnibus angustiis nobis ingruentibus, quatenus corpora & animas nostras Spiritus sancti gratia liberare atque illuminare digneris.

Communio.

Amen dico vobis, quicquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis.

Ad Communionem.

Da nobis Domine quæsumus de tribulatione lætitiam, ut qui diu pro peccatis nostris affligimur, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, in tua misericordia respiremus. Per.

Alia Missa pro tribulatione.

SALUS populi ego sum, dicit Dominus.

Oratio.

Deus pater orphanorum, judexque viduarum, lacrymas ecclesiæ tuæ miseratus intende, illamque tua misericorditer eripiat majestas, quam nulla terrena defendit potestas. Per.

Lectio Jeremiæ prophetæ.

Si iniquitates nostræ contenderunt *&c. usque ad* nos Domine Deus noster.

Graduale.

Propitius esto Domine, adjuva nos Deus. Alleluja. Domine exaudi.

Evangelium. Quoniam oportet.

Offertorium. Si ambulavero.

Secreta. Hæc hostia Domine, quam pro infidelium bellis offerimus, tibi sit accepta, ut per hæc, quod devote poscimus, te adjuvante consequamur. Per.

Communio. Amen dico vobis.

Ad Communionem. Deprime quæsumus Domine Deus jura tyrannorum tibi adversantium, ut discant te fore protectorem ecclesiæ tuæ tuo pretioso sanguine redemptæ. Per.

Incipit ordo ad cathecumenum faciendum.

INTERROGA *primo de nomine ejus, hoc est, quo nomine vult vocari,* & dicto *Sancti nomine.* Quare venisti ad ecclesiam? ℟. Christianus fieri.

Quid petis? ℟. Fidem.

Fides quid tibi præparat? ℟. Vitam æternam.

Abrenuntias sathanæ? ℟. Abrenuntio & omnibus pompis ejus; abrenuntio & omnibus operibus ejus.

Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? ℟. Credo.

Credis & in Jesum christum Filium ejus unicum Dominum nostrum natum & passum? ℟. Credo.

Credis & in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam? ℟. Credo.

Deinde insufflet in faciem ejus tribus vicibus sacerdos dicendo: Exi ab eo immunde spiritus, da honorem Jesu Chri-

sto filio ejus & Spiritui sancto paraclito.

Deinde signat eum in fronte dicens: Signum sanctæ † Crucis Domini nostri Jesu Christi in fronte tua pono.

Deinde & in pectore signet dicens: Signum salutis † Domini nostri Jesu Christi in pectus tuum pono. Accipe signum † Crucis Christi tam in corde, quam in fronte. Sume fidem cœlestium præceptorum, talis esto moribus, ut templum Dei esse possis. Gaudeas ingressus in ecclesiam Dei evasisse te laqueos mortis, lætus agnosce idola, respue simulacra, cole Deum Patrem omnipotentem, & Jesum Christum filium ejus, qui cum eo & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in æterna secula seculorum. Amen.

Alia oratio: Omnipotens sempiterne Deus *&c.*

Alia: Preces nostras *&c.*

Alia: Deus, qui humani generis *&c.*

Alia Oratio. Exorcismus salis &c. (*ut in Rituali Romano.*)

Benedic † omnipotens Deus hanc creaturam salis benedictione cœlesti in nomine Domini † Jesu Christi & in virtute Spiritus sancti, ad effugandum inimicum, quam tu Domine sanctificando † sanctifices, benedicendo bene † dicas, fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus sumentium in nomine Domini † Jesu Christi qui venturus est in Spiritu sancto judicare.

Tunc accipiat de ipso sale, & ponatur in ore infantis. Accipe sal sapientiæ, propitiatus sit in vitam æternam. Amen.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum.

Oratio.

Deus patrum nostrorum *&c.* (*ut in Rituali edito*)

Deinde apprehendat dexteram, & introducat eum in ecclesiam, sic dicendo: Ingredere in templum Dei, ut habeas partem cum Christo.

Incipit ordo ad symbolum faciendum.

Deus Abraham *&c.* (*ut in edito Rituali.*)

Adjuratio contra dæmonem: Ergo maledicte diabole *&c.* (*ut supra in Ritualibus, cum hoc tantum discrimine, quod in ms. non ponitur conclusio.*)

Super Feminam.

Deus cœli &c. (*ut in editis absque tamen conclusione.*)

Adjuratio super Masculum.

Deus immortale præsidium *&c. ut in editis.*

Adjuratio.

Ergo audi maledicte, *ut in editis.*

Exorcismus.

Exorcizo te immunde spiritus in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei, ipse tibi imperet maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit. Ergo exorcizo te immunde spiritus per † Patrem, & Fi † lium, & Spiritum † sanctum, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei; ipse enim tibi imperat maledicte damnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento suscitavit. Ergo sit Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Æterna *&c. ut in editis.*

Hæc dicit Dominus: Omnes sitientes *&c. usque ad* in crassitudine animæ vestræ.

Graduale.

Venite filii audite me, timorem Domini docebo vos. ℣. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.

Sequentia sancti evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore: Oblati sunt Jesu parvuli *&c. usque ad* abiit inde.

Et tunc dicatur: Pater noster, & Credo in Deum. *Et alius homo levet eum, non ille, qui tenet, dicendo similiter*: Pater noster, & Credo in Deum.

Incipit ordo Baptismi ad succurrendum.

Medelam tuam deprecor Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui tribuisti humanis infirmitatibus erigere famulum tuum ægritudinis languore depressum, & omnem sensum ejus dignare tuis visitationibus refovere, quatenus gratia baptismi tui, possit cum gaudio sanitatem accipere. Expelle itaque ab eo cunctam contrariæ valetudinis tutelam, ut ad gratiam tuam gratanter occurrat, releva, quem redimere dignatus es, ut Baptismi sit in illo palma, non mortis, & gloriosum semper bajulet, quod accepit signaculum sanctæ † Crucis. *Conjuratio.*

Nec te lateat *&c. ut in editis præter conclusionem* in nomine Domini Jesu Christi.

Initium sancti evangelii secundum Matthæum.

Liber generationis Jesu Christi filii Abraham, Abraham autem genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Judam & fratres ejus. Ex ea generatione nata est virgo Maria mater Domini nostri Jesu Christi.

Ini-

Initium sancti evangelii secundum Lucam.

Fuit in diebus Herodis *&c. usque ad* sine querela.

Sequentia sancti evangelii Marci.

Initium evangelii Jesu Christi *&c. usque ad* omnis caro salutare Dei.

Initium sancti evangelii secundum Johannem. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil; *& sic totum dicatur.*

BENEDICTIO AQUÆ AD BAPTIZANDUM INFIRMUM.

IN primis dicantur litaniæ. *Deinde sequitur hæc oratio.*

Exaudi nos omnipotens Deus, & hujus aquæ substantiæ immisce virtutem, ut abluendi per eam sanitatem simul & vitam mereamur æternam. Per.

Exorcismus aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine † Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jesu Christi filii ejus †, & in virtute Spiritus Sancti †, ut omnis virtus adversarii, & omnis incursio sathanæ, omneque phantasma eradicare & explantare & effugare ab hac creatura aquæ, ut sit fons aquæ salientis in vitam æternam, ut qui ex ea baptizatus fuerit, fiat templum Dei vivi, & Spiritus sanctus habitet in eo in remissionem omnium peccatorum. In nomine Domini Jesu Christi, qui venturus est, exorcizo te creatura aquæ per Deum † vivum, per Deum † sanctum, per Deum totius creaturæ, qui te in principio separavit ab arida, & in quatuor fluminibus exire jussit, totam terram irrigare præcepit, qui pedibus supra ambulavit, & a Johanne in Jordane baptizatus est, qui te una cum sanguine suo produxit, & discipulis suis in te baptizare jussit dicens: Ite baptizate omnes gentes, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: unde adjuro te aqua per Deum † vivum, ut efficiaris aqua sancta † aqua benedicta, aqua, quæ abluas sordes, & mundes peccata, ut cum descenderit in te infans Christi, fias fons aquæ salientis in vitam æternam. In nomine Domini Jesu Christi in vitam æternam. Amen.

(*Ad marginem codicis adest hæc rubrica: Deinde sacerdos mittat cereum accensum in fontem dicens*. Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus sancti. *Post hoc aspergat fontem Chrismate dicens*: Infusio Crismatis salutis & aquæ sit in nomine nostri Jesu Christi in vitam æternam. Amen.)

Deinde sufflet in aqua tribus vicibus & mittat Chrisma in modum Crucis † *Deinde tangat & nares & aures de sputo dicens ad aurem illius sinistram*: Ephtheta, quod est adaperire, tu autem diabole; appropinquabit enim judicium Dei.

Postea vero tangat ei pectus, & inter scapulas de oleo exorcizato cum pollice crucem faciendo, & vocato nomine ejus dicat: Abrenuntias sathanæ? ℟. Abrenuntio, Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio. Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio. (*In margine adnotatur*: Fuge immunde spiritus, da honorem Deo vivo & vero. Exi immunde spiritus, da locum Spiritui sancto)

Interroget: Credis in Deum Patrem? *&c. ut supra usque ad ultimum responsum* Credo.

Et interroget eum tribus vicibus ita dicendo: Vis baptizari? ℟. Volo III. Et ego te baptizo in nomine Patris, *& merge*, & Filii, *& merge*, & Spiritus sancti, *& merge*.

Baptizato autem infante faciat presbyter signum Crucis de Chrismate cum pollice in vertice ejus cum invocatione sanctæ Trinitatis dicens: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti; *& dicat hanc orationem*. Deus omnipotens & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis in Christo Jesu Domino nostro; pax tibi in vitam æternam. Amen.

INCIPIT ORDO AD POENITENTIAM DANDAM.

In primis dicit sacerdos.

DOMINE Deus omnipotens propitius esto mihi peccatori, ut digne possim tibi gratias agere, qui me indignum & peccatorem ad ministerium tuum vocare dignatus es, & me exiguum & humilem constituisti intercedere ad Dominum nostrum Jesum Christum pro peccantibus. Ideoque dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertatur & vivat, suscipe orationem meam, quam facio ante conspectum tuum pro me peccatore, & pro aliis, qui ad pœnitentiam ad me veniunt Salvator.

Interrogat: Credis in Deum Patrem omnipotentem & Filium, & Spiritum sanctum? ℟. Credo. Credis, quod in ista carne, in qua nunc es, resurgere habes

in

in die judicii, & recipere quod gessisti sive bonum, sive malum? ℟. Credo. Vis dimittere illis, qui in te peccaverunt, dicente Domino. Si non remiseritis peccata hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra? ℟. Volo. *Dicat*. In manus tuas Deus commendo spiritum meum. *Tribus vicibus capitulum*. Suscepimus Deus misericordiam tuam *usque* dextera tua. *Psalmus*: Magnus Dominus. Gloria, Kirie, Christe, Kirie, Pater noster. Et ne. *Capitulum*. Convertere Deus aliquantulum. Et deprecare. Salvos fac servos & ancillas tuas Deus meus. Nihil proficiat inimicus. Et filius iniquitatis: Mitte ei Deus auxilium de sancto. Et de Sion. Domine exaudi orationem meam. Et clamor. Dominus vobiscum. Et cum.

Oratio. Suscipere digneris Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus hunc famulum tuum, qui viam erroris dimittere cupit, & ad viam veritatis currere desiderat, præsta quæso Domine, ut sicut eum ex aqua & Spiritu sancto dono tuæ gratiæ regenerare dignatus es, ita concede propitius, ut per veram sanctamque confessionem sanctæ ecclesiæ tuæ aggregari mereatur. Per.

Alia. Exaudi Domine preces nostras, & confitenti tibi parce peccatis, ut quem conscientiæ suæ reatus accusat, indulgentiæ tuæ miseratio absolvat. Per.

Alia. Præveniat huic famulo tuo quæsumus Domine misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per.

Deinde VII. *psalmos cum lectione. Capitulum*. Converte nos Deus salutaris noster. Et averte. Fiat Deus misericordia tua. Sicut speravimus. Domine exaudi orationem. Et clamor meus. Dominus vobiscum.

Oratio. Precor Domine clementiam tuam, & misericordiam majestatis tuæ, ut huic famulo tuo peccata & facinora confitenti veniam relaxes, & præteritorum criminum culpas dimittere digneris, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti ad caulas, & qui publicani precibus & confessione placatus es, tu etiam huic famulo tuo placare Domine, tu hujus preces benignus suscipe, remitte ei omnia crimina & peccata, & da ei pro suppliciis veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam, & qui ad tantam spem cœlestis apicis devolutus est, de tua misericordia confidens ad æterna gaudia te protegente perveniat. Per.

Alia oratio. Majestatem tuam Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui non mortem vis peccatorum, sed vitam semper inquiris, te suppliciter exoramus, respice flentem famulum tuum ad te prostratum, ejusque planctum in gaudium tuæ miserationis converte, scinde delictorum saccum, & indue eum lætitiam salutarem, ut post longam peregrinationis famem de sanctis altaribus satietur, ingressus cubiculum regis in ipsius aula benedicat nomen gloriæ tuæ. Per Dominum nostrum.

Alia oratio. Benedicat tibi Dominus omnipotens & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum, & det tibi pacem.

Alia benedictio. Benedicat tibi Dominus Deus omnipotens, & custodiat te, & per abundantiam sancti Spiritus cor tuum corroboret, mentem tuam sanctificet, vitam amplificet, castimoniam decoret, atque sensus tuos in bonis operibus informet, prospera tribuat, pacem concedat, salutem conferat, quietem nutriat, caritatem foveat, & ab omnibus diabolicis & humanis insidiis sua te semper protectione defendat, ut quidquid ab eo postulaveris, clementer concedat, auferat omnia mala, quæ gessisti, & tribuat tibi gratiam, quam semper rogasti. Qui vivis.

Deinde ammoneat eum & dicat Pater noster, & Credo in Deum. Deinde faciat eum sacerdos confiteri & accusare de peccatis suis.

Confiteor Deo omnipotenti, & beatæ Mariæ perpetuæ virgini, & beato Michaeli archangelo, & sanctis apostolis Petro & Paullo, & beato Blasio martyri tuo & omnibus sanctis, & vobis patribus, mea culpa, mea culpa, mea culpa. Quia peccavi in cogitatione, locutione, delectatione, consensu, verbis & opere, in adulterio, in perjurio, in homicidio, in falso testimonio, in sacrilegio, in furto, in rapina, in concupiscentia, in avaritia, mea culpa, mea culpa, mea culpa. Peccavi in quinque sensibus corporis mei, visu, auditu, gustu, odoratu & tactu, mea culpa. Peccavi in octo principalibus vitiis, & in septem criminalibus peccatis, & in omnibus vitiis meis malis, quibuscumque miser homo peccare potest. Unde precor beatam virginem Mariam, & beatum Michaelem archangelum, & sanctos apostolos Petrum & Paullum, & beatum Blasium martyrem tuum, & omnes sanctos & sanctas Dei, & vos patres orare pro me peccatore Dominum nostrum Jesum Christum. Et unde volo recipere

pere pœnitentiam pro vita & morte.

Absolutio.

Nos ex parte Dei omnipotentis & beatæ Mariæ perpetuæ virginis & beati Michaelis archangeli, & beatorum apostolorum Petri & Paulli & beati Blasii martyris, & omnium Sanctorum ac Sanctarum, ex officio nostro damus, & confirmamus vobis verum judicium, & veram pœnitentiam de omnibus peccatis vestris, sicut sancti patres præcipiunt, & justa justitia est, & ab hac hora in antea state sub jugo pœnitentiæ, & sub fructu pœnitentiæ, & si morte præoccupati fueritis, & non potestis accedere ad Sacerdotem, & ad aliam pœnitentiam, per istam pœnitentiam faciat Dominus pervenire animas vestras ad vitam æternam. Amen.

Quando Sacerdos imponit pœnitentiam.

Nos vobis imponimus pœnitentiam de omnibus peccatis vestris, quæ volentes aut nolentes commisistis, unde confessi estis, vel quæ in vos nescienter sunt abscondita; ut redimatis ea per orationem, & sacrificium, & jejunium atque eleemosynam, & usque ad terminum vitæ vestræ in ipsa pœnitentia permaneatis, & si morte præoccupati fueritis; per istam pœnitentiam faciat Dominus pervenire animas vestras ad vitam æternam. Amen.

Absolutio.

Intercedente beata Maria semper virgine cum omnibus Sanctis, misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, præterita, præsentia; liberet vos ab omni malo, salvet & confirmet vos in omni opere bono, & perducat vos cum angelis & archangelis ad vitam sempiternam. Amen. Indulgentiam & remissionem & absolutionem omnium peccatorum vestrorum, gratiam sancti Spiritus tribuat vobis omnipotens, pius & misericors Dominus. Amen.

Capitulum. Salvos fac servos tuos & ancillas tuas. Deus meus sperantes in te. Mitte eis Domine auxilium de sancto. Et de Sion. Exurge Domine, adjuva nos. Et libera. Domine exaudi orationem. Et clamor meus. Dominus vobiscum. Et cum spiritu.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis & famulabus tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere &c.

Absolutio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui habes potestatem dimittendi peccata hominibus, & sanctus Petrus apostolus cui dedit Christus potestatem ligandi atque solvendi, & aliis discipulis suis dicens: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis in æternum. Ipse quoque Deus absolvat vos ab omnibus peccatis vestris, & pro istis peccatis non reddatis rationem in die judicii. Et si transieritis de isto seculo, absolvat vos omnipotens Deus Jesus Christus Dominus noster. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivit. Respiciat ad vos Deus, & det vobis angelum, qui vos ubique custodiat, mentes regat, opera confirmet, votum perficiat, vitam dirigat, præterita indulgeat, præsentia emendet, futura meditetur in vos. Ipse vos benedicat de cœlis, qui proprio sanguine suo vos redemit in terris. Qui cum Patre & Spiritu sancto &c.

Benedictio.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio verbo cuncta creavit. Amen. Benedicat te Dei filius, qui de sede paterna descendit pro nostra salute in terris. Amen. Benedicat te Spiritus sanctus, qui in specie columbæ in fluenta Jordanis super Christum requievit. Amen. Ipse vos in Trinitate & Unitate sanctificet, quem omnes homines venturum expectant judicem. Per. Bene † dictio Dei omnipotentis, Patris † & Filii † & Spiritus sancti † custodiat corpus tuum, animam tuam & spiritum tuum, hic & in perpetua secula seculorum. Amen.

INCIPIT ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM.

PRIMUM DICATUR: Pax huic domui. Amen. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Respice Domine propitius super hunc famulum tuum, & opem ferre digneris super lectum doloris ejus; impone manum tuam super manus ejus & impera ægritudini ejus, ne meam peccatoris manum spernat infirmitas, sed ad vocationem nominis tui vereatur & fugiat, & hic famulus tuus languore indulto ad sanitatem refectus resurgat, & præsentetur ecclesiæ tuæ, ut referat gratias nomini sancto tuo.

Sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea, & anima mea turbata est valde. Et tu Domine usquequo convertere & eripe animam meam. Domine ne in ira. *Antiphona.* Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum; hic cum audisset, quia Jesus veniret in Galilæam, rogabat eum, ut sanaret filium ejus. *Psalmus* Beati quorum. *Antiphona.* Domine puer meus jacet

cet paralyticus in domo, & male torquetur, amen dico tibi, ego veniam, & curabo eum. *Psalmus*. Domine ne in ira tua II. *Antiphona*. Cor contritum & humiliatum Deus non spernit, sed propter magnam misericordiam tuam miserere mei Deus. *Psalmus*. Miserere mei. *Antiphona*. Domine descende, ut sanes filium meum, priusquam moriatur; ait ei Jesus: vade, filius tuus vivit. *Psalmus*. Domine exaudi orationem meam. *Antiphona*. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. *Psalmus*. De profundis. *Antiphona*. Cum sol autem occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Jesum, & sanabantur. *Psalmus*. Domine exaudi orationem II. Kirie eleison, Christe eleison, Kirie eleison. Pater noster. Et ne nos. *Capitulum*. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus sperantem. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. Mitte ei Domine auxilium de sancto. Et de Sion. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis. Domine exaudi orationem. ℟. Et clamor. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Deus, qui famulo tuo Ezechiæ terquinos annos ad vitam donasti, ita & hunc famulum tuum a lecto ægritudinis tua potentia erigas ad salutem. Per.

Oratio.

Respice Domine famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, & animam ejus refove, quam creasti, ut castigationibus emendatus, continuo se sentiat medicina salvum.

Alia oratio.

Deus, qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris, & famulum tuum ex adversa corporis valetudine laborantem placatus respice, & visita eum in salutari tuo, ac cœlestis gratiæ præsta medicinam.

Oratio.

Deus, qui humano generi & salutis remedium, & vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulo tuo tuarum dona virtutum, & concede, ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per.

Alia oratio.

Virtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis, adesto propitius huic famulo, ut infirmitatibus fugatis & viribus receptis, nomen tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per.

Alia oratio.

Domine sancte pater omnipotens æternæ Deus, qui fragilitatem nostræ conditionis infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuæ & corpora nostra & membra vegetentur, super hunc famulum tuum propitius intende, ut omni necessitate corporea infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur.

Oratio.

Exaudi Domine preces nostras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quem conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ propitiationis absolvat. Per.

Alia oratio.

Deus humani generis benignissime conditor, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum unici filii tui sanguine redemisti, vivifica hunc famulum tuum, quem tibi nullatenus mori desideras, & qui non derelinquis devium, assume correctum, moveant pietatem tuam quæsumus Domine hujus famuli tui lacrymosa suspiria, tu ejus medere vulneribus, tu jacenti manum porrige salutarem, ne ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur, ne grex tuus detrimenta sustineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, ne renatum lavacro salutari mors secunda possideat; tibi ergo preces supplices effundimus, tu parce confitenti, ut sic in hac mortalitate sua peccata defleat, qualiter in tremendi judicii die sententiam damnationis æternæ evadat, & nesciat, quod terret in tenebris, quod stridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reversus justitiæ nequaquam ultra vulneribus saucietur, sed integrum sit ei & perpetuum, & quod gratia tua contulit, & quod misericordia reformavit. Per eumdem.

Hic sacerdos interroget infirmum, si vult accipere unctionem. Cum ℟. Volo. *Tunc faciat ei confessionem. Sacerdos ungat eum, visum & ceteros sensus dicendo*. Deus in nomine tuo, Deus in adjutorium, *Psalmus* Beati immaculati. Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum. Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per auditum. Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per gustum. Per istam per odoratum. Per istam unctionem per tactum. Per istam per ardorem libidinis. Per istam per incessum pedum.

Dein-

Deinde lavet sacerdos manus suas & dicat: Salvum fac servum tuum. Deus meus. Esto ei Domine turris. A facie inimici. Mitte ei Domine auxilium de sancto. Et de Sion. Nihil proficiat inimicus: Et filius iniquitatis. Domine exaudi orationem. Et clamor. Dominus vobiscum. Et cum spiritu.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Jacobum apostolum tuum induxisti, infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio ejus fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei, te supplices exoramus, ut hic famulus tuus per mysterium nostræ unctionis & donum tuæ sanctæ pietatis, peccatorum suorum veniam consequi, & ad vitam æternam venire mereatur. Per.

Alia oratio.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas, respice super hunc famulum tuum, & remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi, renova in eo piissime pater, quidquid terrena fragilitate corruptum est, vel quidquid diabolica fraude violatum est, & in unitate corporis ecclesiæ tuæ percepta remissione restitue, miserere Domine gemitum ejus lacrymarum, & non habentem fiduciam nisi in tua misericordia ad sacramentum reconciliationis admitte. Per.

His expletis orationibus sacerdos communicet infirmum dicens. Corpus Domini nostri Jesu Christi mundet te ab omni peccato, & conservet animam tuam in vitam æternam. Amen.

Post datum corpus dicit Capitulum: Salvum fac servum tuum. Deus meus. Mitte ei Domine. Et de Sion. Domine exaudi orationem. Et clamor. Dominus vobiscum. Et cum spiritu.

Oratio.

Domine sancte pater omnipotens æterne Deus, te fideliter deprecamur pro famulo tuo fratre nostro percipiente eucharistiam sacrosanctam Filii tui Domini nostri Jesu Christi corporis & sanguinis tam corpori quam animæ sit salus. Per eumdem Dominum.

Igitur, ut mox viderit eum ad exitum appropinquare, communicet eum, etiamsi comederit, quia communio erit ei adjutorium.

Litaniæ.

Christe audi nos III.
Sancte Abel ora pro eo.
Sancte Isaac ora.
Sancte Enoch ora.
Sancte Abraham ora.
Sancte Jacobe ora.
Sancte Helia ora.
Sancte Isaia ora.
Sancte Hieremia ora.
Sancte Ezechiel ora.
Sancte Daniel ora.
Sancte Osee ora.
Sancte Johel ora.
Sancte Abdia ora.
Sancte Habacuc ora.
Sancte Jona ora.
Sancte Nahum ora.
Sancte David ora.
Sancte Sophonia ora.
Sancte Johannes baptista ora.
Omnes sancti patriarchæ & prophetæ orate.
Kirie, Christe, Kirie eleison.
Pater noster. Et ne nos.

Capitulum.

Ego dixi, Domine miserere mei,
Sana animam meam, quia
Requiem æternam dona ei Domine.
Et lux perpetua luceat ei.
Ne intres in judicium cum servo.
Quia non justificabitur.
Domine libera animam ejus.
Misericors & miserator.
Delicta juventutis & ignorantias.
Ne memineris Domine.
Ne perdas cum impiis Deus.
Et cum viris sanguinum.
Complaceat tibi Deus, ut eripias.
Domine in auxilium ejus respice.
Domine exaudi orationem
Et clamor meus.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.

Oratio. Deus cui soli competit medicinam præparare post mortem, tribue quæsumus, ut anima famuli tui terrenis exuta contagiis in tuæ redemptionis forte numeretur. Per.

Finita oratione inchoet. Passio Domini secundum Matthæum. In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Scitis quia post biduum Pascha fiet &c.

Christe audi nos III.
Sancta Maria ora.
Sancte Stephane ora.
Sancte Laurenti ora.
Sancte Clemens ora.
Sancte Xiste ora.
Sancte Corneli ora.
Sancte Cypriane ora.
Sancte Silvester ora.

Sancte Georgi ora.
Sancte Benedicte ora.
Sancte Chrysogone ora.
Sancte Cosma ora.
Sancte Damiane ora.
Sancte Vitalis ora.
Sancte Gervasi ora.
Sancte Nazari ora.
Sancte Celse ora.
Sancte Vite ora.
Sancte Modeste ora.
Sancte Caffiane ora.
Kirie eleison.
Christe eleison.
Kirie eleison.

Aliæ Litaniæ.

Sancte Hippolyte ora.
Sancte Sebastiane ora.
Sancte Pancrati ora.
Sancte Domnine ora.
Sancte Anthime ora.
Sancte Alexander ora.
Sancte Faustine ora.
Sancte Jovite ora.
Sancte Donate ora.
Sancte Victor ora.
Sancte Nabor ora.
Sancte Felix ora.
Sancte Fortunate ora.
Sancte Urbane ora.
Sancte Eleutheri ora.
Sancte Anastasi ora.
Sancte Gregori ora.
Sancte Maure ora.
Sancte Isidore ora.
Sancte Saturnine ora.
Sancte Floriane ora.
Omnes sancti martyres orate.
Kirie eleison, Christe, Kirie.
Pater noster. Et ne nos.

Capitulum ut supra.

Oratio.

Deus, qui vitam justis tribuis post mortem, & cui non pereunt moriendo fidelium corpora, sed mutantur in melius, te supplices deprecamur, ut suscipi jubeas animam famuli tui in requiem æternam, & in congregatione justorum. Per.

Aliæ Litaniæ.

Christe audi nos III.
Sancta Maria ora.
Sancte Ambrosi ora.
Sancte Hilari ora.
Sancte Severe ora.
Sancte Barbatiane ora.
Sancte Leo ora.
Sancte Valeriane ora.
Sancte Marcelline ora.
Sancte Antonine ora.
Sancte Joannes Chrysostome ora.
Sancte Eusebi ora.
Sancte Benedicte ora.
Sancte Syre ora.
Sancte Martine ora.
Sancte Augustine ora.
Sancte Columbane ora.
Sancte Geminiane ora.
Sancte Marine ora.
Sancte Justine ora.
Sancte Tiburti ora.
Sancte Gaudenti ora.
Sancte Paule ora.
Sancte Machari ora.
Sancte Savine ora.
Omnes Sancti confessores orate.
Kirie eleison. Christe eleison. Kirie eleison. Pater noster. Et ne nos.

Oratio.

Deus fidelium conditor & redemptor animæ famuli tui remissionem omnium tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optavit, consequatur & requiem. Per.

Incipiunt aliæ Litaniæ.

Christe audi nos III.
Pater de cœlis Deus, miserere ei.
Fili redemptor mundi Deus miserere ei.
Sancta Trinitas & unus Deus, miserere ei.
Sancta Maria ora pro eo.
Sancte Michael ora.
Sancte Gabriel ora.
Sancte Raphael ora.
Omnes sancti angeli & archangeli orate.
Sancte Petre ora.
Sancte Paule ora.
Sancte Andrea ora.
Sancte Johannes ora.
Sancte Jacobe ora.
Sancte Philippe ora.
Sancte Bartholomæe ora.
Sancte Matthæe ora.
Sancte Thoma ora.
Sancte Simon ora.
Sancte Thaddæe ora.
Sancte Mathia ora.
Sancte Barnaba ora.
Sancte Cleopha ora.
Sancte Timothee ora.
Sancte Marce ora.
Omnes sancti apostoli & evangelistæ orate.
Kirie eleison, Christe eleison, Kirie eleison, Pater noster. Et ne nos.

Oratio.

Oremus omnipotens Deus, ut animam famuli tui clementer suscipias, qui ad tuum sanctum imperium sui reliquit corporis domicilium, dumque te jubente ad terram revertitur, animam, quam regenerare dignatus es baptismo, aggregari præcipias justorum consortiis. Per.

Aliæ Litaniæ.

Christe audi nos III.

San-

Sancta Susanna ora.
Sancta Felicitas ora.
Sancta Eufemia ora.
Sancta Cæcilia ora.
Sancta Perpetua ora.
Sancta Scholastica ora.
Sancta Columba ora.
Sancta Anna ora.
Sancta Elisabeth ora.
Sancta Agatha ora.
Sancta Agnes ora.
Sancta Lucia ora.
Sancta Christina ora.
Sancta Anastasia ora.
Sancta Eugenia ora.
Sancta Innocentia ora.
Omnes sanctæ virgines orate.
Omnes sancti & sanctæ Dei orate.
Kirie eleison, Christe eleison, Kirie eleison. Pater noster. Et ne nos.

Oratio.

Deus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram pro famulo tuo, & quem delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per.

Aliæ Litaniæ.

Christe audi nos III.
Sancta Maria intercede pro eo.
Sancta Dei genitrix intercede pro eo.
Sancta mater Domini, intercede.
Sancte chorus Cherubim, intercede.
Sancte chorus Seraphim, intercede.
Sancte chorus Angelorum, intercede.
Sancte chorus Archangelorum, intercede.
Sancte chorus Patriarcharum, intercede.
Sancte chorus Apostolorum, intercede.
Sancte chorus Martyrum, intercede.
Sancte chorus Doctorum, intercede.
Sancte chorus Sacerdotum, intercede.
Sancte chorus Levitarum, intercede.
Sancte chorus Monachorum, intercede.
Sancte chorus Innocentum, intercede.
Sancte chorus Virginum, intercede.
Omnis chorus omnium Sanctorum, intercede.
Fili Dei miserere ei II.
Redemptor mundi, miserere.
Ut veniam ei dones. Te rogamus.
Ut vitam ei dones. Te rogamus.
Ut sanctum paradisum ei dones. Te rogamus.
Ut locum refrigerii ei dones. Te rogamus.
Ut ei parcas. Te rogamus.
Ut ei indulgeas. Te rogamus.
Ut misericordiæ & indulgentiæ locum ei dones. Te rogamus.
Ut peccatorum ejus non recorderis. Te rogamus.

Aliæ Litaniæ.

Christe audi nos III.
Propitius esto, parce ei Domine.
Propitius esto, libera eum Domine.
Ab ira tua, libera.
A pœna inferni, libera.
A damnatione æterna, libera.
A potestate diaboli, libera.
A pœnarum locis, libera.
A consortio malignorum spirituum, libera.
A morte secunda, libera.
A gehenna ignis, libera.
A locis obscuris, libera.
Ab omni angustia, libera.
A peccatorum ultione, libera.
A supplicio tormentorum, libera.
Ab omni malo, libera.
Kirie eleison, Christe eleison, Kirie eleison Pater noster. Et ne nos.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, conservator animarum, qui quos diligis, corripis, & quos recipis, pie ad emendationem coerces, te invocamus Domine, ut medelam tuam conferre digneris animæ famuli tui, qui in corpore membrorum debilitationem, vim laboris, stimulos sustinet infirmitatis; da ei quæsumus gratiam tuam piam esse, ut in hora exitus illius de corpore absque peccati macula tibi datori proprio per manus Sanctorum repræsentari mereatur anima ejus. Per.

Incipit commendatio animæ, antequam egrediatur de corpore.

Subvenite sancti Dei. Suscipiat te Christus.

Proficiscere anima Christiana de hoc mundo, in nomine Dei patris † omnipotentis, qui te creavit, in nomine Jesu Christi † filii Dei vivi, qui pro te passus est, in nomine Spiritus sancti †, qui in te effusus est. Adjuvet sancta Trinitas per intercessionem sanctorum angelorum & archangelorum, thronorum & dominationum, principatuum & potestatum, & omnium virtutum, Cherubim, Seraphim, & omnis humani generis, quidquid a Deo susceptum est, patriarcharum & prophetarum, apostolorum & martyrum, confessorum & virginum, sacerdotum & levitarum, & omnium ecclesiæ catholicæ graduum; monachorum & anachoritarum. Hodie factus sit in pace locus tuus, & habitatio tua in Hierusalem cœlestem. Per Dominum.

Suscipiat te sanctus Michael archangelus, qui militiæ cœlestis meruit principatum. Obvient tibi sancti Angeli Dei, & perducant te in civitatem sanctam Hierusalem. Suscipiat te beatus Petrus apostolus, cui a Deo claves regni cœlo-

rum traditæ sunt. Adjuvet te sanctus Paulus, qui dignus fuit esse vas electionis Dei. Intercedat pro te sanctus Johannes electus Dei apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia. Orent pro te omnes Sancti & electi Dei apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi atque solvendi. Egredere in pace in † nomine Patris, & † Filii, & † Spiritus sancti, qui te illuminet in vitam æternam, & resuscitet te in prima resurrectione, in novissimo die. Domine sancte pater suscipe animam servi tui in pace, & ejus omnia peccata dimitte, salvator mundi, qui vivis & regnas in unitate Spiritus sancti Deus. Per.

Suscipe Domine animam famuli tui in bono. Libera Domine animam servi tui ex omnibus periculis infernorum, & de laqueis pœnarum, & de omnibus tribulationibus malis. Libera Domine animam famuli tui, sicut liberasti Noe in diluvio. Libera Domine animam famuli tui, sicut liberasti Eliam & Enoch de communi morte mundi. Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Abraham per fidem & credulitatem. Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Loth de Sodomis & de flamma ignis. Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti David de manu Saul regis & Goliæ, & de omnibus vinculis ejus. Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manibus iniqui regis. Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine. Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti humanum genus per passionem Domini nostri Jesu Christi. Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Petrum & Paulum de carceribus. Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Theclam de medio spectaculo. Sic liberare digneris Domine animam hominis istius, & tecum habitare in bonis cœlestibus concede. Per.

Oratio.

Pio recordationis affectu, fratres carissimi, commemorationem facimus cari nostri, quem Dominus de laqueo tentationis hujus seculi assumpsit, obsecrantes misericordiam Dei nostri, ut ipse ei tribuere dignetur placitam & quietam mansionem, & remittat omnes lubricæ temeritatis offensas, ut concessa venia plenæ indulgentiæ, quidquid in hoc seculo proprio reatu deliquit, totum ineffabili pietate ac benignitate sua deleat & abstergat. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat.

Oratio.

Deus, cui omnia vivunt, & cui non pereunt corpora nostra, sed mutantur in melius, te supplices deprecamur, ut suscipi jubeas per manus sanctorum angelorum tuorum deducendam in sinu amici tui Abrahæ patriarchæ, resuscitandamque in novissimo magni judicii die, & quidquid vitiorum fallente diabolo contraxit, tu pius & misericors ablue indulgendo.

Oratio.

Suscipe Domine animam servi tui, quam de ergastulo hujus seculi vocare dignatus es, & libera eam de principibus tenebrarum, & de locis pœnarum, ut absoluta omnium vinculo peccatorum, quietis ac lucis æternæ beatitudine perfruatur, & inter Sanctos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per.

Alia oratio.

Commendamus tibi Domine animam famuli tui fratris nostri, precamurque, ut propter quam ad terram tua pietate descendere dignatus es, Patriarcharum tuorum in sinibus insinuari non renuas miseratus. Qui vivis & regnas.

Oratio.

Migrantem in tuo nomine de hac instabili & tam incerta in sempiternam vitam illam ac lætitiam suscitare eum Domine in bonis cœlestibus digneris. Per.

Ad corpus lavandum oratio.

Suscipe Domine animam servi tui revertentem ad te, vestem cœlestem indue eam, & lava eum sancto fonte vitæ æternæ, ut inter gaudentes gaudeat, & inter sapientes sapiat, & inter martyres consedeat, & inter patriarchas proficiat, & inter prophetas & apostolos sequi Christum studeat, & inter angelos & archangelos claritatem Dei videat, & inter paradisi rutilos lapides gaudium possideat, & ministeriorum Dei notitiam agnoscat, & inter Cherubim & Seraphim claritatem Dei inveniat, & inter viginti quatuor seniores cantica canticorum cantantes audiat & inter lavantes stolas suas fonte luminis vestem suam lavet, & inter pulsantes pulset, & portas Hierusalem apertas inveniat, & inter videntes Dominum facie ad faciem videat, & inter cantantes canticum novum cantet, & inter audientes cœlestem sonitum audiat. Per omnia.

Alia oratio.

Suscipe Domine animam famuli tui ad te revertentem de Ægypti partibus proficiscentem, & mitte angelos tuos sanctos obviam ei, & viam justitiæ, & repelle ab ea omnes principes tenebrarum, agno-

agnosce Domine creaturam tuam, non ex diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo & vero, quia non est alius Deus præter te Domine, & non est secundum opera tua. Lætifica Domine animam famuli tui, & ne memineris iniquitatum ejus, quas suscitavit furor mali desiderii; licet enim peccavit, tamen Patrem, & filium, & Spiritum sanctum non negavit, sed credidit, & zelum Dei habuit, & Deum, qui fecit omnia, adoravit. Qui vivit & regnat.

Oratio.

Deus, ante cujus conspectum defertur omne, quod geritur, qui cum sis institutor vitæ, & de suppliciis es moderator, quæsumus pro famulo tuo, ut des ei partem cum Sanctis tuis, & hæreditatem cum electis tuis. Per omnia.

Oratio.

Suscipe Domine animam servi tui in bonum habitaculum, cujus corpusculum lavandi peragimus officium, & da ei requiem in regno æterno, idest in Hierusalem cœlestem, & in finibus patriarcharum tuorum, idest Abrahæ, Isaac & Jacob collocare digneris, ut habeat partem in beata & prima resurrectione, corpus ejus suscipiat, & cum benedictis ad dexteram Dei Patris venientibus veniat, & inter possidentes vitam æternam possideat. Per.

Incipiunt capitula, sive orationes post corpus lavatum.

Pater noster. Et ne nos, *Capitulum.* In memoria æterna erit justus. Ab auditu. Ne intres in judicium cum servo tuo Domine. Quia non justificabitur. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. Et animas pauperum. Requiem æternam dona ei Domine. Et lux perpetua. Domine exaudi. Et clamor. Dominus vobiscum. Et cum.

Oratio.

Deus vitæ dator & humanorum corporum reparator, qui te a peccatoribus exorari voluisti, exaudi preces, quas speciali devotione pro anima famuli tui tibi lacrymabiliter fundimus, & liberare eum ab inferorum cruciatibus, & collocare inter agmina Sanctorum tuorum digneris; veste quoque cœlesti & stola immortalitatis indui, & paradisi amœnitate confoveri jubeas. Per.

Alia oratio.

Deus, qui humanarum animarum æternus amator es, animam famuli tui, quam vera, dum in corpore vixit, tenuit fides, ab omni cruciatu infernorum redde extorrem, ut segregata ab infernalibus claustris, Sanctorum mereatur adunari consortiis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Oratio.

Deus, apud quem mortuorum spiritus vivunt, & in quo electorum animæ deposito carnis onere, plena felicitate lætantur, præsta supplicantibus nobis, ut animam famuli tui, quæ temporali hujus seculi caruit visu, æterno illius lucis solatio potiatur, non eum tormentum mortis attingat, non dolor horrendæ visionis afficiat, non pœnalis timor excruciet, non reorum pessima catena constringat, sed concessa sibi delictorum omnium venia optatæ quietis consequatur gaudia repromissa.

Finitis omnibus orationibus, ponatur corpus in feretro, & aspergatur aqua sancta, & incensetur, & cantent.

Subvenite sancti Dei. Suscipiat te. Deus in nomine tuo. Beati immaculati. *Et sic vadant ad ecclesiam.*

Cum venerint ad introitum ecclesiæ dicitur: Subvenite sancti Dei. *Et sic detur incensum & aqua sancta, & sonentur omnia signa, & ponatur feretrum in pavimento, & cantent invitatorium*: Regem *& cetera, ut in editis exclusive usque ad responsorium secundæ lectionis primi nocturni, cujus verba hæc sunt*: Qui resuscitasti puellam infra domum, & juvenem extra portam. Tu ei Domine. *Lectio* Manus tuæ *& cetera, exclusive usque ad responsorium sequentis lectionis*. Responde *; quod sic effertur*. Subvenite sancti Dei *& cetera ut in editis, quando deducitur cadaver de domo*. Homo natus de muliere *& cetera ut in editis usque ad responsorium sequentis lectionis*. Quis mihi, *ubi legitur*. Ne intres in judicium cum servo tuo Domine. *In tertio Nocturno*: Complaceat, *& cetera usque ad totam lectionem*. Pelli meæ, *cujus responsorium est*. Libera me Domine de vi inferni, qui portas æreas confregisti, & visitasti infernum, & dedisti eis lumen, ut viderent te, qui erant in pœnis tenebrarum. Clamantes & dicentes, advenisti Redemptor noster. Qui erant. *Lectio*. Vir fortissimus Judas. ℟. Redemptor meus vivit, & in novissimo die resurgam, & renovabuntur denuo ossa mea, & in carne mea videbo Dominum meum. Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea. Et in carne. Requiem æternam. Et in carne.

In Laudibus Exultabunt *& cetera, ut in editis usque ad quartam antiphonam exclusive. Antiphona*. Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. *Psalmus ut in editis & usque ad antipho-*

phonam ad Benedictus, *post quam legitur*. Omne quod dat &c. Benedictus. *Ad Vesperas antiphona*. Placebo Domino &c. *usque ad psalmum*: Confitebor *inclusive*, *ut in editis*. *Deinde sequitur*: Requiem æternam. Et lux. *Antiphona*. Audivi vocem de cœlo dicentem mihi: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Magnificat. *Psalmus*. Deprofundis; *Psalmus*. Lauda. *Psalmus*. Voce. *Psalmus*. Ad Dominum. Pater noster. Et ne nos. Deum cui proprium est. *Alia oratio*. Inclina Domine. Deinde *sacerdos stet juxta feretrum*. *Interim sonentur omnia signa, quousque omnes conveniant, & accipiant candelas, & cantor stet apud feretrum, & dicat*. *Deinde dicat sacerdos orationem*. Ne intres &c. *ut in editis*. ℟. Qui Lazarum resuscitasti. *Interim dum cantatur, incenset altare, deinde corpus, & cantor dicat*: Kirie, Christe, Kirie, *& sacerdos dicat orationem*. Fac quæsumus, *ut in editis*. Subvenite. *Et sacerdos incenset altare, & corpus, & cantor dicat, & sacerdos dicat orationem*. Inclina Domine &c. ℟. Libera me Domine &c. Dies illa, dies iræ &c. *Deinde*. Plangent super se omnes tribus terræ. Tremens factus sum ego &c. Vix justus salvabitur, & ego miser ubi apparebo? Quid ergo miserrimus, quid dicam vel quid faciam, dum nil boni perferam ante tantum judicem? Nunc Christe te deprecor, miserere peto. Qui venisti redimere, perpetim veni salvare. Requiem æternam &c. Et lux &c. Libera me Domine. Memento mei Deus, quia ventus est vita mea, nec aspiciat me visus hominis. Et non avertetur oculus meus, ut videat bona. Quapropter non parcam ori meo, loquar in amaritudine animæ meæ. Nec aspiciat &c. *Deinde incensetur altare & corpus*.

Hoc facto elevetur corpus defuncti de ecclesia, & vadant primitus minores cum cruce & incenso, & aqua sancta, deinde fratres canendo. In Paradisum deducant &c. In exitu &c. *Et sonent omnia signa, quousque claudatur monumentum*. Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino. *Psalmus*. Confitemini. *Antiphona*. Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. *Psalmus*. Sicut cervus. *Antiphona*. Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. *Psalmus*. Memento. *Antiphona*. De terra plasmasti me, carne induisti me, redemptor meus Domine resuscita me in novissimo die. *Psalmus*. Domine exaudi orationem meam. *Antiphona*. Non intres in judicium cum servo tuo Domine. *Psalmus*. Domine exaudi orationem II. *Antiphona*. Omnis spiritus laudet Dominum. *Psalmus*. Laudate Dominum. *Antiphona*. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. Ad Benedictus. Omne quod dat mihi Pater &c. *Oratio*. Absolve Domine animam ejus ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos & electos tuos resuscitatus respiret.

Et Sacerdos incenset monumentum, & aspergat aqua sancta, & dicat has orationes, dum alii canunt psalmum.

Oratio.

Oremus fratres carissimi pro spiritu cari nostri, quem Dominus de tentationibus hujus seculi liberare dignatus est, cujus corpusculum hodie sepulturæ traditur, ut eum pietas Domini in sinu Abrahæ, Isaac & Jacob collocare dignetur, ut cum dies judicii advenerit, inter Sanctos & electos suos eum in parte dextera collocandum resuscitari faciat. Præstante Domino nostro Jesu Christo. Qui cum Patre & Spiritu Sancto &c.

Alia Oratio.

Obsecramus misericordiam tuam omnipotens Deus, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es, ut spiritum & animam famuli tui, quem hodierna die rebus humanis exutum ad te accersiri jussisti, blande misericorditerque suscipias. Non ei dominentur umbræ mortis, nec tegat eum chaos & caligo tenebrarum, sed exutus omnium criminum labe, in sinu Abrahæ collocatus, locum lucis & refrigerii se adeptum gaudeat, ut cum dies judicii advenerit, cum Sanctis & electis tuis eum resuscitari jubeas. Per.

Oratio.

Deus, cui omnia vivunt, & cui non pereunt corpora nostra, sed mutantur in melius, te supplices deprecamur, ut quidquid anima famuli tui vitiorum, tuæque voluntati contrarium, fallente diabolo, & propria voluntate atque fragilitate contraxit, tu pius & misericors ablue indulgendo, eam suscipi jubeas per manus Sanctorum tuorum, deducendamque in sinu patriarcharum tuorum, Abrahæ scilicet amici tui, & Isaac electi tui, & Jacob dilecti tui, quo abfuit dolor & tristitia & suspirium, fidelium quoque animæ felici jucunditate lætantur, & in novissimo magni judicii die inter Sanctos & electos tuos eam facias perpetuæ gloriæ percipere portionem, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor

cor hominis ascendit, quam præparasti diligentibus te.

Oratio.

Temeritatis est, ut homo hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem tibi Domino Deo nostro audeat commendare. Sed quia terra suscipit terram, & pulvis convertitur in pulverem, donec omnis caro in suam redigatur originem, inde Deus tuam piissime Pater lacrymabiliter quæsumus pietatem tuam, ut hujus famuli tui animam, quam de hujus mundi voragine cenulenta ducis ad patriam, Abrahæ amici tui sinu recipias, & refrigerii rore perfundas, sitque ab æstuanti gehennæ truci incendio segregatus, & beatæ requiei te donante conjunctus, & si quæ illi sunt Domine dignæ cruciatibus culpæ, tu eas gratia mitissimæ lenitatis indulge, nec pro peccatis recipiat vicem, sed indulgentiæ tuæ piam sentiat bonitatem. Cumque finito mundi termino supernum cunctis illuxerit regnum, novus homo Sanctorum omnium cœtibus aggregatus, cum electis tuis resurgat in parte dextera collocandus. Per.

Alia oratio.

Te Domine sancte pater omnipotens æterne Deus suppliciter deprecamur pro spiritu famuli tui, quem ab caligine hujus seculi ad te accersiri præcepisti, ut digneris Domine dare ei locum lucidum, locum refrigerii & quietis, liceat ei transire portas infernorum & pœnas tenebrarum, maneatque in mansionibus Sanctorum, & in luce sancta, quam olim Abrahæ promisisti & semini ejus. Nullam læsionem sustineat spiritus ejus, sed cum magnus dies ille resurrectionis ac remunerationis advenerit, resuscitare eum digneris Domine una cum Sanctis & electis tuis, dones ei delicta atque peccata usque ad novissimum quadrantem, tecumque immortalitatis vitam & regnum consequatur. Per.

Oratio.

Viri vulneris novitate percussi & quodam modo sauciati misericordiam tuam mundi redemptor flebiliter imploramus, ut cari nostri animam ad te datorem proprium revertentem blande leniterque suscipias, ut si quas ille ex carnali commoratione maculas contraxit, pietate indulgeas, oblivioni in perpetuum tradas, atque hanc eamdem laudem tibi cum ceteris redditura, ad corpus quandoque reversura, Sanctorum tuorum cœtibus aggregari præcipias.

Oratio.

Deus, qui & justis supplicationibus semper præsto es, qui pia vota dignaris intueri, da famulo tuo, cujus depositionis officia præstamus, cum Sanctis & electis tuis beati muneris portionem. Per.

Oratio.

Debitum humani corporis sepeliendi officium fidelium more complentes, Deum, cui omnia vivunt, fideliter deprecamur, ut hoc corpus cari nostri a nobis in infirmitate sepultum in ordine Sanctorum suorum resuscitet, & ejus spiritum Sanctis ac fidelibus aggregari jubeat, cum quibus inennarabiliter gloria & perenni felicitate perfrui mereatur. Per.

Hic finis, & corpore tumulato dicat sacerdos: Dicite Pater noster. Et ne nos. *Capitulum*. A porta inferi, erue Domine animam ejus. Dominus vobiscum, & cum. *Oratio*. Tibi Domine &c. *ut in editis. Deinde dicat*: Dele Domine. Miserere. Pater noster, & ne nos. A porta, erue Domine. Dominus vobiscum. Et cum. *Oratio*. Deus in cujus miseratione animæ Fidelium requiescunt, famulis & famulabus tuis omnibus hic & ubique in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus sine fine lætentur. Per.

Benedictio.

Benedictio Dei Patris † omnipotentis, & Filii † & Spiritus sancti † descendat super hoc corpus. Amen. *Tunc incipiat hos psalmos septem pœnitentiales*. Domine ne in furore *& ceteros*. Pater noster. Et ne nos. *Capitulum*. A porta inferi. Erue Domine. Dominus vobiscum. Et cum.

Oratio.

Absolve Domine animas famulorum famularumque tuarum, fratrum nostrorum & omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos tuos resuscitati respirent. Per.

INCIPIT ORDO QUALITER SACERDOS PRÆPARET SE AD MISSAM.

Ad manus lavandas. Psalmus. Quam amabilia. *Psalmus*. Benedixisti. *Psalmus*. Inclina Domine. *Psalmus*. Fundamenta. *Psalmus*. Judica me Deus. Psalmus. Credidi. Kirie eleison, Christe eleison, Kirie eleison. Pater noster. *Capitulum*. Exurge Domine. Et libera. Deus tu convertens vivificabis. Et plebs tua. Ostende nobis Domine misericordiam. Et salutare. Propitius esto Domine. Propter. Non intres in judicium. Quia non. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus. Dominus vobiscum. Et cum.

Oratio.

Aures tuæ pietatis mitissime Deus inclina

clina precibus meis, & gratia sancti Spiritus illumina cor meum, ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna caritate diligere merear. Per.

Alia oratio.

Largire sensibus nostris quæsumus omnipotens Deus pater, ut sicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur pollutiones mentium, & crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum. Per.

Ad amictum.

Pone Domine galeam salutis in capite meo ad expugnandas & superandas omnes diabolicas potestates. Per.

Ad albam.

Indue me Domine vestimento salutis, & indumento justitiæ & lætitiæ, & tunica justitiæ circumda me.

Ad cingulum.

Præcinge Domine lumbos mentis meæ pater clementissime, & circumcide vitia cordis mei.

Ad manipulum.

Da mihi Domine sensum rectum, & vocem puram, ut adimplere possim laudem tuam. *Ad stolam.*

Stolam justitiæ circumda Domine cervicem meam, & ab omni corruptione purifica mentem meam.

Ad casulam.

Indue me Domine loricam fidei, & galeam salutis in Christo Jesu Domino nostro.

Quando ingreditur ad Altare dicit:

Adjutorium nostrum in nomine Domini. Qui. Ego miser & infelix confiteor Deo omnipotenti & beatæ Mariæ perpetuæ virgini, & beato Michaeli archangelo & sanctis apostolis Petro & Paulo, & omnibus Sanctis, & tibi pater, mea culpa III. quia peccavi in cogitatione, suggestione, delectatione, consensu, verbis & opere, & omnibus vitiis meis malis, unde precor beatam virginem Mariam, & beatum Michaelem archangelum, & sanctos apostolos Petrum & Paulum, & beatum N. & omnes Sanctos, & te Patrem orare pro me peccatore Dominum nostrum Jesum Christum.

Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia vestra peccata præterita & præsentia, & de futuris vos custodiat, liberet vos ab omni opere malo, salvet & confirmet vos in omni opere bono, & perducat vos cum angelis suis ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam & remissionem & absolutionem omnium peccatorum, & spatium veræ pœnitentiæ, & gratiam sancti Spiritus tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus. Amen. *Capitulum* Deus tu convertens. Et plebs. Ostende nobis. Et salutare. Propitius esto Domine peccatis. Propter nomen. Ab occultis meis. Et ab alienis. Domine exaudi. Et clamor. Dominus vobiscum. Et cum.

Oratio.

Aufer a nobis quæsumus Domine omnes iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per.

Quando sacerdos est ad altare dicat:

Oramus te Domine, ut per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt, eorum intercessionibus omnipotens Deus indulgere digneris mihi omnia peccata mea. Per.

Dum cantatur epistola & graduale & alleluja, sacerdos dicat hanc orationem.

Suscipe confessionem meam una spes salutis meæ Domine Deus meus. Gula, ebrietate, fornicatione, libidine, tristitia, avaritia, ira, acidia, somnolentia, negligentia, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vanagloria, levitate ac superbia perditus sum, & omnino cogitatione, locutione, actione, atque omnibus sensibus extinctus sum. O Domine, qui justificas impios & vivificas mortuos, justifica me, & resuscita me Domine Deus meus. Per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit & regnat &c.

Maria beatissima mater Dei & hominis gloriosa, inter omnes mulieres benedicta, cœli & terræ Domina, super omnes Angelos & Archangelos exaltata, tu dignare pro me peccatore preces effundere, cujus oratio non potest ab eo, qui ex te natus est, despici, nec quid aliquatenus a Filio tuo & creatore contemni. O singularis & nova puerpera adoro virginalis uteri tui conceptum. Adoro partum ex intemeratæ virginis flore progenitum. Adoro ex te virginitatis tuæ signaculum ineffabiliter prodeuntem. Adoro in cunabulis pueriliter vagientem. Adoro ubera materna sugentem. Ora pro me misero beata Dei genitrix, ut qui ex te verum hominem est dignatus induere, in mente mea non dedignetur invisibiliter habitare. Tibi etiam piissima Domina turpitudinem corporis, & animæ meæ confiteri non erubesco, quia in peccatis conceptus & in peccatis nutritus, & in peccatis post baptisma usque ad hanc horam cum omnibus peccatoribus conversatus animam meam

meam in carne positam pollui, templum corporis mei de omni genere fornicationis & pollutionis & immunditiæ coinquinavi. Peccavi ego miser & infelix in negligentia & transgressione sanctæ legis & omnium mandatorum filii Dei, & officii sacerdotalis, & obedientiæ mihi commissæ, & omnium actuum eorum. Non est iniquitas super meam iniquitatem, super omnes peccatores sæpius & gravius cecidi, plus omnibus hominibus carnalibus vitiis sive spiritualibus ab infantia mea indesinenter peccavi. Propterea mente & corpore pollutus sum, non sum dignus tractare vel suscipere corpus Filii tui. Nunc ergo mater misericordiæ ora pro me peccatore ad eumdem Filium tuum Dominum nostrum, qui passus est pro nobis, quem tu gloriosa & benedicta genuisti, Deum & hominem pro redemptione omnium peccatorum.

Ad benedictionem evangelii. Diaconus petat benedictionem dicens: Benedic, Jube. ℟. Dominus sit in corde tuo, ut digne & competenter pronuncies evangelium pacis. *Demum osculetur evangelium, & dicat*: Pax christi, quam nobis per evangelium suum tradidit, confirmet & conservet corda & corpora nostra in vitam æternam. Amen. *Quando mittitur incensum in thuribulum dicit*: Ab ipso benedicaris, pro cujus amore cremaris. *Deinde incensetur evangelium; quo lecto evangelium osculetur dicendo*: Per istos sanctos sermones evangelii Dominus noster Jesus Christus indulgeat mihi omnia peccata mea Amen.

Ad Corporale benedictio. In tuo conspectu Domine hæc nostra munera tibi placita sint, ut nos tibi placere possimus.

Quando oblata super altare ponit. Tibi Domine creatori meo hostiam offero pro remissione omnium peccatorum meorum, & cunctorum fidelium tuorum viventium & mortuorum.

Quando aqua mittitur in calicem, dicat sacerdos. Ex latere Christi sanguis & aqua exiisse perhibetur, & ideo pariter commiscentur, ut misericors Deus utrumque ad medelam animarum nostrarum sanctificare dignetur.

Quando calix ponitur super altare dicat. Offerimus tibi Domine calicem salutaris, humiliter implorantes clementiam tuam, ut ante conspectum Divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat.

Sequitur cum cruce super utrosque. Oblatum tibi Domine munus sanctifica, ut nobis unigeniti tui Filii Domini nostri Jesu Christi corpus & sanguis fiat.

Sequitur. Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, benedic hoc sacrificium tibi præparatum.

Sequitur. In nomine Domini nostri Jesu Christi sit hoc sacrificium immaculatum, & a te Deo vivo & vero adunatum & benedictum in secula seculorum. Amen.

Quando incensum ponitur in thuribulum dicat. Per intercessionem &c. *ut in editis*.

Cum incensat oblata & calicem, dicat ista cum tribus crucibus super utrosque, & regyrando tribus vicibus dicat. Domine Deus noster, qui suscepisti munera Abel, Noe, Aaron, Samuel & omnium Sanctorum tuorum, sic & de manu peccatorum nostrorum suscipere digneris incensum istud in conspectu tuo in odorem suavitatis, in remissionem peccatorum nostrorum. Per Christum.

Cum incensat oblata & calicem dicat: Incensum istud &c. *ut in editis*. *Sacerdos humiliter inclinet se ante altare & dicat*. Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offert famulus tuus, & præsta, ut in conspectum tuum tibi placens ascendat.

Sequitur. Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & pro famulis & famulabus tuis, qui se commendaverunt in nostris orationibus, & pro omni populo Christiano, vivis atque defunctis, ut mihi & illis proficiat ad medelam, & ad vitam æternam.

Deinde erigat se sacerdos, & vertat se ad fratres dicens. Orate fratres charissimi pro me, ut meum ac vestrum sacrificium acceptum sit in conspectu Domini.

Et illi respondeant. Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem & gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostrarum animarum, totiusque ecclesiæ suæ sanctæ.

In nativitate Domini præfatio. Dignum & justum est, æquum & salutare, *usque* æterne Deus.

Sic in præfationibus Quadragesimæ, Resurrectionis & Pentecostes.

Præfatio mortuorum. Per quem salus mundi, per quem vita hominum, per quem resurrectio mortuorum. Per ipsum te Domine suppliciter deprecamur, ut animæ famuli tui & animabus famulorum famularumque tuarum indulgentiam largiri digneris perpetuam, atque a contagiis mortalitatis exutas in æternæ salvationis partem restituas. Per quem.

Alia præfatio.

Dignum & justum est, æquum & sa-

salutare. Qui nobis in Christo unigenito Filio tuo Domino nostro spem beatæ resurrectionis concessisti, præsta quæsumus, ut animæ, pro quibus hoc sacrificium redemptionis nostræ tuæ offerimus majestati, ad beatæ resurrectionis quietem te miserante cum Sanctis tuis pervenire mereantur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Per quem.

Alia præfatio.

Dignum & justum est, æquum & salutare. Qui es fons vitæ, origo luminis, & auctor totius bonitatis, cujus omnipotentia deprecanda est, misericordia adoranda, pietas amplectenda, majestatem tuam humili tuo servo, & animabus omnium fidelium Christianorum, intercedente beata & gloriosa Dei genitrice Maria cum omnibus Sanctis tuis, remissionem omnium tribuas peccatorum, & ad vitam perducas feliciter sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. Per quem.

Antequam dicat Te igitur, *dicat.* Aperi Domine os meum ad benedicendum nomen tuum sanctum, mundaque cor meum ab omnibus variis & nequissimis cogitationibus, ut exaudiri merear deprecans pro populo tuo, quem elegisti tibi, præstante Domino nostro Jesu Christo. Qui cum Patre.

Te igitur *& cetera hujus orationis, ut in editis. Hic debet sacerdos recordare nomina vivorum.* Memento Domine *&c. usque ad* Libera nos quæsumus Domine. *In Communicantes additur post* Damiani *nomen* Blasii, *& in Nobis* quoque peccatoribus, *post* Anastasia, *additur* Scholastica.

Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis præteritis, præsentibus & futuris, & intercedentibus pro nobis beata & gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria, & electis archangelis tuis Michaele, Gabriele, Raphaele, beatoque Johanne Baptista, & beatis apostolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, & Johanne, sanctoque Apollinare, & Laurentio, & Benedicto cum omnibus sanctis tuis. *Hic signat se cum patena.* Da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti & a peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi. Per Dominum nostrum &c. per omnia secula seculorum. ℟. Amen. Pax Domini sit semper vobiscum. Et cum. Agnus Dei III.

Cum corpus in sanguinem mittit, dicat sacerdos orationem. Fiat hæc consecratio & commixtio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi omnibus accipientibus nobis salus in vitam æternam. Amen. *Deinde osculetur altare, & dicat orationem.* Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis, pacem meam do vobis, ne respicias peccata mea, sed devotionem, fidemque ecclesiæ tuæ, eamque secundum voluntatem tuam purificare & adunare dignare. Qui vivis.

Deinde faciat pacem dicendo. Habete vinculum caritatis & pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis, & pax Christi & ecclesiæ semper abundet in cordibus vestris.

Antequam accipiat corpus & sanguinem, inclinet se sacerdos ante altare, & lacrymabiliter dicat hanc orationem. Domine sancte pater omnipotens Deus da mihi hoc corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi ita sumere, ut merear per hoc remissionem peccatorum accipere, & tuo sancto spiritu repleri, quia tu es Deus, & præter te non est alius, cujus gloriosum nomen permanet in secula seculorum. Amen.

Alia oratio.

Domine Jesu Christe fili Dei vivi, pastor bone, gloriosissime conditor mundi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam vivificasti mundum, libera me per hoc sacrosanctum corpus & sanguinem tuum a cunctis iniquitatibus, & universis malis meis, & fac me tuis sanctis obedire mandatis, & a te nunquam in perpetuum permittas separari, & perceptio tui corporis & sanguinis, quæ indignus sumere præsumo, non mihi veniat in judicium & condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis & corporis per te Jesu Christe, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

Tunc sacerdos dicat tribus vicibus. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. *Postea dicat tribus vicibus.* Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam meam in vitam æternam. Amen.

Post acceptum corpus & sanguinem, ad perfundendum dicat hanc orationem. Communicatio & confirmatio corporis & sanguinis tui Domine Jesu Christe, prosit mihi in remissionem omnium peccatorum meorum, & conservet me & perducat ad vitam æternam. Amen.

Ad replicandum corporale & reponendum. Corpus tuum Domine, quod sumpsi, & calix, quem potavi, adhæreant semper in visceribus meis, ut in me non remaneat ulla macula, in quem pura & sancta introjerunt sacramenta.

Fini-

Finita Missa dicit sacerdos istam orationem. Placeat tibi sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, quod oculis tuæ majestatis indignus obtuli, sit tibi placens, mihique, & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile.

Finita missa dicit sacerdos: Meritis & intercessionibus istorum misereatur nostri omnipotens Deus.

Cum exuit se sacerdos, dicat hos psalmos. Benedicite sacerdotes Domini Dominum. Laudate Dominum in Sanctis ejus. Kirie, Christe, Kirie. Pater noster. Et ne nos. *Capitulum.* Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. Et sancti tui benedicant tibi. Exultabunt sancti in gloria. Et lætabuntur in cubiculis suis. Exultent justi in conspectu Dei. Et lætentur in lætitia. Sacerdotes tui Domine induantur justitiam. Et sancti tui exultent. Domine exaudi. Et clamor. Dominus vobiscum. Et cum.

Oratio.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius per interventum & merita omnium Sanctorum tuorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per.

MISSA IN HONOREM SANCTÆ TRINITATIS DIE DOMINICO.

Benedicta sit &c. ut in editis. *Psalmus* Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu. *Oratio* Omnipotens sempiterne Deus &c. *Graduale.* Benedictus es Domine, qui intueris abyssos, & sedes super Cherubim. Benedicite Deum cœli cœlorum, quia fecit nobiscum misericordiam suam. *Alleluja.* Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis in secula.

Sequentia sancti evangelii secundum Johannem. In illo tempore dixit Jesus. Cum venerit Paraclitus *usque* ego dixi vobis. *Offertorium, Communio & Postcommunio ut in editis.*

Alia oratio.

Domine Deus pater omnipotens nos famulos tuos tuæ majestati subjectos per unicum Filium tuum in virtute sancti Spiritus benedic semper & protege, ut ab omni hoste securi in tua jugiter laude lætemur. Per eumdem.

MISSA FERIÆ II. IN SANCTORUM ANGELORUM HONORE.

Benedicite Dominum &c. *Oratio.* Perpetuum nobis Domine tuæ miserationis præsta subsidium, quibus & angelica præstitisti suffragia non deesse. Per. Lectio

libri Apocalypsis Johannis apostoli. In diebus illis dixit mihi Angelus. Scribe beati &c. *usque* Deum adora. *Graduale.* Benedicite Dominum omnes Angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus. Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomen sanctum ejus. *Alleluja.* Laudate Dominum omnes angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus. Sequentia sancti evangelii secundum Johannem. In illo tempore ascendit Dominus Hierosolymam, *usque* detinebatur infirmitate. *Offertorium, & secreta ut in editis. Communio.* Benedicite omnes angeli Domini Dominum, hymnum dicite & superexaltate eum in secula. *Postcommunio, ut in editis.*

MISSA DE SAPIENTIA.

Lætetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem ejus semper. *Psalmus.* Confitemini Domino & invocate. *Oratio.* Deus qui per coæternam tibi Sapientiam, hominem, cum non esset, condidisti, perditumque misericorditer reformasti, præsta quæsumus, ut eadem pectora nostra inspirante te tota mente amemus, & ad te toto corde curramus. Per. Lectio epistolæ beati Jacobi apostoli. Carissimi. Si quis vestrum indiget &c. *usque* in humilitate sua. *Graduale.* Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra. Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos. *Alleluja.* Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo, quamdiu ero. Sequentia sancti evangelii secundum Johannem. In illo tempore. Sublevatis Dominus Jesus &c. *usque ad* Jesum Christum. *Offertorium.* Meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi nimis, & levabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. *Secreta.* Sanctificetur quæsumus Domine Deus hujus oblationis munus tua cooperante sapientia, ut tibi placere possit ad laudem, & nobis proficere ad salutem. Per. *Communio.* Domine memorabor justitiæ tuæ solius, Deus docuisti me a juventute mea, & usque in senectam & senium Deus ne derelinquas me. *Postcommunio.* Infunde quæsumus Domine Deus per hæc sacramenta, quæ sumpsimus, tuæ lumen cordibus nostris sapientiæ, ut & te veraciter agnoscamus, & fideliter amemus. Per.

MISSA DE CARITATE FERIA IV.

Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris alleluja, per inhabitantem Spiritum

ff ij ejus

ejus in nobis alleluja alleluja. Domine Deus salutis meæ. *Oratio*. Deus, qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Lectio epistolæ beati Pauli apostoli ad Corinthios. Fratres, caritas patiens est &c. *usque* nunquam excidit. *Graduale*. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. *Alleluja*. Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Sequentia sancti evangelii secundum Johannem. In illo tempore. Dixit Jesus discipulis suis. Filioli adhuc modicum &c. *usque* ad invicem. *Offertorium*. Benedictus es Domine, doce me justificationes tuas, in labiis meis pronuntiavi. *Secreta*. Deus qui nos ad imaginem tuam sacramentis revocas, & præceptis, perfice gressus nostros in semitis tuis, ut caritatis donum, quam fecisti a nobis sperari, per hæc, quæ offerimus sacrificia, veraciter facias apprehendi. Per. *Communio*. Domine memorabor justitiæ tuæ solius, Deus docuisti me a juventute mea, & usque in senectam & senium Deus ne derelinquas me. *Ad Postcommunionem*. Spiritum in nobis Domine tuæ caritatis infunde, ut quos uno pane cœlesti satiasti, tua facias pietate concordes. Per.

MISSA AD POSTULANDAM GRATIAM SPIRITUS SANCTI.

DEUS patrum nostrorum da nobis spiritum, qui flammam infundat in cordibus nostris. *Psalmus*. Benedicite omnia opera. *Oratio*. In diebus illis dixit Salomon. Deus patrum nostrorum &c. *usque* ancillæ tuæ. *Graduale*. Respice Domine in testamentum tuum, & animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. Exurge Domine, & judica causam tuam, memor esto opprobrii servorum tuorum. *Alleluja*. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris ignem accende. Sequentia sancti evangelii secundum Matthæum. In illo tempore: Respondens Dominus Jesus dixit. Confiteor &c. *usque* filius revelare. *Offertorium*. Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda, & dulciores super mel & favum, nam & servus tuus custodit eas. *Secreta*. Hæc oblatio Domine Deus cordis nostri maculas emundet, ut sancti Spiritus digna efficiatur habitatio. Per. *Communio*. Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus; beatus vir, qui sperat in eo. *Ad Communionem*. Concede nos quæsumus omnipotens Deus Spiritum sanctum votis promereri sedulis, quatenus ejus gratia ab omnibus liberemur tentationibus, & peccatorum nostrorum indulgentiam mereamur accipere. Per.

FERIA VI. IN HONOREM S. CRUCIS.

Nos autem &c. *ut in editis usque ad Alleluja*. Alleluja. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi. Sequentia sancti evangelii secundum Matthæum. In illo tempore. Assumpsit Jesus &c. *Communio*. Redemptor mundi signo Crucis ab omni nos adversitate custodi, qui salvasti Petrum in mari, miserere nobis. *Postcommunio*. Refecti cibo potuque cœlesti, quæsumus omnipotens Deus, ut ab hostium defendas formidine, quos pretioso Filii tui sanguine redemisti. Per eumdem.

SABBATO MISSA IN HONOREM SANCTÆ MARIÆ.

Salve sancta parens &c. Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. *Oratio*. Concede nos &c. *Alleluja*. Post partum virgo inviolata permansisti alleluja. Sequentia sancti evangelii secundum Lucam. In illo tempore. Extollens &c.

In alia Missa sanctæ Mariæ oratio. Deus, qui violatæ naturæ per virginale decus adhibes medicinam, fac nos beatæ Mariæ virginis precibus & fermentum conceptum pravitatis abjicere, & in novitatis azimam de vetustate transire.

MISSA PRO CONGREGATIONE.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia solus, prætende super famulos tuos, & super cunctas congregationes illis commissas, spiritum gratiæ salutaris, & ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per. *Secreta & Communio prout in editis*.

MISSA PRO PETITIONE LACRYMARUM

Oratio. Omnipotens &c. *ut in editis*. *Postcommunio*. Corpore & sanguine tuo Domine satiati quæsumus, ut pro nostris peccatis semper compunctionem cordis, luctum, & flumina lacrymarum largiaris, quatenus cœlestem in futuro consolationem mereamur. Per.

MISSA PRO TRIBULATIONE.

Omnipotens sempiterne Deus, mœstorum

rum consolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium, ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant affuisse: Per. *Secreta*. Has tibi Domine hostias offerimus pro salute nostra, & pro omnibus angustiis nobis imminentibus, quatenus corpora & animas nostras Spiritus sancti gratia liberare atque illuminare digneris. *Ad communionem*. Da nobis quæsumus de tribulatione lætitiam, ut qui diu pro peccatis nostris affligimur, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, in tua misericordia respiremus. Per.

Missa pro Iter Agentibus.

Oratio, Secreta & Postcommunio eædem quæ in editis. Additur. Prosperum iter faciat nobis Deus, Angelus Domini bonus comitetur nobiscum, & bene disponat itinera nostra Deus noster. Exurgat. Gloria. Prosperum. *Oratio*. Deus, qui diligentibus te misericordiam tuam semper impendis, & a servientibus tibi in nulla es regione longinquus, dirige viam famulorum tuorum in voluntate tua, ut te protectore, te duce, per justitiæ semitas sine offensione gradiantur. Per.

Lectio Genesis. In diebus illis profectus est Israel *usque* revertentem.

Angelus Domini bonus comitetur vobiscum, & bene disponat itinera vestra. Prosperum iter faciat vobis Deus salutaris noster. *Alleluja*. Prosperum iter faciat nostrum Deus salutaris noster. Alleluja.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis *usque* illi civitati. *Offertorium*. Angelus Domini bonus comitetur vobiscum, & bene disponat iter vestrum alleluja. *Communio*. Sicut præcessit Tobiam Raphael archangelus ad præparandam viam, ita comitetur vobiscum, & bene disponat itinera vestra. *Postcommunio*. Dirige quæsumus Domine viam famulorum tuorum in voluntate tua, nosque propitius exaudi supplicantes, ut habeant iter prosperum, & in te cor directum. Per.

Missa pro Tentatione Carnis.

Ure &c. *ut in editis usque ad totam secretam*. *Ad Communionem*. Domine adjutor & protector adjuva nos, & refloreat caro nostra vigore pudicitiæ, & sanctimoniæ novitate, ereptamque de manu tartari in resurrectionis gaudio jubeas repræsentari. Per.

Missa pro Immundis Cogitationibus.

Omnipotens &c. *ut in editis*. *Secreta*. Per hoc quæsumus Domine sacrificium, quod tuæ obtulimus majestati, ab omnibus corda nostra emunda tentationibus. Per.

Missa pro Peccatis.

Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit, quia apud te propitiatio est Deus noster. *Psalmus*. De profundis clamavi ad te Domine. *Oratio*. Parce Domine, parce peccatis nostris, & quamvis incessabiliter delinquentibus continua pœna debeatur, præsta quæsumus, ut quod ad perpetuum meretur exitium, transeat ad correctionis auxilium. Per. Lectio epistolæ beati Pauli apostoli ad Corinthios. Fratres condelector &c. *usque ad* Christum Dominum nostrum. *Graduale*. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo. *Alleluja*. De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi orationem meam. Fiant aures tuæ intendentes in orationem servi tui. Sequentia sancti evangelii secundum Marcum. In illo tempore dixit Jesus discipulis suis. Habete fidem Dei *usque ad* peccata vestra. *Offertorium*. Miserere mihi, & secundum magnam misericordiam tuam dele iniquitatem meam. *Secreta*. Hæc hostia Domine quæsumus ecclesiam tuam ab occultis reatibus semper expediat, & a manifestis convenienter expurget. Per. *Communio*. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo. *Ad communionem*. Præsta nobis æterne Salvator, ut percipientes hoc munere veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus. Per.

Missa Pro Tribulatione Ecclesiæ.

Deus pater orphanorum, judexque viduarum, lacrymas ecclesiæ tuæ miseratus intende, illamque tua misericorditer eripiat majestas, quam nulla terrena defendit potestas. Per. *Secreta*. Hæc hostia Domine, quam pro infidelium telis offerimus, tibi sit accepta, ut per hæc, quod devote poscimus, te adjuvante consequamur. Per. *Postcommunio*. Deprime quæsumus omnipotens jura tyrannorum tibi adversantium, ut discant te fore protectorem ecclesiæ tuæ tuo pretioso sanguine redemptæ. Per.

Mis-

Missa pro Serenitate.

Oratio. Ad te nos Domine &c. *Ad Communionem*. Plebs tua Domine capiat sacræ benedictionis augmentum, & copiosis beneficiorum tuorum sublevetur auxiliis, quæ tantis intercessorum deprecationibus adjuvatur. Per.

Missa pro Poenitentibus.

Justus es Domine, & rectum judicium tuum; fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam. *Psalmus*. Beati immaculati in via. *Oratio*. Deus, qui justificas impium, & non vis mortem peccatorum, majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut famulum tuum de tua misericordia confidentem cœlesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famuletur, & nullis tentationibus a te separetur. Per Dominum. Lectio epistolæ beati Pauli apostoli ad Romanos. Fratres, sicut per unius hominis *&c. usque* Domino nostro. *Graduale*. Salvum fac servum tuum Domine. Deus misericors sperantem in te. Auribus percipe Domine orationem meam, & clamor meus ad te perveniat. Sequentia sancti evangelii secundum Lucam. In illo tempore erant appropinquantes *&c. usque* pœnitentiam agente. *Offertorium*. De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi orationem meam. *Secreta*. Suscipe munera quæsumus Domine, quæ tibi pro famulo tuo de tua largitate deferimus, ut hæc sacrosancta mysteria, gratiæ tuæ operante virtute, & præsentis vitæ cum conversatione sanctificent, & ad gaudia æterna perducant. Per. *Communio*. Dico vobis, gaudium est coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. *Ad Communionem*. Purificent nos Domine tua sancta, quæ sumpsimus, & famulum tuum ab omni culpa liberum esse concede, ut qui conscientiæ suæ reatu constringitur, de cœlestis remedii plenitudine glorietur. Per.

Missa pro semetipso Sacerdote.

Suppliciter te piissime Deus pater omnipotens, qui es creator omnium rerum, deprecor, ut dum me famulum tuum coram omnipotentia majestatis tuæ graviter deliquisse confiteor, per intercessionem beatæ Mariæ semper virginis, & omnium Sanctorum tuorum, manum misericordiæ tuæ mihi porrigas, quatenus, dum hanc oblationem tuæ pietati offero, quod nequiter admisi, clementissime me digneris absolvere. Per Dominum. *Secreta*. Deus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, indulge quæso & miserere mei servo tuo, & sacrificium, quod pietatis tuæ gratia humiliter offero, benigne digneris suscipere, & peccata, quæ labentibus vitiis contraxi, interventu beatæ Mariæ semper virginis, & omnium Sanctorum tuorum, pius ac propitius & misericors indulgeas, & locum pœnitentiæ ac lacrymarum flumina concede, ut veniam meorum merear recipere delictorum. Per Dominum. *Postcommunio*. Misericors & miserator Domine, qui parcendo sustentas, & ignoscendo sanctificas, da mihi per hæc sancta, quæ sumpsi, purificationem mentis & corporis, & intercessione beatæ Mariæ semper virginis, & omnium Sanctorum tuorum, merear absolutionem culparum. Per.

Alia Missa pro semetipso Sacerdote.

Introitus. Deus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua judica me. Deus exaudi orationem meam. *Psalmus*. Auribus percipe. *Oratio*. Omnipotens sempiterne Deus &c. *eadem, quæ in editis legitur in Postcommunione*. Lectio epistolæ beati Pauli apostoli ad Timotheum. Carissime. Fidelis sermo *usque* secula seculorum amen. *Graduale*. Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. *Alleluja*. Domine Deus salutis meæ in die clamavi & nocte coram te. Sequentia sancti evangelii secundum Marcum. In illo tempore venit ad Jesum leprosus *&c. usque* in in testimonium illis. *Offertorium*. Domine exaudi orationem meam, & in auxilium meum respice. Confundantur & revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam, ut auferant eam. *Secreta*. Placare quæsumus Domine humilitatis meæ precibus, ut ubi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuis mihi succurre præsidiis. Per. *Communio*. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo. *Postcommunio*. Sumpsimus Domine Deus salutis nostræ sacramenta cœlestia, præsta quæsumus, ut eorum participatio mihi famulo tuo ad perpetuam proficiat salutem. Per.

In Vigilia unius Apostoli.

Ego autem &c. *Oratio*. Deus qui nos beati apostoli tui. N. natalitia gloriosa præire concedis, tribue nobis quæsumus, ejus semper & beneficiis præveniri, & orationibus adjuvari. Per. Lectio libri Sapientiæ. Beatus vir *&c. usque* ecclesia

ſia Sanctorum. *Graduale* & verſus ut in editis. Sequentia ſancti evangelii ſecundum Johannem. In illo tempore. Dixit Jeſus diſcipulis ſuis. Ego ſum vitis vera *&c. uſque* impleatur. *Offertorium, ut in editis. Secreta.* Muneribus noſtris quæſumus Domine beati Apoſtoli tui N. feſta prævenimus, cujus meritis pro nobis tibi grata reddantur. Per. *Ad Poſtcommunionem.* Sumptis Domine cœleſtibus ſacramentis majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut intercedente beato Apoſtolo tuo N. quod temporaliter gerimus, ad vitam capiamus æternam. Per.

Missa in Natali plurimorum Apostolorum.

Intret. *Oratio.* Concede quæſumus omnipotens Deus, ut ſicut apoſtolorum NN. glorioſa natalitia prævenimus, ſic ad tua beneficia promerenda majeſtatem tuam pro nobis ipſi præveniant. Per. Lectio epiſtolæ beati Pauli apoſtoli ad Epheſios. Fratres unicuique veſtrum *&c. uſque* plenitudine Chriſti. *Graduale.* Vindica Domine ſanguinem Sanctorum tuorum, qui effuſus eſt. Poſuerunt mortalia ſervorum tuorum eſcas volatilibus cœli, carnes Sanctorum tuorum beſtiis terræ. Sequentia ſancti evangelii ſecundum Matthæum. In illo tempore circuibat Jeſus *&c. uſque* gratis date. *Offertorium.* Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis, exaltationes Dei in faucibus eorum. *Secreta.* Muneribus noſtris apoſtolorum tuorum Domine feſta præimus, humiliter implorantes, ut quæ conſcientiæ noſtræ præpediuntur obſtaculis, illorum meritis tibi grata reddantur. Per. *Communio.* Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. Viſi ſunt oculis &c. *Ad poſtcommunionem.* Sumptis Domine cœleſtibus ſacramentis, majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut intercedentibus beatis apoſtolis tuis N. N. quod temporaliter gerimus, ad vitam capiamus æternam. Per.

Missa in Vigilia uniuscujusque volueris.

Ego autem ſicut oliva fructificavi in domo Domini, ſperavi in miſericordia Dei mei, & expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt ante conſpectum Sanctorum tuorum. *Pſalmus.* Quid gloriaris. *Oratio.* Concede nobis quæſumus omnipotens Deus venturam beati N. ſolemnitatem congruo prævenire honore, & venientem digna celebrare veneratione. Per. Lectio libri Sapientiæ. Benedictio Domini *&c. uſque* corona gloriæ. *Graduale.* Juſtus ut palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Ad annuntiandam mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. *Evangelium.* Ego cum vitis. *Offertorium require retro. Secreta.* Accepta ſit tibi Domine noſtræ devotionis oblatio, ut ad ſancti N. puriores nos faciat venire feſtivitatem. Per. *Communio.* Magna eſt gloria in ſalutari tuo. *Ad poſtcommunionem.* Præſta nobis Deus æterne largitor, ejus ubique pia protegi devotione, cujus natalitia per hæc ſancta, quæ ſumpſimus, votivo prævenimus obſequio. Per.

Missa in Natali unius Martyris.

Lætabitur *&c. ut in editis. Oratio.* Votivos nos quæſumus beati N. martyris tui natalis ſemper excipiat, qui & jucunditatem nobis ſuæ glorificationis infundat, & tibi nos reddat acceptos; Per. Lectio libri Sapientiæ. Juſtum deduxit Dominus *&c. uſque* Deus noſter. *Graduale.* Poſuiſti Domine ſuper caput ejus coronam de lapide pretioſo. Deſiderium animæ ejus tribuiſti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum. *Alleluja.* Lætabitur juſtus in Domino, & ſperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde. Sequentia ſancti evangelii ſecundum Lucam. In illo tempore. Dixit Jeſus diſcipulis ſuis. Si quis *&c. uſque* eſſe diſcipulus. *Offertorium, Secreta, Communio & Poſtcommunio, ut in editis.*

Missa in Unius Martyris non Pontificis.

Justus non conturbabitur, quia Dominus firmat manus ejus, tota die miſeretur & commodat, & ſemen ejus in benedictione erit, in æternum conſervabitur. *Pſalmus.* Noli æmulari. *Oratio.* Deus qui nos N. martyris meritis & interceſſione lætificas, concede propitius, ut qui ejus beneficia poſcimus, dono tuæ gratiæ conſequamur. Per. Lectio libri Sapientiæ. Beatus vir *&c. uſque* Deus noſter. Poſuiſti Domine. Deſiderium. Alleluja. Poſuiſti. Sequentia ſancti evangelii ſecundum Lucam. In illo tempore. Dixit Dominus Jeſus diſcipulis ſuis. Si quis vult, *uſque* regnum Dei. *Offertorium.* In virtute tua Domine lætabitur juſtus *&c. uſque* Domine. *Secreta.* Munera Domine oblata ſanctifica, & intercedente beato N. martyre tuo, nos per hæc a peccatorum noſtrorum maculis emunda. Per. *Communio.* Magna eſt gloria ejus in ſalutari. *Ad Poſtcom-*

communionem. Sumpsimus Domine in sancti martyris tui N. sollemnitate cœlestia sacramenta, ejus quæsumus intercessione largiaris, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per.

Missa in Natali Plurimorum Martyrum.

Sapientiam Sanctorum &c. *Psalmus*. Gaudete justi. *Oratio*. Beatorum martyrum tuorum N. N. natalitia veneranda quæsumus Domine ecclesia tua devota suscipiat, & fiat magnæ glorificationis amore devotior. Per. Lectio libri Sapientiæ. Lingua sapientum *&c. usque* a Domino. *Graduale*. Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Cantate Domino canticum novum, laus ejus in ecclesia Sanctorum. *Alleluja*. Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te. Sequentia sancti evangelii secundum Matthæum. In illo tempore videns Jesus *&c. usque* in cœlis. *Offertorium*. Mirabilis Deus &c. *Secreta*. Munera tibi Domine *&c. Postcommunio*. Protege Domine plebem tuam, & quam in martyrum tuorum assidue tribuis festivitate devotam, tibi semper placitam fieri precibus concede justorum. Per.

Missa alia in Natali Plurimorum Martyrum.

Intret &c. *Oratio*. Deus qui nos. Lectio libri Sapientiæ. Reddet Deus mercedem laborum *usque* Domine Deus noster. *Alia lectio* epistolæ beati Pauli apostoli ad Hebræos. Fratres Sancti per fidem *usque* Domino nostro. Vindica Domine sanguinem Sanctorum tuorum, qui effusus est. Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ. *Alleluja*. Hæc est vera fraternitas, quæ vincit mundi crimina, Christum secuta est, inclyta tenens regna cœlestia. Sequentia sancti evangelii secundum Lucam, *ut in editis in prima Missa*. *Offertorium*. Lætamini. *Secreta*. Munera. *Communio*. Justorum animæ. *Postcommunio*. Præsta nobis &c.

Missa in Natali Confessoris.

Sacerdotes &c. *Oratio*. Da quæsumus. *Lectio epistolæ eadem, quæ in communi Doctorum*. *Graduale*. Ecce sacerdos. *Alleluja*. Inveni David. *Evangelium secundæ Missæ*. *Offertorium primæ Missæ editarum*. *Secreta*. Sacris altaribus Domine hostias superpositas quæsumus, ut sanctus tuus N. pontifex atque confessor in salutem nobis provenire deposcat. *Communio secundæ Missæ*. *Postcommunio*. Beati confessoris tui N. Domine suffragiis exoratus percepta sacramenti tui nos virtute defende. Per.

Missa pro Junioribus Confessoribus, qui non sunt Pontifices.

Introitus, *& Oratio de communi abbatum*. Lectio libri Sapientiæ. Benedictio Domini *usque* gloriæ. *Graduale*. Os justi *usque* gressus ejus. *Alleluja* Amavit. *Evangelium*. Vigilate. *Offertorium*. Desiderium. *Secreta*. Hostias tibi Domine pro commemoratione sancti N. confessoris tui offerimus, quem a tui corporis unitate nulla tentatio separavit. Per. *Communio & Postcommunio ex editis in communi Doctorum*.

Missa in Natali Confessoris.

Statuit. *Psalmus*. Misericordias tuas in æternum &c. *Oratio*. Adesto. *Epistola ut in editis in prima Missa confessoris pontificis*. *Graduale*. Inveni David. *Alleluja*. Domine quinque talenta. *Evangelium*. Homo peregre. *Offertorium*. Veritas. *Secreta*. Donis cœlestibus da quæsumus Domine libera nos mente inservire, & munera, quæ deferimus, interveniente beato N. confessore tuo, medelam nobis operentur & gloriam. Per. *Communio*. Domine quinque talenta. *Postcommunio*. Repleti alimonia cœlesti quæsumus Domine, ut intercedente beato N. confessore tuo, misericordiæ tuæ gratiam consequi mereamur. Per.

Missa in Natali Virginis.

Loquebar. *Oratio*. Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut beatæ N. martyris tuæ sollemnia recensentes meritis ipsius protegamur & precibus. Per. *Epistola*. Fratres, qui gloriatur. *Graduale*. Dilexisti. *Alleluja*. Diffusa. *Evangelium*. Simile. *Offertorium*. Offerentur regi. *Secreta*. Vota populi tui quæsumus Domine propitiatus intende, & cujus nos tribuis sollemnia celebrare, fac gaudere suffragiis. Per. *Communio*. Quinque prudentes. *Postcommunio*. Supplices te rogamus omnipotens Deus, ut interveniente beata N. martyre tua, & tua in nobis dona multiplices, & tempora nostra disponas. Per.

Alia Missa de Virginibus.

Introitus, *Psalmus & oratio, ut in editis in prima unius Virginis*. Lectio libri Sapientiæ. Sapientia vincit malitiam, *usque* disciplina Dei. *Graduale*-

duale. Specie tua. Alleluja. O quam pulcra est casta generatio cum claritate. *Evangelium, ut in editis in unius martyris non Virginis. Offertorium*. Filiæ regum. *Secreta, Communio, & Postcommunio, ut in editis in secunda unius Virginis*.

MISSA IN DIE DEPOSITIONIS.

ROGAMUS te Domine Deus noster, ut suscipias animam hujus defuncti, pro quo sanguinem tuum fudisti; recordare Domine, quia pulvis sumus, & homo sicut fœnum, & flos agri. *Psalmus*. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. *Oratio*. Deus, cui proprium est misereri &c. Lectio epistolæ beati Pauli apostoli ad Thessalonicenses. Fratres. De temporibus & momentis *&c. usque* mortuus est pro nobis. *Graduale*. Qui Lazarum resuscitasti a monumento fœtidum, tu ei Domine dona requiem & locum indulgentiæ. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. *Tractus*. Absolve Domine &c. Sequentia sancti evangelii secundum Johannem. In illo tempore dixit Jesus discipulis suis. Nemo potest venire, *usque* pro mundi vita. *Offertorium*. Subvenite sancti Dei. *Secreta*. Propitiare Domine. *Præfatio*. Æterne Deus, qui benignitate gratuita peccatoribus largiens veniam, præparasti mortuis vitam, ne diutius severitas teneret in pœna, quos misericordia liberasset ex culpa. Tibi ergo supplices preces effundimus, tibi famuli tui corpus & animam commendamus, ut receptus inter agmina Beatorum, loca nesciat infernorum. Nihil illi noceat Domine, quidquid attrahente carnis fragilitate commisit, aut quod humanæ cupiditatis consuetudine prægravatus actu, verbo vel cogitatione peccavit, sed secutus vestigia Salvatoris potiatur infinita dulcedine, & præsentia veritatis redemptionem quoque corporis sui commonitus fiducialiter expectare, quidquid habuit prius in fide, consequatur in munere. Per Christum Dominum nostrum. *Communio, ut in editis. Postcommunio, ut in die obitus*.

ALIA MISSA PRO DEFUNCTIS.

REQUIEM &c. *Oratio*. Adesto Domine quæsumus animabus famulorum famularumque tuarum, quibus in depositionis suæ die officium commemorationis impendimus, ut si qua eis secularis macula inhæsit, aut vitium mundiale infecit, dono tuæ pietatis indulgeas & abstergas. Per. *Secreta*. Hæc munera quæsumus Domine, quæ tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, quorum obitus sui diem commemoramus, placatus intende, ut remediis purgatæ cœlestibus in tua pietate requiescant. *Ad communionem*. Propitiare Domine supplicationibus nostris, & animas famulorum famularumque tuarum in gremio patriarchæ nostri Abrahæ collocare dignare, ut resurrectionis diem cum refrigerio tuæ beatitudinis expectent. Per.

ALIA MISSA.

Oratio. Quæsumus Domine, *ut in editis*. *Secreta*. Adesto quæsumus Domine supplicationis nostris, & hanc oblationem, quam tibi offerimus ob diem depositionis pro animabus famulorum, famularumque tuarum, placatus ac benignus assume. Per. *Ad communionem*. Omnipotens sempiterne Deus collocare dignare animas famulorum famularumque tuarum, quorum diem obitus sui commemoramus, in sinu Abrahæ, Isaac & Jacob, ut cum dies agnitionis tuæ advenerit, inter Sanctos & electos tuos eos resuscitari præcipias. Per. *Alia oratio*. Deus, cui soli adjacet medicinam præstare post mortem, tribue quæsumus, ut animæ famulorum, famularumque tuarum terrenis exutæ contagiis in tuæ redemptionis munere glorientur. Per.

MISSA IN ANNIVERSARIO.

Oratio. Deus indulgentiarum *&c. usque ad Communionem*. *Postcommunio*. Suscipe Domine preces nostras pro animabus famulorum famularumque tuarum, quorum diem anniversarium hodie celebramus, ut si quæ eis maculæ de terrenis contagiis adhæserunt, remissionis tuæ misericordia deleantur. Per.

ALIA MISSA IN ANNIVERSARIO.

Oratio. Præsta quæsumus. *Secreta*. Munera Domine oblata sanctifica, & animas famulorum famularumque tuarum a peccatorum suorum maculis emunda, & perpetuæ vitæ fac eas esse participes. Per. *Postcommunio*. Inclina Domine precibus nostris aures tuæ pietatis, & animabus famulorum famularumque tuarum, quorum anniversarium hodie commemoramus, remissionem omnium tribue peccatorum, ut usque ad resurrectionis diem in lucis amœnitate requiescant. Per.

MISSA PRO EPISCOPIS ET CLERICIS.

Oratio. Concede quæsumus omnipotens Deus animabus famulorum tuorum episcoporum, sacerdotum & diaconorum & omnium

omnium clericorum felicitatis æternæ consortium, quibus donasti sacri altaris tui consequi mysterium. Per. *Secreta*. Propitiare Domine supplicationibus nostris, & animabus famulorum tuorum episcoporum, sacerdotum, diaconorum, & omnium clericorum, pro quibus tibi offerimus sacrificium laudis, ut eas Sanctorum tuorum consortio sociare digneris. Per. *Communio*. Corporis sacri & pretiosi sanguinis tui repleti libamine, quæsumus omnipotens Deus, ut per hæc sancta animæ famulorum tuorum episcoporum, sacerdotum, diaconorum & omnium clericorum æternæ beatitudinis gloriam consequantur. Per.

Missa pro Episcopis.

Oratio. Præsta quæsumus Domine, ut animæ famulorum tuorum episcoporum, quos in hoc seculo commorantes sacris muneribus decorasti, in cœlesti sede gloriosæ semper exultent. Per. *Secreta*. Hæc oblatio Domine quæsumus, ut animas famulorum tuorum episcoporum ab omnibus vitiis conditionis humanæ absolvat. Per. *Postcommunio*. Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut animas famulorum tuorum episcoporum in congregatione justorum æternæ beatitudinis jubeas esse consortes. Per.

Missa pro Sacerdote.

Oratio. Deus, qui inter apostolicos &c. *Secreta*. Suscipe quæsumus Domine pro animabus famulorum tuorum sacerdotum, quas offerimus, hostias, ut quibus in hoc seculo sacerdotale donasti mysterium, dones & præmium. *Postcommunio*. Propitiare Domine supplicationibus nostris, & animas famulorum tuorum sacerdotum in vivorum regione æternis gaudiis sociare digneris. Per.

Missa pro Diaconibus.

Oratio. Adesto Domine supplicationibus nostris, & animæ famulorum tuorum Diaconornm & omnium clericorum tuæ propitiationis abundantiam, & indulgentiam consequantur, & lucis perpetuæ tribuas eis mansionem. Per. *Secreta*. Hostias tibi Domine laudis offerimus pro animabus famulorum tuorum diaconorum & omnium clericorum, ut eos in numero fidelium tuorum lux æterna possideat. Per. *Postcommunio*. Omnipotens sempiterne Deus suscipe propitius preces nostras pro animabus famulorum tuorum diaconorum & omnium clericorum, & locum lucis in Sanctorum tuorum regione concede. Per.

Missa Communis pro Defunctis.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, propitiare animabus famulorum famularumque tuarum, ut qui de hac vita in tui nominis confessione discesserunt, Sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per. *Secreta*. Propitiare Domine quæsumus animabus famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi placationis hostias offerimus, ut quia in hac vita cum fide manserunt catholica, in futura eis retributio condonetur æterna. Per. *Postcommunio*. Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut animas famulorum famularumque tuarum ab angelis lucis susceptas in præparata habitacula deduci facias Beatorum. Per.

Missa pro Congregatione.

Oratio. Deus veniæ largitor &c. *Ad communionem*. Deus vita viventium, spes morientium, salus omnium in te sperantium, præsta propitius, ut animæ nostræ Congregationis ab hujus mortalitatis tenebris absolutæ, beata Maria semper virgine intercedente, in perpetua cum omnibus Sanctis tuis luce lætentur. Per.

Missa pro eo, qui præventus morte poenitentiam accipere voluit, et non potuit.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, in cujus humana conditio potestate consistit, animas famulorum, famularumque tuarum ab omnibus quæsumus absolve peccatis, & pœnitentiæ fructum, quem voluntas eorum optavit, præventi mortalitate non perdant. Per. *Secreta*. Satisfaciat tibi Domine pro animabus famulorum famularumque tuarum sacrificii præsentis oblatio, ut peccatorum veniam, quam quæsiverunt, inveniant, & quod officio linguæ implere non potuerunt, desideratæ pœnitentiæ compensatione percipiant. Per. *Ad Communionem*. Deus, a quo speratur humani commodi omne, quod bonum est, tribue per hæc sancta, quæ sumpsimus, ut sicut animabus famulorum famularumque tuarum pœnitentiæ fructum velle donasti, sic indulgentiam tribuas miseratus optatam. Per.

Missa Generalis.

Oratio. Sanctorum tuorum intercessionibus quæsumus Domine gratia tua nos protege, & famulis & famulabus tuis, quorum commemorationem agimus, & quo-

quorum eleemosynas recepimus, seu etiam iis, qui nobis familiaritate vel consanguinitate juncti sunt, misericordiam tuam ubique prætende, ut ab impugnationibus defensi tua opitulatione salventur, & animas famulorum famularumque tuarum, omnium videlicet fidelium catholicorum orthodoxorum, quorum commemorationem agimus, & quorum corpora in hoc & cunctis cœmeteriis fidelium requiescunt, & quorum nomina super sanctum altare tuum scripta adesse videntur, electorum tuorum jungere digneris consortio. Per. *Secreta*. Propitiare Domine supplicationibus nostris, & has oblationes, quas pro incolumitate famulorum famularumque tuarum, & pro animabus omnium fidelium defunctorum orthodoxorum, & quorum nomina super sanctum altare tuum scripta adesse videntur, nomini tuo consecrandas, deferimus, benignus assume, ut sacrificii præsentis oblatio ad refrigerium animarum eorum te miserante proveniat. Per. *Ad communionem*. Purificet nos quæsumus Domine Divini sacramenti perceptio, & gloriosa Sanctorum tuorum oratio, & animabus famulorum famularumque tuarum, quorum commemorationem agimus, remissionem cunctorum tribue peccatorum. Per.

Missa communis Vivorum et Mortuorum.

Oratio. Pietate tua quæsumus Domine nostrorum solve vincula omnium delictorum, & intercedente beata & gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria, cum omnibus Sanctis tuis, domnum Apostolicum, pontifices, priores, & abbates nostros, & omnes congregationes illis commissas, reges & principes nostros, & omnem populum Christianum, & nos famulos tuos atque loca nostra in omni sanctitate custodi, omnesque consanguinitate, affinitate, atque familiaritate nobis conjunctos a vitiis purga, virtutibus illustra, pacem & salutem nobis tribue, hostes visibiles & invisibiles remove, carnalia desideria repelle, aerem salubrem indulge, a mala & improvisa morte nos eripe, inimicis nostris caritatem largire, & omnibus fidelibus vivis & defunctis in terra viventium vitam æternam concede. Per. *Secreta*. Deus, qui singularis corporis hostia totius mundi solvisti delicta, hac oblatione placatus maculas scelerum nostrorum absterge, & omnium Christianorum fidelium vivorum & mortuorum peccata dimitte, eisque præmia æterna concede Salvator mundi. *Ad communionem*. Sumpta quæsumus Domine cœlestia sacramenta omnia crimina nostra detergant, omnemque pravitatem & infirmitatem, seu etiam hosticam rabiem, atque subitaneam mortem, meritis beatæ Mariæ semper virginis, & omnium Sanctorum tuorum, a nobis procul repellant, & omnibus fidelibus vivis & defunctis prosint ad veniam, pro quorum, quarumque tibi sunt oblata salute. Per.

Missa pro Benefactoribus.

Oratio. Deus, qui caritatis dona per gratiam sancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infudisti, da famulis & famulabus tuis, de quibus deprecamur tuam clementiam, salutem mentis & corporis, ut te tota virtute diligant, & quæ tibi sunt placita, tota dilectione perficiant. Per. *Secreta*. Miserere quæsumus Domine famulis & famulabus tuis, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ offerimus majestati, ut per hæc sancta supernæ benedictionis gratiam obtineant, & gloriam æternæ beatitudinis acquirant. Per. *Ad communionem*. Divina libantes mysteria, quæsumus Domine, ut hæc salutaria sacramenta illis proficiant ad prosperitatem & pacem, pro quorum dilectione ea tuæ obtulimus majestati. Per.

Incipit Officium Breviarii secundum Ordinem Heremi sanctæ Crucis Fontis Avellanæ.

Dominica prima adventus. Ad Vesperum Sabbato Lectio: Ecce dies veniunt, *&c. usque* in terra. ℟. Missus est Gabriel. ℣. Dabit ei. Hymnus &c. *usque ad totam orationem, ut in editis. Hic dimittitur usque ad octavam epiphaniæ antiphona de Cruce, & dicitur hæc antiphona beatæ Mariæ*. Missus est Gabriel angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph. ℣. Diffusa est gratia. ℟. Propterea. *Oratio*.

Deus, qui de beatæ &c. *Invitatorium*: Ecce veniet rex, occurramus obviam salvatori nostro. *Lectiones omnes hujus breviarii miræ sunt brevitatis. Quatuor primi Nocturni hujus Dominicæ comprehendunt primam & secundam nostras usque ad* responsum. *Quod argumento est hunc codicem scriptum tempore, quo monastica disciplina exulabat a nostro monasterio quondam sanctissimo*.

℟. *primum, secundum & tertium primi Nocturni eadem, quæ in editis nostris. Quartum*: Ave Maria gratia plena, *usque* dixit ei.

℟. *primum secundi Nocturni est secundum editorum. Secundum vero.* Audite verbum Domini omnes gentes &c. *usque* clamate. *Tertium.* Ecce virgo *&c. usque* in æternum. *Quartum.* Alieni non transibunt, *usque* & condenso.

Reliqua Responsoria alia etiam sunt a nostris, quæ non referuntur, ne nimis concrescat volumen. Post antiphonam ad Benedictus *habetur.* Antiphona Virginis. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, alleluja. ℣. Diffusa, *Oratio.* Deus, qui de beatæ Mariæ.

Ad primam antiphona. Alleluja. *Ista lectio dicitur omnibus diebus Dominicis & festivis usque ad Nativitatem, & a Septuagesima usque ad Pascha.* Domine miserere nostri *&c.*

Ad Sextam. Conscientias nostras *&c.* *Ad Nonam oratio.* Prope esto Domine omnibus expectantibus te in veritate, ut in adventu Filii tui Domini nostri placitis tibi actibus præsentemur. Per. *Cetera infra hebdomadam sunt ritus a nostro diversi, quæ longum esset exscribere.*

Dominica secunda Invitatorium. Surgite vigilemus, venite adoremus, quia nescimus horam, quando veniet Dominus.

Invitatorium tertiæ Dominicæ. Ecce veniet rex &c.

Quartæ autem invitatorium. Ecce advenit plenitudo temporis, in quo misit Deus filium suum natum de Virgine, factum sub lege.

In Vigilia Nativitatis Domini.

Antiphonæ, ut in editis, psalmi vero; Laudate pueri. Qui confidunt. In convertendo. Memento. *Lectio.* Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. ℟. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis. ℣. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et vidimus. Gloria.

Hymnus.

Deus redemptor Gentium
Ostende partum Virginis,
Miretur omne seculum.
Talis decet partus Dominum.
Non ex virili semine,
Sed mystico spiramine
Verbum Dei factum caro,
Fructusque ventris floruit.
Alvus tumescit Virginis,
Claustrum pudoris permanet,
Vexilla virtutum micant,
Versatur in templo Deus.
Procedens de thalamo suo
Pudoris aula regia
Geminæ gigans substantiæ
Alacris ut currat viam.
Egressus ejus a Patre,
Regressus ejus ad Patrem,
Excursus usque ad inferos,
Recursus ad sedem Dei.
Æqualis æterno Patri
Carnis trophæo attingere
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Præsepe jam fulget tuum,
Lumenque nos spirat novum,
Quod nulla nos interpolet,
Fideque jugi luceat.
Laus honor &c.

℣. Tecum principium in die virtutis tuæ. *Antiphona ad* Magnificat *& oratio ut in editis. Ad honorem sanctæ Mariæ antiphona.* Ecce Maria genuit *&c. usque* mundi, *cum* alleluja. *Post finitas laudes sequens rubrica:* Hæc antiphona dicatur ad Laudes ad honorem sanctæ Mariæ usque ad octavam Epiphaniæ, Antiphona: Virgo verbo concepit, virgo permansit, virgo peperit regem omnium regum.

Post vesperas diei Nativitatis Domini hæc habentur: Hæc antiphona dicitur usque ad octavam Epiphaniæ. Nesciens mater virgo virum peperit sine dolore. Salvatorem seculorum ipsum regem angelorum sola virgo lactabat ubere de cœlo pleno.

In vigilia Epiphaniæ.

Inter præcipua quæ ponuntur in officio hujus diei, hæc sunt. Ad Magnificat *antiphona.* Christo datus est principatus & honor regni; omnis populus, tribus & linguæ servient ei in æternum. Alleluja.

Oratio.

Corda nostra quæsumus Domine venturæ festivitatis splendor illuminet, quo mundi hujus tenebris carere valeamus, & pervenire ad patriam claritatis æternæ. Per eumdem.

In die ipso Epiphaniæ ad sextam ponitur hæc oratio.

Deus illuminator omnium gentium, da populis tuis perpetua pace gaudere, & illud lumen splendidum infunde cordibus nostris, quod trium Magorum mentibus aspirasti. Per Dominum nostrum.

Ad nonam Oratio.

Deus, qui hunc diem electionis Gentium primitus consecrasti, & per luminis tui stellam manifestum te nobis ostendisti, tribue quæsumus, ut nova cœlorum

rum mirabilis claritas in nostris semper cordibus oriatur.

Pro oratione secundi Nocturni infra octavam habetur sequens oratio.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut Salvatoris mundi stella duce manifestata nativitas mentibus nostris reveletur semper & crescat. Per eumdem.

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Post lectionem &c. usque ad symbolum apostolorum inclusive, ut in editis hæc sequuntur: Confitemini Domino, quoniam niam bonus. ℟. Quoniam in seculum misericordia ejus.

Confessio. Confiteor Deo & omnibus sanctis & vobis patres mea culpa, quia peccavi nimis per superbiam in cogitatione, suggestione, consensu, verbis & opere. Deprecor vos orate pro misero peccatore.

Absolutio. Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata vestra præterita, præsentia, & futura, liberet vos ab omni malo, conservet & confirmet, & corroboret vos in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam. Amen.

Capitulum. Converte nos Deus salutaris noster. Et averte iram tuam a nobis. Dignare Domine die isto. Sine peccato nos custodire. Fiat Domine misericordia tua super nos. Sicut speravimus in te. Sacerdotes tui induantur justitiam. Et Sancti tui exultent. Mitte eis Domine auxilium de Sancto. Et de Sion tuere eos. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. *Symbolum.* Quicumque vult salvus esse. *Capitulum.* Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. *Oratio eadem, quæ habetur in editis in festo Trinitatis.*

Post lectionem: Sancta Maria, *legitur hæc rubrica:* Privatis diebus dicatur hic ter. Deus in adjutorium meum intende *cum Gloria.*

Ad completorium omnia, ut in editis usque Qui fecit cœlum & terram. *Capitulum.* Confitemini Domino, quoniam bonus. Quoniam in seculum misericordia ejus. *Confessio & absolutio ut supra.* Converte nos Deus *&c. usque ad Symbolum. Capitulum.* Benedictus es Domine patrum nostrorum. Et laudabilis & gloriosus in secula. Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu. Laudemus & superexaltemus eum in secula. Benedictus es in firmamento cœli. Et laudabilis & gloriosus in secula. Benedicat nos Omnipotens Deus. Amen. Dignare Domine nocte ista. Sine peccato nos custodire. Fiat Domine misericordia tua super nos. Sicut speravimus in te. Sacerdotes tui induantur justitiam. Et sancti tui exultent. Mitte eis Domine auxilium de Sancto. Et de Sion tuere eos. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Domine Deus virtutum converte nos. Et ostende faciem tuam, & salvi erimus.

Oratio.

Visita *&c. post quam sequuntur aliæ duæ.*

Illumina quæsumus Domine tenebras nostras, & totius noctis insidias tuo nobis repelle propitius auxilio.

Veritas tua quæsumus Domine semper maneat in cordibus nostris, & per virtutem sanctæ Crucis omnis falsitas inimici destruatur. Per.

Post Laudes feriæ secundæ post primam Dominicam supradictam leguntur infrascripta. Hæc capitula dicantur omni tempore diebus ferialibus ad Laudes, ad Tertiam, & ad Vesperum, cum Miserere mei Deus. Ad vigilias vero ad Sextam, & Nonam dicuntur sine miserere mei Deus. Kirie eleison, Christe eleison, Kirie eleison. Pater noster. Et ne nos. *Capitulum.* Ego dixi Domine miserere mei. Sana animam meam, quia peccavi tibi. Convertere Domine aliquantulum. Et deprecare super servos tuos. Fiat Domine misericordia tua super nos. Sicut speravimus in te. Sacerdotes tui induantur justitiam. Et Sancti tui exultent. Mitte eis Domine auxilium de sancto. Et de Sion tuere eos. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. *Psalmus.* Miserere. *Capitulum.* Domine Deus virtutum converte nos. Ostende faciem tuam & salvi erimus. Dominus vobiscum. Et cum.

Oratio.

Matutina supplicum vota Dominus propitius intuere, & occulta cordis nostri remedio tuæ clarifica pietatis, ut desideria tenebrosa non teneant, quos lux cœlestis gratiæ reparavit Jesus Christus filius &c.

Suffragia Sanctorum, quæ dicuntur omni tempore, exceptis festis Nativitatis Domini, Resurrectionis, Ascensionis, & Pentecostes & octavis earum.

Antiphona de Cruce. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi. Omnis terra &c. *Oratio.*

Adesto nobis quæsumus Domine, & quos sanctæ Crucis lætari facis honore, ejus quoque perpetuis defende subsidiis. Per.

An-

Antiphona de beata Maria. Mater & innupta virgo gloriosa, Regina mundi intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Diffusa &c. *Oratio.* Famulorum.

Antiphona de Sancto Michaele. Michael archangele veni in adjutorium populo Dei. In conspectu angelorum. *Oratio.* Deus qui miro ordine.

Antiphona de sancto Benedicto. Fuit vir vitæ venerabilis gratia Benedictus & nomine. Os justi. *Oratio.* Intercessio.

Antiphona de sancto Johanne-baptista. Inter natos mulierum non surrexit major Johanne baptista. Justus ut palma. *Oratio.*

Beati Johannis baptistæ nos quæsumus Domine præclara comitetur oratio, quem venturum esse prædixit, poscat nobis favere placatum Christum Dominum nostrum.

Antiphona. Petrus &c. *Oratio.* Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in apostolicæ confessionis petra solidasti. Per.

Antiphona & oratio de Pace, ut in editis.

Antiphona de omnibus Sanctis. Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris mei dicit Dominus. Mirabilis Deus. In Sanctis suis.

Oratio. Deus, qui nos concedis beatæ Mariæ semper virginis, & omnium Sanctorum tuorum commemorationem agere, da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per.

Ad Tertiam ponitur sequens oratio.

Porrige dexteram tuam quæsumus Domine plebi tuæ misericordiam postulanti, per quam & errores declinet humanos, & solatia vitæ immortalis accipiat, & sempiterna gaudia comprehendat. Per.

Ad Sextam oratio.

Exaudi nos Deus salutaris noster, & dies nostros in tua pace dispone, ut a cunctis perturbationibus liberati tranquilla tibi servitute famulemur. Per.

Ad Nonam oratio.

Da quæsumus Domine populo tuo spiritum veritatis & pacis, ut te & tota mente cognoscat, & quæ tibi sunt placita, toto corde sectetur. Per.

Ad Vesperas oratio.

Oriatur Domine nascentibus tenebris aurora justitiæ in cordibus nostris, ut peracto die suppliciter gratias agentes, etiam mane dignanter respicias vota solventes. Per.

Supradicta suffragia ad Laudes dicuntur. Ad Vesperum autem dicuntur sequentia omni tempore tam diebus ferialibus quam festivis.

Antiphona. Salva nos Christe Salvator per virtutem sanctæ Crucis, qui salvasti Petrum in mari, miserere nobis. Omnis terra. *Oratio.* Perpetua nos &c.

Antiphona. Sancta Maria Dei virgo semper intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Diffusa. *Oratio.* Concede misericors Deus fragilitati nostræ &c.

Antiphona. Michael archangele &c.

Oratio. Perpetuum nobis Domine tuæ miserationis præsta subsidium, quibus & angelica præstitisti suffragia non deesse. Per.

Suffragia S. P. Benedicti, ut in editis.

Antiphona, & versiculus pro sancto Johanne-baptista, & ut in Laudibus.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus da cordibus illam tuarum rectitudinem semitarum, quam beatus Johannes-baptista in deserto vox clamantis edocuit. Per.

Antiphona. Gloriosi principes.

Oratio. Apostolicis nos quæsumus Domine beatorum Petri & Pauli attolle præsidiis, ut quanto fragiliores sumus, tanto validioribus auxiliis foveamur. Per.

Antiphona pro Pace, ut in Laudibus.

Antiphona. Sancti Dei omnes orare & intercedere dignemini pro nostra omniumque salute. Lætamini in Domino.

Oratio. Omnipotens Deus nos famulos tuos dextera potentiæ tuæ a cunctis protege periculis, & beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis fac nos præsenti gaudere prosperitate & æterna. Per Dominum.

Feria Quarta in Capite Jejunii.

Pro benedictione cinerum legitur tantum oratio. Deus qui non mortem *&c. Postea sequitur hæc rubrica.* Tunc aspergantur aqua sancta, incensari non debent. Mox sacerdos incipiat ponere cinerem supra singulorum fratrum capita in modum crucis dicendo: Recordare homo &c. Et ille, qui accipit, dicat: Hujus cineris aspersio sit mihi Domine ad remedium salutare.

Post Laudes feriæ quartæ majoris hebdomadæ habentur sequentia. Hic extinguuntur omnia lumina. Ad Benedictus antiphona. Traditor. His dictis vadant duo ante altare, & dicant sonora voce. Kirie eleison, Christe eleison. Domine miserere. Et similiter respondeant ceteri alii: Et qui sunt ante altare dicant: Christus Deus factus est obediens usque ad mortem. Ceteri respondeant: Kirie eleison, Christe eleison, Domine miserere. Et illi ante altare dicant: Jesu Domine, qui pas-

passurus advenisti propter nos. Et ceteri respondeant: Kirie eleison, Christe eleison, Domine. Et illi. Qui prophetice promisisti, ero mors tua o mors. Et ceteri: Kirie eleison, Christe eleison. Domine. Et illi: Vita in ligno moritur, & mors morte evacuatur. Et ceteri: Kirie eleison, Christe eleison. Domine. Et illi: Christus Dominus factus est obediens usque ad mortem. Et ceteri. Mortem autem Crucis. Pater noster. *Capitulum.* Ego dixi Domine. Sana. Convertere Domine. Et deprecare. Fiat Domine. Sicut speravimus. Sacerdotes. Et sancti. Mitte eis Domine. Et de Sion. Domine exaudi. Et clamor. *Psalmus.* Miserere. *Capitulum.* Domine Deus virtutum. Et ostende. *Sine* Dominus vobiscum. Sed sub silentio dicitur: *Oremus*: Respice quæsumus Domine. *Hæ preces recitantur post Tertiam, Vesperas, & Laudes trium dierum hebdomadæ majoris, videlicet Feria quinta, in Parasceve, & in Sabbato sancto. Post antiphonam ad Benedictus Laudum Sabbati sancti hæc habentur.* Hic dicatur Kirie eleison, & versus, & capitula, & oratio, ut in Laudibus Cœnæ Domini. Prima vero, Tertia, Sexta & Nona sicut eadem die. In hac die ante horam Tertiam discooperiantur Cruces & tabulæ, quæ per totam passionem fuerant velatæ. Et inter Tertiam, & Sextam horam altare honorifice exornetur. Ad Vesperum antiphona, & dicitur hæc antiphona ad Vesperum per totam hebdomadam usque in Sabbatum: Crucifixus surrexit tertia die de sepulcro alleluja alleluja. *Psalmus.* Laudate pueri. *Psalmus.* Laudate omnes gentes. *Psalmus.* Ecce quam bonum. *Psalmus.* Lauda Jerusalem. *Lectio.* Si consurrexistis. ℟. Angelus Domini. ℣. Jesum quæritis. *Hymnus.* Ad cœnam. ℣. Pascha nostra immolatus est Christus. *Ad Magnificat antiphona.* Vespere autem.

Oratio. Deus qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicæ resurrectionis illustras, conserva in nova familiæ tuæ progenie adoptionis spiritum, qui dedisti, ut corpore & mente renovati puram tibi exhibeant servitutem. Per eumdem.

Antiphona de Cruce usque ad octavam. Crucifixum in carne laudemus, & sepultum propter nos glorificemus, resurgentem de morte venite adoremus, alleluja alleluja, alleluja.

Antiphona sanctæ Mariæ usque in octavam Pentecostes. Regina cœli. Diffusa est. Propterea.

Oratio. Deus, qui violatæ naturæ per virginale decus adhibes medicinam, fac nos beatæ Mariæ semper virginis precibus & fermentum conceptæ pravitatis penitus abiicere, & in novitatis azima de vetustate transire. Per.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Incipiunt vigiliæ more canonicorum, scilicet: Domine labia mea aperies.

Ad sextam hujus diei habetur sequens oratio.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut qui resurrectionis Dominicæ sollemnia colimus, ereptionis nostræ suscipere lætitiam mereamur. Per.

Ad Magnificat antiphona.

Post passionem Domini factus est conventus, quia non est inventum corpus in monumento, lapis sustinuit perpetuam vitam, monumentum reddidit cœlestem margaritam, alleluja.

Per totum officium de Tempore nihil reperitur in codice animadversione dignum, præter quam quod officium de Trinitate ponitur post Dominicam XXIV. *Pentecostes.*

IN NATALI SANCTI ANDREÆ APOSTOLI.

Iuvitatorium: Christum Regem adoremus Dominum, qui martyrio Crucis beatum glorificavit Apostolum.

Hymnus ad Matutinum.

Andreæ festum colitur,
Lux clara piis oritur,
Per quem tenebras deserunt,
Ad verum lumen redeunt.
Egeas in apostolum
Minaci frendet spiritu,
Per quem Achajæ populum
Cernit ire post Dominum.
Nescit minas pavescere,
Nequit tormentis cedere,
Flammantis ardor fidei
Non sentit vim supplicii.
Crucis vinctus patibulo
Lætus pendebat biduo.
In ipsa morte positus
Vitæ manat eloquium.
Luce delapsa cœlitus
Repente circumfunditur,
Qui sic obire meruit,
Lucis auctorem petiit.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus unigenito,
Sit utriusque parili
Majestas summa flamini. Amen.

Hymnus ad Vesperas.

Captator olim piscium,
Jam nunc piscator hominum,
Tuis Andreas retibus
Mundi nos rape fluctibus.

Ger-

Germanus Petri corpore,
Nec mortis dispar ordine,
Quos una caro genuit,
Crux cœlo fratres edidit.
O germen vere nobile!
O par corona gloriæ!
Ecclesiæ patres pii,
Crucis sunt æque filii.
Ad Jesum fratri prævius,
Judex vitæ strenuus,
Et nobis esto miseris
Beati dux itineris.
Sit patri laus ingenito &c.

In Natali Sancti Ambrosii Confessoris.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per os beati pontificis Ambrosii eloquiorum tuorum nobis abdita reserasti, concede nobis aurem pectoris ejus accommodare doctrinis, ut ad illam ejus interventu pervenire patriam mereamur, quam ipse totis desideriis anhelavit. Per.

In Natali Sancti Zenonis.

Oratio.

Deus, qui hunc diem venerabilem in beati Zenonis confessoris tui atque pontificis devotione celebrare concedis, conserva in nobis misericordiam tuam, & precibus nostris pius & clemens adesse dignare, ut sicut beato Zenoni sacerdoti gratiam tribuisti, ita & nobis largiri digneris. Per.

In Natali Sancti Syri.

Oratio.

Deus, qui es tuorum antistitum potentissimus illustrator, tribue quæsumus, ut beatissimi sacerdotis & confessoris tui Syri magnificis exemplis informati seculi hujus caliginem sine periculo transeamus. Per.

In Purificatione beatæ Mariæ Virginis.

Ad Vesperum antiphona. Tecum principium. *Psalmus.* Dixit Dominus. *Antiphona.* Redemptionem. *Psalmus.* Confitebor. *Antiphona.* Exortum est. *Psalmus.* Beatus vir. *Antiphona.* De fructu. *Psalmus.* Memento.

Oratio.

Perfice in nobis quæsumus Domine gratiam tuam, quam justi Simeonis implesti, ut sicut ille mortem non vidit, priusquam Christum Dominum videre mereretur, ita & nos vitam obtineamus æternam. Per.

Post Tertiam hujus diei leguntur sequentia pro benedictione candelarum. Post hæc benedicantur candelæ, & dicat sacerdos sonora voce. Dominus vobiscum. Exaudi &c. *Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, qui per verbum tuum, lumen videlicet verum, illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, tuæ visitationis gratia inextinguibiliter corda nostra perlustra, & has candelas luci visibili aptas cœlesti benedictione sanctifica †, ut cum ob reverentiam præsentis sollemnitatis & memoriam beatæ Mariæ semper virginis filium ac Dominum suum auctorem & observatorem legis in templo offerentis a famulis tuis oblatæ fuerint, ac nomini tuo devote dedicatæ, offerentes eas tuæ benedictionis semper possideant claritatem. Per eumdem.

Alia oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die, *ut in editis.*

Alia oratio.

Benedic † Domine Jesu Christe hanc creaturam ceræ supplicationibus nostris, & infunde ei per crucis sanctæ tuæ virtutem benedictionem † cœlestem, ut qui eam ad repellendas tenebras humano generi tribuisti, taliter signaculo Crucis tuæ fortitudinem & benedictionem † accipiat, ut in quibuscumque locis accensa sive posita fuerit, discedat & contremiscat diabolus, & fugiat pavidus cum omnibus ministris suis de habitationibus illis, nec præsumat amplius inquietare vel illudere servientes Deo. Proinde supplices te quæsumus Domine, ut emittas sanctum angelum tuum Raphaelem, qui evulsit & repulsit a Sara & Thobia dæmonem mortiferum infestantem, ut conterat illum, & perdat de cunctis habitationibus colentium Dominum, de basilicis, de domibus, de angulis, de lectis, de refectoriis, & de universis locis, in quibus Deo famulantes habitant, requiescunt, dormiunt, vigilant, ambulant & consistunt. Nec valeat amplius inquietare, vel pavores immittere super illos, quos sancti chrismatis tui unctione fecisti esse munitos. Benedico † te cera in nomine Domini nostri Jesu Christi, & sanctæ Trinitatis, ut sis exterminatio diaboli & omnium contubernalium ejus. Per eumdem Dominum nostrum, qui vivit & regnat.

Tunc aspergantur aqua benedicta, & incensentur, & decantetur antiphona: Lumen ad revelationem &c. *excepto cantico.* Nunc dimittis, *cujus loco dicitur:* Deus misereatur.

Oratio

Oratio ad Sextam.

Beatæ Mariæ semper virginis quæsumus Domine adsit nobis ubique oratio, & quam devoto plebs tua veneratur obsequio, suffragari sibi pio experiatur auxilio. Per.

Oratio ad Nonam.

Adjuvet nos quæsumus Domine sanctæ Mariæ semper virginis intercessio veneranda, & a peccatorum vinculis absolutos in tua faciat pace gaudere. Per.

In Natali Sancti Blasii Episcopi et Martyris.

Oratio.

Deus, qui beatum Blasium martyrem tuum atque pontificem pontificatus officio & fidei munere sublimasti, tribue supplicibus tuis, ut quidquid peccati contagione contractum est in nobis, ipso intercedente solvatur, Per.

In Natali Sancti Gregorii Papæ et Confessoris.

Oratio.

Deus, qui per beatum Gregorium confessorem tuum atque pontificem cœlestis eloquii nobis dulcedinem propinasti, familiæ tuæ concede propitius & servare, quod docuit, & subsequi, quo processit.

In Natali Sancti Benedicti.

Hymnus.

Gemma cœlestis pretiosa,
Regis norma justorum,
Via Monachorum,
Nos ab immundi
Benedicte mundi
Subtrahe cœno.
Tu solum spernens,
Cor in astra figens,
Cogis hæredes
Fieri parentes,
Vas Deo plenum
Reparare fructum promeruisti.
Magnus in parvis,
Eremita imberbis
Vincis ætatem,
Superas laborem,
Arcta districtæ rudimenta vitæ
Fervidus imples.
Strage saxorum
Puerum peremptum
Mox ut orasti,
Preces suscitasti,
Spiritus carni,
Caro sanitati
Redditur æque.
Jure sub blandæ specie columbæ
Nesciam fellis
Animam sororis

Summa stellati
Penetrare cœli
Culmina cernis.
Ipse post clarum
Referens triumphum
Celsa devicto
Petis astra mundo,
Luce flammantem
Radiante callem
Pallia sternunt.
Laus honor Patri,
Parilique proli
Una majestas,
Eadem potestas,
Cum quibus sanctus
Simul implet
Omnem Spiritus orbem. Amen.

Hymni ad Nocturnum, & ad Laudes iidem, qui in officio parvo beati Benedicti.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per gloriosa beati Benedicti abbatis exempla humilitatis triumphale nobis iter ostendisti, da quæsumus, ut viam tibi placitæ obedientiæ, per quam ille venerabilis Pater illæsus antecedebat, nos præclaris ejus meritis adjuti sine errore subsequamur. Per.

Oratio ad Sextam.

Sancti Benedicti confessoris tui atque abbatis nos Domine supplicationibus tribue foveri, ut cujus venerabilem sollemnitatem obsequiis celebramus, ejus intercessionibus & meritis commendemur.

Oratio ad Nonam.

Deus, qui nos beati Benedicti confessoris tui voluisti magisteriis erudiri, ejus meritis dignare nos ab omni inimici fraude protegi. Per.

In inventione Sanctæ Crucis.

Hymnus ad Vesperum.

Crux mundi salus perditi,
Perempti vita seculi,
Quam victa tremunt tartara,
Cœli verentur agmina.
In te dum vita moritur,
Mortis catena solvitur,
Ægypti jugo liberi
Vere sunt lucis filii.
Te ponit judex omnium,
Cum judicatur solium,
Jam tunc hædos ab ovibus
Segregat in latronibus.
Tu mundi ludis principem,
Dum punis impassibilem,
Reos offerre solita,
Quæ nunc das, aufert spolia.
In te mactatur victima,
Quæ mundi purgat crimina.
Tibi talentum creditur,

Adæ quod solvit debitum,
Nos vitæ signo protege,
Quo Rex triumphat gloriæ,
Per te ad regnum pervehat,
Quos servitute liberat.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus unigenito,
Sit utriusque parili
Majestas summa flamini. Amen.

Hymnus ad Laudes.

CRux mundi benedictio,
Spes & certa redemptio,
Olim gehennæ bajula,
Nunc clara cœli janua.
In te levatur hostia,
Ad seque traxit omnia,
Quam mundi princeps impetit,
Suumque nihil invenit.
Quæ legis antiquius
Vetus cassat chirographum,
Antiqua perit servitus,
Vera libertas redditur.
Odoris tui copia
Cuncta vincit aromata,
Tui dulcedo nectaris
Replet arcana pectoris.
Per Crucem Christe quæsumus
Ad vitæ transfer præmium.
Quos ligni fixus stipite
Dignatus es redimere.
Sit laus Patri ingenito, &c.

In Natali Apostolorum Petri et Paulli.

Hymnus.

FElix per omnes festum mundi cardines
Apostolorum præpollet alacriter,
Petri beati, Pauli sacratissimi,
Quos Christus almo consecravit sanguine,
Ecclesiarum deputavit principes.
Hi sunt olivæ duæ coram Domino,
Et candelabra luce radiantia,
Præclara cœli duo luminaria.
Fortia solvunt peccatorum vincula,
Portas Olympi reserant fidelibus.
Habent supernas potestatem
Claudere sermone sedes,
Pandere splendentia lumina poli,
Super alta sydera linguæ
Eorum claves cœli factæ sunt.
Larvas repellunt ultra mundi limites,
Petrus beatus catenarum laqueos
Christo jubente rupit mirabiliter,
Custos ovilis, & doctor ecclesiæ,
Pastorque gregis, conservator ovium
Arcet luporum truculentam rabiem.
Quodcumque vinclis super terram strinxeris
Erit in astris religatum fortiter.
Et quod resolvis in terris arbitrio
Erit solutum super cœli radios,
In fine mundi judex eris seculi.
Non impar Paulus huic doctor gentium,
Electionis templum sacratissimum,
In morte compar, in corona particeps,
Ambo lucernæ, & decus ecclesiæ
In orbe claro coruscant vibramine.
O Roma felix, quæ tantorum principum
Es purpurata pretioso sanguine,
Excellis omnem mundi pulcritudinem
Non laude tua, sed Sanctorum meritis
Quos cruentatis jugulasti gladiis.
Vos ergo modo gloriosi principes,
Petre beate, Paule mundi lilium
Cœlestis aulæ triumphales milites,
Precibus almis vestris nos ab omnibus
Munite malis, ferte super æthera.
Gloria Deo per immensa secula,
Sit tibi nate decus & imperium &c.

In Natali eorumdem.

Invitatorium, ut in editis. Antiphona. In plateis ponebantur infirmi in lectulis, ut veniente Petro, *& ceteræ antiphonæ primi & secundi Nocturni, quæ ponuntur de historia actuum apostolorum. Antiphona ad cantica.* Significavit Dominus Petro, qua morte clarificaturus esset Deum, alleluja. *Responsorium duodecimæ lectionis.* Cum esset Petrus in cruce, venit turba multa, maledicebat Cæsarem, & fecerunt planctum magnum ante crucem. Petrus exhortabatur eos de cruce dicens. Nolite flere, sed gaudete mecum, quia vado parare vobis locum. Gratias tibi ago pastor bone, quia oves, quas tradidisti mihi, compatiuntur mecum in sempiternum, & cum hoc dixisset ait. Nolite &c.

In Natali Sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Ad Vesperas hymnus.

NArdi Maria pistici
Sumpsit libram mox optimi,
Unxit beatos Domini
Pedes rigando lacrymis
Honor decus &c.

Invitatorium. Æternum, trinumque Deum laudemus & unum, qui sibi Mariam transvexit in æthera sancta.

Hymnus.

COnsonis Christum veneremur odis,
Hunc diem celebrando festum,
Nunc Magdalenæ Mariæ
Per orbem congratulantes.
Quæ caput quondam Domini
Perunxit, ac pedes lavit,
Lacrymis rigando crine detersit

Ca-

Capitis, supplexque corde gemendo.
Indeque confestim totius reatus
Contulit Christus veniam
Precanti Simoni dignum
Paradigma pandens ore benigno.
Hæc tulit myrrham crepta sub luce,
Ad perungendum Dominum sepulcro,
Quem resurgentem meruit
Beata primo videre.
Quam procul post hæc tribuente
Christo credimus cœli penetrasse
Culmen hujus obtentu.
Miserere nobis conditor orbis.
Gloriam Patri pariter canamus,
Gloriam proli, flaminique
Pio semper omni
Resonemus omnes tempore secli.

Antiphona. Cum discubuisset in domo Simonis Dominus Jesus mundi gloria, mulier quædam, quæ erat peccatrix, nardi odoriferi exhibuit unguenta. *Antiphona*. Secus pedes Domini adstans incessante ore sacrato ejus vestigia osculatur lacrymis plena. *Antiphona*. Irrigabat igitur dominicos Jesu pedes, fracto quoque alabastro præcipuis odoribus flagrabat domus omnis, atque capillorum officio detergebat. *Antiphona*. Simon autem intra se inquit, si esset propheta, sciret profecto, quæ & qualis esset, quæ tangit eum, quia peccatrix est. *Antiphona*. Et conversus Dominus dixit, postquam veni in domum tuam, non cessavit crine fuso hæc meos osculari pedes. *Antiphona*. Quoniam multum dilexeras, scito dimissa tibi peccamina, & fide, qua polles, sacra in pace remitto. ℟. Lætetur omne seculum in sollemnitate sanctæ Mariæ. Quam Jesus æterno amore dilexit plurimum. ℣. Hæc Maria fuit illa Domino gratissima, quæ unguento pretioso pedes unxit illius. Quam. ℟. Optimam partem elegit sibi Maria. Quæ non auferetur ab ea in æternum. ℣. Diligens Dominum ex corde perfectissimo cœlorum obtinuit dignitatem. Quæ. ℟. Potissima intercede a Domino, collata gaudens potenter polo. Obtine, ut nos perenniter divinis tecum gaudiis perfruamur. ℣. Quia tua reposcimus merita deletis facinoribus. Obtine. ℟. Quis Magdalena sceleratior esse Maria, quæ ivit ad omne malum. Quæ nomine plena reatus peccatrix vocitata, fuit quasi nomine culpæ. ℣. Dum tamen ipsa Deum lacrymis commovit obortis cordis ab affectu, meruit peccamine solvi. Quæ nomine. *Antiphona*. Satagebat igitur Martha soror Mariæ Magdalenæ circa ministeria, quæ sedens secus pedes Domini audiebat verba oris ejus. *Antiphona*. Non est Martha inquit, tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare, jube illi, ut me adjuvet. *Antiphona*. Et respondens dixit statim illi Dominus, unum extat certe necessarium, hæc optimam sibi partem elegit, quæ non auferetur. *Antiphona*. Cumque Phariseus Dominum prandere rogasset, corporeis fruitur dapibus, dans spirituales. *Antiphona*. Ecce soror Lazari pia nunc, sed tunc scelerata adtulit unguentum pretiosi pondus odoris. *Antiphona*. Maxima spes veniæ populo succurre roganti, ut scelerum veniam mereantur per te habere. ℟. O felix sacrorum lacrymis rigatio pedum, per quam promeruit Maria dici, & esse ejus dilecta. Et quo pascuntur æthere Sancti. ℣. Angelico pollet decore hæc & hi per Christum. Et. ℟. Beata Maria, quæ piarum undis lacrymarum tersisti tuorum maculas criminum. Assidue te exorare deposcimus pro nostris excessibus. ℣. Summis cœlorum civibus glomerata, jamque æterna immortalitate induta. Assidue. ℟. Venit Maria Magdalene annuntians discipulis, quia vidi Dominum. Cujus petimus precibus adjuvari apud te Redemptor clementissime. ℣. Quia ergo in paradiso mulier propinavit viro mortem, a sepulcro mulier viris annuntiat vitam. Cujus. ℟. Rex immense Deus terrarum conditor orbis. Accipe præsentis cleri pia vota precantis. ℣. Ut valeat semper laudes tibi promere dignas. Accipe. *Antiphona ad Cantica*. O mundi lampas & margarita præfulgida, quæ resurrectionem christi nunciando apostolorum apostola fieri meruisti, Maria Magdalena semper esto pia exoratrix pro nobis ad Deum, qui te elegit. ℟. Flagrans Jesum muneribus intimis Maria præcordiis affatum perunxit sacrata unguento vestigia. Unde meruit suorum delictorum veniam. ℣. Peccaminum nostrorum sordes piissimis diluat interventionibus divino fonte. Unde. ℟. Maria stans ad monumentum plorans vidit duos angelos in albis sedentes. Ubi positum fuerat corpus Jesu. ℣. Cum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumento. Ubi. ℟. Discipulis Christi, quæ gaudia celsa tulisti, cum nimium tristes fuerunt de morte magistri. Lætitiam nobis vitæ cœlestis adjunge. ℣. Ut sibi conformes, cujus pietate sanata es, sorte beatorum fieri mereamur in unum. Lætitiam. ℟. O mirum & magnum miraculum, quia peccatrix femina audebat Redemptorem mundi tangere, lacrymando & capillis tergendo, crimina sua ablue-

luebat. Ideo dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. ℣. Vidit Maria Dominum, & credidit, & cum gaudio suscepit illum gaudens & flens, quia cognovit se peccatricem. Ideo. *In Laudibus antiphona.* In diebus illis mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod Jesus accubuisset in domo Simonis leprosi, attulit alabastrum unguenti. *Hæc autem antiphona tantum legitur ad Laudes.*

Hymnus.

Fidelium devotio depromat
Hymnum Domino, qui
Mariæ Magdalenæ
Sedem dedit in æthere.
In qua quid esset pietas,
Ejus ostendit bonitas,
Quid donet pœnitentia,
Patefecit clementia.
Quæ prius enim scelera
Commisit innumera,
Accepta pace veniæ
Regno potitur gloriæ.
Maria tersis crinibus
Procumbentis Christi pedibus
Dum rigat cum lacrymis
Se lavat sorde criminis.
Hinc consecuta plurimum
Amoris erga Dominum,
In cœlorum palatio
Perenni gaudet præmio.
Rogamus ergo Domina,
Nostra deleto crimina,
Tuisque sanctis precibus
Nos junge cœli civibus.
Patri, nato cum flamine
Sit laus æterno tempore,
Qui est summa Deitas
In unitate Trinitas.
Amen.

Ad Benedictus antiphona. Sancta Maria pio conjuncta Jesu, osculando pedes ipsius & pie rigando, terge crimina nostra, eum jugiter orando pro nobis.

In Natali Sancti Apollinaris Episcopi et Martyris.

Ad Magnificat antiphona. Surge, accipe Spiritum sanctum, simulque pontificatum, & perge ad urbem, quæ vocatur Ravenna. *Commemoratio Magdalenæ antiphona.* O veneranda Dei sedes spes inclyta nostri. O validi fructus celeberrima vinea Christi, dragmata reperta, sed ovis de morte reducta. Valde precare Deum pro nobis, valde precamur. *Antiphona.* Dicebat beatus Petrus apostolus Judæis; nam & ego Hebræus sum, sed propter fratrum caritatem adveni. *Antiphona.* Multitudo autem Hebræorum agentes pœnitentiam, baptizabantur, credentes Jesum Christum vere esse filium Dei. *Antiphona.* Beatus Petrus apostolus administranti sibi ajebat, quid sedes nobiscum? ecce eruditus es de omnibus, quæ fecit Jesus. *Antiphona.* Ait beatus Petrus Apollinari discipulo suo, eruditus es in omnibus prædicare Ravennæ Jesum filium Dei. *Antiphona.* Mittat Christus Dominus angelum suum, qui præparet iter suum, & quæ postulaveris, annuat tibi. *Antiphona.* Ortus ab Antiochia beatus Apollinaris Ravennam missus est prædicare baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. ℟. Ait beatus Petrus Apollinari discipulo suo. Quid sedes nobiscum? Ecce eruditus es de omnibus, quæ fecit Jesus. ℣. Surge, accipe Spiritum sanctum, simulque pontificatum, & perge ad urbem, quæ vocatur Ravenna. Ecce. ℟. Beatus Petrus apostolus dixit discipulo suo Apollinari. Surge, perge Ravennam, multitudo populi ibi moratur, prædica eis baptismum pœnitentiæ in nomine Jesu. ℣. Ecce eruditus es de omnibus, quæ fecit Jesus. Surge. ℟. Deus, qui non localiter, sed ubique es. Tu intromitte cognitionem Filii tui Domini nostri in istam civitatem. ℣. Ut cognoscentes Jesum filium tuum, cum magno effectu locus mihi prædicationis tribuatur. Tu. ℟. Deus, qui cooperaris cum Petro magistro meo, operare & mecum. Ut cognoscant omnes te solum Deum in æternum. ℣. Deus, qui non localiter, sed ubique. Ut cognoscant. *In secundo Nocturno antiphona.* Cum pervenisset beatus Apollinaris ad urbem Ravennam, faciens signum Crucis, susceptus est in domum militis Hirenæi. *Antiphona.* Deus, qui operaris cum Petro magistro meo, operare & mecum, ut clarificetur nomen tuum. *Antiphona.* Ingressus beatus Apollinaris domum tribuni dixit, requiescat in vobis pax Domini, & Dei nostri Jesu Christi. *Antiphona.* Requiescat in vobis pax Domini nostri Jesu Christi, per quam infirmam tribuni conjugem beatus sanavit Apollinaris. *Antiphona.* Virtus alia non est, quam Domini nostri Jesu Christi, per quem beatus Apollinaris Tauri filium cœcum illuminavit. *Antiphona.* Nuntiatum est hoc Cæsari a paganis, quod quidam ab Antiochia introduxisset nomen Jesu in urbem Ravennam, & multitudo magna obediret illi, & domus Rufi patricii. ℟. Ait ad eum tribunus: bene advenisti medice; cui beatus Apollinaris respondit: Requiescat in vobis pax Domini

mini nostri Jesu Christi. ℣. Cumque ingressus fuisset domum tribuni, officiosissime susceptus est, & dixit. Requiescat. ℟. Aperi Domine continuo os muti, ut tuum confiteatur nomen. Qui es vivens in secula. ℣. Illico solutum est vinculum linguæ ejus, & clamabat. Qui. ℟. Domine Jesu Christe Deus meus, qui magistro meo apostolo tuo Petro dedisti locum impetrandi apud te, quæ desiderat. Tu suscita hanc puellam, quæ tua est creatura, & non est alius Deus præter te. ℣. Tunc apprehendens manum mulieris ait: Domine Deus meus. Tu. ℟. Jam me perducto in capitolium vicari securus esto, quia manibus meis thura non ponam dæmoniis. Sed Domino meo Jesu Christo incensum offero. ℣. Dominum Jesum Christum Deum vivum esse confiteor, & alium præter eum esse non dico. Sed. *Ad Cantica antiphona*. Sanctissime Apollinaris colloquens angelorum, quas offerimus tibi orationes, & preces suscipe omnium, & redde Salvatori pro nobis hymnum, ut salvos non faciat. ℟. Exuite eum, & cædentes dicite: respice & immola Diis; ille autem respondens dixit. Christianus sum, fac quod vis. ℣. Unus est Dominus Deus invisibilis, per quem dæmonia ejiciuntur. Christianus. ℟. Iste est sacerdos Domini, qui in mandatis ejus meditatur die ac nocte. Iste directus est ab apostolo Petro Ravennam prædicare baptismum pœnitentiæ. ℣. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum. Iste. ℟. Servivi sicut bonus miles Christo, certavi bonum certamen. Placui Deo, qui me probavit, & dedit mihi Dominus coronam vitæ. ℣. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Placui. ℟. Pulcra facie, & alacri vultu, beate Apollinaris, ecce oves tuæ ad te devota mente concurrunt, quas Doomino adquisisti. Deprecare pastor bone pro eis Jesum Christum. ℣. Ut digni efficiamur promissionibus ejus. Deprecare. *In Laudibus antiphona*. Audi judex, quod dico viriliter. Jesus erat Deus, & est in æternum manens in corpore mundo, pati autem carne pro omnibus voluit. *Hæc tantum antiphona ad Laudes hujus officii habetur. Ad Benedictus antiphona*. Prægravatus pondere ferri, exul ab urbe mittitur, & post triennium ad suam sanctam urbem Ravennam regreditur, quem videntes Christiani cum gaudio susceperunt. *Ad Primam antiphona*. Angelus Domini beatum Apollinarem in carcere visitavit, videntibus custodibus cibavit, & confortavit. *Ad Tertiam antiphona*. Suspensus in equuleo clamabat beatus Apollinaris; dominum Jesum Christum Deum verum esse confiteor. *Ad Sextam antiphona*. Custos & protector noster Domine Christe, quem beatus Apollinaris prædixit, benedicimus, hymnum dicimus tibi Deo nostro. *Oratio*. Salutarem nobis dedit hodierna die beati Apollinaris sacerdotis & martyris tui in tua Domine virtute confessio lætitiam, præsta quæsumus, ut conversationis ejus imitatione prædicanda, & intercessione tibi placita jugiter gloriemur. *Ad Nonam antiphona*. Sancte Apollinaris sacerdos & martyr Christi deprecare pro plebe tua, quam ex gentibus adquisisti, nos autem populus tuus & oves gregis tui; intercede pro nobis filio Dei. *Oratio*. Terribilis Deus & invicta fortitudo ac nimis pavenda potestas, largire nobis beati Apollinaris martyris & sacerdotis tui precibus stipendia salutis æternæ, ut casta pectora bajulantes laudes tuæ clementiæ referamus, ejus sollemnia celebrantes. *Ad Magnificat antiphona*. Accipe Spiritum sanctum, simul pontificatum, surge, perge Ravennam, multitudo populi ibi moratur, prædica eis Jesum, quod vere sit filius Dei.

IN NATALI SANCTI ÆMYGDII EPISCOPI ET MARTYRIS.

Ad Magnificat antiphona. O Æmygdi martyr gloriose, quos in Christo genuisti filios tuos sanguinem fundendo, tua quæsumus oratio commendet nos indesinenter Deo. *Antiphona ad Benedictus*. Sancte Dei præsul & martyr Aemygdi, qui Occidentalis Franciæ oriundus Romam veniens, disponente Deo, a Romano pontifice destinatus es prædicator ad Esculanam urbem, pro nobis apud Deum intercede, quos verbis & miraculis ad agnitionem Christiani nominis fecisti venire.

IN VIGILIA ASSUMPTIONIS SANCTÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ad Vesperas antiphona. Maria virgo semper lætare, quæ meruisti Christum portare cœli & terræ conditorem, quia de tuo utero protulisti Mundi Salvatorem. *Psalmi de Feria*.

Hymnus.

Gaudium mundi nova stella cœli,
Procreans solem, pariens parentem,
Da manum lapsis, fer opem caducis,
Virgo Maria.
Te Deo factam liquet esse scalam,
Qua-

Quatenus summa petit altus ima,
Nos ad excelsa remeari cœli
Culmina dona.
Te beatorum chorus Angelorum,
Te Prophetarum & Apostolorum
Ordo prælatam sibi cernit unam
Post Deitatem.
Aula cœlestis speciosa regis,
Fulta septenis Sophiæ columnis,
Quem nequid totus cohibere mundus,
Claudis in alvo.
Quem tremunt cœli, metuunt abyssi,
Laudat occasus, veneratur ortus
Stringis in ulnis.
Lacte nutritus cibo angelorum,
Fertur innuptæ gremio puellæ,
Qui sua late ditione terræ
Pondera librat.
Sit decus summum sine fine Christo,
Virgo quem sancta genuit Maria,
Qui Patri compar, flaminique sancto
Regnat in ævum. Amen.

In Assumptione Sanctæ Mariæ Virginis.

Invitatorium. Odor tuus sancta Dei genitrix, sicut odor balsami. Quasi lilium, ita flores Dei genitrix, Virgo.

Hymnus.

TErrena cuncta jubilent,
Astra laudibus intonent,
Virginis ante thalamum
Carmen alternent drammatum.
Hæc virgo verbo gravida
Fit paradisi janua.
Quæ Deum mundo reddidit,
Cœlum nobis aperuit.
Felix ista puerpera
Hevæ lege liberrima,
Concepit sine coitu,
Emisit absque gemitu.
Dives Mariæ gremium,
Mundi gestavit pretium,
Quo gloriemur redimi
Soluto jugo debiti.
Quam Patris implet filius,
Sanctus obumbrat Spiritus,
Cœlum fiunt castissima
Sacra puellæ viscera.
Laus tibi rex altissime
Qui natus es de Virgine,
Sit laus & ineffabili
Patri, sanctoque flamini.

Hymnus ad Laudes.

AUrora velut fulgida
Ad cœli meat culmina.
Et sol Maria splendida
Tamquam luna pulcherrima.
Regina mundi hodie
Thronum conscendit gloriæ.
Illum enixa filium,
Qui est ante luciferum.
Assumpta super angelos,
Excedis archangelos,
Cuncta Sanctorum merita
Transcendit una femina.
Quem foverat in gremio,
Locarat in præsepio,
Nunc regem super omnia
Patris videt in gloria.
Pro nobis virgo virginum
Tuum deposce Filium,
Per quam nostra susceperat,
Et sua nobis præbuerat.
Laus tibi rex altissime &c.

In octava Sanctæ Mariæ Virginis.

Antiphona ad Magnificat. Sub tuum præsidium confugimus Dei genitrix; nostram deprecationem ne despicias in necessitatibus, sed a periculis libera nos semper virgo gloriosa. *Ultima antiphona primi Nocturni*. In prole mater, in partu virgo, gaude & lætare virgo mater Domini.

In Natali Sancti Martini.

Ad Vesperas hymnus.

REx Christe, Martini decus,
Hic laus tua, tu illius
Tu nos in hoc te colere
Quando ipsum in te tribue.
Qui das per orbis cardines,
Quod gemma fulget præsulum,
Da, quos premunt, culpæ graves,
Solvat per ingens meritum.
En pauper hic & modicus
Polum dives ingreditur.
Cœli cohortes obviant,
Linguæ, tribus, gentes ovant.
Ut vita fulget transitus
Cœli & arvo splendidus,
Gaudere cunctis pium est,
Cunctis salus sit hæc dies.
Martine par apostolis,
Festum colentes tu fove,
Qui vivere discipulis vis,
Et mori non respuis.
Fac nunc, quod olim gesseras,
Nunc præsules clarifica,
Auge decus ecclesiæ,
Fraudes relide Sathanæ.
Qui ter chaos evisceras,
Mersos reatu, suscita,
Diviseras ut chlamydem,
Nos indue justitiam.
Ut specialis gloriæ
Quondam recorderis tuæ,
Monastico nunc ordini
Jam pene lapso subveni.
Sit Trinitati gloria,

Mar-

Martinus ut confeſſus eſt;
Cujus fidem per opera,
In nos & ipſe roboret. Amen.

In Dedicatione Ecclesiæ.

Ad Veſperas hymnus.

CHriſte cunctorum dominator alme,
Patris æterni genitus ab ore
Supplicum vota, pariterque hymnum
Cerne benignus.
Cerne, quod puro Deus in honore
Plebs tua ſupplex reſonat in aula,
Annua cujus redeunt colenda
Tempore feſta.
Hæc domus rite tibi dedicata
Noſcitur, in qua populus ſacratum
Corpus aſſumit, bibit, & beati
Sanguinis hauſtum.
Hinc ſacroſancti latices veternas
Diluunt culpas, perimuntque noxas,
Chriſmate vero genus ut creetur
Chriſticolarum.
Hic ſalus ægris, medicina feſſis,
Lumen orbatis, veniaque noſtris
Fertur offenſis, timor atque mœror
Pellitur omnis.
Dæmonis ſæva perit hic rapina,
Pervicax monſtrum pavet, & retenta
Corpora linquens fugit in remotas
Ocius umbras.
Hic locus nempe vocitatur
Aula regis æterni, niveique cœli,
Portaque vitæ patriam petentes
Accipit omnes.
Turbo quam nullus quatit, aut vagantes
Diruunt venti, penetrantque nimbi,
Non tetris lædit piceus tenebris
Tartarus horrens.
Quæſumus ergo Deus, ut ſereno
Annuas vultu famulos videre,
Qui tui ſummos celebrant amore
Gaudia templi.
Nulla nos vitæ crucient moleſta,
Sint dies læti, placidæque noctes,
Nullus ex nobis pereunte mundo
Sentiat ignes.
Hic dies, in quo tibi conſecratam
Conſpicis aram tribuat perenne
Gaudium nobis, vigeatque longo
Temporis uſu.
Gloriam ſummo reſonemus Patri
Gloriam nato, pariterque ſancto
Spiritui dulci modulemur hymno
Eſſe per ævum. Amen.

In Calce ſupradicti Breviarii legitur: Officium Beatæ Mariæ.

Incipit Officium Beatæ Mariæ Virginis secundum Consuetudinem Monachorum Monasterii Sanctæ Crucis Fontis-Avellanæ.

Ad Matutinum. Domine labia mea aperies *&c. uſque ad lectiones. Lectio prima.* Sancta Maria virgo virginum, mater & filia regis regum omnium tuum nobis impende ſolatium, ut cœleſtis regni mereamur habere præmium, cum electis Dei regnare in perpetuum. ℟. *ut apud nos. Lectio ſecunda.* Sancta Maria piarum piiſſima intercede pro nobis, ſanctarum ſanctiſſima, ut per te ſumat noſtra precamina, qui pro nobis natus regnat ſuper æthera, ut ſua pietate deleat noſtra peccamina. ℟. Felix namque &c. *Lectio tertia.* Sancta Dei genitrix, quæ digne meruiſti concipere, quem totus orbis nequit comprehendere, quæſumus, ut tuo interventu culpas noſtras abluas, quo perennem ſedem gloriæ per te redempti mereamur ſcandere, ubi manes cum eodem Filio tuo ſine tempore. ℟. Beata es *&c. Hymnus.* Te Deum laudamus. *Verſiculus.* Dominus vobiſcum. Sequentia ſancti evangelii ſecundum Lucam. In illo tempore: Loquente Jeſu ad turbas *&c.* ℟. Amen. Te decet laus *&c. Ad Benedictus antiphona.* Quæ eſt iſta, quæ deſcendit ſicut aurora conſurgens, pulcra ut Luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata? Kirie eleiſon &c. Pater noſter. ℣. Benedicamus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu. ℟. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſecula. ℣. Poſt partum virgo inviolata permanſiſti. ℟. Dei genitrix intercede pro nobis. ℣. Mirabilis Deus. ℟. In Sanctis ſuis. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum.

Oratio.

Deus, cujus munere Trinitatem in perſonis, & unitatem in Divina ſubſtantia confitemur, concede propitius, ut hac fideli lorica muniti a cunctis etiam mereamur adverſitatibus liberari.

Alia oratio.

Deus, qui filium tuum ad nos per Virginem dignatus es mittere, da nobis ad te ſuffragantibus ejuſdem beatæ Mariæ precibus jugiter feſtinare.

Alia Oratio.

Auxilium tuum nobis Domine placatus impende, & intercedente beata Dei genitrice Maria cum omnibus Sanctis tuis, fac nos ab omni adverſitate liberari, & æterna lætitia gaudere. Per Dominum &c.

Suſ-

Suffragia ad Matutinum. Antiphona. Inter natos. ℣. Justus ut palma. ℟. Sicut cedrus. *Oratio*. Beati Johannis baptistæ nos quæsumus Domine &c. *Antiphona*. Petrus apostolus. ℣. In omnem. ℟. Et in fines. *Oratio*. Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut nullis nos &c. *Antiphona*. Da pacem. ℣. Fiat pax. ℟. Et abundantia. *Oratio*. Deus, a quo sancta desideria &c. *Antiphona*. Justi fulgebunt. ℣. Mirabilis Deus. ℟. In sanctis suis. *Oratio*. Deus qui nos concedis &c.

Ad Primam hymnus. Beata Dei genitrix *&c. ex operibus S. Petri Damiani. Antiphona*. Ex te Maria virgo. *Psalmus*. Beatus vir qui non abiit. *Psalm.* Quare fremuerunt. *Psalmus*. Domine ne in ira tua. *Antiphona*. Ex te Maria virgo processit Deus & homo, lapis abscissus est de te Christus virgine sanctus, quem propheta Daniel prædixerat. *Lectio*. Et sic in Sion *&c.* ℟. Benedicta tu in mulieribus *&c.* ℣. Ave Maria gratia plena *&c. Oratio*. Beatæ & gloriosæ *&c.*

Alia oratio.

Tribue quæsumus omnipotens Deus Sanctos & Sanctas tuas jugiter orare pro nobis, & eos clementer audiri. Per Dominum *&c.*

Ad Tertiam hymnus. Maria decus omnium *&c. Antiphona*. Per te Maria virgo. *Psalmi ut apud nos. Antiphona*. Per te Maria virgo impleta sunt prophetarum omnium præconia, quæ dicta sunt, virgo concepisti, virgo genuisti. *Lectio*. Hæreditavi in populo *&c.* ℟. Specie tua. ℣. Benedicta tu.

Ad Sextam hymnus. Maria templum Domini *&c. Antiphona & Psalmi ut apud nos. Lectio*. Quasi cedrus. ℟. Adjuvabit. ℣. Sicut myrrha. *Oratio*. Deus, qui nobis sanctæ Trinitatis mysterium revelasti, tribue quæsumus, ut qui jam te ex fide cognovimus, per boni operis augmenta crescamus. *Alia Oratio.*

Concede nos quæsumus omnipotens Deus beatæ Mariæ semper virginis precibus sublevari, per cujus ineffabilem partum procurasti salutis humanæ remedium. *Alia Oratio.*

Omnium Sanctorum tuorum Domine supplicatione placatus, veniam nobis tribue, & remedia sempiterna concede.

Ad Nonam hymnus. O singularis Domina &c. *Antiphona, Psalmi, & Lectio, ut apud nos*. ℟. Elegit eam Deus *&c.* ℣. Speciosa facta es. *Oratio*. Deus qui virginalem. *Alia Oratio.*

Porrige nobis Deus dexteram tuam, & per intercessionem beatæ Mariæ semper virginis & omnium Sanctorum tuorum auxilium nobis supernæ virtutis impende.

Ad Vesperas Antiphona. Ante torum. *Psalmus*. Dixit. *Antiphona*. Aquæ multæ. *Psalmus*. Lætatus sum. *Antiphona*. Surge aquilo & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. *Psalmus*. Nisi Dominus. *Antiphona*. Revertere revertere. *Psalmus*. Memento Domine. *Antiphona*. In prole mater, in partu virgo, gaude & lætare, virgo Mater Domini. *Psalmus*. Lauda Jerusalem. *Lectio*. Ego quasi vitis *&c.* ℟. Exaltata es sancta Dei genitrix. *Hymnus*. Sydus Mariæ splendidum *&c. Ad Magnificat*. Maria virgo non est tibi similis nata in mundo in mulieribus, florens ut rosa, olens sicut lilium, ora pro nobis apud tuum filium. Kirie. Pater. ℟. Benedicamus Patrem & Filium *&c.* ℣. Post partum *&c.* ℣. Mirabilis.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in Trinitate colendus, & in Unitate es adorandus, te supplices exoramus, ut mundes propitius cor nostrum a vitiis, & repleas nos jugiter spiritualibus donis.

Alia oratio.

Deus, qui vitiatæ stirpis originem per virginalis uteri reparas dignitatem, concede propitius, ut quos proprii reatus moles gravat, intercessio beatæ Dei genitricis attollat.

Alia oratio.

Ut tibi Domine placere possimus, beatæ Mariæ semper virginis & omnium Sanctorum precibus & meritis adjuvemur.

Suffragia ad Vesperas. Inter natos &c. Justus. Sicut cedrus. *Oratio*. Omnipotens sempiterne Deus da cordibus nostris illam tuarum rectitudinem semitarum, quas beatus Johannes baptista in deserto vox clamantis edocuit. *Antiphona*. Gloriosi principes. *Oratio*. Apostolicis nos quæsumus Domine beatorum Petri & Pauli attolle præsidiis, ut quanto fragiliores sumus, tanto validioribus auxiliis foveamur. *Antiphona* de Pace, *ut supra*.

Ad Completorium. Deus in adjutorium. *Psalmus*. Usquequo Domine. *Psalmus*. Sæpe expugnaverunt. *Psalmus*. Domine non est exaltatum. *Hymnus*. Enixa est puerpera, quem Gabriel prædixerat, quem matris alvo gestiens, clausus Johannes senserat. Gloria tibi Domine. ℣. Ecce ancilla Domini. *Canticum*. Nunc dimittis. *Antiphona*. Ecce completa sunt *&c. Oratio*. Deus qui salutis *&c.*

IN.



INDEX
RERUM ET NOMINUM, QUÆ CONTINENTUR IN TOMO SECUNDO ANNALIUM CAMALDULENSIUM.

Numeri, quos non præcedit litera A, ad ANNALES *pertinent; quos vero litera A præcedit, ſpectant ad* APPENDICEM.

Litera a. initium paginæ, b. medium, c. finem deſignant.

A



Aufre-

B

C

Con-

D

pſit,

Dori-

Fon-

G

Ge-

H

I

In-

Johan-

K

L

S. Lan-

Li-

M

Mero-

N

O

Po.

Q

R

S

Serræ

T

V

Ve-

XYZ


FINIS TOMI SECUNDI.

Errata in Annalibus.


Pag. 2. *lin.* 50. exequasse *lege* exæquasse
Pag. 5. *lin.* 32. oscitaniæ *lege* oscitantiæ
Pag. 10 *lin.* 39. cui *lege* qui
Pag. 33. *lin.* 17. consummationam *lege* consumationem
Pag. 43. *lin.* 19. cautu *lege* cantu
Pag. 48. *lin.* 47. b *lege* ob
Pag. 61. *lin.* 16. Utiaaa *lege* Utiana
lin. 50. subjecta *lege* subjectæ
Pag. 77. *lin.* 9. viegsima *lege* vigesima
Pag. 88. *lin.* 34. Beneidcti *lege* Benedicti
lin. 42. epstiolæ *lege* epistolæ
Pag. 95. *in marg.* in ea *lege* in eis
Pag. 96. *lin.* 38. quæ ipsa *lege* quæ ipse
Pag. 100. *lin.* 40. ansne *lege* anne
Pag. 111. *lin.* 20. post Sarsinas nimirum diœcesis *lege* & Feretranæ pars
Pag. 120. *in marg.* sedulum *lege* seculum
Pag. 126. *lin.* 19. accipite *lege* accipitre
Pag. 139. *lin.* 2. luvida *lege* lurida
Pag. 165. *lin.* 50. querimoniam *lege* querimonia
Pag. 177. *lin.* 1. permaneat *lege* permaneant
Pag. 184. *lin.* 8. in sua eremo quam in aliis *lege* in suam eremum, quam in alia &c.
Pag. 192. *lin.* 8. injurii *lege* injuriis
Pag. 211. *lin.* 40. elengatiori *lege* elegantiori
Pag 232. *lin.* 9. jaceant *lege* jacent
Pag. 248. *lin.* 45. uude *lege* unde
Pag. 259. *lin.* 39. 1019. *lege* 1139.
Pag. 274. *lin.* 16. sibi *lege* tibi
Pag. 279. *lin.* 20. numen. Non *lege* numen non
Pag. 280. *lin.* 4. tum *lege* cum
Pag. 290. *lin.* 21. illc *lege* ille
lin. 28. Foro-sempronienfis *lege* Foro-semproniensi
Pag. 303. *lin.* 17. Apulia finibus, uon *lege* Apuliæ finibus, non
Pag. 304. *lin.* 15. equitanium *lege* equitantium
Pag. 311. *lin.* 19, occurrit quidem eo anno indictio IV. sed *lege* occurrit siquidem eo anno indictio III. &
Pag. 339. *lin.* 12. domum *lege* domnum
Pag. 343. *lin.* 25. legirur *lege* legitur
Pag. 348. *lin.* 10. Victoris II. *lege* Victoris III.
Pag. 365. *lin.* 20. seculi *lege* seculis
Pag. 366. *lin.* 2. 1055. *lege* 1053.
Pag. 385. *lin.* 44. aeris *lege* acris
Pag. 387. *lin.* 48. labere *lege* labore
Pag. 392. *lin.* 21. consanquineis *lege* consanguineis

Errata in Appendice.

Col. 23. *lin.* 37. Willemo *lege* Willelmo
Col. 33. *lin.* 7. nihilomius *lege* nihilominus
Col. 38. *lin.* 17. domus *lege* domnus
Col. 44. *lin.* 14. qui *lege* quia
Col. 103. *lin.* 4. Anno 1053. *lege* Anno 1043.
Col. 112. *lin.* 22. ex archivo Fontis-boni *lege* ex Murator. antiquit. T. V. col. 426.
Col. 147. *lin.* 5. uxoris *lege* uxori
Col. 151. *lin.* 2. & 11. Torellus *lege* Corellus
Col. 161. *lin.* 2. Benedicto *lege* Benedicta
Col. 176. *lin.* 1. *supple* Christi . . . . .
Col. 177. *lin.* 28. inaarnacione *lege* incarnacione
Col. 179. *lin.* 43. autographo *lege* apographo
Col. 202. *lin.* 9. prænotati chartarii *lege* Camaldulensis chartarii
Col. 230. *lin.* 47. stilo Pisano *lege* Romano
Col. 285. *lin.* 18. & 38. Theobaldus *lege* Theodaldus
Col. 302. *lin.* 28. ethymologiam *lege* etymologiam
Col. 339. *lin.* 7. quod per habitum *lege* quod habitum
Col. 354. *lin.* 35. Basileensi *lege* Basileensi
Col. 358. *lin.* 19. & 20. altera *lege* alteram
Col. 360. *lin.* 21. ad festum *lege* festum
Col. 386. *lin.* 16. sempiternæ *lege* sempiterne
lin. 56. æternæ *lege* æterne
Col. 388. *lin.* 55. confessorum *lege* confessorem














ANNALES
CAMALD
ORDINIS
S. BENEDICTI

TOM. II.